Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
PATRUM
DOGMATICA,
SCHOLASTICO-POSITIVA,
TOMUS PRIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA PATRUM
DOGMATICA, SCHOLASTICO-POSITIVA,

AUCTORE R. P.

ANTONIO BOUCAT

BITURICO,

Ordinis S. Franciſci de Paula Religioſo, Provinciæ Franciæ Profeſſo atque Alumno, & veterano apud Pariſios in ſacra Theologia Profeſſore.

TOMUS PRIMUS,

CONTINENS TRACTATUS

De Deo Uno, ejuſque Attributis in genere.
De Dei Inviſibilitate & Viſibilitate.
De Dei Intellectu & Scientia.
De Concordia Libertatis cum Præſcientia Divina.

EDITIO PRIMA VENETA
accuratior & emendatior.





VENETIIS, MDCCXXXVI.
Apud PETRUM BASSALEAM
In Via S. Bartholomæi ſub Signo Salamandræ.
SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI
S. R. E.

CARDINALI ALBANO,

SANCTISSIMI DOMINI D. N. CLEMENTIS XI.
EX FRATRE NEPOTI,
TOTIUS ORDINIS MINIMORUM
PROTECTORI VIGILANTISSIMO.

EO *amoris & affectus gradu*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *humilem licet Minimorum Familiam proſecutus es, cum totius Ordinis Patrocinium ſuſcipere dignatus es, ut in Te, non ſolum in defendendo Protectorem vigilantiſſimum, ſed & in fovendo amantiſſimum Patrem, & in promovendis ſacrarum Litterarum ſtudiis, potentiſſimum Mæcenatem veneremur.*

Tot ac tantis recreatus benevolentiæ veſtræ argumentis, fidenter accedo, ut Tractatus de Deo uno, ejuſque attributis, ad exaltationem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ elucubratos, EMINENTIÆ VESTRÆ, *in perpetuum gratitudinis monumentum, non tam dicare & conſecrare, quam reddere aggrediar.*

Et vero vox veſtra, EMINENTISSIME PRINCEPS, *vox multitudinis & ſcientiarum, & virtutum eſt; vix enim Theologiæ incubuiſti ſtudiis, cum non ſine omnium admiratione, Magiſter & Doctor eluxeris: tunc quippe micantis ad inſtar ſolis, a matutino ad veſperum*

uſque

uſque lucidos ſacræ doctrinæ radios largus effundebas. Mirabatur vel ipſa Roma tantum ſidus, cujus velox lumen per orbem totum, omnemque per Eccleſiam ſpargeretur: felix certe futuræ celſitudinis præſagium.

Mirabunda quondam novit Aula Cæſarea ſummam veſtram difficillimis in rebus ſolvendis peritiam, eximiam in juribus Pontificiis ſuaviter defendendis ſapientiam, omnem in pace Sacerdotii cum imperio componenda prudentiam. Modo intricatiſſimarum in Te, Eminentissime Princeps, *controverſiarum definitio reperitur: modo incenſus, ſive in propaganda, ſive in conſervanda fide enitet zelus: Sacris in Congregationibus ita eluces, ut cunctas elimines errorum tenebras: omnium in Te verſatur animus, ipſis Romanorum Principibus multum commendabilis, amor populi & deliciæ diceris: ſic ſuavis, unus, multiplexque Dei ſpiritus* Eminentiæ Vestræ *adeſt, ut non immerito omnes exquiſitam in Ea, tum in erudiendo, tum in benefaciendo, artem demirentur.*

Verum, quod omnem ſane ſuperat laudem, addis ſcientiæ, Eminentissime Princeps, *glorioſam virtutum ſupellectilem: quamquam enim ad præcellentem Cardinalatus dignitatem, jure veluti avito deſtinatus eſſes, ad hunc tamen honoris gradum ſola virtus te erexit; immo erexit agglomeratis, erumpentibuſque Collegii Apoſtolici votis. Quid mirum jam, ſi Romanæ Eccleſiæ Purpuram omnium cum applauſu indueris?*

Ad hanc eminentiſſimam dignitatem, eas attulit

Emi-

EMINENTIA VESTRA *dotes, quantas Eccleſiæ Chriſti Nobilitas poſtulavit; fortitudinem animi, quæ nihil pro Religionis incremento non auderet; providentiam, quæ pro negotiis ad felicem exitum perducendis, cuncta præcaveret; ſapientiam, quæ pro conciliandis animis omnia tentaret; illam maxime pietatem, qua fides ſaluberrima gignitur, roboratur, propagatur.*

Quam immenſum expectationis argumentum! Quid non vel ipſa Eccleſia ſperare poteſt? virtute magis, quam dignitatum titulis præſtantior, in Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, *Chriſtianus miratur orbis, quod olim in Boromæo Pii IV. Summi Pontificis nepote demiratus eſt, eam ſcilicet animi vigilantiam & ſagacitatem, quæ omnibus pro fide propaganda ita providet, ut cuncta & attingat fortiter, & diſponat ſuaviter; eam manſuetudinem, quæ cunctos devincit; ipſum gratiarum jucundum leporem, quo corda demulces & rapis.*

Tantas animi dotes quamobrem demirantes veneramur: vera Patrui dignaque imago Summi Pontificis Clementis XI. feliciter Eccleſiam Chriſti gubernantis es; namque tanti Eccleſiæ capitis virtutum omnium ſeriem ipſa virtute adunat & colligit EMINENTIA VESTRA. *Revera quidem affulget in Clemente XI. mira Petri fides, eminet melliflua Magni Leonis facundia, emicat in dirigendis Fidelium moribus, paterna Gregorii Sollicitudo: Mitto, ne fuſior ſim, profligata hæreſum monſtra, locupletata in pauperum*

ſub-

ſublevationem Xenodochia, ſuavia Homiliarum documenta, aliaque innumera, quæ poſtera laudabit ætas: Id unum dicam, in Nepote animum Patrui affulgere, & Cardinali ſublimem tanti Pontificis mentem adeſſe.

Liceat igitur dicere, paceque veſtra dicam, EMINENTISSIME PRINCEPS, *Supremi Numinis attributorum excellentiam, ſicut homini & poſſibile & par eſt, exprimit animi veſtri bonitas, repræſentat ſapientia, delineat virtutum omnium fecundius agmen. Ne mireris igitur*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *ſi hunc ſacræ Theologiæ Librum de Deo uno, ejuſque proprietatibus, ſub* INCLYTI ET EMINENTISSIMI NOMINIS VESTRI *tutela, in lucem audeam prodere. Iſtud gratiſſimi animi monumentum, quæſo humillime, oro, obteſtor, obſecroque, benignus accipias. Tanta ſunt* EMINENTIÆ VESTRÆ *erga ſacrum Minimorum Ordinem beneficia, tantaque de novo ſperamus, ut Protectoris nomine, ipſo afflante & ordinante Summo Pontifice, jure merito donata ſit. Utinam* DEUS OPTIMUS MAXIMUS, *a quo omne donum eſt, ſua in veſtris meritis cumulate coronet opera, ut expleat vota, quæ pro* EMINENTIÆ VESTRÆ *incolumitate, æternaque ſalute, maxima facit,*

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Devotiſſimus & ſubditiſſimus veſter ſervus, Fr. ANTONIUS BOUCAT Minimus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

VArii multique ad hæc uſque tempora extitere Theologiæ Tractatus: alii ſolum Scholaſtici, alii Dogmatici, alii Poſitivi, quidam & partim Morales. Sed quia diviſæ hinc inde in diverſis operibus materiæ, aut frangunt animum, aut mentem plura diſparata diſparate cogitantem deprimunt, aut etiam terrore ſtupendi & ſupra modum ardui laboris ab amore doctrinæ ſacræ plures omnino, vel ſaltem ex parte avertunt, æquum duximus, immo & neceſſarium, iſtas Theologiæ partes unico in opere concludere, ut cuncta & principiorum & concluſionum conjunctione, cito & faciliter pateant legentibus.

Scholaſticam partem a multis quæſtionibus vix alicujus momenti purgatam tradimus, Dogmaticam quidem, ſed omnium pæne difficultatum ſolutionibus adornatam; tertio loco Poſitivam, eam dico, quæ omiſſis plurimis Hiſtoriis fidem divinam non ſpectantibus, ad ſolam ſiſtit Theologiæ metam.

Plura in uno opere, pie & docte Lector, habebis opera Theologica. Diſperſa in diverſis habebis adunata in uno: intricata variis Diſſertationibus, breviter ſoluta: copioſa Scholaſticæ, Poſitivæ & Dogmaticæ Theologiæ, ad claram methodum concinnata: obſcura, elucidata, profunda, adamuſſim explanata: altiſſima ad captum Lectoris, in quantum fieri poteſt, expoſita: difficilia & ardua, paucis, ſed validiſſimis explicata lectionibus.

Hauſimus ad hujuſce Operis & compoſitionem & perfectionem, quidquid in antiquis Theologiis invenitur optimum, quidquid in recentioribus jucundum, quidquid in Tractatibus, in Synodis, Ritualibus, Liturgiis Græcorum, Melchitarum, Coptitarum, Æthiopum, pro dogmatibus Purgatorii, cultus Sanctorum, numeri

ſeptenarii Sacramentorum aſtruendis,optimum;quidquid in variis eruditiſſimorum Virorum codicibus affulget pretioſum, ſed maxime, quod eſt tum in divinis Scripturis, tum in Decretalibus SS. Pontificum, tum in Definitionibus Conciliorum, tum in Sententiis Patrum perutile & ſanctum,ut,ſacra hacDoctrina omnibus ſupremę veritatis decorata monumentis,aut perfectus ſit homo Dei Theologus, aut ſaltem lectione,& labore & ſtudio evadere queat.

Quia vero ſententiæ divi Auguſtini circa gratiam & liberum arbitrium ex locis a verbis antecedentibus & ſubſequentibus divulſis, in adulterinos poſſunt detorqueri ſenſus, ipſa Sancti Doctoris de his momentis opera juxta editionem novam breviter & compendioſe, præmiſſo ad quemlibet librum argumento, explanamus, ut ex integris de uno controverſiæ capite contextibus quiſque abſque negotio capiat, quænam ſit ſecundum ſanctum Doctorem & efficacia & ſuavitas gratiæ Salvatoris.

Operæ pretium eſt hic ſubnotare multa eſſe ad ſalutem neceſſaria; ſed potiſſimum cognitionem Dei, & eorum quæ propter nos homines miſericorditer patravit, quæ ad duo præcipue capita revocari poſſunt: alterum quidem circa Dei exiſtentiam & eſſentiam: alterum vero de mediis quibus ad finem ultimum homines conducuntur.

De primo momento dicitur quod Deus ſit unus in ſe, & ſumme perfectus, quod poſſit a creatura poſſideri, quod cuncta ſciat, quod ſe velit, & alia a ſe, quod prædeſtinet & reprobet, quod ſit Trinus, viſibilium & inviſibilium Creator & Præmotor.

De ſecundo momento tria ſunt plurimum ponderanda: primo quidem, quod Filius Dei propter noſtram ſalutem ſit incarnatus, quod ſit largitor munerum & omnium Salvator. Ad iſta explicanda & concinnanda tractare juvat de Deo uno ejuſque proprietatibus, de Deo Trino, de

Deo

Digitized by Google

Deo Creatore & Præmotore, ubi de Angelis, de opere ſex dierum, de homine ejuſque ſtatibus, denique de Deo incarnato, de Deo largitore gratiæ, & omnium Mediatore.

Primus igitur Tractatus eſt de Deo Uno ejuſque attributis in genere.

Secundus, de inviſibilitate & viſibilitate Dei.

Tertius, de intellectu & ſcientia Dei.

Quartus, de voluntate Dei.

Quintus, de Deo Trino.

Sextus, de Deo Creatore & Præmotore, de Angelis, de Opere ſex dierum, & de Homine.

Septimus, de Deo incarnato.

Octavus, de Gratia Mediatoris.

Nonus, de Actibus humanis & peccatis.

Decimus, de Deo Paſtore: ubi de Fide, Spe & Charitate, de Regulis Fidei, maxime vero de Scriptura ſacra, etiam in ſpeciali, de Eccleſia & Conciliis, quorum Canones omnes fideli calamo referuntur.

Undecimus, de Sacramentis tum in genere; tum in particulari, quorum quidem numerus ſeptenarius primum omni Traditionis genere; deinde ex conſenſu utriuſque Eccleſiæ, Græcæ ſcilicet & Latinæ probatur, immo & ex Traditione petita ex uſu Eccleſiarum Proteſtantium Galliæ, Germaniæ, Angliæ, Poloniæ, Sueviæ, Daniæ, Bataviæ, quę quidem univerſaliter eandem ante Schiſma, cum Eccleſia Romana, de his ſeptem Capitibus tenuerunt Fidem.

Ducem & Magiſtrum in hoc curſu Theologico fideliter ſequimur D. Th. Aquinatem, cujus laus ſuper omnem laudem, ab ipſius Chriſti ore promanavit: *Bene ſcripſiſti de Me Thoma*; de cujus doctrina, iſtud S. Hier. ad Lætam de Hilarii ſcriptis, jure merito dicimus: "S. Th. Libros inoffenſo decurrat pede.„ Hinc omnes illum aut audiunt ut Magiſtrum, aut demirantur ut magnum Scholæ Angelum.

APPROBATIO

Regii Librorum Cenſoris.

ILLUSTRISSIMI Galliarum Cancellarii Mandato, Tractatus de Deo uno, ejuſque attributis, de Deo Trino, de Deo Creatore, de Verbo Incarnato, de Gratia Salvatoris, de Eccleſia, de Fide, Spe & Charitate, de Actibus humanis, de Sacramentis tum in genere, tum in particulari, ea qua potui attentione perlegi, in quibus omnia Orthodoxæ Fidei, & ſanctis moribus conſona mihi viſa ſunt, & ad Theologiæ Candidatorum utilitatem, eruditionemque elucubrata. Datum Pariſiis die ultima Martii anni 1713.

REGERY.

APPROBATIO

Reverendiſſimi Patris Generalis.

Fr. SYRUS-JOSEPH VICUS, Lector Jubilatus, ac totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

TENORE Præſentium facultatem concedimus R. Patri ANTONIO BOUCAT, Provinciæ noſtræ Pariſienſis Prædicatori, ac Theologiæ veterano Profeſſori, luci publicæ mandandi ſuum opus, cujus titulus: *Theologia Patrum dogmatica, ſcholaſtico-poſitiva*, in varios digeſtum Tractatus, ſcilicet de Deo uno, de Deo Trino, de Deo Incarnato, de Deo gratificante, &c. Volumus tamen ut approbetur a R. admodum Patre Provinciali ejuſdem præfatæ Provinciæ, necnon a Reverendis Patribus Natali Geofroy, & Carolo Soubzmain, antiquis Theologiæ Profeſſoribus, ac cetera ſerventur, de jure & more ſervanda, in quarum fidem. Datum Romæ, in noſtri Sancti Andreæ de Frattis Conventu, die 3. Junii 1712.

Fr. SYRUS-JOSEPH VICUS,
Corrector Generalis.

Google

APPROBATIO

Reverendi Patris Provincialis.

Nos Fr. ROBERTUS QUINQUET, Provinciæ Franciæ Ordinis S. Franciſci de Paula Provincialis.

VISIS tum Doctoris Illuſtriſſimi Cancellarii, tum Theologorum noſtri Ordinis approbationibus, R. P. ANTONIO BOUCAT, in ſacra Theologia Lectori, licentiam facimus prælo mandandi varios Theologiæ Tractatus; & in fidem, Præſentes Officii noſtri ſigillo munientes & obſignantes ſubſcripſimus in noſtro Conventu Pariſienſi, hac die 23. menſis Maii anni 1713.

Fr. ROBERTUS QUINQUET, Provincialis.

APPROBATIO

Theologorum Ordinis.

NOS infra ſcripti Provinciæ Franciæ Ordinis Minimorum Antiqui ſacræ Theologiæ Lectores, ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Generalis noſtri, attente legimus Tractatus de Attributis divinis, & de Trinitate, &c. a R. P. ANTONIO BOUCAT, ejuſdem Ordinis & Provinciæ, in Conventu Pariſienſi Sacræ Theologiæ actuali Profeſſore compoſitos, in quibus doctiſſimus Auctor, ſine fidei, morumque præjudicio, de Dei natura, perſonis, perfectionibus & operationibus, de divinorum Decretorum ſuavi efficacia, de prædeſtinatione & reprobatione, &c. differens rationum ſuavitatem, argumentorumque ſubtilitatem cum mira claritate ſic aſſequitur, ut quidquid in Conciliorum Definitionibus grave; quidquid in Sanctorum Patrum, præcipue Auguſtini & Doctoris Angelici Libris eruditum; quidquid demum in celebriorum & probatiorum Theologorum Commentariis exquiſitum de altiſſimis hiſce quæſtionibus, & profundiſſimis Myſteriis ſparſum ac diffuſe ſcriptum legitur, illud totum facili & ordinatiſſima methodo hic congeſtum reperiatur. Dignum idcirco cenſemus Opus, quod in magnum Studioſorum emolumentum promulgetur. Datum Pariſiis in Conventu noſtro ad Circum Regium, die 25. Maii anni 1713.

Fr. NATALIS GEOFROY.
Fr. CAROLUS SOUBZMAIN.

Digitized by Google

TIPOGRAPHUS

LECTORI.

PRimum hunc Tomum plus mendoſum ſi forte videas, quam tu velis & nos, id tu, B. L. factum eſſe credas non tam operarum incuria & miſero typorum fato, quam Pariſienſium, quibus utimur, exemplarium cauſſa, quæ quum ſcatere mendis nemo non videat, ſero ipſi tamen animadvertimus, quamvis interea ſero animadvertiſſe pœniteat. Hoc unum tibi perſuadeas, nihil a nobis prætermiſſum fuiſſe, quominus quam caſtigatiſſima prodirent omnia, nihilque certe, ut prodeant in poſterum, prætermiſſum iri. Quæ interim menda in primo Tomo deprehenderis, tu ut noſtro ne vitio vertas, corrigenda curabimus; editoque ſecundo Tomo, ad calcem primi quæ deprehenſa fuerint, quæque in reliquos fortaſſe irrepſerint, ad calcem cujuſque operis apponentur. Boni conſule, & bene vale.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la ſede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Theologia Patrum Dogmatica*, *Scholaſtico-Poſitiva*, *Auctore R. P. D. Antonio Boucat Ordinis S. Franciſci de Paula*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni Coſtumi, concedemo Licenza a *Pietro Baſſaglia Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Luglio 1735.

(Z. Piero Paſqualigo Ref.
(Michiel Moroſini Kav. Ref.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

19. Luglio 1735.

Reg. nel Mag. Eccell. degli Eſec. contro la Beſtemmia.

Franceſco Agazzi Nod.

Digitized by Google

SERIES

DISSERTATIONUM,

Articulorum, Sectionum, & Concluſionum & Argumentorum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

De Deo uno, ejuſque proprietatibus, tum in genere, tum in particulari.

IDEA *Operis.* pag. 1
Dogmata de Deo uno, ejuſque attributis. 2
Hæreſes. ibid.
Diſſertatio præambula de Doctrina ſacra. 4
De nomine, definitione & diviſione Doctrinæ ſacræ. ibid.
ART. I. *Utrum Theologia ſit neceſſaria?* 5
Concl. I. *Theologia ſecundum ſe ſpectata, eſt ſimpliciter neceſſaria pro toto corpore Eccleſiæ.* ibid.
Concl. II. *Theologia Scholaſtica perutilis eſt.* 7
Diluuntur objectiones contra primam Concluſionem militantes. 8
Diluuntur objectiones contra ſecundam Concl. &c. 10
Synopſis Probationum. 12
Synopſis Solutionum ad Objectiones. ibid.
ART. II. *De objecto Theologiæ.* ibid.
Concl. I. *Objectum materiale Theologiæ, eſt quodcumque revelatum.* 13
Concl. II. *Objectum formale* quod *Theologiæ, eſt Deus ſub ratione Deitatis & ultimi finis.* ibid.
Concl. III. *Objectum formale ſub* quo *Theologiæ, eſt Revelatio virtualis.* ibid.
Proponuntur objectiones adverſus ſecundam Concl. & ſolvuntur. ibid.
Synop. Probationum de multiplici Theologiæ objecto. 15
Synop. ſolutionum ad difficultates. ibid.
ART. III. *Utrum Theologia ſit ſcientia & qualis?* ibid.
Concl. I. *Theologia eſt vere ſcientia.* ibid.
Concl. II. *Theologia eſt una ſpecie atoma ſcientia.* 16
Concl. III. *Theologia eſt habitus intrinſece ſupernaturalis.* ibid.
Solvuntur objectiones contra 1. Concl. 17
Diluuntur objectiones contra 2. Concl. 19
Fit ſatis objectionibus contra 3. Concl. 21
Synop. probationum. 23
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. IV. *Utrum Theologia ſit ſcientia ſpeculativa ſimul & practica?* 24
Concluſio affirmativa. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synop. probationum. 26
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.

TRACTATUS PRIMUS

De exiſtentia & unitate Dei, ejuſque natura & attributis.

Diſſertatio I. *de exiſtentia Dei contra Atheos.* ibid.
ART. I. *Utrum detur ignorantia invincibilis de Deo ut Auctore naturæ?* ibid.
Concluſio. *Non datur ignorantia invincibilis de Deo ut Auctore naturæ.* 28
Fit ſatis objectionibus. 30
Synop. probationum. 34
Synop. ſolutionum ad objectiones. 35
ART. II. *Utrum iſta Propoſitio,* Deus eſt, *ſit aliquo modo nota quoad nos?* ibid.
Concl. I. *Ineſt nobis ingenita aliqua auctoris naturæ notio.* ibid.
Concl. II. *Iſta Propoſitio,* Deus eſt, *nota eſt aliquo modo quoad nos.* 36
Solvuntur objectiones contra 1. Concl. 37
Synop. probationum. 39
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. III. *Utrum omnes creaturæ Deum exiſtere conclament?* ibid.
Concl. *Omnes creaturæ Deum Auctorem naturæ indigitant.* ibid.
Diluuntur Atheorum objectiones. 43
Synop. probationum. 45
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. IV. *Utrum omnis generis ratio dicat Deum exiſtere?* ibid.
Concl. *affirmativa.* ibid.

Ra-

Rationes Phyſicæ. ibid.
Rationes Metaphyſicæ. 46
Rationes Morales. 47
Rationes Mathematicæ. 48
Rationes ex omnium creaturarum conſenſu deprompta. 50
Exploduntur vana Atheorum commenta. 50
Synop. probationum. 54
Synop. reſponſionum ad difficultates. 55
ART. V. *Utrum materia ſit increata, & ſine principio?* ibid.
Concl. *Materia non eſt æterna.* ibid.
Solvuntur objectiones Hermogenis. 59
Synop. probationum. 63
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. VI. *Utrum mundus, & omnia quæ continet, caſu facta ſint ex variis materiæ atomis?* ibid.
Sect. I. *de ſyſtemate mundi ſecundum Epicurum.* 64
Synop. ſyſtematis Epicuri. 66
Sect. II. *Convellitur Epicuri ſyſtema per ordinem ad atomos.* ibid.
Concl. I. *Mundus non eſt ens caſu factum.* 67
Concl. II. *Cuncta quæ ſunt in mundo, non ſiunt ex atomis.* 68
Concl. III. *Motus rectus non eſt eſſentialis atomis.* 71
Concl. IV. *Combinationes atomorum ſunt fictitia.* 72
Synop. probationum. 73
De ſyſtemate Epicuri per ordinem ad mundum. ibid.
Concl. I. *Mundus non eſt a ſeipſo.* 74
Concl. II. *Attributa divina non conveniunt atomis & materiæ.* ibid.
Concl. III. *Materia quæcumque etiam ſubtiliſſima, non eſt independens.* 77
Solvuntur objectiones Epicuri. 78
Synop. probationum. 81
Synop. ſolutionum ad objectiones. 82
De ſyſtemate Epicuri per ordinem ad Deum cujus exiſtentiam inficiatur. ibid.
Concl. *Deus eſt Creator rerum omnium I. Argumentum petitur ab initio, quod res omnes habuerunt, ſicut narrat Moyſes.* ibid.
Solvuntur objectiones Epicureorum & Spinoſæ. 90
II. Argum. Deus eſt Auctor rerum omnium, quia cauſa mundi debet eſſe ex natura ſua ſpiritualis & infinite intelligens. 93
Solvuntur objectiones Spinoſæ. 95
III. Argum. Deus eſt mundi Creator, quia ſic profitetur Gens Judaica. 97
IV. Argum. Deus eſt Creator mundi, quia ſic profitetur Religio Chriſtiana. 108
Solvuntur objectiones. 113
Synop. probationum. 117
Synop. ſolutionum ad difficultates. ibid.
Sect. III. *Convellitur ſyſtema materiæ ſubtilioris, cui ineſt potentia cuncta faciendi, ut quidam & poſuerunt & ponunt.* ibid.
Concl. *Materia ſubtilior quam quidam quintam eſſentiam, quidam vero bonitatem eſſentialem vocant, non eſt mundi creatrix, non ſanctitatis & beatitudinis hominum cauſa.* 119
I. Argum. Tanta efficacia non convenit materiæ etiam ſubtiliſſimæ. ibid.
II. Argum. Syſtema prædictum implicat contradictionem. 120
III. Argum. Bonitas eſſentialis non eſt ratio gubernandi, ut explicant Sinenſes. 122
IV. Argum. Bonitas eſſentialis immerſa in materia, non eſt ſanctitatis principium & ultimus finis beatificans. 123
V. Argum. Probatur a conglobatis, Deum, qualem agnoſcunt Chriſtiani, ſolum eſſe agnoſcendum. 127
Solvuntur objectiones Atheorum Sinenſium. 129
Synop. probationum. 131
Synop. reſponſionum ad difficultates. 132
Diſſert. II. *de unitate Dei.* ibid.
Hiſtoria critica idololatriæ. 133
Hiſtoria critica Marcioniſtarum, & Manichæorum. 136
ART. I. *Utrum ex traditione ab Adam uſque ad nos, conſtet unicum eſſe Deum?* 141
Concl. *affirmativa.* ibid.
Probatur unitas Dei ex traditione veteris Teſtamenti. ibid.
Probatur ex punitione idololatrarum. 142
Probatur ex traditione novi Teſtamenti. ibid.
Prob. ex punitione perſecutorum Eccleſiæ. 143
Solvuntur objectiones idololatrarum. ibid.
Solvuntur objectiones Manichæorum duo prima principia admittentium. 148
Synop. probationum. 154
Synop. ſolutionum pro objectionibus. ibid.
ART. II. *Utrum conſtet auctoritate miraculorum, unum eſſe Deum?* ibid.
Concl. *Ex multis miraculis in utroque Teſtamento patratis, conſtat unicum eſſe Deum.* ibid.
Miracula veteris Teſtamenti. ibid.
Mirac. novi Teſtamenti. 157
Solvuntur objectiones idololatrarum. 158
Synop. probationum. 162

Sy-

Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
ART. III. *Utrum conſtet ex Sibyllis, & ex auctoritate doctiſſimorum inter Gentiles, unicum eſſe Deum?* 162
Concl. *Conſtat ex Sibyllis, &c.* ibid.
Solvuntur objectiones. 164
Synop. probationum. 171
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
ART. IV. *Utrum ex ratione conſtet unicum eſſe Deum?* ibid.
Rationes pro parte affirmativa afferuntur. ibid.
Confutatur pluralitas inanium Gentilium deorum rationibus Tertulliani. 173
Solvuntur objectiones adverſariorum. 176
Synop. probationum. 177
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
Diſſert. III. *de eſſentia & conſtitutivo Dei.* 178
ART. I. *Utrum Deus ſit formaliter ens a ſe?* ibid.
Concl. *Conſtitutivum Dei metaphyſicum eſt ens a ſe.* ibid.
Diluuntur objectiones. 180
Solvuntur objectiones eorum qui ponunt conſtitutivum Dei in intelligere per eſſentiam. 181
Synop. probationum. 184
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. II. *Utrum Deus ſit purus ſpiritus?* ibid.
Concl. *affirmativa.* ibid.
Solvuntur objectiones. 186
Synop. probationum. 188
Synop. ſolutionum ad difficultates. ibid.
ART. III. *Utrum Tertullianus crediderit Deum eſſe corporeum?* ibid.
Concl. *negativa.* ibid.
Solvuntur objectiones. 189
Synop. probationum. 192
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. IV. *Utrum Melito Sardenſis, Audius & Epiphanius adhæſerint Anthropomorphitis?* ibid.
Concl. I. *Melito non adhæſit.* ibid.
Concl. II. *Nec Audius adhæſit.* 193
Concl. III. *Nec Epiphanius.* ibid.
Solvuntur objectiones contra primam concluſionem 194
Solvunt. contra ſecundam. ibid.
Solvunt. contra tertiam. 195
Synop. probationum. 196
Synop. reſponſionum ad difficultates. ibid.
ART. V. *Utrum Deus ſit ens indiviſibile, nullam in ſe admittens diſtinctionem & diviſionem?* 197
Concl. I. *Nulla eſt diſtinctio realis, immo nec formalis ex natura rei, inter naturam divinam & perſonas, & attributa: nulla inter attributa ad invicem & perſonas.* ibid.
Concl. II. *Attributa diſtinguuntur ad invicem ab eſſentia & a perſonis virtualiter tantum, actu vero ſolum per mentis operationem.* 200
Solvuntur objectiones. 201
Synop. probationum. 206
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. VI. *Utrum Deus ſit ens ita ſimplex, ut nullam in ſe admittat compoſitionem etiam Logicalem?* ibid.
Concl. *Deus omnem a ſe eliminat compoſitionem.* ibid.
Solvuntur objectiones. 208
Solvuntur objectiones ex ratione prodeuntes. 210
Synop. probationum. 211
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
Diſſert. IV. de perfectionibus Dei. 212
ART. I. *Utrum Deus ſit ſanctus?* ibid.
Concl. *Deus eſt ſanctiſſimus.* ibid.
Probatur multipliciter. ibid.
I. *Ex nominibus Dei.* ibid.
II. *Ex Scriptura utriuſque Teſtamenti.* 213
III. *Ex Patribus.* ibid.
IV. *Ex pulchritudine Dei.* 214
V. *Ex impeccabilitate Dei.* 216
Solvuntur objectiones. 217
Synop. probationum. 221
Synop. reſponſionum ad difficultates. 222
ART. II. *Utrum Deus ſit omnibus modis infinitus.* ibid.
Concl. *Deus eſt ſimpliciter infinitus.* ibid.
Diluuntur objectiones. 224
Synop. probationum. 226
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. III. *Utrum Deus ſit immutabilis.* ibid.
Concl. *Deus eſt immutabilis.* ibid.
Solvuntur objectiones. 227
Synop. probationum. 229
Synop. reſponſionum ad difficultates. ibid.
ART. IV. *Utrum Deus ſit immenſus.* ibid.
Concl. I. *Deus eſt ubique.* ibid.
Concl. II. *Deus eſt ubique per operationem.* 231
Fit ſatis objectionibus contra primam concluſionem. 232
Solvuntur objectiones contra ſecundam concluſionem. 235
Synop. probationum. 236
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.

TRACTATUS SECUNDUS.

De inviſibilitate & viſibilitate Dei.

DISSERTATIO I. D*E poſſibilitate viſionis beatificæ.* 238

Art.

Art. I. *Utrum intellectus creatus poſſit videre Deum?* ibid.
Concluſio. *Intellectus creatus gratia illuſtratus poteſt videre Deum intuitive.* 239
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes. 240
Solvuntur objectiones quæ ex Patribus deducuntur. 241
Diluuntur objectiones ex ratione. 243
Synopſis probationum. 247
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. II. *Utrum S. Chryſoſtomus negaverit poſſibilitatem viſionis beatificæ?* 248
Concluſio. *Non negavit.* ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 251
Synopſis reſponſionum ad difficultates. ibid.
Art. III. *Utrum Theodoretus agnoverit viſionem Dei poſſibilem?* 252
Concluſio. *Agnovit.* ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 256
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. IV. *Utrum intellectus creatus lumine gloriæ perfundatur, ut videat intuitive Deum?* ibid.
Concluſio. *Perfunditur.* ibid.
Solvuntur objectiones. 257
Synopſis probationum. 260
Synopſis reſponſionum ad difficultates. ibid.
Art. V. *Utrum eſſentia divina uniatur per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ intellectui creato, ut illum reddat proxime potentem ad videndum intuitive Deum?* ibid.
Concluſio affirmativa. 261
Solvuntur objectiones. 262
Synopſis probationum. 264
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. VI. *Utrum oculus corporeus de potentia extraordinaria poſſit videre Deum intuitive?* 265
Concluſio negativa. ibid.
Solvuntur objectiones. 266
Synopſis probationum. 269
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. VII. *Utrum S. Auguſtinus crediderit Deum poſſe immediate videri ab oculo corporeo?* ibid.
Concluſio. *Non credidit.* ibid.
Solvuntur objectiones. 271
Synopſis probationum. 275
Synopſis reſponſionum ad difficultates. ibid.
DISSERTATIO II. *De actu viſionis beatificæ, ejuſque objecto.* 276
Art. I. *Utrum Deus videatur intuitive a beatis?* ibid.
Concluſio. *Deus videtur a Sanctis in Cælo.* ib.
Solvuntur objectiones. 278
Synopſis probationum. 281
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. II. *Utrum Beati videant omnia quæ ſunt in Deo?* ibid.
Concluſio. *Beati vident eſſentiam, perſonas & attributa.* ibid.
Solvuntur objectiones. 282
Synopſis probationum. 286
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. III. *Utrum Beati videant in Deo creaturas?* ibid.
Concluſio. *Beati vident in eſſentia divina tanquam in ſpeculo, aliqua poſſibilia; vident præſentia, quæ ad ſuum ſpectant ſtatum; vident præterita & futura, quando Deus ea revelare congruum & opportunum judicat.* ibid.
Solvuntur objectiones. 288
Synopſis probationum. 290
Synopſis reſponſionum ad objectiones. ibid.
Art. IV. *Utrum Moyſes & Paulus in via viderint intuitive oculis mentis divinam eſſentiam?* ibid.
Concluſio. *Viderunt.* ibid.
Solvuntur objectiones generales. 293
De Moyſe in particulari. 297
De S. Paulo in particulari. 299
Synopſis probationum. 301
Synopſis reſponſionum ad difficultates. ibid.
DISSERTATIO III. *De menſura viſionis beatificæ.* 302
Art. I. *Utrum homo per ſuas vires naturales & ſine gratia, poſſit Deum intuitive videre?* ibid.
Concluſio negativa. ibid.
Solvuntur objectiones. 304
Synopſis probationum. 306
Synopſis reſponſionum ad objectiones. ibid.
Art. II. *Utrum viſio beatifica ſit debita homini ſecundum ſe conſiderato?* 307
Concluſio I. *Viſio Dei non eſt debita homini in ſe ſpectato.* ibid.
Concluſio II. *Non eſt poſſibilis ſubſtantia creata intrinſece ſupernaturalis.* 308
Diluuntur objectiones contra primam Concluſionem. 309
Diluuntur objectiones contra ſecundam Concluſionem. 311
Synopſis probationum. 313
Synopſis reſponſionum ad objectiones. ibid.
Art. III. *Utrum Beati videant Deum comprehenſive?* ibid.
Concluſio. *Creatura non poteſt Deum comprehendere.* ibid.
Solvuntur objectiones. 315

Ss

Synopſis probationum. 318
Synopſis objectionum & ſolutionum. 319
Art. IV. *Utrum viſio beatifica ſit æqualis in omnibus Sanctis?* ibid.
Concluſio. *Viſio non eſt æqualis in omnibus.* ibid.
Solvuntur objectiones. 322
Synopſis probationum. ibid.
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
DISSERTATIO IV. *De tempore quo Sancti donantur viſione beatifica.* 324
ART. I. *Hiſtoria Critica Millenariorum.* ibid.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 325
Proſcriptio. ibid.
Art. II. *Utrum detur in terris regnum cum Agno mille annorum pro animabus Juſtis?* 326
Concluſio. *Regnum mille annorum cum Agno in terris eſt fictitium.* ibid.
Solvuntur objectiones ex ſacra Scriptura. 327
Solvuntur objectiones ex aliis ſacræ Scripturæ locis & Patribus deprompta. 330
Synopſis probationum: regnum mille annorum eſt fictitium. 331
Synopſis reſponſionum ad difficultates. ibid.
Art. III. *Utrum animæ Sanctorum ab omni labe puræ ſtatim poſt mortem videant intuitive Deum?* 332
Concluſio. *Animæ Sanctorum quibus nihil eſt pro peccatis expiandum ſtatim poſt mortem vident intuitive Deum.* ibid.
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra deſumptæ. 336
Solvuntur objectiones ex ſanctis Patribus depromptæ. 338
Solvuntur objectiones ex ratione in Scriptura ſacra fundatæ. 340
Objectiones ex Liturgiis. 343
Synopſis probationum. 345
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. IV. *Utrum S. Hilarius impegerit in errorem Millenariorum?* 346
Concluſio negativa. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 348
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. V. *Utrum S. Ambroſius adhæſerit Millenariis?* ibid.
Concluſio. *Non adhæſit.* ibid.
Solvuntur objectiones. 349
Synopſis probationum. 351
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. VI. *Utrum S. Chryſoſtomus adhæſerit Millenariis?* ibid.
Concluſio. *Non adhæſit.* ibid.
Solvuntur objectiones. 352
Synopſis probationum. 353
Synop. objectionum & ſolutionum. ibid.
ART. VII. *Num S. Auguſtinus poſt Epiſcopatum adhæſerit Millenariis?* ibid.
Concluſio negativa. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 355
Synopſis objectionum & ſolutionum ibid.
Art. VIII. *Utrum S. Bernardus adhæſerit Millenariis?* 356
Concluſio. *Non adhæſit.* ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. 360
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. IV. *Utrum animæ in Purgatorio detentæ ulla abſque mora viſione Dei intuitiva donentur, ut primum Juſtitiæ divinæ fecerunt ſatis?* ibid.
Sectio I. *Utrum detur Purgatorium?* ibid.
Concluſio. *Datur Purgatorium.* 361
I. Argument. *Ex veteri Teſtamento.* ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum. 362
II. Argument. *Ex novo Teſtamento.* ibid.
Solvuntur objectiones Proteſtantium. ibid.
III. Argument. *Ex Conciliis.* 368
Solvuntur objectiones Hæreticorum. 369
IV. Argument. *Probatur Purgatorium ex Traditione.* 371
I. Sæculum. ibid.
II. Sæculum. ibid.
III. Sæculum. ibid.
IV. Sæculum. 372
V. Sæculum. 373
VI. Sæculum. ibid.
VII. Sæculum. ibid.
Diluuntur objectiones. 374
V. Argument. *Probatur Purgatorium ex conſenſu totius orbis Eccleſiarum.* 375
Ex conſenſu Eccleſiarum Orientalium. 376
Fit ſatis difficultatibus. 380
VI. Argument. *Ex more & uſu quem tenuit Eccleſia, ut per ſuos inſurgeret ſemper adverſus propugnantes contrarium.* 384
VII. Argum. *Ex diverſis hiſtoriis fide digniſſimis.* ibid.
VIII. Argument. *Ex ratione Theologica, eaque multiplici.* 385
Reſpondetur objectionibus. 387
Synopſis probationum. 388
Synopſis objectionum & ſolutionum. 389
Sectio II. *Utrum animæ Juſtorum poſt expletam in Purgatorio pœnitentiam cito citius Deum intuitive videant.* ibid.

Con-

Concluſio affirmativa. ibid.
Solvuntur objectiones. 391
Synopſis Probationum. 393
Synop. objectionum & ſolutionum. 394
ART. X. *Utrum Joannes XXII. aliquid definierit in gratiam Millenariorum?* ibid.
Concl. *Nihil definivit.* ibid.
Solvuntur objectiones. 396
Synop. probationum. 399
Synop. objectionum & ſolutionum. 400
DISSERTATIO V. *De cultu Sanctorum & eorumdem Reliquiarum & Imaginum.* 401
Hiſtoria Critica Iconomachorum. ibid.
Ortus. ibid.
Progreſſus. 402
Proſcriptio. ibid.
De geſtis poſt Synodum VII. pro cauſa ſanctarum Imaginum. ibid.
ART. I. *Utrum humanitas Chriſti, ut verbo unita adoranda ſit? utrum B. Virgo & Sancti colendi ſint?* 403
Concluſio I. *Humanitas Chriſti ut verbo unita adoratione latria donanda eſt, cultu vero ſolum hyperdulia ſecundum ſe conſiderata.* 404
Concl. II. *B. Virgo cultu hyperdulia colenda eſt, Angeli vero & Sancti cultu dulia venerandi ſunt.* 405
Solvuntur objectiones. 406
Synop. probationum. 408
Synopſis difficultatum & reſponſionum. ibid.
ART. II. *Utrum reliquia Sanctorum colenda ſint.* ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.
Solvuntur objectiones. 411
Synop. probationum. ibid.
Synop. difficultatum & reſponſionum. 412
ART. III. *Utrum B. Virgo & Beati invocandi ſint?* ibid.
Concluſio affirmativa. ibid.
Fit ſatis objectionibus. 415
Synop. probationum. 417
Synop. objectionum & reſponſionum. ibid.
ART. IV. *De cultu ſanctarum Imaginum.* 418
Sectio I. *De adoratione ſancta Crucis.* ibid.
Concl. I. *Vera Crux & ſingula illius partes adoranda ſunt cultu latria relativo ad Chriſtum.* ibid.
Concl. II. *Imago ſancta Crucis eodem cultu donanda eſt.* 419
Concluſio III. *Signum Crucis quo aliquis ſe ſignat in fronte, ab Apoſtolis originem duxit, & hoc eſt in praxi religioſiſſimum.* 420
Solvuntur objectiones adverſus 1. Concluſionem. 421
Synopſis probationum. 423
Synopſis objectionum & ſolutionum. 424
Sectio II. *De cultu ſanctarum Imaginum in ſpeciali.* ibid.
Punctum I. *Utrum Deus & ſancti Angeli repraſentari poſſint ſub aliqua ſenſibili figura, ut hac ad inviſibilium cognitionem & amorem perducamur?* 425
Concluſio affirmativa. ibid.
Solvuntur objectiones. 426
Synopſis probationum. 428
Synopſis objectionum & ſolutionum. 429
Punctum II. *Utrum pium ſit & licitum pingere Sanctorum imagines.* ibid.
Concluſio. *Hoc pium eſt & licitum.* ibid.
Solvuntur objectiones. 430
Synopſis probationum. 435
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
Punctum III. *Utrum Sanctorum imagines cultu pio & religioſo donanda ſint?* 436
Concluſio affirmativa. ibid.
I. Argumentum *ex Scriptura utriuſque Teſtamenti.* ibid.
II. Argument. *Ex Traditione Patrum deſumitur.* 438
III. Argument. *Ex Decretis Summorum Pontificum & Conciliorum depromitur.* 439
IV. Argument. *Deſumitur ex auctoritate Eccleſia Gallicana.* 440
V. Argument. *Petitur ex diverſis fidei profeſſionibus ab Eccleſia receptis & approbatis.* 441
VI. Argument. *Eruitur ex Eccleſiis Orientalibus.* 442
VII. Argument. *Petitur ex miraculis ſanctarum Imaginum.* 443
VIII. Argument. *Deſumitur ex pœnis quas Iconomachi luerunt pro impietatis ſcelere in ſanctas Imagines patrato.* 445
IX. Argument. *Depromitur ex ratione, eaque multiplici.* 447
Solvuntur objectiones Iconomachorum ex Scriptura ſacra deſumpta. 448
Solvuntur objectiones ex auctoritate Patrum deducta. 453
Solvuntur objectiones ex auctoritate Eccleſia Gallicana deſumpta. 456
Ex Libris Carolinis. 460
Ex Concilio Pariſienſi. 464
Solvuntur objectiones ex ratione producta. 466
Synopſis probationum. 472
Synopſis objectionum & reſponſionum. ibid.

De-

Definitio & explanatio fidei Patrum ſecundi Concilii Nicæni pro cultu ſanctarum Imaginum. ibid.

TRACTATUS TERTIUS.

De Scientia Dei.

DISSERTATIO I. **D**E *Scientia Dei ſecundum ſe ſpectata contra negantes omnia a Deo cognoſci.* 474
Art. I. *Utrum Deus ſit intelligens, & ſit in eo ſcientia?* 475
Concluſio. *Deus cuncta cognoſcit per cauſas: immo ſcientia eſt unum ex ejus attributis celeberrimum.* ibid.
Diviſio ſcientiæ Dei. 476
Solvuntur objectiones. 477
Synopſis probationum. 481
Synopſis ſolutionum ad difficultates. ibid.
Art. II. *Utrum Deus intelligat ſeipſum & ſuas perfectiones?* ibid.
Concluſio. *Deus intelligit ſe, & omnia quæ in ipſo ſunt, perſonas ſcilicet & attributa: & eſt de fide.* ibid.
Diluuntur objectiones. 482
Synopſis probationum. Deus & ſuam naturam & ſuas perfectiones intelligit atque cognoſcit. 484
Synopſis reſponſionum ad objectiones in contrarium. ibid.
ART. III. *Utrum Deus intelligat alia a ſe, ideſt, omnes creaturas?* ibid.
Concluſio. *Deus cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, omnes futuras & præteritas; cognoſcit ſecreta cordium, & quidquid eſt, aut eſſe poteſt in omni creatura, tam ſecundum rationes genericas & communes, quam particulares conſideratum, & hoc unico & ſimplici intuitu.* ibid.
Solvuntur objectiones. 486
Diluuntur Objectiones ex aliis principiis petitæ. 489
Synopſis probationum. Deus cognoſcit alia a ſe. 490
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
Art. IV. *Utrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum?* 491
Concluſio. *Scientia Dei adjuncta voluntate eſt cauſa realis & vera rerum.* ibid.
Fit ſatis objectionibus. 492
Synopſis probationum: Scientia Dei eſt cauſa rerum. 494
Synopſis ſolutionum pro difficultatibus. ibid.
DISSERTATIO II. *De medio in quo Deus cognoſcit poſſibilia & abſolute futura.* 495
Art. I. *Utrum Deus cognoſcat omnes creaturas in ideis?* ibid.
Concluſio. *Dantur in Deo rerum omnium ideæ.* 496
Solvuntur objectiones. 497
Synopſis probationum: Deus cognoſcit res in ideis. 500
Synopſis reſponſionum ad objectiones. 501
ART. II. *Utrum Deus cognoſcat creaturas in ſua æternitate?* ibid.
Concl. *Deus cognoſcit futura in ſua æternitate tanquam realiter præſentia.* ibid.
Solvuntur objectiones. 503
Synopſis probationum: Deus cognoſcit futura in ſua æternitate, & quidem tanquam objecta realiter ſibi præſentia. 505
Synopſis ſolutionum ad difficultates. ibid.
ART. III. *Utrum Deus cognoſcat res poſſibiles per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.* ibid.
Concl. *Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit res poſſibiles.* 506
Solvuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Deus cognoſcit res poſſibiles per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. 507
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
ART. IV. *Utrum Deus cognoſcat futura per ſcientiam viſionis?* ibid.
Concl. *Deus per ſcientiam viſionis cuncta cognoſcit futura.* 508
Diluuntur objectiones. ibid.
Synopſis probationum. Deus cognoſcit futura per ſcientiam viſionis. 510
Synopſis reſponſionum ad objectiones. ibid.
DISSERTATIO III. *De medio in quo cognoſcit Deus futura libera conditionata.* 511
ART. I. *Utrum dentur futura conditionata contingentia, & ea cognoſcat Deus?* ibid.
Concl. I. *Dantur futura libera conditionata.* 512
Concl. II. *Deus certo cognoſcit futura conditionata. Hoc ſequitur ad primam concluſionem.* 513
Objectiones contra utramque concluſionem proponuntur ſimul, & promiſcue diluuntur. 514
Synopſis probationum. Dantur futura conditionata, & ea certo Deus cognoſcit. 517
Synopſis ſolutionum ad objectiones. ibid.
Art. II. *Utrum Deus cognoſcat futura contingentia, maxime conditionata, in ſeipſis, independenter a decretis, ut contendunt multi Doctores Pariſienſes?* ibid.
Concl. *Secundum Iſambertum, & multos alios Doctores Academiæ Pariſienſis percelebres, Deus cognoſcit futura omnia contingentia,* etiam

etiam conditionata in ſe ipſis, ideſt, in eorum veritate objectiva, & quidem perfectiſſime, independenter a decretis præmoventibus. 518
Reſpondetur ad objectiones. 520
Solvitur difficile argumentum. 524
Synop. probationum. Deus cognoſcit futura conditionata in ſua eſſentia ante decretum. 526
Synop. ſolutionum ad argumenta in contrarium. ibid.
Art. III. *Utrum Deus cognoſcat futura contingentia conditionata per ſcientiam mediam?* ibi.
Concluſio. *Deus cognoſcit futura conditionata libera per ſcientiam mediam ſecundum Theologos Societatis Jeſu, & de facto datur juxta illorum ſententiam talis ſcientia.* ibid.
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra deprompta. 529
Solvuntur objectiones ex auctoritate Divi Auguſtini & divi Thomæ. 531
Fit ſatis objectionibus ex ratione deductis. 533
Synop. probationum. Deus ſecundum multos Theologos cognoſcit futura conditionata per ſcientiam mediam. 536
Synop. ſolutionum ad difficultates. ibid.
Art. IV. *Utrum Deus cognoſcat futura conditionata in decreto ſuæ voluntatis independenter a ſcientia media?* ibid.
Concluſio. *Thomiſtæ affirmativam propugnant.* ibid.
Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes. 542
Objectiones ex Divo Auguſtino. 544
Objectiones ex Divo Thoma. 546
Objectiones ex aliis Patribus. 549
Objectiones ex ratione. 550
Solvitur argumentum deſumptum ex læſione ſanctitatis Dei. 556
Synop. probationum. Deus ſecundum Thomiſtas cognoſcit futura conditionata in decretis. 558
Synop. ſolutionum ad argumenta in contrarium. ibid.
DISSERTATIO IV. *De concordia libertatis humanæ cum præſcientia divina.* 559
ART. I. *Utrum homo lapſus ſit liber libertate indifferentiæ actus in actionibus tum naturalibus, tum ſupernaturalibus?* ibid.
Sectio I. *Utrum homo lapſus ſit liber libertate indifferentiæ ad bonum & malum?* 560
Concluſio: *eſt liber ad bonum & malum, morale & civile.* ibid.
Probatur primo ex auctoritate veteris Teſtamenti. ibid.
Secundo. *Ex novo Teſtamento.* ibid.
Tertio. *Ex Traditione.* 561
Quarto. *Ex Decretis Summorum Pontificum.* 563
Quinto. *Ex Conciliis.* ibid.
Sexto. *Ex antiquis Philoſophis & Oratoribus.* 564
Septimo. *Ex ratione.* ibid.
Solvuntur objectiones Proteſtantium quas ex Scriptura ſacra deducunt. ibid.
Objectiones ex Divo Auguſtino. 568
Objectiones ex ratione. 570
Synop. probationum. 571
Synop. reſponſionum ad objectiones. ibid.
Sectio II. *Utrum homo ſit liber ad actiones ſupernaturales faciendas?* 572
Concluſio affirmativa. ibid.
Solvuntur objectiones Hæreticorum. 574
Synop. probationum. 578
Synop. ſolutionum ad objectiones. ibid.
Sectio III. *Utrum libertas eſſentialiter poſita ſit in indifferentia actus.* 579
Concl. *Eſſentia libertatis conſiſtit in indifferentia actus.* ibid.
Solvuntur objectiones Heterodoxorum ex auctoritate D. Auguſtini & D. Thomæ deſumpta. 580
Argumenta ex ratione deducta diſcutiuntur & diluuntur. 583
Synop. probationum. Libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia actus. 586
Solvuntur objectionum & ſolutionum. ibid.
Art. II. *Utrum libertas humana ſtet cum præſcientia divina.* ibid.
Concl. *Stat libertas humana & quævis creata cum præſcientia divina, & eſt de fide.* ibid.
Fit ſatis objectionibus Proteſtantium. 589
Synop. probationum. Libertas optime cum præſcientia Dei conſociatur. 593
Synopſis objectionum & ſolutionum. ibid.
ART. III. *Utrum Patres & Theologi a Chriſto nato, ad noſtra uſque tempora conveniant de concordia libertatis humanæ cum divina præſcientin.* ibid.
Concl. *A Chriſto nato fuit ſemper una fides & una tum Patrum, tum Theologorum orthodoxorum ſententia de concordia libertatis humanæ voluntatis cum præſcientia Dei.* 594
Sectio I. *Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei ex SS. Patribus.* ibid.
Sectio II. *Concordia libertatis humanæ cum gratia, cum præſcientia Dei, & cum prædeſtinatione Sanctorum ſpecialiter ex Divo Auguſtino oſtenditur.* 597
Appendix Operum Sancti Auguſtini de neceſſitate & efficacia gratiæ cum obſervationibus. 598

Pun-

Punctum I. *De Libris qui hunc præ ſe ferunt titulum*, de Libero arbitrio. ibid.
Punctum II. *De Libro cujus titulus eſt*, de Spiritu & Littera. 599
Punctum III. *De Libro cujus titulus*, de Natura & Gratia. 602
Punctum IV. *De Libro cujus titulus*, de Gratia Chriſti. 604
Punctum V. *De quatuor Libris adverſus duas Epiſtolas Pelagianorum.* 605
De Libro primo. ibid.
De Libro ſecundo. 608
De Libro tertio. 611
De Libro quarto. 612
Punctum VI. *De Libro cujus titulus*, de Gratia & Libero arbitrio. ibid.
Punctum VII. *De Libro qui inſcribitur*, de Correptione & Gratia. 618
Punctum VIII. *Sanctus Auguſtinus cunctam gratiæ actualis materiam ad metam fidei pari facilitate, ſoliditate, & profunditate, immo & claritate pertractat.* 623
Punctum IX. *Sanctus Auguſtinus circa palmares de gratia actuali difficultates fidelis ſui ipſius interpres eſt.* 629
Synopſis eorum omnium quæ de libris eximii gratiæ Doctoris dicta ſunt pro conſociatione liberi hominis arbitrii cum Chriſti adjutorio. 636
Concluſio quæ connaturaliter ad dicta, & prædicata in iſtis Libris ſequitur, eſt, hominem ſub dominio gratiæ quantumvis efficacis liberum manere. 637
Conſequentiæ quas Janſenius ex Sancti Auguſtini locis deducit ſunt omnino verbis, ſenſui & ſcopo Sancti Doctoris oppoſitæ. 638
Sectio III. *Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei iterum explanatur ex libris Patrum ex profeſſo pro hoc momento conſcriptis & ex definitione Conciliorum, quæ quidem contrarium docentes perſtrinxerunt.* 641
Sectio IV. *Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei ex ſententia unanimi Theologorum orthodoxorum exponitur.* 642
Sectio V. *Concordia libertatis cum præſcientia Dei ex Sententia Sacræ Facultatis Pariſienſis.* 643
Sectio VI. *Concordia libertatis cum præſcientia Dei ex Sententia Scholæ Societatis Jeſu.* 646
Sectio VII. *Concordia libertatis cum præſcientia Dei ex Sententia Scholæ Angelicæ.* 647
Solvuntur objectiones ex præſcientia decretis præmoventibus directa. 651
Solvitur argumentum ex gratia per ſe efficaci depromptum. 659
Solvitur argumentum quod ex gratia prædeſtinationis Sanctorum eruitur. 665
Sectio VIII. *Fuſius explicatur concordia libertatis creaturæ rationalis cum decretis præmoventibus.* 668
Diluuntur objectiones. 673
Sectio IX. *Concluſio concordiæ libertatis cum præſcientia, & Synopſis probationum.* 698
Synopſis ſolutionum ad argumenta contra concordiam cum libertate & gratia. 692
Art. IV. *Puritas fidei plurimum commendatur ſapientia, virtute & ſanctitate Scholarum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ.* 693
Sectio I. *Puritas fidei celebratur virtute, ſcientia & ſanctitate multorum Doctorum Univerſitatis Pariſienſis.* ibid.
Sectio II. *Puritas fidei affulget in eximiis Scholæ Angelicæ Theologis, maxime vero rutilat ſanctitate & ſapientia D. Thomæ Aquinatis.* 696
Sectio III. *Puritas fidei affulget, rutilatque in aliis Eccleſiæ Academiis & Theologis.* 709

F I N I S.

TRA-

Digitized by Google

DE ATTRIBUTIS DEI,

TUM IN GENERE, TUM IN PARTICULARI.

IDEA OPERIS.

FIDES expreſſa in ſacris Scripturis, & divinis explanata traditionibus, ſufficit ex ſe ad ſalutem, ſi jungamus Symbola, quibus præcipua Religionis capita ad captum omnium, etiam rudiorum, breviter & compendioſe ab Eccleſia proponuntur, ſed quia inimicus per peccatum ſeminavit in agro Domini zizania: ecce a lapſu Adami tenebræ operiunt terram, & caligo populos, donec oriatur ut ſplendor lux Chriſti, fides ſcilicet propoſita, & explicata, quæ & ignorantiæ, & malitiæ, errorumque omnium expellat umbras. Ad hæc datur in ſcholis Catholicis doctrina ſacra, ex qua mille clipei pendent, tum ad ſtabiliendam fidem contra negantes, tum ad defendendam contra impugnantes, tum ad explicandam contra ignorantes & blaſphemantes.

Ad hanc igitur læti ducimus animum; ſiquidem tota pulchra eſt, & amicta lumine ſicut veſtimento. Ipſius nomen nequidem vacuum eſt laudis: Enimvero neſcio quid magnitudinis & ſuavitatis ſimul eructat, ut eo ipſo quo mens ejus perfunditur memoria, nihil ad veritatis diſcuſſionem aptius, ad defendendam virtutem utilius, ad ciendos pietatis affectus efficacius eſſe, confiteatur.

Nec mirum; ad ipſius enim doctrinæ ſacræ auditum muteſcunt paſſiones, quieſcit appetitus, exultat cor hominum. Quid memorem præclaras, quas nobis tradit de Deo & myſteriis cognitiones? Illa eſt ſapientia, quæ vitium expellere, virtutem ſtabilire, bonum variis multiſque naturæ corruptionibus abſconditum invenire mirum in modum edocet: eam ſolem animæ eſſe dicamus, cujus radiis humanæ mentes illuſtrantur: intelligentiam nominemus, qua duce animus noſter per univerſa Dei attributa ſpeculanda deducitur, velut aquilam ſuſpiciamus, cujus alis mortalium mentes uſque ad profunda Dei ſcrutanda rapiuntur.

Merito igitur B. Thomas loquens de ſacra doctrina l. 2. contra Gentes , c. 2. ait : „ Inter omnia vero ſtudia hominum , ſapientiæ ſtudium eſt perfectius , ſublimius , & utilius & jucundius . . . Perfectius quidem , quia in quantum ſapientiæ ſtudio dat ſe , in tantum veræ beatitudinis jam aliquam partem habet . Unde Sapiens dicit : *Beatus vir qui in ſapientia morabitur* . Sublimius , quia per ipſum homo ad divinam ſimilitudinem præcipue accedit . . . Utilius , quia per ipſam ſapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur . . . Jucundius , quia non habet amaritudinem converſatio illius , nec tædium convictus illius , ſed lætitiam & gaudium .

CREDENDA DE DEO UNO, EJUSQUE ATTRIBUTIS.

HÆC ſunt præcipua dogmata de Deo uno , ejuſque proprietatibus credenda , proponenda , explicanda , & defendenda .

Primum , eſt Deus .
Secundum , eſt unus .
Tertium , eſt Ens a ſe .
Quartum , eſt incorporeus .
Quintum , eſt ſimpliciſſimus .
Sextum , eſt bonus .
Septimum , eſt infinitus .
Octavum , eſt omnipotens .
Nonum , eſt æternus .
Decimum , eſt immutabilis .
Undecimum , eſt immenſus .
Duodecimum , eſt ſumme perfectus .
Decimum-tertium , eſt viſibilis intuitive viribus gratiæ ab oculo intellectuali .
Decimum-quartum , eſt incomprehenſibilis .
Decimum-quintum , ſe præbet videndum & poſſidendum ad menſuram .
Decimum-ſextum , videtur nunc intuitive a Sanctis , qui vel egreſſi ſunt de hoc mundo ab omni labe , & culpæ & pœnæ puri , vel in purgatorio juſtitiæ fecerunt ſatis
Decimum-ſeptimum , Deus cognoſcit omnia poſſibilia & futura .
Decimum-octavum , Præſcientia Dei non tollit libertatem .
Decimum-nonum , Deus vult ſe , & amat ſe .
Vigeſimum , Deus vult alia a ſe , ſed libere .
Vigeſimum-primum , Deus vult omnium hominum ſalutem .
Vigeſimum-ſecundum , Deus quoſdam prædeſtinat ad vitam , per merita habendam .
Vigeſimum-tertium , Deus multos reprobat propter peccata .

De Hæreſibus.

ECCE tenebræ , quæ a lapſu Adami operuerunt terram ; & hæreſes maxime circa Deum unum , & ejus attributa .

Primo , multi ſunt qui ita evanuerunt in cogitationibus ſuis , ut nullum eſſe Deum crediderint . Hunc errorem tribuit Propheta Regius impio , his verbis : (*Dixit inſipiens in corde ſuo , non eſt Deus* .) *Pſal.* 13. *v.* 1. & illi vocantur Athei .

Secundo , quidam admiſerunt pluralitatem deorum , ut Phyliſtini , qui Dagon ut deum venerabantur . Judæi ingrati , Baal & Aſtaroth , immo & vitulum aureum , de quibus multus eſt ſermo in Scripturis ſacris ; maxime de Gentilibus , qui per antonomaſiam dicti ſunt Idololatræ . Etiam inter Chriſtianos , Valentinus initio ſecundi ſæculi triginta Æonas veluti totidem deos finxit . *Ter. l. contra Valentinianos & Aug. l. de hæreſ. c.* 11.

Lobkovicz , vulgo Caramuel , e Monacho factus miles , in Italia degens , docuit in apologia Caſuiſtarum , deorum multitudinem poſſe defendi , ſtando principiis naturalibus .

Tertio , Anthropomorphitæ in quarto circiter ſæculo apparuere , maxime apud Ægyptios Monachos circa Theodoſii ſenioris tempora , dicentes Deum habere corpus . *Socrates l.* 6. *hiſt. Eccl. Ep.* 7. & 10.

Quarto , Gilbertus Porretanus , Pictavienſium Epiſcopus admittebat diſtinctionem realem inter eſſentiam & attributa , ut refert D. Bern. ſerm. 8. in cant. & lib. de Conſideratione cap. 7. & 20. Idem error tribuitur quibuſdam Græcis recentioribus , qui Palamitæ nominantur a Principe ſuo Palama , Epiſcopo Theſſalonicenſi .

Quinto , Sociniani negant Deum eſſe infinitum , & ipſius immutabilitatem etiam inficiantur .

Sexto , Judæi quidam rudes crediderunt Deum in Templo Jeruſalem poſſe concludi .

Digitized by Google

di. *Hieron. in cap. 66. Iſai. Orig. Hom. 12. in Gen.*

Valentiniani, Gnoſtici & Manichæi, putabant Deum eſſe ſolum in ſupremo Cœlo, & ex hoc loco omnia ab ipſo videri & gubernari. *Ita referunt Irenaeus. Epiſc. Eugu. Stanchuſ, in pſ.* 108.

Septimo, Eunomius credebat ſe Deum comprehendere, & tantam habere de Deo notitiam, quantam ipſe habet de ſeipſo. Ita refert Theodoretus, *lib. 4. hæret. fabu. cap. 7.* Decimo-quarto ſæculo Begardi dicebant viſionem beatificam debitam eſſe animæ, quam credebant naturaliter beatam: eos proſcripſit Clemens V. *tit. 3. c. ad noſtrum de Hæret.*

Octavo, Gregorius magnus refert quoſdam crediſſe Deum non videri in ſe a beatis, ſed tantum in quadam claritate & irradiatione. *Lib. 18. mor. c. 28.* Idem error tribuitur Armenis, ſi credamus Radulpho, Archiepiſcopo Armacano. *Lib. 14. q. q. Armenor. cap. 1.*

Nono, Chiliaſtæ voluerunt animas Sanctorum a corpore ſolutas viſione beatifica non frui, niſi poſt reſurrectionem univerſalem, & elapſo mille annorum regno in terris cum Chriſto, ut per viſionem ſanctiſſimæ Humanitatis paulatim ſe diſponerent ad viſionem Dei intuitivam. Papias creditur hujuſ-ce erroris auctor; & cum eſſet auditor Joannis, immo pietate, & morum puritate inſignis, multos etiam Patres in ſuam traxit opinionem, inter quos annumerantur Irenæus, Lactantius, Juſtinus, Tertullianus, & alii. Sed inter Millenarios quidam docebant animas corporibus iterum conjunctas, vitam voluptatibus, etiam obſcœnis plenam ducere, ut Cerynthus: alii quidem delicias, ſed puras, ſed honeſtas & ſpirituales concedebant. Ita multi ex ſanctis Patribus, inter quos permulti animæ beatitudinem uſque ed diem judicii univerſalis ſolummodo protrahebant; verumtamen quoniam ſine fundamento hanc ita diſtulerunt, adhæſiſſe Millenariis cenſentur. *Irenæus l. 5. cap. 33. Euſeb. l. 3. Hiſt. cap. 28.*

Decimo, D. Hieronymus lib. contra Jovinianum dicit de illo, quod ſicut omnia peccata credebat æqualia, ita pariter & merita, & conſequenter ſanctorum gloriam in cœlis æqualem.

Undecimo, Impii quidam apud Job aſſerunt cap. 22. v. 14. *Non noſtra conſiderat: & circa cardines cœli perambulat.*

Duodecimo, Manichæi fatum in vita humana admittebant.

Origenes lib. *de principiis cap.* 8. dicit animas, ob bona vel mala opera detrudi in corpora, & exinde ſalutem & reprobationem ſortiri neceſſe eſſe.

Decimo-tertio, Pelagiani ex una parte prædeſtinationem ad gloriam reſundebant in merita naturæ. Semipelagiani volebant illam prædeſtinationem dependere ſaltem a bona hominis inclinatione, & voluntate. Lutherani & Calviniſtæ ex alia parte docent per præſcientiam & decreta Dei tolli libertatem, immo dari prædeſtinationem neceſſitantem, alteram ad vitam, alteram ad mortem. Hujuſ-ce hæreſeos principes fuerunt Prædeſtinatiani circa Auguſtini tempora.

Plures alii erraverunt circa Deum unum & circa ipſius attributa, de quibus multus eſt ſermo apud Petavium. Nunc operæpretium eſt explicare & defendere Fidei dogmata, tractando de eis, tum in genere, tum in particulari, *tom.* 1.

Digitized by Google

4

DISSERTATIO PRÆAMBULA DE DOCTRINA SACRA.

CUM ſcopus Theologi Chriſtiani ſit defendere articulos fidei contra impugnantes; ſingulos exponere, explicare ſimul & defendere juvat, ut lux ſi fieri poteſt, etiam in tenebris luceat: utinam & ad Hæreticorum converſionem. Sed ut fundamentum ſit a montibus ſanctis, incipiendum eſt a ſacra doctrina, ut ſciant fidei hoſtes nos in prælium cum eis deſcendere in nomine Domini; ſtipatos ſcilicet, non humanæ ſapientiæ verbis, verum potius ſcuto ſcientiæ revelatæ ad oſtenſionem ſpiritus & veritatis.

De nomine, definitione & diviſione doctrinæ ſacræ.

THEOLOGIA vocatur a beato Auguſtino, ſermo de Deo, ut ipſum ſonat nomen: a D. Thoma, doctrina ſacra; quandoquidem in tradendis & explicandis rebus divinis tota incumbit: ab aliis Theologis, facultas omnium diſciplinarum nobiliſſima, quippe quæ explicet doctrinam fidei, & circa eam tum ad inſtruendos mores, tum ad revincendos Hæreticos occupetur.

Definitur habitus innixus revelatione virtuali, inclinans mentem ad verum ſupernaturale cognoſcendum. Hanc Theologiæ delineationem eſſe congruam probatur. Illa definitio eſt bona, quæ conſtat genere & differentia; talis eſt modo allata: igitur & bona, immo optima: minor, in qua ſolum poteſt aliqua reperiri difficultas, explicatur & comprobatur. Primo quidem quod ſacra doctrina ſit habitus, per hoc ſane cum cæteris ſcientiis convenit & affinis eſt: jam vero, quod ſit ad verum, diſcrepat a diſciplinis mere practicis: quod ſit ad verum ſupernaturale & divinum, longe diſtat & a Metaphyſica & a cæteris ſcientiis naturalibus: quod innitatur revelatione, ſecernitur a Theologia Beatorum: denique, quod procedat revelatione virtuali, a fide penitus diſtinguitur & diſtinguenda eſt.

1. Theologia, quamvis in ſe una, attamen ratione diverſorum modorum, quibus poteſt vel haberi, vel tradi, multiplex eſt. Dividitur in Theologiam patrię & in Theologiam viæ: prima eſt ſcientia beatorum, quæ ex principiis lumine gloriæ notis, ſuas eruit concluſiones: ſecunda vero eſt ſermo de Deo per revelationem virtualem.

Dividitur Theologia viæ in Theologiam fabuloſam, naturalem & Chriſtianam. Fabuloſa, eſt doctrina quam Pagani tradunt de ſuis falſis numinibus: naturalis, ſcientia de Deo ut auctore naturæ lumine innato parta: Chriſtiana, cognitio rerum divinarum virtuali innixa revelatione, & diſcurſu acquiſita.

Dividitur Theologia Chriſtiana in Theologiam infuſam per ſe, & in acquiſitam: illa eſt vel fides, vel prophetia, vel etiam donum ſapientiæ: iſta vero eſt ſcientia de Deo ut auctore gratiæ, ſed parta labore & induſtria, habens pro principiis, fidei articulos.

Jam vero Theologia acquiſita ſuas etiam partitiones habet. Alia enim ſymbolica eſt, alia propria, alia poſitiva, alia rationalis, alia poetica, alia oratoria, alia ſcholaſtica ſpeculativa, alia moralis, alia controverſa. Symbolica ea dicitur quæ utitur figuris

guris

Digitized by Google

guris ad explicandas res divinas; propria, quæ propriis eas explanat vocibus; poſitiva procedit auctoritate & Scripturæ ſacræ, & ſummorum Pontificum, & Conciliorum, & etiam Patrum: rationalis, ſeu ratiocinans, ſuas per diſcurſum ex articulis fidei, velut ex principiis, deducit concluſiones: poetica ſe prodit verſibus: oratoria fuſo & exquiſito utitur ſtylo, ad veritates fidei indagandas; ſcholaſtica, preſſiori: ſpeculativa ſiſtit in contemplatione myſteriorum: practica, hominem non ſuæ ſolum utcumque ſalutis, ſed Evangelicæ perfectionis cupidum inſtruit, ejuſque affectus in Deum dirigit & movet: quandoque dicitur myſtica ſeu affectiva, vel etiam ut verbis divi Bonaventuræ utar, cognitio ſapida rerum divinarum: *Hanc ſcientiam*, inquit S. Bernardus ſerm. 108. *ſermo non explicat, ſed unctio docet*. Denique controverſa ad fidem contra Hæreticorum impetus defendendam occupatur.

Lutherani & Calviniſtæ Theologiam ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ variis inſulſiſque afficiunt contumeliis, ſcholaſticam præcipue partem, quam quidem injurioſam Scripturæ ſacræ, ignotam Patribus, vanam prorſus & inutilem eſſe prædicant. Sed contra, illud quod dicit B. Auguſtinus l. 14. de Trinitate c. 1. *Huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*.

Quatuor potiſſimum momentis ſacram doctrinam utilem & neceſſariam eſſe oſtenditur.

Primo, quia exponit, explicat & defendit fidei dogmata.

Secundo, quia reſpicit Deum, & cætera per ordinem ad illum.

Tertio, quia eſt ſcientia Sanctorum.

Quarto, quia eſt ſpeculativa ſimul & practica, paſcit cor & mentem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Theologia ſit neceſſaria ad fidem explicandam & defendendam, necnon ad ſalutem.

PRÆNOTANDUM eſt aliquid dici neceſſarium dupliciter, nimirum abſolute & ſecundum quid, ſeu ad melius; abſolute quidem, cum finis abſque tali medio obtineri non poteſt, ſic nullus omiſſa præceptorum obſervatione ſuam conſequi ſalutem valet: ſecundum quid vero, cum idem finis poteſt haberi ſine tali vel tali adminiculo, verum neque tam ſecure, neque tam perfecte: aliquem verbi gratia poſſe ſalvari abſque laborioſa clauſtri pœnitentia ultro fatemur, ſed profecto non tanta cum perfectione, non tanta cum ſecuritate, juxta illud D. Bernardi pag. 436. „ Nonne hæc Religio ſancta, pura & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copioſius?

Annotes iterum velim, benevole Lector, Theologiam poſſe ſpectari & ſecundum ſe, & ſecundum diverſos modos, quibus tradita eſt a ſanctis Patribus, & nunc traditur in ſcholis: certum eſt eam non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ſi conſideretur ſecundum hanc vel iſtam methodum potius quam ſecundum alteram. Et vero, modo tradatur & ſuſcipiatur, poterit per eam homo proficere, tum in virtute, tum in cognitione & ſcientia Dei; ſed caput controverſiæ in eo potiſſimum verſatur, an ſit ſecundum ſe ſpectata ſimpliciter & abſolute neceſſaria ad fidem explicandam, ad eandem defendendam; & hoc in Proceribus Eccleſiæ. Nam eam non eſſe neceſſariam omnibus & ſingulis fidelibus, patet, cum multi abſque ejus auxilio ad ſupremum ſanctitatis apicem pervenerint; ſic enim ſcriptum eſt apud Prophetam Pſal. 70. 17. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*. Quæritur etiam utrum ea, quæ ſcholaſtica nuncupatur, ſit perutilis? Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Theologia ſecundum ſe ſpectata, eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria pro toto Eccleſiæ corpore.

Probatur auctoritate & ratione:

Primo, *ex Scriptura ſacra*.

APOSTOLUS 2. ad Tim. 3. ſic loquitur: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata,*

rata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei. (Rurſus Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti ..... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.*) Ex his licet ſic argumentari. Illa ſcientia eſt pro toto corpore Eccleſiæ ſimpliciter & abſolute neceſſaria, quæ docet, quæ arguit, quæ corripit & erudit in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei; atqui talis eſt Theologia; & probatur. Primo quidem docet, varias enim inſtituit Lectiones, tum de Deo colendo & amando; tum de præceptis, ut inſtruat mores: deinde arguit & erudit, juxta illud Pauli: " *Ipſe dedit quoſdam .... Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti .... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* ,, Igitur Theologia docet, arguit, corripit, erudit in juſtitia ut perfectus ſit homo Dei: igitur & ſimpliciter & abſolute neceſſaria eſt corpori, ſeu Proceribus Eccleſiæ.

Secundo, *ex divo Auguſtino.*

SANCTUS ille Doctor eidem plurimum aſtipulatur veritati, maxime l. 14. de Trinit. c. 1. nu. 3. his verbis: " *Huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo, quo fides ſaluberrima .... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* ,, Quas quidem dotes Theologiæ convenire nemo non videbit, ſi attendat. Primo quidem fides gignitur per iſtam ſcientiam, quippe quæ doceat & prædicet quænam ſint de Deo credenda. Apoſtolus hujus diſciplinæ, pro hoc momento indigitat utilitatem, Rom. 10. 14. *Quomodo ergo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Fides per eandem ſcientiam nutritur; quandoquidem docet & erudit in juſtitia. Fides per eam roboratur; Theologus enim defendit nos a peregrinis doctrinis, ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Igitur & Fides defenditur contra impugnantes: unde Apoſtolus ad Tit. 1. 9. ait: *Oportet enim Epiſcopum .... eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.*

Tertio, *ex rationibus divi Thomæ.*

PRIMA ſic exponitur. Illa ſcientia eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria in Proceribus Eccleſiæ, quæ ſola nos conducit ad finem ultimum & beatitudinem: atqui inter omnes diſciplinas ſola Theologia dirigit hominem ad finem ultimum: igitur eſt ſimpliciter & abſolute neceſſaria Eccleſiæ. Prob. min. in qua eſt difficultas. Cæteræ diſciplinæ ſunt naturalis ordinis, nec quicquam, præter objecta naturalia, eaque ad captum hominis naturalem percipiunt; finis vero & beatitudo noſtra ſupernaturalis eſt, unde ſola facultas ſuperioris ordinis eam demonſtrat, ſola ad eam dirigit hominem. Igitur ſoli Theologiæ competit hominem dirigere ad finem ultimum & beatitudinem: ergo ſimpliciter & abſolute pro corpore Eccleſiæ utilis & neceſſaria eſt. Ita D. Thomas hic 1. p. q. 1. art. 1. ubi ſic loquitur: " Dicendum quod neceſſarium ,, fuit ad humanam ſalutem eſſe doctri- ,, nam quandam ſecundum revelationem ,, divinam præter Philoſophicas diſcipli- ,, nas, quæ ratione humana inveſtigan- ,, tur, primo quidem, quia homo ordi- ,, natur ad Deum, ſicut ad quemdam fi- ,, nem qui comprehenſionem rationis ex- ,, cedit ſecundum illud Iſa. 64. Oculus ,, non vidit Deus abſque te, quæ præpa- ,, raſti diligentibus te: finem autem opor- ,, tet eſſe præcognitum hominibus, qui ,, ſuas intentiones & actiones debent or- ,, dinare in finem. Unde neceſſarium ,, fuit homini ad ſalutem, quod ei nota ,, fierent quædam per revelationem di- ,, vinam, quæ rationem humanam exce- ,, dunt. ,,

Secunda poteſt ſic exponi. Cognitio rerum naturalium manuducit ad cognitionem Creatoris, immo & beatitudinis: ſed homo indiget ſcientia in revelatione fundata, ut cognoſcat omnes veritates naturales ad Deum & beatitudinem conducen-

centes ; ergo, &c. Major patet, probatur minor, & quidem pluribus momentis. Primo, vita brevior eſt, nec ad cuncta inveſtiganda ſufficit. Secundo, corpus quod corrumpitur, aggravat ſenſum & deprimit multa cogitantem. Tertio, multæ circumferuntur de eiſdem rebus opiniones, nec ſine magna difficultate verum a falſo ſecernitur. Hinc multi poſt arduos & exantlatos labores ad divinorum notitiam, ſicut oportet, non perveniunt : igitur ſcientia, ſaltem in principiis ſuis revelata, qualis eſt Theologia, indiget homo ad cognoſcendas omnes veritates naturales, quæ ad Deum ut ad finem ultimum conducunt. Igitur iſta ſcientia eſt ſimpliciter neceſſaria toti Eccleſiæ corpori.

Divus Thomas hanc delineat rationem ibidem his verbis : " Ad ea etiam quæ „ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, neceſſarium fuit hominem in„ ſtrui revelatione divina, quia veritas „ de Deo per rationem inveſtigata, a „ paucis & per longum tempus, & cum „ admixtione multorum errorum homini „ proveniret : a cujus tamen veritatis co„ gnitione dependet tota hominis ſalus, „ quæ in Deo eſt. Ut igitur ſalus ho„ minibus & convenientius & certius „ proveniat, neceſſarium fuit quod de „ divinis per divinam revelationem in„ ſtruerentur : Neceſſarium igitur fuit, „ præter philoſophicas diſciplinas, quæ „ per rationem inveſtigantur, ſacram do„ ctrinam per revelationem haberi. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Thelogia Scholaſtica perutilis eſt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex ſanctis Patribus*,

CLEMENS Alexandrinus, l. 2. Strom. cap. 7. illam ſic deſcribit : " De„ monſtratio firma & ſtabilis eorum quæ „ per fidem accepimus : quæ per doctri„ nam Domini ſuper fidem ædificatur, „ & ad hoc deducit, quod immutabi„ le. „

Baſilius eam magnis celebrat laudibus, comment. in caput ſecundum Iſaiæ : " Fa„ cultas dialecticæ matris inſtar eſt dog„ matibus, quod ea non ſinit facile diri„ pi, & quorumlibet incurſioni pate„ re. „

Concinit Auguſtinus lib. 2. de doctrina chriſtiana, cap. 31. ait enim : " Diſpu„ tationis diſciplina ad omnia genera „ quæſtionum quæ in Litteris ſanctis ſunt „ penetranda & diſſolvenda plurimum „ valet. „ Ex his ſententiis iſtud ſequitur argumentum : Illa diſciplina perutilis eſt, quæ firmiter demonſtrat credenda, quæ non ſinit aliquid e dogmatibus detrahi, quæque ad omnia clare & faciliter explananda plurimum valet : atqui talis eſt Theologia ſcholaſtica ; namque ſecundum Clementem Alex. eſt demonſtratio firma & ſtabilis rerum divinarum ; teſte S. Baſilio non ſinit dogmatibus veritatem diripi ; plurimum inſervit, inquit Auguſtinus, tum ad penetranda quæ ſacris continentur in Litteris, tum ad eadem enucleanda : igitur utiliſſima eſt.

His accedit auctoritas Synodi Conſtantienſis quæ inter alios Wiclefi errores hanc damnat propoſitionem : *Collegia, Univerſitates, vana garrulitate introducta ſunt.*

Secundo, *Ex rationibus.*

PRIMA ſic deducitur. Theologia qua Chriſtus, qua Apoſtoli & Patres uſi ſunt, perutilis cenſenda eſt : atqui Theologia ſcholaſtica & Chriſtus, & Apoſtoli, & Patres quandoque ſaltem aliqualiter uſi ſunt : & probatur. Theologiam ſcholaſticam eam vocamus quæ methodo quadam ſuas concinnat rationes & argumenta ad veritatem vel ſuadendam vel defendendam contra impugnantes : Chriſtus autem non ſemel argumentatione urgebat Phariſæos, ut illos confunderet. Sic Luc. 13. inſurgit contra Archiſynagogum, qui eo quod ſanaſſet mulierem die Sabbati obmurmurabat. Reſpondens enim ad illum Dominus, dixit : *Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum Sabbato non ſolvit bovem ſuum, & aſinum a præſepio, & ducit adaquare ? hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit ſatanas, ecce decem & octo annis non oportuit ſolvi a vinculo iſto die Sabbati ? Et cum hæc diceret erubeſcebant omnes adverſarii ejus.* Rurſus Luc. 20. volens ſuam probare Divinitatem Judæis qui ipſum Davidis dumtaxat filium & purum hominem eſſe credebant, dixit ad illos : *quomodo dicunt Chriſtum filium*

Digitized by Google

lium eſſe David ? & ipſe David dicit in libro Pſalmorum, Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis. Paulus 1. Cor. 15. 13. ex reſurrectione Chriſti noſtram concludit reſurrectionem. Simili modo Patres Theologia utuntur deductiva, tum ad explicanda myſteria, tum ad eadem contra Hæreticorum pravitatem defendenda; licet igitur Theologiam argumentoſam ad trutinam ſcholæ non habuerint, eandem tamen ſaltem quoad ſubſtantiam, perutilem eſſe ſenſerunt: ergo, &c.

Secunda ratio hæc eſt. Theologia ſcholaſtica qualis nunc in ſcholis traditur, ſtylo preſſo & admodum methodico procedit; hinc cito convincitur animus & concludit: ſed talis Theologia ita utilis eſt, ut cito citius veritatis confundat inimicos, ipſo teſte Bucero, qui B. Thomæ Theologiam tantopere formidabat, ut dicere ſoleret: *Tolle Thomam, & ego diſſipabo Eccleſiam*: ergo, &c.

Tertia cæteris adjungitur. Illa diſciplina perutilis eſt, quam ipſa Eccleſia plurimum commendat: atqui ipſa Eccleſia plurimum commendat Theologiam ſcholaſticam; cujus rei argumentum eſt, quod voluerit ut Theologi ſcholaſtici audirentur in Conciliis ſuis ad dogmatum Fidei elucidationem, ut in Florentino, in Lateranenſi, in Lugdunenſi, & potiſſimum in Tridentino; quod eoſdem laurea Doctoratus donari cenſuerit; quod ut indultis & privilegiis Baccalaurei, aliique in gradibus ſcholæ conſtituti inſignirentur, æquum duxerit; quod decreverit, ut inter ſcholaſticos Doctores permulti, ut Divus Bonaventura, S. Thomas, quem ipſa nominavit Angelum ſcholæ, in albo Sanctorum exultans & lætabunda adſcirentur: ergo, &c.

Solvuntur objectiones contra primam concluſionem militantes.

Objicies 1. Non opus eſt in nova lege Magiſtro qui doceat proximum; ſed omnes ab ipſo Deo edocentur: igitur Theologia, ne quidem pro toto Eccleſiæ corpore ſimpliciter & abſolute neceſſaria eſt. Probatur antecedens ex promiſſione facta in veteri lege pro nova ad hoc momentum: ſic enim legitur Iſaiæ 54. 13. *Ponam univerſos filios tuos doctos a Domino*: rurſus Jeremiæ, 31. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum*: & iterum Joan. 6. 45. *Erunt omnes docibiles Dei*. Igitur nunc omnes ipſum Deum habent Magiſtrum, & edocentur ab eo.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Omnes nunc edocentur interius a Deo, & exterius per Magiſtros, concedo: & ibi excluduntur Magiſtri, qui exterius auribus populi inſonent, nego. Hoc ipſum patet ex Scriptura; quæ utique promittit Paſtores, qui gregem ſelectis ſanæ doctrinæ paſcuis inſtruant & nutriant, dicente Domino Jeremiæ 3. 15. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina*; quam quidem promiſſionem adimplet Chriſtus Dominus, Matth. 28. 19. dicens Apoſtolis: *Euntes ergo docete omnes gentes*.

Ad primam probationem, diſtinguo: & Iſaias ibi tantummodo deſignat gratiam Chriſti fore uberiorem, quatenus legem ſuam non in tabulis lapideis, ſed magis in cordibus conſcripſerit, concedo: & excludit Magiſtros, nego. Quod hic ſit genuinus Prophetæ ſenſus, patet ex ejus ſcopo; quippe qui probare intendat legem Evangelicam ad perfectam ſanctitatem conducere; eandem legem habere pro Sacramentis non vacua elementa ut lex vetus, ſed gratiis omnibus plena, immo exuberantia, juxta illud Joannis, cap. 1. *Lex per Moiſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Ad locum Jeremiæ eadem eſt reſponſio: quidam illum de gloria in Cœlo juſtis donanda interpretantur, & bene; ibi vir non docet proximum, omnes quippe Beati cuncta vident in Verbo. Ad auctoritatem B. Joannis ſimiliter diſtinguo: omnes erunt docibiles Dei in Patria, concedo: in via, ſubdiſtinguo; hoc eſt illuminautur & inſtruuntur interius per gratiam, concedo: inſtruuntur per excluſionem omnimodam Magiſtri, nego. Norunt omnes Chriſtiani nos edoceri interius: quot enim inſpirationes ad bonum faciendum? quot illuminationes a Spiritu ſancto prodeuntes? hinc Apoſtolus, Epheſ. 4. 30. ait: *Nolite contriſtari Spiritum ſanctum*; ſed profecto Beatus Joannes non excludit Theologiam, quæ vias Domini in veritate docet; cum

ipſe

ipſe fuerit teſte Hieronymo, Magiſter Eccleſiarum Aſiæ. Quinimmo, fides *ex auditu*, inquit Apoſtolus: unde Rom. 10. 15. ait: *Quomodo audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur?*

Inſtabis: Fides ſufficit ad Deum cognoſcendum & amandum, immo & ad ſalutem, juxta illud Marci 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: igitur & Theologia & Magiſtri inutiles ſunt in nova lege. Confirmatur: multi utriuſque ſexus abſque ſcientiarum ope ad ſummum ſanctitatis gradum pervenerunt, quod & compertum ſe habuiſſe teſtatur Propheta dicens: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*, Pſal. 70. 16. ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Fides propoſita & explicata ſufficit ad ſalutem, concedo: non propoſita, neque explicata, nego. Quod fides debeat proponi & explicari, experientia comprobatur quotidiana; quandoquidem ſunt Pſeudo-Prophetæ & Doctores, quos Joannes Antichriſtos vocat, qui verbum Dei in aſtutia & ad circumventionem erroris adulterantur; porro ad Eccleſiam pertinet & proponere & explicare credenda, quod omiſſo Theologiæ adminiculo peragere non valet: Fideles plebeji fidem tectam habent in Proceribus & Doctoribus Eccleſiæ; igitur Theologia eſt ſimpliciter neceſſaria pro toto Eccleſiæ corpore.

Ad Confirmationem, dico argumentum tantummodo probare Theologiam non eſſe abſoluta neceſſariam omnibus & ſingulis fidelibus, quod ultro fatemur; ſatius enim eſt pro multis abſque inquiſitione credere, quam cuncta ſcrupuloſe rimari: hinc Apoſtolus 2. ad Tim. 3. 7. quaſdam feminas, de credendis rationes ullo abſque fine luxuriando inquirentes, ſic redarguit: *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*.

Iterum inſtabis: Fides ſufficienter in divinis explanatur Scripturis; non enim ſemel & Apoſtoli, & ipſe Chriſtus ad hanc provinciam adimplendam ratiociniis, argumentis & ſimilitudinibus utuntur: Igitur ne quidem ad propoſitionem & defenſionem credendorum neceſſaria eſt Theologia: tum quia Eccleſia fidem in ſymbolis proponit & explanat.

Reſpondeo diſtinguendo: Et ipſæ parabolæ, ipſaque tum Apoſtolorum, tum Chriſti argumenta pro fidei vel expoſitione, vel etiam defenſione debent ultimate proponi, explicari & defendi ab Eccleſia, concedo: Et non debent neque proponi, neque ulterius defendi, nego. Perverſi homines divinas Scripturas in pravos ſenſus detorquere ſatagunt, quocirca adverſus malignantes, & proponi & defendi debent juxta genuinum ſenſum; quod quidem Eccleſia ope Theologiæ mirum in modum facit, ut Chriſtiani tutam habeant fidem.

Ad confirmationem fidenter dico opus eſſe Theologia, quæ ipſa utique ſymbola juxta mentem Eccleſiæ explicet. Et vero ſua etiam Heterodoxi habent falſa & prava ſymbola, quibus incauti inducuntur in errorem. Quatuor fidei apparuere profeſſiones, quibus Semi-Ariani ſuam malam de conſubſtantialitate fidem ſubtexere conabantur, quas ideo Hilarius Pictavorum Epiſcopus fidem temporum & politicam vocat. Theodorus Mopſueſtenus ſuum pariter in lucem edidit fucatum ſymbolum, quo imbutus Neſtorius contra Filii Dei incarnationem debacchatus eſt. Et ſic de aliis hæreticis, qui ad fidem evacuandam omnia moliti ſunt. Igitur neceſſaria eſt ſcientia in revelatione fundata, quæ cuncta fidei dogmata defendat adverſus impugnantes.

Alia ſit inſtantia: Saltem Traditio ſacræ adjuncta Scripturæ pluſquam ſufficiens eſt ad fidem rite tenendam: igitur prorſus inutilis eſt Theologia.

Reſpondeo eodem modo quo ſupra, ſic diſtinguendo: Et ipſa traditio ope Theologiæ tenetur, concedo: Et ad hoc non opus eſt Theologia, nego. Inter traditiones quædam ſunt humanæ & fallibiles, quandoque etiam penitus falſæ, quædam vero divinæ & infallibiles; ſed quænam ſint iſtæ, ad Eccleſiam prævio examine definire ſpectat. Cæterum traditio quæ eſt fidei regula, habetur Patrum ſententiis, quæ magnis continuiſque fulciuntur Theologiæ argumentis, quibus ſancti Doctores utuntur ad fidem defendendam, ſervandam & nutriendam.

Opponet 2. A Chriſto nato non indigemus veritatis inquiſitione: igitur prorſus inutilis eſt Theologia deductiva. Probatur antecedens ex Tertulliano, qui lib. de præſcriptione, c. 8. ſic loquitur: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium*: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. A Chri-

Chriſto nato non indigemus inquiſitione ad nova dogmata adinvenienda, concedo: Ad tradita tum explicanda, tum defendenda, nego. Lex Chriſti perfecta cenſetur, & omnia quæ ad ſupremum ſanctitatis apicem conducunt, præcontinet; hinc Chriſtus expirando clamavit, *conſummatum eſt*. Hoc ipſum innuit Apoſtolus, Hebr. 10. 14. ubi de eodem Chriſto Domino diſſerens, ait: *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Verum Theologia neceſſaria eſt ad fidei dogmata propugnanda, vel etiam enucleanda. Quod autem ſenſus Tertulliani ſit, nova non eſſe exquirenda dogmata, patet ex his quæ ſubdit: *Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere, hoc enim prius credimus non eſſe quod ultra credere debeamus*. Ibi revincit Hæreticos, qui nova in dies dogmata inducere non erubeſcebant.

Urgebis: Theologia nihil addit ſupra fidem niſi rationem: ſed non opus eſt ratione ad credendum: igitur nec Theologia. Confirmatur 1. quia ratio tollit meritum, juxta illud Gregorii Magni Hom. 26. in Evangelium: *Fides non habet meritum, ubi ratio humana præbet experimentum*. 2. Perfectius eſt ſimpliciter credere, quam inquirere. 3. Doctores inquirentes de omnibus rationem, ad vitam contemplativam, & perfectionem capeſcendam minus capaces eſſe cenſentur: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Theologia nihil addit ſupra fidem niſi rationem elevatam, concedo: niſi rationem nudam, & in ſe relictam, nego. Ratio nuda nihil poteſt ad credenda, quandoquidem captum excedunt humanum: at vero ratio elevata ad omnia utilis eſt: hoc ipſum declarat Auguſtinus his verbis: *Huic ſcientiæ attribuitur illud tantummodo quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*.

Ad primam confirmationem, diſtinguo: ratio nuda, quæque eſt cauſa motiva aſſenſus, concedo: ratio elevata, nego. Motivum aſſenſus concluſionis Theologicæ non eſt ſola ratio humana, qualis eſt in Hæreticis, qui divina in doloſa rationis humanæ ſtatera appendunt; ſed revelatio virtualis. Et vero, quare in iſto ratiocinio: omnis homo eſt paſſibilis: ſed Chriſtus eſt homo; igitur in via fuit paſſibilis: huic aſſentior concluſioni: ergo Chriſtus in via paſſibilis erat? Ea ratio eſt, quia fide teneo Chriſtum eſſe hominem. Gregorius loquitur de ratione nude ſumpta & in ſe relicta; hæc enim fidem evacuat, ut non ſemel compertum eſt in multis, qui ſibi, & non Deo loquenti, credunt.

Ad ſecundam confirmationem, reſpondeo etiam diſtinguendo: Perfectius eſt credere ſimpliciter quam inquirere, ſi fides ſit propoſita & clare explicata; ſi non ſint impedimenta vel ex parte rationis propriæ, vel ex parte impugnantium, concedo: ſi non ſit propoſita, & explicata; ſi ratio humana adverſus ipſam fidem recrudeſcit, nego. Cum igitur multa occurrunt ad credendum impedimenta, quis dubitat opus eſſe ſcientia, cujus fundamenta ſine in montibus ſanctis, hoc eſt, in articulis fidei modo ad revincendos Hæreticos, modo ad fidem aſtruendam? Igitur prius fides proponi debet, deinde explicari, poſtea defendi adverſus impugnantes: ſed & hæc abſque Theologiæ auxilio recte fieri non poſſunt.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Perfectius eſt ſimpliciter credere quam inquirere rixandi prurigine, concedo: quam inquirere ad ſuam vel proximi inſtructionem, nego. Solutio eſt D. Aug. qui l. de Doctrina chriſtiana c. 31. ſic loquitur: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum quæ in Litteris ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimum valet, tantum ibi cavenda eſt libido rixandi*.

Ad tertiam confirmationem, dico iſtam propoſitionem, *Docti minorem habent contemplationem, quam ſimplices*, eſſe ſexageſimam quartam propoſitionem Molinos, ab Innocentio undecimo in Bulla, *Cœleſtis Paſtor*, & per Decretum Inquiſitionis 28. Auguſti ann. 1687. cum multis aliis proſcriptam. Et vero, ubi major eſt cognitio, ibi & major amor, juxta illud tritum axioma, nihil amatum quin præcognitum. Cum igitur detur Theologis per ſtudium cognoſcere myſteria Dei, etiam datur eis, ſi gratiæ interiori obtemperent, proficere & creſcere in amore divino, ut legitur de Athanaſio, de Baſilio, de Gregorio Magno, de Auguſtino, de D. Thoma & de cæteris Eccleſiæ ſanctis Doctoribus.

Diluuntur objectiones contra ſecundam concluſionem.

Objicies 1. Eccli. 3. habetur: *Altiora te ne*

ne quæſieris, nec mirum; Scrutator majeſtatis opprimetur a gloria: ſed Theologia ſcholaſtica in ſcrutandis myſteriis tota occupatur: igitur inutilis.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; altiora te ne quæſieris lumine ſolo naturali ductus, concedo: lumine fidei inſtructus, nego: qui ſola ratione inveſtigat myſteria, profecto aut cæcutit, aut errat: verum Theologia ſcholaſtica, non nuda, ſed elevata per fidem ratione procedit; hinc & Eccleſiæ non modicum utilis eſt, quippe quæ explicet & defendat fidem contra impugnantes.

Oppones 2. Apoſtolus 1. Cor. 2. ait: *Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis, ut fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Igitur Theologia ſcholaſtica, quæ utitur humanæ ſapientiæ verbis & ſubtilitatibus, prorſus inutilis eſt.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Et Theologia ſcholaſtica præter ratiocinium & ſermonem methodicum addit revelationem, concedo: & non addit, nego. Cæterum Apoſtolus probare tantummodo intendit non opus fuiſſe, naſcente Eccleſia, uti exquiſitis & ſubtilibus argumentationibus, ne fidei propagatio ſapientiæ humanæ, potius quam virtuti Chriſti tribueretur; verum potius neceſſe fuiſſe ſermonem ſimplicem, ſignis & portentis confirmatum adhibere ad oſtenſionem ſpiritus.

Inſtabis: idem Apoſtolus ad Col. 2. ſic effatur: *Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam & inanem ſapientiam ſecundum traditionem humanam:* ſed Theologia ſcholaſtica Philoſophia ut plurimum utitur, igitur Theologia quantumvis elevata rejicitur ab Apoſtolo.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Theologia utitur Philoſophia, ut ſuas explicet & probet concluſiones, ut Hæreticorum ſuperbiam contundat, & eorum detegat aſtutias & errores, concedo: ut decipiat, nego. Attamen ſi forte aliquem ſubtilioribus alicujus Theologi argumentationibus decipi contingat, per accidens eſt, & ratione operantis, qui ea abutitur: Porro Apoſtolus Philoſophiam fallacem dumtaxat explodit, illam ſcilicet, quæ falſis hominum traditionibus innititur, unde dicit Aug. l. 9. de Trin. cap. 1. *De credendis, nulla infidelitate dubitemus; de intelligendis, nulla temeritate affirmemus: in illis auctoritas tenenda eſt: in his, unitas exquirenda*.

Objicies 3. Antiqui Patres adverſantur Theologiæ ſcholaſticæ: ergo &c. Probatur antecedens. Rejiciunt Philoſophiam dialecticam, qua tamen perpetuo utitur Theologia ſcholaſtica: ergo & Theologiam: probatur antecedens. Tertull. *de Anima*, c. 3. vocat Philoſophos Hæreticorum Patriarchas. c. 8. dicit argumenta Philoſophiæ eſſe tormenta cruciandę ſimplicitatis & ſuſpendendæ veritatis. c. 23. Platonem nominat condimentarium hæreticorum. Et *de præſcrip.* c. 7. Ariſtotelem miſerum vocat, eo quod dialectica ſua Hæreticis contra Eccleſiam arma ſuppeditaverit. D. Gregorius *Oratione* 26. graviter conqueritur, quod in Eccleſia ſancta Dei irrepſerint & ſubtilitates philoſophicæ, & ipſius Ariſtotelis ars captioſa. Et alia ejuſmodi, quæ vocat Ægypti plagas. Aug. Serm. 87. *de tempore*, Hieronymus in Pſal. 104. ſimilia proferunt. Denique Ambroſius in Pſal. 118. ſic loquitur: *Nihil nobis cum Philoſophia, ne fidem noſtram per elementa mundi traducat*; ergo, &c.

Reſpondeo, Philoſophiam non rejici a Patribus, ut ex probationibus liquet; ſed dumtaxat abuſum: unde nego minorem: ad probationem diſtinguo: Patres abjiciunt Philoſophiam fidei dominam, quæ ſola & nuda ratione de myſteriis diſcurrit & judicat, dialecticam vanam & fallacem, concedo: Philoſophiam ancillam fidei, & dialecticam elevatam, veritatis indagatricem, nego. Iſta Philoſophia ſolummodo utitur Theologia; a prima dumtaxat dialectica abhorrent Patres & ſancti Doctores. Et vero vix nata religione, fides chriſtiana Paganos, qui myſteria noſtra irridebant, habuit hoſtes infenſiſſimos: poſtea Hæreticos, qui ex officina Platonis, Ariſtotelis, & ex aliis Philoſophorum academiis prodeuntes, Platoniſmum & Ariſtoteliſmum in religionem inducere ſategerunt. Quod autem hic ſit germanus Patrum ſenſus, patet ex Ambroſio, qui in loco mox in objectione laudato hæc ſubdit: *Arianos in perfidiam ſic ruiſſe novimus, dum Chriſti generationem putant hujus ſæculi uſu colligendam*.

Rurſus objicies. Theologia ſcholaſtica varias & prope infinitas inſtituit quæſtiones inutiles, quæ nihil proſunt niſi ad ſubverſionem legentium: quot enim oppoſitæ opinio-

niones, quarum multæ a recto veritatis tramite non modicum recedere videntur? hinc in ipſis fidei dogmatibus dubia per multa: hinc confuſio: hinc error & quandoque ſalutis deſperatio: igitur eliminanda eſt ab Academiis Theologia ſcholaſtica tanquam inutilis, immo & tanquam nociva.

Reſpondeo diſtinguendo: Theologia ſcholaſtica multiplicat quæſtiones ad majorem claritatem, concedo; ad legentium ſubverſionem, nego. Enimvero fuſior explicatio parit claritatem; unde ſi quidam ex variis quæſtionibus magis implicentur, eſt per accidens, & defectu aut attentionis, aut intelligentiæ. Similiter ſi ex his oriatur vel dubium in fide, vel a veritate flagitioſus receſſus, hoc profecto ex animi imbecillitate, & ut plurimum a cordis pravitate originem ducit. Cæterum, ſi ſint qui in multiplicandis quæſtionibus luxurientur; Magiſtrorum, nuſquam vero Theologiæ ſcholaſticæ in ſe ſpectatæ defectus eſt. Hanc totam materiam juvat verbis D. Bernardi concludere. *Non ignoro*, inquit, *quantum Eccleſiæ profuerint litterati ſui, ſive ad refellendos eos qui ex adverſo ſunt, ſive ad ſimplices inſtruendos. Legi enim: quia tu repulſiſti ſcientiam, repellam te; legi, qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* Serm. 36. in Cant.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Theologia ſecundum ſe ſpectata eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria pro Corpore Eccleſiæ.

PRIMO, quia teſte Apoſtolo Eph. 4. ipſe Chriſtus quoſdam dedit Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii ad ædificationem corporis ſui myſtici.

Secundo, quia ex Auguſtino l. 19. de Trin. c. 7. *Huic ſcientiæ attribuitur, illud quo fides ſaluberrima nutritur, defenditur, roboratur.*

Tertio, quia teſte D. Thoma 1. p. q. 1. art. 1. præter diſciplinas naturalis ordinis, alia ſuperior quæ ad finem ſupernaturalem dirigat, requiritur, & eſt Theologia, quandoquidem divina innititur revelatione.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

OBJICITUR, Theologiam eſſe inutilem, 1. Quia Deus ipſe juxta Prophetas omnem docet veritatem. 2. Quia fides ex ſe ſola ſufficit ad ſalutem, maxime ſi ſcripturas, ſi ſymbola & traditionem adjungamus. 3. Quia Theologia his omnibus ſolummodo addit rationem, ſcientias autem mere rationales ad ſalutem inutiles eſſe nemo non novit.

Ad primum reſpondetur, Deum interius docere per gratiam, Theologiam vero exterius per lectiones.

Ad ſecundum, dicimus fidem ad ſalutem ſufficere, ſed quæ debet & proponi & explicari; immo genuinus tum ſcripturarum, tum ſymbolorum, tum etiam traditionis ſenſus Theologia aperitur, & contra impugnantes defenditur.

Ad tertium, non eſt paritas; ſiquidem Theologia addit non quamcumque rationem, ſed revelatam, unde Fideles fidem habent tectam in Doctoribus Eccleſiæ.

Ex his ſequitur Theologiam ſcholaſticam utiliſſimam eſſe; quippe quæ clara methodo explicet & defendat myſteria; ſcholaſticam diſciplinam fallacem Patres cenſorio perſtringunt ſtylo, nuſquam vero eam quæ divina innititur revelatione.

ARTICULUS SECUNDUS.

De objecto Theologiæ.

QUÆRIMUS impræſentiarum quodnam ſit Theologiæ objectum? ad cujus reſolutionem operæ pretium eſt annotare triplex diſtingui objectum, videlicet materiale, formale quod, & formale ſub quo: materiale, eſt res ipſa de qua tractatur; formale quod, eſt ratio quæ in rebus attingitur & conſideratur; formale ſub quo eſt medium quo aliquid cognoſcitur; quæ quidem omnia poſſunt illuſtrari exemplo objecti potentiæ viſivæ: objectum oculi materiale, eſt res omnis ſenſibilis: formale quod, dicimus eſſe coloratum, id enim quod attingit oculus eſt color; ita ut ſi res non ſubeſſet colori, nec utique illam poſſet videre: medium, quo illam intuetur, eſt lumen ſolis, quo ſub-

lato,

Digitized by Google

lato, res quantumvis colorata fugit oculi aciem. De illo triplici objecto movemus quæſtionem, unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Objectum materiale Theologiæ eſt quodcumque revelatum.

Probatur iſto ratiocinio.

OBJECTUM materiale illud cenſetur de quo tractat aliqua facultas & multa demonſtrat: atqui Theologia agit de rebus revelatis; puta de Deo uno & Attributis, de Trinitate, de Gratia, de Sacramentis, & multa de ejuſmodi rebus demonſtrat. Enimvero de Deo demonſtrat eſſe actum purum, eſſe bonum, immenſum, trinum in Perſonis, & ſic proportione ſervata de cæteris aliis revelatis: igitur omne revelatum eſt objectum materiale Theologiæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

Objectum formale quod Theologiæ, eſt Deus ſub ratione Deitatis & ultimi finis.

Probatur ratione.

OBJECTUM formale quod, eſt ratio quæ conſideratur in rebus ab aliqua diſciplina: ſed id quod Theologia in rebus revelatis reſpicit, eſt Deus ſub ratione Deitatis, Deus ut eſt alpha & omega, principium & finis. Enimvero quæ contemplatur vel ſunt Deus ipſe, vel Deus ut beatitudo & finis ultimus, ad quem & Angeli, & homines referuntur, vel media quibus ad talem finem pervenitur, nempe Gratia, Virtutes, Sacramenta, actus humani: igitur Deus ſub ratione Deitatis & ut eſt principium & finis recte aſſignatur, & dicitur objectum formale quod Theologiæ. Hoc ipſum innuit S. Thomas hic 1. p. q. 1. art. 7. his verbis: *Cum omnia quæ tractantur in ſacra Doctrina conſiderentur ſub ratione deitatis per revelationem cognoſcibilis, Deus illius eſt ſubjectum.*

CONCLUSIO TERTIA.

Objectum formale ſub quo Theologiæ, eſt revelatio virtualis.

Probatur a priori.

OBJECTUM formale ſub quo eſt medium quo diſciplina aliqua ſuum attingit objectum formale quod; *v. g.* Solis lumen reſpectu oculi corporis: atqui medium quo utitur Theologia ut ſuum attingat objectum formale eſt revelatio virtualis: igitur ejuſmodi revelatio eſt objectum formale ſub quo Theologiæ; major patet, probatur minor: revelatio virtualis eſt diſcurſus fundatus in aliquo fidei articulo: ſed Theologia tractat de rebus divinis per diſcurſum in fide fundatum; omnis quippe demonſtratio Theologica aliquam habet præmiſſam de fide, ergo, &c.

Proponuntur objectiones adverſus ſecundam concluſionem militantes, & ſolvuntur.

Objicies 1. D. Thomas non ſemel dicit Deum non eſſe objectum formale Theologiæ, ut in prologo ſent. art. 4. ibi enim ens divinum per inſpirationem cognoſcibile pro objecto aſſignat: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Contrarium patere ex loco ſancti Doctoris in probatione adducto. 2. D. Thomam loqui de objecto fidei, quod magis per revelationem & inſpirationem cognoſcitur, quam per diſcurſum.

Oppones 2. Scientia ſuum debet cognoſcere objectum: ſed Theologus, quid ſit Deus, prorſus ignorat; quinimmo ipſos Beatos latet infinitas, latet omnipotentia, &c. Igitur Deus ſub ratione Deitatis non eſt objectum formale Theologiæ.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Scientia naturalis ſuum debet cognoſcere objectum, concedo: ſcientia in revelatione fundata, ſubdiſtinguo; debet cognoſcere vel mediate, vel immediate, concedo: immediate ſemper, nego. Scientia naturalis eſt ejuſdem cum ſuo objecto ordinis, unde illud per ſuum innatum lumen cognoſcit: at vero Theologia habet objectum ſupernaturale, excedens omnem creaturæ captum, unde indiget revelatione, ut illud attingat, & hoc in præſenti ſtatu ſufficit:

ficit : quid plura ? ipſum etiam immediate contemplatur in patria , ubi lumine gloriæ dirigitur .

Ad confirmationem, diſtinguo . Multa ipſos latent Beatos ; & hæc non ſunt beatitudini & ſcientiæ matutinæ eſſentialia , concedo : & ſunt eſſentialia, nego . Varia diſtinguuntur in Deo ; nempe natura, perſonæ , attributa , & hæc omnia vident Beati : alia ſunt libera eaque ſecreta ; & iſta Beatos latere nou implicat : poſſunt tamen illa eadem , ſi Deus vellet , cognoſcere . Denique Beati vident infinitatem & omnipotentiam Dei , nuſquam vero utriuſque attributi quantitatem virtualem , alias Deum comprehenderet creatura : igitur Sancti cognoſcunt Deum eſſe & infinitum & omnipotentem , ſciunt multa a Deo patrari poſſe majora : ſed non omnia poſſibilia intuentur ; iſta quippe coguitio eſt comprehenſiya , unde ſoli Deo competit .

Objicitur de novo . Nulla ſcientia probat ſui objecti exiſtentiam , ſed ſupponit illud : atqui tamen Theologia probat Dei exiſtentiam : igitur Deus ſub ratione deitatis non eſt objectum formale Theologiæ .

Reſpondeo diſtinguendo . Nulla ſcientia probat ſui objecti exiſtentiam a priori , concedo : a poſteriori & per effectus , nego ; & ſic diſtincta minore , nego conſequentiam : demonſtratio a priori eſt per cauſam rei ; a poſteriori vero , per effectus qui denotant cauſam . Scientia quidem non probat ſuum objectum a priori , quia ſcientiæ ſupponitur & eſt ante eam : ſed nihil prohibet quin illud ex abundantia , & ad majorem claritatem , p.r effectus delineet , & hoc modo Dei exiſtentiam probat Theologia . Sic reſpondet ad argumentum *D. Thomas* , hic q. 1. art. 7. his verbis : ,, Ad primum ergo dicendum , ,, quod licet de Deo non poſſimus ſcire ,, quid eſt ; utimur tamen ejus effectu in ,, hac doctrina , vel naturæ , vel gratiæ , ,, loco definitionis ad ea , quæ de Deo in ,, hac doctrina conſiderantur , ſicut & in ,, aliquibus ſcientiis Philoſophicis demon- ,, ſtratur aliquid de cauſa per effectum , ,, accipiendo effectum loco definitionis ,, cauſæ .

Inſtabis : Ad Metaphyſicam ſpectat probare exiſtentiam Dei per effectus : igitur hoc ipſum non pertinet ad Theologiam .

Reſpondeo diſtinguendo antecedeus . Ad Metaphyſicam ſpectat probare exiſtentiam Dei ratione nuda , concedo : ratione elevata , nego . Deus ut Auctor naturæ , eſt objectum Metaphyſicæ quæ ejus probat exiſtentiam rationibus a lumine naturali prodeuntibus . Deus vero ut Auctor gratiæ & finis noſter ultimus , eſt objectum Theologiæ : unde non eſt par ratio ; ultro tamen fatemur per Thuologiam probari a poſteriori exiſtentiam Creatoris ; ſed divina revelatione procedit , quatenus per revelationem Theologus ſcit creaturas a Deo ut a primo motore tum in eſſe , tum in operari pendere , & ſic neceſſariam cum ipſo habere connexionem , adeoque & illum indigitare compertum habet . Solutio colligitur ex *D. Thoma* qui hic q. 1. art. 1. hoc modo ſolvit difficultatem : ,, Eandem concluſionem demon- ,, ſtrat Aſtrologus & Naturalis ; puta quod ,, terra eſt rotunda : ſed Aſtrologus per ,, medium Mathematicum , ideſt , a ma- ,, teria abſtractum ; Naturalis autem per ,, medium circa materiam conſideratum . ,, Unde nihil prohibet de iiſdem rebus de ,, quibus diſciplinæ Philoſophicæ tractant , ,, ſecundum quod ſunt cognoſcibilia lumi- ,, ne naturalis rationis , etiam aliam ſcien- ,, tiam tractare , ſecundum quod cogno- ,, ſcuntur lumine divinæ revelationis .

Objicies 4. Theologia tractat de multis quæ non ſunt Deus ; puta , de gratia , de virtutibus , immo & de hiſtoriis Regum . Igitur Deus ſolus non eſt objectum Theologiæ .

Reſpondeo 1. Prædicta pertinere ad objectum materiale Theologiæ : hic autem agimus de objecto formali . Reſpondeo 2. diſtinguendo : allata non ſunt Deus , ſed referuntur ad Deum , concedo : & non referuntur , nego . Omnes creaturæ reſpiciunt Deum & ut principium a quo fluunt , & ut finem , ad quem vel tendunt , ut homines , vel conducunt , ut gratia , lex , virtus : etiam Regum hiſtoriæ , eatenus ad Deum habent relationem , quatenus ejus demonſtrant , vel omnipotentiam , vel bonitatem : immo & ipſa peccata juſtitiam indigitant , & ſub ipſo reſpectu de eis diſcurrit Theologia . Reſpondeo 3. Argumeutum probare dumtaxat Deum ſolum non eſſe objectum quidem adæquatum ſacræ Doctrinæ , cum de aliis pluribus pertractet . *D. Thomas* , hic q. 1. art. 7. occurrit difficultati propoſitæ his verbis : *Ad ſecun-*

dum

Digitized by Google

dum dicendum quod omnia alia quæ determinan.ur in ſacra Doctrina, comprehenduntur ſub Deo, non ut partes, vel ſpecies, vel accidentia, ſed ut ordinantur aqualiter ad ipſum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

De diverſo Theologiæ objecto.

PRIMO, Objectum materiale Theologiæ, eſt quodcumque revelatum, quandoquidem iſta ſcientia multa demonſtrat de rebus ut divinæ ſubſunt revelationi.

Secundo, Objectum formale quod, eſt Deus ſub ratione deitatis & finis ultimi; quia Theologus cuncta conſiderat vel in Deo, vel per ordinem ad Deum ut gratiæ Auctorem.

Tertio, Objectum formale ſub quo, eſt revelatio virtualis: & vero, ejuſmodi revelatio eſt medium & lumen quo cuncta intuetur Theologia.

SYNOPSIS SOLUTIONUM. AD DIFFICULTATES.

PRIMO, Creaturæ non ſunt quidem Deus ipſe, ſed ad eum relationem habent, immo & ipſa peccata non præciſe ut mala; ſed ut juſtæ vindictæ objecta, unde de his omnibus pertractat Theologia.

Secundo, Utique a Metaphyſica conſideratur Deus, ſed ut Auctor naturæ & lumine rationis, nuſquam vero ut Auctor gratiæ & per revelationem, unde objectum formale Theologiæ diſtinguitur ab objecto formali Metaphyſicæ.

Tertio, Non implicat Theologiam ſuum probare objectum a poſteriori & per effectus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Theologia ſit ſcientia, & qualis?

ILLAM diſciplinam dicimus ſcientiam, quæ eſt cognitio rei certa & evidens per cauſas; illam aſſerimus unam, quæ de cunctis tractat ſub eadem ratione, & idem habet in omnibus ſuis concluſionibus motivum: illam denique vocamus ſupernaturalem, extrinſece quidem, ſi verſetur circa objectum ſupernaturale; intrinſece vero, ſi motivo ſupernaturali tendat in objectum. Quibus prælibatis quæſtio triplex ſolvenda occurrit de Theologia. 1. An ſit ſcientia? 2. An una & eadem in omnibus ſuis partibus ſcientia? 3. An ſcientia ſupernaturalis & qualis? Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Theologia eſt vere Scientia.

Probatur multipliciter.

Primo, EX Scriptura ſacra. Oſeæ, 4. 6. habetur: *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris*. Ibi profecto agitur de Theologia viatorum, qualis debet eſſe in Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit explicare fidem populis, & eandem contra impugnantes defendere: igitur ex Scriptura liquet Theologiam eſſe ſcientiam.

Secundo, Ex Patribus. Dionyſius Alex. l. 2. Strom. c. 7. eidem ſuffragatur veritati, dicens: *Diſcite in terris, quod ſcientia perſev rat in Cælis*. Clemens Alexandrinus Theologiam ſic definit: Demonſtratio firma & ſtabilis eorum quæ per fidem accepimus. His omnibus accedit B. Auguſtinus, qui l. 14. de Trin. c. 1. ait: *Huic ſcientiæ attribuitur illud tantummodo quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.*

Tertio, Ex ratione. Scientia eſt cognitio certa & evidens de aliquo: atqui Theologia talis eſt: igitur eſt ſcientia. Probatur minor. 1. quidem Theologia, ut ipſum ſonat nomen, eſt ſermo & cognitio de Deo. 2. Eſt cognitio certa, quippe quæ articulis fidei, quibus non poteſt ſubeſſe falſum, nitatur. 3. Eſt etiam evidens: & vero licet principia ſua ſint obſcura, ſuppoſita tamen fide hanc ex præmiſſis rite diſpoſitis, clare & evidenter eruit concluſionem. v. g. In iſta demonſtratione: omnis homo conſtat anima rationali & corpore: ſed Chriſtus eſt homo: poſita iſta minore de fide, evidenter concludit Theologus: ergo Chriſtus conſtat anima rationali & corpore.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO SECUNDA.

Theologia, qualis traditur in ſcholis, eſt una ſpecie atoma ſcientia: hoc eſt, Theologia poſitiva, ſcholaſtica, & moralis unicum ſcientiæ habitum conſtituunt.

PROBATUR ex D. *Thoma* " hic art. 3. ,, primo quidem in argumento ſed contra ,, ſacra Scriptura, inquit, de ea ,, loquitur ſicut de una ſcientia: dicitur ,, enim Sap. 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*. ,, Deinde vero in corpore articuli ſic diſcurrit S. Doctor. " Dicen- ,, dum ſacram Doctrinam unam ſcientiam ,, eſſe: eſt enim unitas potentiæ & ha- ,, bitus conſideranda ſecundum objectum, ,, non quidem materialiter, ſed ſecun- ,, dum rationem formalem objecti: puta ,, homo, aſinus & lapis conveniunt in ,, una formali ratione colorati, quod eſt ,, objectum viſus. Quia igitur ſacra Scri- ,, ptura aliqua ſecundum quod ſunt divi- ,, nitus revelata (ſecundum quod dictum ,, eſt) omnia quæcumque ſunt divinitus ,, revelabilia, communicant in una ra- ,, tione formali objecti hujus ſcientiæ: & ,, adeo comprehenduntur ſub ſacra Do- ,, ctrina, ſicut ſub ſcientia una. ,, Ex his tres exſurgunt D. Thomæ rationes quibus luculentiſſime oſtendimus Theologiam eſſe unum & ſimplicem habitum.

Prima ſic deduci poteſt. Habitus Theologiæ non eſt aggregatum per accidens, quod ex variis, multiſque entibus completis coaleſcit, ſiquidem ex D. Thoma una dicitur ſcientia: ſed potius eſt ens per ſe, habet enim idem objectum formale in omnibus ſuis partibus: atqui foret aggregatum per accidens, nempe ex Theologia ſcholaſtica, poſitiva, morali, poetica, ſi partes iſtæ diverſos conſtituerent habitus: igitur Theologia eſt una ſpecie atoma ſcientia.

Secunda. Illa ſcientia eſt una, quæ habet in omnibus quæ pertractat idem objectum formale quod, idem objectum formale quo, ſeu medium quo ſuas eruit concluſiones: atqui ſic ſe habet Theologia, ergo, &c. Major patet; habitus enim non diſtinguuntur nec multiplicantur, niſi penes diſtinctionem objectorum formalium, & penes diverſam rationem, ſub qua illa attingunt. Probatur igitur minor: quæcumque Theologia tractat, vel eſt Deus ipſe, vel ordinantur ad Deum ut ultimum finem, non alio motivo diſcurrit de Myſteriis, de Gratia, de Legibus, de actibus Humanis: hæc omnia ſub lumine divinæ revelationis inſpicit, ergo, &c.

Tertia, eaque etiam Angelica. Unus & idem indiviſibilis habitus multa alias in ſe diſparata poteſt attingere; igitur non implicat quin idem Theologiæ habitus circa Deum incarnatum, circa actus Humanos, & Sacramenta, aliaque ejuſmodi verſetur. Probatur antecedens, in quo aliqua poſſet reperiri difficultas, variis inconcuſſiſque exemplis, 1. Una & eadem potentia intellectiva realiter indiviſibilis, poteſt ſe extendere ad multa, eaque diverſa intelligibilia, tametſi unum ſit alio intellectu difficilius. 2. Eadem potentia viſiva corporea ad omnia colorata pertingit. 3. Unus habitus infuſus ad plura contenta intra ſuum objectum, puta eadem fides ad omnia credibilia, licet diſtinctæ ſint in diverſis articulis difficultates. 4. Eadem charitas ad omnia amabilia, quamvis difficilius ſit diligere inimicum quam amicum. 5. Eadem prudentia ad omnia, licet quantumvis in diverſis materiis novæ occurrant difficultates ſuperandæ. Quidni igitur eadem & indiviſibilis Theologiæ ſcientia ſe extendet ad omnes concluſiones intra ſui objecti ſpecificativi ſphæram contentas?

CONCLUSIO TERTIA.

Theologia eſt ſcientia nedum extrinſece, ſed & intrinſece ſupernaturalis. Ita docet modernus Scriptor Thomiſta Contenſonius, diſſert. 1. de Deo uno c. 2. ſpeculatione 3.

Probatur multipliciter.

Primo. EX Scriptura ſacra, Sap. 10. legitur: *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*, quæ verba recte intelligi poſſunt de Theologia qualis traditur in ſcholis. Enimvero de eadem loqui videtur *Hieronymus Epiſt.* 155. " Quid hac, in- ,, quit, voluptate jucundius? qui cibi, ,, quæ mella ſunt dulciora quam Dei ſci- ,, re prudentiam, & in abſcondita ejus ,, intrare, & ſenſum Creatoris inſpice-

,, re,

„ re, & ſermones Domini Dei tui, qui „ ab ejuſmodi ſapientibus deridentur, ple- „ nos docere ſapientia ſpirituali? „ Quibus ſententiis delineat S. Doctor ſcientiam, quæ Dei ſecreta propalat, quæ ſcit prudentiam & myſteria, quæ ſapientiam docet plurimos; quæ quidem doces conveniunt Theologiæ noſtræ: hanc quippe D. Thomas hic q. 1. vocat Doctrinam ſacram & inſpiratam doctrinam quæ lumine, virtute & extenſione cæteras ſcientias in immenſum excedit, ergo, &c.

Secundo ex ratione. Illa ſcientia eſt non ſolum radicaliter, ſed & formaliter ſupernaturalis, cujus principia, objectum formale & modus tendendi in objectum, ſunt ſupernaturalia; quæ ſubordinatur ſcientiæ Beatorum, & eſt ejuſdem cum illa ordinis, quæ nobilitate & certitudine omnes ſcientias naturales longe ſuperat: atqui res ſic ſe habet: igitur Theologia eſt formaliter & intrinſece ſupernaturalis. Major patet: probatur minor quoad ſingulas partes. Primo quidem Theologiæ principia eſſe ſupernaturalia nemo non videt, cum ſint Fidei articuli: objectum vero ejus formale quod, eſt Deus in ſe ſpectatus; formale ſub quo, revelatio virtualis, quæ omnia ordinem naturæ tranſcendunt. Omnes ultro fatentur Theologiam ſubordinari ſcientiæ Beatorum, cum ſua per fidem ab ea mutuetur principia, cum idem objectum habeat, quod hac brevi ſententia concludit Dionyſius Alex. *Diſcite in terris quod ſcientia perſeverat in Cælis*. Denique cæteris Diſciplinis tum nobilitate, tum certitudine ſupereminet, quandoquidem fundatur in revelatione divina, cui non poteſt ſubeſſe falſum: ergo, &c.

Tertio, Ex locis e quibus ſuas eruit concluſiones. Scientia quæ ſuas deducit concluſiones ex Scriptura ſacra, ex traditione divina, ex decreris ſummorum Pontificum, ex definitione Conciliorum & ſententiis Patrum, eſt intrinſece ſupernaturalis, quandoquidem cauſam habet ſupernaturalem: atqui Theologia Chriſtiana ſuas ex his omnibus momentis deducit concluſiones: ergo, &c.

Loci Theologici decem numerantur. Primus, eſt Scriptura ſacra quæ continet verbum Dei in utroque Teſtamento expreſſum per Scriptores canonicos, qui teſte D. Petro, loquuti ſunt a Deo inſpirati. Secundus, eſt Traditio, quæ utique verbum Dei refert, non quidem ſcriptum, ſed ab ore Chriſti per Apoſtolos, per Diſcipulos & Eccleſiæ Patres atque Doctores uſque ad nos ſervatum & tranſmiſſum. Tertius, eſt Eccleſia, quæ definitur Congregatio Fidelium in Spiritu ſancto ſub uno inviſibili capite Chriſto in Cœlis, ſub ejus vero in terris viſibili Vicario, ſummo Pontifice adunatorum. Quartus, eſt ſummus Pontifex, loquens ex cathedra ut ſupremus controverſiarum Fidei Judex. Quintus, eſt Concilium Oecumenicum, vel etiam Nationale, quinimmo & Provinciale approbatum. Sextus, eſt conſenſus Patrum, eorum quippe ſententiæ ad concludendum Theologis primum inſerviunt.

Sex iſtis, quatuor alii adjunguntur: videlicet conſenſus Theologorum, his enim utitur Eccleſia in Conciliis, tum ad veritates Fidei explicandas, tum ad eaſdem contra proterviam Hæreticorum defendendas. Sequitur auctoritas Philoſophorum, namque Theologia veluti ſapientia & Regina cæteras diſciplinas vocat ad arcem, ut ei tanquam ancillæ ad probandam, vel etiam propugnandam fidem famulentur. Nonus, eſt ipſa ratio; eſt enim primæ veritatis radius puriſſimus, quo dilucidantur quæſtiones Dogmaticæ. Decimus, eſt Hiſtoria tum ſacra, tum etiam profana, iſta uſus eſt Paulus apud Athenienſes, ut legitur Actuum 17. ad probandam Dei veri exiſtentiam. *Præteriens enim*, inquit, *inveni & aram in qua ſcriptum erat ignoto Deo: quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus, qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic Cæli & Terræ cum ſit Dominus, non in manufactis Templis habitat... In ipſo enim vivimus, movemur & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: ipſius & genus ſumus*. Quod quidem argumentum maxime ponderat: ſic enim teſtimonium ex inimicis noſtris pro Fide defendenda habemus.

Solvuntur objectiones quæ poſſunt fieri contra primam concluſionem, in qua dicimus Theologiam eſſe ſcientiam.

Objicies 1. D. Thomas in 3. Diſt. 33. art. 2. quæſtiuncula 4. ſic loquitur: *Si eſſet aliqua ſcientia, quæ non poſſet reduci ad prin-*

principia naturaliter cognita , *non eſſet ejuſdem ſpeciei cum aliis ſcientiis* , *nec univoce ſcientia diceretur* ; igitur Theologia non eſt ſcientia : probatur conſequentia . Si foret ſcientia , cum cæteris aliis ſcientiis & diſciplinis univoce conveniret : atqui univoce non convenit , quandoquidem principia Theologiæ non reducuntur ad principia naturaliter cognita , ergo , &c.

Reſpondeo negando conſequentiam : ad probationem diſtinguo minorem . Theologia non convenit cum aliis ſcientiis in ratione talis ſcientiæ , concedo : in ratione ſcientiæ ut ſic , nego . Duo ſunt in Theologia conſideranda : id quod eſt commune , & id quod eſt particulare . Modus procedendi a præmiſſis debite diſpoſitis ad concluſionem , eſt ratio ſpecifica ſcientiæ cujuſcumque ; hoc ipſum habet Theologia cum cæteris diſciplinis commune : principia vero ſunt articuli Fidei , & per hoc ab eis diſtinguitur ; eodem igitur prope modo eſt ſcientia , quo Geometria & Muſica ad Arithmeticam comparatæ ſcientiæ dicuntur , maxime ſi conſideretur penes modum quo procedit ; quandoquidem concludit ſicut aliæ diſciplinæ , ſuppoſitis nimirum præmiſſis . D. Thomas indigitare ſolum intendit Theologiam cæteris ſcientiis ſupereminere , quod ultro fatemur , & veriſſimum eſt .

Oppones 2. Scientia procedit ex principiis per ſe notis : atqui Theologia non procedit ex principiis per ſe notis ; quinimmo , procedit ex obſcuris , nec ullam evidentiam habet : igitur abſolute deficit a ratione ſcientiæ , cujus ſumma dos eſt evidentia .

Reſpondeo diſtinguendo . Scientia naturalis procedit ex principiis per ſe notis, concedo : ſcientia ſupernaturalis , ſubdiſtinguo ; ſubalternans & in ſtatu perfecto habita , concedo ; ſubalternata , & in ſtatu imperfecto ſita , nego . Unde conceſſa minore , nego conſequentiam . Scientia naturalis procedit ex principiis ſibi innatis , adeoque & per ſe notis : Item & omnis ſcientia ſubalternans & ſuperior quæ eſt in ſtatu perfecto : at vero Theologia , qualis traditur in ſcholis , ſua mutuatur a fide principia , unde eſt radicaliter obſcura , maxime vero quia eſt hic in ſtatu imperfecto & ſcientiæ Beatorum ſubalternata : Porro Theologia patriæ eſt evidentiſſima , quandoquidem lumine gloriæ tota innititur .

Ad id vero quod dicitur Theologiam non habere evidentiam , diſtinguo , radicalem , concedo : formalem & immediatam , nego . Duplex diſtinguenda eſt evidentia , una radicalis quæ petitur ex principiis , alia formalis quæ ex modo procedendi a præmiſſis bene diſpoſitus ad concluſionem exſurgit . Primam quidem non habet Theologia , recte vero ſecundam ; ſuppoſita enim aliqua de Fide præmiſſa , certo , infallibiliter , & evidenter concludit Theologus : Porro evidentia formalis eſt ſcientifica , & ea quæ ſcientiæ proprietas nuncupatur .

Rurſus inſtabis . Scientia quæ eſt de ſingularibus , nullam habet evidentiam ; quandoquidem ſingularia ſunt contingentia : atqui Theologia eſt de ſingularibus , quippe quæ tractet de actibus humanis , tum Patriarcharum , & Prophetarum , tum Apoſtolorum , & aliorum multorum , ergo , &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Si ſcientia lumine ſolius rationis procedat , concedo : ſi lumine divinæ revelationis utatur , nego ; & ſic diſtincta minore , nego conſequentiam . Porro Theologia tractat de ſingularibus , quatenus divinæ ſubſunt revelationi , a qua & certitudinem ſortitur ; & hac ſuppoſita evidentiam in ſuis habet concluſionibus ; ſola igitur ſcientia naturalis non eſt de ſingularibus , cum enim ſint contingentia , & ipſa lumine tantummodo naturali , cui poteſt ſubeſſe falſum , ducatur , non poteſt habere evidentiam , ſaltem ſufficientem ad veram ſcientiam , cujus objectum debet ita eſſe certum & evidens , ut non poſſit , inquit D. Thomas , aliter atque aliter ſe habere .

Urgebis adhuc . Theologia, qualis traditur in ſcholis , eſt Theologia ſcientiæ Beatorum ſubalternata : ſed ſcientia ſubalternata a ſubalternante ſejuncta non eſt ſcientia ; quandoquidem caret certitudine & evidentia , hinc Muſica in eo *v. gr.* qui Arithmeticam ignorat , non eſt niſi ad ſummum opinio , ergo &c. Confirmatur: in Theologia circa eandem concluſionem diverſæ ſæpius circumferuntur ſententiæ & opiniones , quod quidem argumentum eſt Theologiam noſtram ad ſcientiæ gradum non pertingere .

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo conceſſa majore, diſtinguendo minorem; ſcientia naturalis ſubalternata non eſt vere ſcientia, ſi ſit a ſubalternante ſejuncta, concedo; tunc enim ſua non cohærent principia, ſed fide dumtaxat humana fulcitur: ſcientia ſubalternata ſupernaturalis & in revelatione fundata, nego; invariabilis enim manet in ſuis principiis, quæ ſi bene applicentur, & certitudinem & evidentiam aſſequitur. Jam patet diſparitas ad Muſicam quæ profecto in abſentia Arithmeticæ non eſt ſcientia, quia tunc fide ſolummodo humana innititur.

Ad confirmationem diſtinguo: in Theologia variæ circumferuntur ſententiæ, circa modum explicandi dogma, concedo: circa ipſum dogma, nego. Theologi Catholici in dogmate circa Fidem conveniunt, omnes ultro fatentur eſſe unum Deum, Filium Dei aſſumpſiſſe carnem, ut noſtram ſalutem operaretur, & diſcrepant dumtaxat in modo explicandi dogmata; ſunt diverſæ circa gratiæ efficaciam & prædeſtinationem Sanctorum lectiones: utrum enim illa ſit efficax per ſe vel per conſenſum voluntatis? utrum iſta fiat ante vel poſt prævisa merita? diſputant Theologi. Iſtæ diſcrepantiæ non ſunt niſi ad ſummum accidentales.

Nova fit inſtantia: Atqui opiniones nedum circa explicanda dogmata, verum etiam penes ipſa dogmata non ſemel in Theologia habentur & circumferuntur; ergo nulla ſolutio: probatur antecedens. Quando Theologus ſcientiam habet de una concluſione, opinionem vero de altera: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Negando abſolute antecedens. Cum enim in dogmatibus, Theologus fide dirigatur, nuſquam opinionem circa ea patitur; quamobrem opinio eſt penes modum explicandi Myſteria: ſed dato & non conceſſo opinionem eſſe etiam de dogmatibus, reſpondeo diſtinguendo; eſt opinio circa unam concluſionem dogmaticam per accidens & defectu Theologi, concedo: per ſe & defectu ſcientiæ, nego. Theologia innititur revelatione divina, & fide ducta a præmiſſis procedit ad concluſionem; quæ ſi male inferatur, eſt defectu Theologi, qui ſua inordinate applicat principia. Cæterum non eſt inconveniens ſcientiam & opinionem de diverſis rebus in eodem reperiri ſubjecto: verum objectio non habet hic locum, quia de duobus diſparatis concluſionibus procedit.

Rurſus inſtabis: Theologia in omni concluſione caret evidentia formali: igitur in omnibus & per omnia eſt opinio. Probatur antecedens. Ut ſcientia habeat evidentiam formalem & certitudinem, debet eſſe cognitio rei per cauſam: atqui Deus, de quo ſpecialiter tractat Theologia, non habet cauſam; ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens, Ad probationem conceſſa majore, diſtinguo minorem. Deus non habet cauſam rei, concedo: cauſam cognitionis, nego: Duplex eſt cauſa, una ſcilicet rei; cognitionis altera: prima eſt per dependentiam effectus in eſſe & operari, quatenus producta eſt cum antea non eſſet: altera eſt per dependentiam intellectus, qui effectus intueri poſtulat ut cognoſcacauſam. Deus non habet cauſam rei, ſi quidem ipſe eſt a quo omnia: poteſt tamen habere cauſam cognitionis, ideſt cognoſci per effectus. Revelatio eſt cauſa cognitionis Dei, quatenus per eam nobis innoteſcit quid ſit Deus, tum in ſe, tum in ſuis Attributis: Creaturæ ſunt utique cauſæ cognitionis Dei; cum enim eſſentialiter ab eo pendeant, ab effectibus gradum ad cognoſcendam cauſam læti facimus: igitur Theologia eſt cognitio Dei in hoc ſenſu per cauſas, adeoque habet certitudinem de ſuo objecto, immo & evidentiam, ſi non radicalem, ſaltem formalem & ſcientificam.

Diluuntur objectiones contra ſecundam concluſionem, in qua diximus Theologiam eſſe unum & ſimplicem ſcientiæ habitum.

Objicies 1. Theologia tractat de diverſis: igitur non eſt unus, & indiviſibilis ſcientiæ habitus.

Reſpondeo diſtinguendo. Tractat de diverſis materialiter, concedo: de diverſis formaliter, nego. Theologia tractat quidem de diverſis & diſparatis rebus, puta de Deo, de Angelis, de homine; ſed ſub eadem ratione formali, quatenus nimirum vel ſunt ipſe Deus, vel ad eum referuntur, & hoc divinæ revelationis medio: Porro ſcientia ſpecificatur ab objecto formali, ſimiliter diverſificatur:

tur: cum igitur ſit unum & idem in his quæ pertractat Theologia, ſequitur unam eſſe ſcientiam.

Inſtabis: Ubi ſunt diverſæ difficultates ſuperandæ, ibi ſunt neceſſario diverſi habitus: atqui in Theologia diverſæ ſunt difficultates ſuperandæ, quædam ſcilicet circa Dei voluntatem, quædam circa creationem, graviſſimæ circa gratiam, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Ubi ſunt diverſæ difficultates eſſentiales ſuperandæ, ibi requiruntur diverſi ſcientiarum habitus, concedo: ubi ſunt diverſæ tantum accidentales, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Difficultates eſſentiales ex diverſis objectis formalibus promanant, quia ſcientiæ neque conſtituuntur, neque conſequenter multiplicantur, niſi penes diverſitatem ejuſmodi objectorum; cum autem idem ſit pro omnibus Theologiæ partibus objectum formale quod, & formale ſub quo, ſequitur eſſe formaliter unam & indiviſibilem ſcientiam: unde ſi quæ occurrant difficultates ſuperandæ, ſunt tantummodo accidentales, & materialiter diverſæ: dico accidentales, quia defectu penetrationis, vel etiam mentis ſolertiæ adoriuntur, nuſquam vero defectu ſcientiæ.

Adhuc inſtabis: Tametſi Theologia omnia ſub divinæ revelationis lumine conſpiciat, non inde ſequitur eam eſſe unum & ſimplicem habitum: ergo, &c. Probatur antecedens. Adamus infuſione omnes habuit ſcientias, quæ tamen in ipſo diverſos conſtituebant habitus: igitur licet Theologia, res omnes divina revelatione diſcutiat, nihilominus ex diverſis coaleſcit habitibus.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, nego paritatem. Ratio diſparitatis in eo maxime ſita eſt, quod infuſio ſcientiarum in Adamo ſe teneat ex parte tantum cauſæ efficientis, ſcientias in anima primi hominis producentis, minime vero ex parte cauſæ formalis: non enim eis utendo Adamus aſſentiebatur concluſioni propter revelationem, ſed propter motivum mere naturale, quandoquidem lumine innato eorum comprehendebat objecta. Theologus vero aſſentitur concluſioni propter revelationem, quia agit de rebus captum humanum longe ſuperantibus: ſed non una eſt diſparitas; altera hæc eſt; habitus ſpecificatur ab objecto formali: cum autem ſcientiæ in animam Adami infuſæ diverſa haberent objecta formalia, diverſos utique conſtituebant habitus: at vero Theologia, ut non ſemel diximus, idem habet objectum formale quod; igitur eſt in ſe unus & ſimplex habitus.

Urgebis iterum. Eodem modo ſe habet lumen divinæ revelationis ad Theologiam, ſicut ratio ad ſcientias naturales; nam & in his omnibus eſt aſſenſus motivum: atqui hoc nonobſtante, ſcientiæ naturales ſunt diverſi habitus: igitur & diverſi admittendi ſunt in Theologia.

Reſpondeo diſtinguendo. Eodem modo ſe habet lumen divinæ revelationis ad Theologiam, ſicut ratio connotans objectum formale ſe habet ad ſcientias naturales, concedo: ut non connotans, nego: unde ſimiliter diſtinguo minorem: nonobſtante quod lumen naturale in cunctis reperiatur ſcientiis, ipſæ ſcientiæ ſunt inter ſe diverſæ, quia illud lumen eſt motivum aſſenſus, connotando objectum earum formale, concedo: non connotando, nego minorem & conſequentiam. Præ oculis igitur ſemper habendum eſt ſcientiam non ſpecificari præciſe a lumine a quo procedit: ſed a tendentia in objectum formale; unde lumen tum naturale, tum ſupernaturale non eſt aſſenſus motivum, niſi quatenus connotat objectum formale, quod cum ſit diverſum in diverſis diſciplinis, diverſos ſane producit habitus: eadem & conſimili ratione Mathematicæ ſcientiæ, ut Geometria, Muſica, & Arithmetica, licet cuncta cum abſtractione materia ſenſibili & ſingulari attingant; ſunt tamen diverſæ formaliter ſcientiæ, eo quod diverſa habeant objecta formalia, e contrario vero Thaologia una ſcientia eſt, namque unicum in ſuis partibus invenitur objectum formale.

Oppones 2. Non unum eſt motivum, pro omni concluſione Theologica: igitur ex hoc potiſſimum momento liquet non eſſe unicum ſcientiæ habitum. Et vero ſcientiæ etiam ex motivo ſpecificantur. Probatur antecedens. Theologia demonſtrat exiſtentiam Dei medio mere naturali, ſcilicet per creaturas; ejus vero

verò naturam lumine divinæ revelationis innixa, ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem diſtinguo. Theologia demonſtrat exiſtentiam Dei lumine naturali ducta, utendo Metaphyſica quæ illi tanquam ancilla inſervit, concedo: demonſtrat ex propriis, ſubdiſtinguo: elevando rationem, concedo: non elevando, nego. Theologus duplici modo Dei demonſtrat exiſtentiam: primo quidem per Metaphyſicam, cujus rationibus utitur, alio modo ex propriis: prima demonſtratio eſt mere naturalis, & aliquid, teſte D. Thoma, præambulum ad fidem: alia vero Theologica; quandoquidem divina revelatione innititur. Igitur pro Theologia unum eſt & idem ſemper aſſenſus motivum, videlicet revelatio virtualis.

Inſtabis: Atqui Theologia, etiam ſecundum ſe & ex propriis operando, habet motiva formaliter diverſa; unum videlicet naturale, alterum vero ſupernaturale, ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum. In iſta demonſtratione, v. g. Omnis homo eſt patibilis: atqui Chriſtus eſt homo: igitur dum erat viator, erat utique patibilis; Theologus concluſioni aſſentitur propter præmiſſas, quarum prima eſt mere naturalis, altera vero ſupernaturalis, & de fide. Igitur luce clarius apparet Theologiam etiam propria utentem demonſtratione, habere aſſenſus motiva penitus diverſa: igitur & ex diverſis reſultant habitibus.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem, diſtinguo: & præmiſſa de fide elevat alteram præmiſſam, concedo: & non elevat, nego: A præmiſſa de fide alteram elevari conſtat ex duobus momentis: primo quidem, quia eſt illi ſuperior; unde & ipſi, tanquam Domina ancillæ, imperat: ſecundo, quia ambæ ſe habent per modum unius, & ideo unicam concluſionis cauſam adæquatam & formalem conſtituunt.

Solvuntur objectiones contra tertiam concluſionem, in qua Theologiam inter ſcientias ſupernaturales annumeramus.

Objicies 1. Habitus ſtudio & labore comparatus non eſt intrinſece ſupernaturalis: ſed Theologia ſtudio & labore comparatur: igitur non eſt intrinſece ſupernaturalis. Probatur major ex D. Auguſtino, qui ſic definit habitum ſupernaturalem: eſt bona qualitas, quam Deus infundit in nobis ſine nobis.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Habitus moralis, concedo: habitus ſpeculativus, ſubdiſtinguo: ſi habeat principia naturalis ordinis, concedo: ſi ſint ſupernaturalia, nego. Habitus moralis, qualis eſt charitas, non acquiritur viribus naturæ, ſed infunditur; quandoquidem eſt proprietas conſequens gratiam ſanctificantem: ſed habitus ſpeculativus, ſi habeat principia ſupernaturalia, poteſt tum ſtudio, tum ſpeculatione & labore comparari. Talis eſt Theologia: enimvero habet pro principiis fidei articulos; pro cauſa formali, revelationem virtualem, quæ includit diſcurſum ab induſtria & labore pendentem. Auguſtinus autem loquitur de virtute morali.

Inſtabis: Donum intelligentiæ & donum ſapientiæ pertinet ad intellectum, & tamen neque labore, neque ſtudio poſſunt acquiri, ſed ſola infuſione habentur: igitur habitus etiam ſpeculativus, ſi ſit intrinſece ſupernaturalis, comparari non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Pertinent ad intellectum & voluntatem, concedo: habitus enim ſapientiæ & intelligentiæ ſunt ſpeculativi ſimul & practici: pertinent ad ſolum intellectum, nego: unde non eſt paritas.

Perſiſtes: Sequeretur fore ut donum ſapientiæ & donum intelligentiæ poſſent etiam labore & induſtria comparari: abſurdum conſequens; ergo & antecedens. Probatur ſequela: ſi non poſſent acquiri, maxime quia ſunt habitus ſpeculativi, ſimul & practici: ſed hæc ratio nulla eſt, ſiquidem Theologia eſt habitus ſpeculativus ſimul & practicus, & tamen ſtudio & labore comparatur, ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem, nego etiam minorem: ad aliam ulteriorem probationem, diſtinguo. Theologia eſt ſpeculativa intrinſece & ex ratione ſua; practica vero extrinſece, quatenus inſtituit mores & dat bene vivendi regulas, concedo: eſt practica intrinſece, nego. Theologia ex ratione ſua reſpicit Deum ut primam veritatem, in ſe & in myſteriis collucentem demonſtrandam: donum vero ſapientiæ & intelligentiæ, veritatem divinam ut finem ultimum cogno-

ſcendum & aſſequendum; quamobrem magis in praxi, quam in ſpeculatione ſapientia & intelligentia ſitæ ſunt, proſunt ut Spiritus ſancti dona; unde infunduntur a Deo & ad gratiam habitualem, ſicut proprietates ad eſſentiam conſequuntur: at vero Theologia ſolum extenſive & ſecundario practica eſt, quatenus ſcilicet bene vivendi præſcribit regulas.

Oppones 2. Si Theologia foret intrinſece ſupernaturalis, maxime propter ſua principia, videlicet fidei articulos: ſed iſti ſunt Theologiæ extrinſeci; igitur Theologia eſt tantummodo objective & extrinſece ſupernaturalis.

Reſpondeo diſtinguedo majorem. Et Theologia eſt intrinſece ſupernaturalis, tum propter ſua principia, tum propter modum tendendi in objectum, concedo: propter principia tantum, nego. Similiter & diſtinguo minorem: articuli fidei ſunt Theologiæ extrinſeci, modus vero tendendi in objectum intrinſecus, concedo: & non eſt intrinſecus, nego. Principia ſunt quidem extrinſeca: ſed certa, ſed infallibilia, ſed divina, quæ elevant ſcientiam ad ordinem ſupernaturalem: modus vero tendendi in objectum eſt intrinſece ſupernaturalis; non enim in ſola methodica propoſitionum ordinatione, ſed in diſcurſu innixo fide ſundatur; igitur Theologia habet per revelationem virtualem ordinem intrinſecum ad Deum, ut auctorem gratiæ tauquam ad ſuum objectum; & ideo eſt habitus intrinſece ſupernaturalis.

Inſtabis: Theologia eſt habitus a fide diſtinctus: igitur non poteſt ab ea mutuari ſupernaturalitatem.

Reſpondeo diſtinguendo. Eſt habitus diſtinctus a fide: ſed ab ea non ſejunctus, concedo: & ab ea ſeparatus, nego. Theologia tametſi a fide diſtincta, ipſi tamen adhæret; quandoquidem concluſionum ſuarum motivum eſt fides, quæ ſi deſit, ut in hæreticis, non eſt Theologia niſi humana.

Urgebis: Theologica demonſtratio addit ſupra fidem ſolum diſcurſum naturalem; igitur ſecundum ſe eſt habitus mere naturalis.

Reſpondeo diſtinguendo. Demonſtratio Theologica ſpectata ſecundum ordinem methodicum quo procedit a præmiſſis ad concluſionem, concedo: ſi ſumatur adæquate & ſecundum id omne quod complectitur, nego: multa ſunt in demonſtratione Theologica. 1. Ordo artificioſus præmiſſarum: 2. Objectum. 3. Modus tendendi in objectum. 4. Motivum aſſenſus pro couclusione: ſi ſpectetur ſolummodo penes methodum, nihil eſt præter diſcurſum naturalem: at vero ſi conſideretur ſecundum alia, profecto addit diſcurſum ſupernaturalem, tum quia ſola innititur revelatione, & ejus ope Theologus tendit in objectum, tum quia motivum aſſenſus eſt ipſa fides: relinquitur igitur, Theologiam eſſe habitum intrinſece ſupernaturalem.

Rurſus inſtabis: Demonſtratio Theologica non eſt formaliter de fide: ergo nec intrinſece ſupernaturalis, cum quidquid ſuperioris ordinis habet, hoc ipſum a fide mutuetur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Non eſt formaliter immediate de fide, concedo: non eſt formaliter mediate, nego. Theologus mediante fide in ſuo procedit diſcurſu, & revelatio eſt aſſenſus motivum, quod ſane ſufficit, ut habitus intrinſece ſupernaturalis & nominetur, & ſit.

Inſtabis adhuc: In demonſtratione Theologica diſcurſus naturalis eſt ratio ſpecificans & non revelatio, ergo, &c. Probatur antecedens. 1. Quia eſt motivum; concluſio quippe debiliorem ſequitur partem, ex Philoſophis 2. Ideo intellectus aſſentitur concluſioni, quia præmiſſæ ſunt bene ordinatæ, quod profecto quid naturale eſt.

Reſpondeo negando antecedens: Ad primam probationem, diſtinguo: concluſio ſequitur debiliorem partem quoad quantitatem, ideſt, ſi ex duabus præmiſſis una ſit particularis, concluſio ſimiliter ſingularis eſt, concedo: quoad ſpecificationem, nego: hæc enim petitur & ex motivo concluſionis, & ex modo tendendi in objectum; quæ quidem omnia, ut dictum eſt, ſupernaturalia ſunt. Ad ſecuudam probationem, diſtinguo utique. Theologus aſſentitur concluſioni eo quod præmiſſæ ſint bene ordinatæ, tanquam propter conditionem ſine qua non aſſentiretur, concedo: tanquam propter cauſam formalem aſſenſus, nego. Approximatio ſtupæ ad ignem, eſt conditio ignitionis, non cauſa; ita ſimiliter & ordo artificioſus, ſeu diſcurſus methodice compoſitus: alias ſi ab ordine foret ſpecificatio, cum ab ipſa Logica,

quæ

quæ omnibus inſervit ſcientiis, procedat methodus, foret ubique unicus pro omnibus diſciplinis habitus; at quis rerum æquus æſtimator dicet Phyſicam, Metaphyſicam cum Logica confundi, eo quod ab iſta ordo artificioſus in demonſtratione tum Phyſica, tum morali promanet?

Perſiſtes tamen & dices: Ordo artificioſus nedum pura conditio, ſed & cauſa formalis concluſionis eſt, ergo, &c. Probatur illud ſubſumptum. Cauſa ſecunda modificat cauſæ ſuperioris influxum, unde ſol & arbor non generant ſolem, ſed arborem; igitur cum diſcurſus naturalis concurrat cum fide ad concluſionem, demonſtratio Theologica a diſcurſu & non a fide, cauſa ſuperiore, habet ſpeciem: igitur eſt intrinſece naturalis & ſolummodo extrinſece & objective ſupernaturalis.

Reſpondeo negando ſubſumptum: Ad probationem vero, nego paritatem: namque arbor eſt cauſa proxima immediate agens, unde cauſæ ſuperioris modificat influxum, & ſuo attemperat conatui, ut producat effectum, qui ſpeciem a cauſa proxima habet, & cui per omnia aſſimilatur: ſed diſcurſus, ſeu ordo methodicus, non eſt concluſionis cauſa, ſolum applicat principia, & medium ordinat ad bene concludendum: unde præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis, non præciſe ſecundum ſuam ordinationem, verum potius penes principia & medium quæ complectuntur: cum igitur & principia & medium, ſeu motivum concluſionis Theologicæ, ſupernaturalia ſint, nemo non videt demonſtrationem ex præmiſſis reſultantem, eſſe intrinſece ſupernaturalem.

Objicies 3. Mali, immo & ipſi impii, ſi majori quam juſtus polleant acuitate ingenii & mentis acie, doctiores utique evadunt Theologi, quia melius præ cæteris Theologice concludunt: ergo ſi Theologia eſt habitus ſupernaturalis, etiam mali ſanctiores dicendi ſunt & cenſeri debent, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo conceſſo antecedente, diſtinguendo conſequens: ſi Theologia ſit habitus moralis, ſanctiores ipſi impii ingenioſi evadent, concedo: ſi ſit habitus tantum ſpeculativus, ſubdiſtinguo: primitivus, ut donum ſapientiæ & intellectus, & ipſa Beatorum ſcientia, concedo: ſubalternatus, & in ſtatu imperfecto poſſeſſus, nego. Dictum eſt ſupra Theologiam viatorum eſſe ex ratione ſua intrinſeca ſolummodo ſcientiam ſpeculativam, eamque ſcientiæ Beatorom ſubalternatam, quam etiam hic in ſtatu perfecto non poſſidemus, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 13. 9. *Ex parte enim cognoſcimus*. Non mirum igitur cuiquam videri debet, ſi Theologia non faciat hominem meliorem, cum nequidem faciat ſanctum, niſi charitati jungatur, unde idem Paulus dicit, 1. Cor. 8. 1. *Scientia inflat, charitas vero ædificat*. Cæterum non implicat quin peccator habeat habitum entitative ſupernaturalem mere ſpeculativum, & non evadat ſanctior; cum & fidem informem poſſideat; & Prophetia non ſemel etiam impiis, ut Balaam & Caiphæ, data fuerit. Si tamen aliquis bene uteretur Theologia, profecto ab ea non modicum juvaretur, ut ad ſanctitatis apicem facilius, immo & promptius perveniret; ubi enim major cognitio, ibi ut plurimum & dilectio Dei ardentior.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

PRIMO, Theologia eſt ſcientia: hoc enim celebratur nomine, tum a ſacra Scriptura, tum a ſanctis Patribus, quia eſt cognitio certa, quia evidens, ſaltem formaliter.

Secundo, Eſt una ſcientia: quandoquidem habet unum & idem objectum formale in omnibus, idem prorſus motivum in cunctis concluſionibus. Quid plura? idem lumen naturale diverſa attingit objecta, quidni & attingeret idem habitus ſcientiæ?

Tertio, Eſt entitative ſupernaturalis: nam & principia ejus & objectum, & modus tendendi in objectum; immo & concluſionis motivum ſupernaturalia ſunt.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO, Theologia diſcrepat quidem a cæteris ſcientiis in principiis, ſed non in ratione ſcientiam conſtituente; eſt enim evidens ſi non radicaliter, ſaltem formaliter: immo ejus objectum habet cauſam cognitionis. Ne miremini ſi ſit de ſingularibus, licet enim in ſe contin-

Digitized by Google

gentia ſint, attamen ut ſubſunt divinæ revelationi certo cognoſcuntur: eſto ſcientia naturalis ſubalternata in abſentia ſubalternantis non ſit certa; ſupernaturalis ſecus ſcientia, quæ fide innititur: ubique enim ſuam ſervat certitudinem. Ultro fatemur opiniones diverſas circumferri in Theologiæ quæſtionibus, ad explicationem dogmatum inſtitutis: ſed non circa ipſa fidei dogmata, de quibus omnes Theologi conveniunt.

Secundo, Theologia non eſt de diverſis formaliter, nec diverſæ in ipſa occurrunt difficultates ſuperandæ; niſi ad ſummum accidentales: quinimmo in demonſtratione ubi una præmiſſa eſt a ratione, alia vero a fide, habet unum & idem in concluſione motivum ſupernaturale, unum & idem objectum formale; unde ſemper manet unus & idem habitus.

Tertio, Non eſt inconveniens habitum formaliter & ex ſe atque primario ſpeculativum labore & induſtria comparari, nec facere hominem cæteris ſanctiorem. Præmiſſa naturalis, quæ in demonſtratione Theologica occurrit, modificat quidem aliam præmiſſam quoad quantitatem, ſed non quoad ſpecificationem: præmiſſa fidei per omnia dominatur; unde concluſio eſt intrinſece ſupernaturalis, adeoque & demonſtratio ſeu potius ſcientia, quæ eſt ejus effectus.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Theologia ſit ſcientia ſpeculativa ſimul & practica.

ANTE omnia obſervandum eſt ſpeculationem dici opus intellectus, qui ſiſtit in cognitione, ſeu etiam in contemplatione veritatis; praxim vero, opus aliud ab intellectu, quatenus reſpicit modo arte facta, quæ ſunt actus artis: modo agibilia, quæ ſunt opera voluntatis: jam ſit

CONCLUSIO.

Theologia eſt ſpeculativa ſimul & practica; ſpeculativa quidem intrinſece & ex ratione ſua; practica vero extrinſece, ſeu extenſive. Ita docet D. Thomas hic ex profeſſo 1. p. q. 1. art. 4.

PROBATUR hoc brevi, ſed efficaci ratiocinio. Illa ſcientia eſt ſpeculativa ſimul & practica, cujus objectum formale eſt ſpeculativum ſimul & practicum, quæ tota eſt in ſpeculatione, ex abundantia vero ſe ſe ad praxim extendit: atqui Theologia talis eſt; ergo, &c. Major patet; ſiquidem ſcientia ſpecificatur ab objecto formali: probatur minor. Objectum formale Theologiæ eſt Deus ſub ratione deitatis, nimirum ut prima veritas, & ut ultimus omnium finis: ſed Deus ut Deus & ut prima veritas, eſt altiſſimæ ſpeculationis objectum atque terminus: ſed quatenus creaturæ rationalis finis ultimus, eſt objectum practicum; quandoquidem, finis eſt principium in agibilibus: Theologia vero occupatur veritate divina, quam ſane ſemper & ubique quærit, inventa vero contemplatur: Theologia eximios inſtituit, non dicam honeſtæ ſolum, ſed & Chriſtianæ vitæ mores: tradit regulas, quibus homo ſuum poſſit aſſequi finem ultimum & beatitudinem, ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Duæ differentiæ oppoſitæ non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubjecto: ſed τὸ ſpeculativum & τὸ practicum ſunt differentiæ oppoſitæ: igitur eidem ſcientiæ convenire non valent.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, Si illæ differentiæ ſint ad invicem oppoſitæ, tam in ſcientiis ſupernaturalibus, quam in naturalibus, concedo: ſi ſolum ſint oppoſitæ in ſcientiis naturalibus, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Objectum ſcientiæ naturalis eſt quid creatum, adeoque & limitatum, unde ſpeculativum & practicum opponuntur in ejuſmodi ſcientia; non enim in eodem & indiviſibili objecto invenitur ratio ſpeculabilis & ratio agibilis: at vero objectum Theologiæ nullis concluditur ter-

terminis, quinimmo cunctas præcontinet & rationes & perfectiones; ſiquidem eſt Deus, qui in ſe idem manens ſimul eſt prima veritas ſpeculanda, & finis ultimus aſſequendus: igitur Theologia recte dicitur ſpeculativa ſimul & practica.

Inſtabis: Ideo Theologia eſt ſpeculativa ſimul & practica, quia & Deum ut primum veritatem reſpicit, & ad illum ut ad ultimum finem teudere nos docet: ſed hæc ratio nulla eſt, & probatur. Metaphyſica utroque ſungitur munere; nemo tamen dixit eſſe practicam: igitur nec utique Theologiam eſſe aſſerere debemus.

Reſpondeo negando minorem: Ad probationem, diſtinguo. Metaphyſica ducit ad Dei ut ultimi finis amorem ex intentione operantis, concedo: ex propria & innata virtute, nego: Deum quippe ſolummodo ut primum motorem contemplatur, & hoc ipſi ſufficit: unde ut longius progrediatur, ex fine & intentione agentis hoc habet: at vero Theologia ex propria virtute tendit ad Deum, non ſolum ut Deus eſt, verumetiam ut ultimun omnium finis aſſequibilis: igitur eſt practica; non enim alio modo, quam voluntatis actibus beatitudo comparatur, hos autem actus regulis ſuis dirigit ad Deum Theologia.

Iterum inſtabis: Supponamus demonſtrationem, quam quidem prima vice facit Theologiæ candidatus, eſſe mere ſpeculativam, qualis iſta cenſetur: Omnes ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ ſunt in natura æquales: atqui verbum eſt perſona ſanctiſſimæ Trinitatis: igitur eſt Patri & Spiritui ſancto conſubſtantiale & æquale, in hac hypotheſi, habitus Theologiæ erit tantummodo ſpeculativus, & probatur: talis eſt effectus, qualis eſt cauſa; ejus quippe ſortitur naturam: atqui cauſa habitus eſt illa demonſtratio; hæc enim, ſi juxta regulas fiat, parit ſcientiam: ergo Theologia, quæ ejus erit actus, utique & mere ſpeculativa eſſe debet.

Reſpondeo, Demonſtrationem, de qua in hypotheſi fit ſermo, parere habitum Theologiæ ſpeculativum & practicum; ad probationem, diſtinguo: talis eſt effectus qualis eſt cauſa adæquata, concedo: qualis eſt inadæquata, nego. Cauſa adæquata ſcientiæ Theologiæ non eſt ſola demonſtratio, ſed & modus tendendi in objectum, ſed & revelatio; porro Theologia tendit ad Deum ut Deum, adeoque ut eſt creaturæ rationalis finis ultimus: revelatio illum oſtendit ut primam veritatem aſſequibilem, in qua potiſſimum ſita eſt beatitudo, juxta illud Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Denique ipſum objectum tum ut prima veritas, tum ut ſummum bonum, iſtas in ipſum habitum effundit rationes, nimirum rationes ſpeculabilis & practici, ſeu aſſequibilis: igitur habitus partus per ejuſmodi demonſtrationem, eſt ſpeculativus ſimul & practicus.

Inſtabis adhuc: Si Theologia foret ſpeculativa ſimul & practica, ſequeretur, omnem actum, a Theologiæ ſcientia promanantem fore utique ſpeculativum ſimul & practicum: abſurdum conſequens: ergo & antecedens. Probatur ſequela, eadem eſt ratio pro actu & pro habitu; ergo ſi habitus Theologiæ eſt ſpeculativus ſimul & practicus, talis debet eſſe actus.

Reſpondeo negando ſequelam: Ad probationem, diſtinguo: eadem eſt ratio pro actu ſicut & pro habitu, quoad tendentiam in objectum formale, concedo: quoad extenſionem, nego: actus utpote maxime limitatus, immo & ad unam materiam individualem, quam reſpicit, determinatus, non adæquat totam objecti formalis rationem, unde ſi in Deo reſpiciat dumtaxat veritatem, erit tantummodo ſpeculativus; ſi vero ſummum bonum ut aſſequibile, erit practicus: ſed non ſic habitus, quandoquidem ex parte potentiæ ſe tenet, unde reſpicit objectum formale in tota ſua latitudine conſideratum: jam vero cum objectum ſit ſpeculativum & practicum, ſeu aſſequibile, ſequitur manifeſte habitum eſſe etiam ſpeculativum ſimul & practicum, quippe qui latius pateat quam actus. Revera licet anima ſit eminenter vegetativa & ſenſitiva, non ſequitur tamen omnem ejus actum eſſe vegetativum ſimul & ſenſitivum.

De novo inſtabis: Habitus practicus eſt regula proxima & principium immediatum operationis; in hoc quippe diſtinguitur a ſpeculativo, qui ſolum remote concurrit ad actionem moralem: ſed Theo-

Theologia non eſt principium immediatum actionis bonæ; multi enim ſunt optimi Theologi, & tamen quandoque peſſimi Chriſtiani: igitur Theologiæ habitus nullo modo eſt practicus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Habitus ſcientiæ inferioris eſt regula proxima operationis, concedo: ſcientiæ ſuperioris, nego: diſtinguo ſimiliter minorem. Theologia neque eſt regula proxima, neque principium immediatum actionis moralis, & eſt diſciplinis ſpeculativis & moralibus naturalibus ſuperior, concedo, & non eſt, nego minorem & conſequentiam. Scientiæ inferiori naturali convenit tantummodo eſſe vel ſpeculativam vel practicam; his enim clauditur terminis, & ideo inferior nuncupatur: at vero ſcientia ſuperior & ſupernaturalis, qualis eſt Theologia, quin ſit ſpeculativa ſimul & practica non implicat, tum quia ejus objectum eſt ſimul ſpeculabile & aſſequibile, tum quia utitur cæteris ſcientiis inferioribus tanquam ancillis; Metaphyſica quidem, ut Dei probet exiſtentiam; Philoſophia vero morali, ut illum tanquam finem ultimum aſſequatur: quid plura? Synderefis eſt praxis & regula humanorum actuum mediantibus virtutibus moralibus, quas movet, quidni & Theologia movendo & elevando Philoſophiam moralem, animam ad Deum aſſequendum commoveret?

Perſiſtes: Ergo Theologia non eſt practica per ſe, ſed per aliud.

Reſpondeo diſtinguendo: Non eſt practica per ſe ut quo, ſeu immediate, concedo: non eſt practica ut quod, & ut praxis Domina, nego. Licet anima rationalis concipiat per intellectum, & velit per voluntatem, dicitur tamen operativa ut quod, ideſt ut cauſa principalis: ſic Theologia poteſt dici ſpeculativa ſimul & practica per ſe, quatenus cuncta ordinat ad Deum ut eſt prima veritas cognoſcenda, & ſumma bonitas amanda & poſſidenda.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Theologia eſt ſpeculativa ſimul & practica.

Primo, Quia ejus objectum eſt ſpeculabile ſimul & aſſequibile.

Secundo, Quia perficit intellectum & inſtituit mores.

Tertio, Quia eſt ſcientia ſuperior, cui diſciplinæ inferiores aliæ ſpeculativæ ut Metaphyſica & Phyſica; aliæ practicæ ut Philoſophia moralis inſerviunt.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Speculativum & practicum ſunt differentiæ ſe mutuo excludentes in ſcientiis inferioribus; verum non ſic in ſuperiori: Theologia autem Deum non ut motorem tantum ſicut Metaphyſica, ſed ut finem ultimum, eumque aſſequendum reſpicit.

Secundo. Demonſtratio Theologica quæcumque ſit, parit habitum ſpeculativum ſimul & practicum, quandoquidem tendit ad objectum ſub utraque ratione: quamvis autem habitus Theologiæ ſit ſpeculativus ſimul & practicus, non tamen actus; enimvero actus eſt plurimum limitatus, quippe qui unicam materiam individualem reſpicit; habitus latius patet.

Tertio. Ut Theologia ſit ſpeculativa ſimul & practica, ſatis eſt quod utendo Philoſophia morali, illa mediante Deum ut ultimum finem attingat.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.

DE
EXISTENTIA ET UNITATE DEI,

Ejuſque Natura et Attributis.

A quæſtione 2. D. Thomæ uſque ad 12. incluſive.

DE DEO quatuor quæritur. 1. An ſit? 2. An unus & unicus ſit? 3. Quid ſit? 4. Quænam ſint ejus proprietates? Circa primum errant Athei, circa ſecundum Idololatræ, circa tertium Anthropomorphitæ, circa quartum Manichæi, & alii multi impii. Contra hanc perduellium hominum cohortem, Fides explicanda & tuenda venit, oſtendendo eſſe Deum, eſſe unum, ens a ſe & ſpiritualiſſimum; denique ſupremum numen omnibus perfectionum numeris abſolutum.

DISSERTATIO PRIMA.

De exiſtentia Dei, contra Atheos.

EO dementiæ veniunt Athei, ut omnipotentis Dei exiſtentiam, quam quidem univerſus intonat orbis, negare audeant. Hermogenes in hunc impegit errorem, ponendo materiam, ex qua ſint omnia, Deo coævam & improductam. Apertius Epicurus, & poſt ipſum Spinoſa, qui mundum ex ſe factum contendunt. Aſtipulantur Doctores Sinenſes. Sed contra quod dicit Scriptura Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & terram.*

Dogma de exiſtentia Dei, ſex potiſſimum probatur argumentis.

PRIMO. Quia non datur ignorantia invincibilis de Deo.

Secundo. Quia iſta propoſitio: *Deus eſt*, nota eſt aliqualiter per ſe quoad nos.

Tertio. Quia omnes creaturæ certatim Deum eſſe conclamant.

Quarto. Quia & hoc probat omnis generis ratio.

Quinto. Quia materia non eſt a ſe, ſed a Deo producta.

Sexto. Nec ipſe mundus independens, ſed a Deo optimo creatus eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum detur ignorantia invincibilis de Deo ut Auctore naturæ.

CERTUM eſt Deum ut gratiæ auctorem, poſſe ignorari; quippe qui tranſcendit ſub iſta conſideratione omnem rationis humanæ captum & intelligentiam: hinc Apoſtolus Hebræorum, cap. 11. v. 6. dicit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quæſtio igitur procedit de Deo ut auctore naturæ ſpectato. Extra dubium eſt etiam quoſdam vel propter innumera prope peccata, quæ cor obcæcant, vel propter mentis hebetudinem, qualis annotatur in his qui in ſylvis enutriuntur, etiam ignorare mundi Creatorem: ſed difficultas eſt, an

eo-

eorum de exiſtentia Dei ignorantia ita ſupina ſit & craſſa, ut adhibita omni diligentia, vinci ac ſuperari non poſſit, & in hoc excuſentur a peccato. Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Non datur ignorantia invincibilis de Deo ut Auctore naturæ.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Pſal. 13. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*: ſed ſi Deus ut auctor naturæ, poſſet invincibiliter ignorari, non foret inſipiens qui diceret in corde ſuo: *non eſt Deus*. Nemo quippe ſtultus cenſetur, qui negat & quod ignorat, & quod adhibita omni diligentia cognoſcere non valet. Igitur cum ex Propheta ille ſit inſipiens qui negat Deum exiſtere, manifeſtum eſt non dari ignorantiam invincibilem de Deo ut auctore naturæ.

Salomon, Sapientiæ 13. probat contra Idololatras argumento ineluctabili Creatorem mundi non poſſe invincibiliter ignorari. *Solem*, inquit, *& Lunam Rectores orbis terrarum Deos putaverunt, quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt: ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit; a magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*. Ibidem v. 7. dicit: *Perſuaſum habent quoniam bona ſunt quæ videntur... Si tantum ſcire potuerunt, ut poſſent æſtimare ſæculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Quibus verbis diſerte oſtendit ſapiens a magnitudine & pulchritudine univerſi Deum poſſe cognoſci: & vero ſi creaturarum ſpecie delectati rudiores homines ipſas creaturas Deos putaverunt, a fortiori creatorem potuerunt tanquam Deum agnoſcere: ſi perſuaſum habent quoniam bona ſunt quæ videntur, multo magis Dominum totius boni frontem invenire debent & confiteri: poſt hæc & ſimilia argumenta concludit Salomon quod ſicut artifex cognoſcitur per artefactum, quia omnis effectus denotat cauſam, ita & Deus per creaturas: igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo ut auctore naturæ.

B. Paulus, Romanorum cap. 1. v. 20. ſimili utitur argumento ut ſtimulet hominis erga Deum amorem, & ait: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Quilibet igitur homo Deum ut naturæ auctorem poteſt cognoſcere. Vere etenim cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Inſpiciat igitur homo cœlum, inſpiciat Solem veluti naturæ parentem, inſpiciat ſtellas, varioſque ſyderum motus, & dicet, Deus eſt, exiſtit Deus.

Secundo, *ex Patribus.*

Tertullianus Apol. cap. 17. ſic loquitur: *Summa eſt delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt.*

Rurſus, eandem confirmat veritatem, l. 1. adverſus Marcionem; quinimmo docet cognitionem Dei ut auctoris naturæ eſſe velut a natura inſitam: *Anima* inquit, *a primordio conſcientia Dei dos eſt: eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syriis, & in Ponticis*. pag. 437. edit. Pariſ. 1634.

Hieronymus eundem loquitur ſermonem, Epiſt. 2. ad Nepotianum his verbis, *Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius, Turca, ipſum agnoſcunt*; & vero licet rudes & craſſiores non poſſint perfectam efficere de exiſtentia Dei demonſtrationem, poſſunt tamen, contemplando creaturas quarum virtus & pulchritudo mirabilis rapit animum in admirationem, ſaltem implicitam & confuſam componere atque facere: & ſic inſtructi inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, cognoſcere; ergo, &c.

Tertio, *ex ratione multiplici.*

PRIMA ſic deducitur. Ille non poteſt invincibiliter ignorari, ad quem cognoſcendum omnibus & ſingulis adſunt media: atqui adſunt ſingulis hominibus media ad cognoſcendum Deum ut auctorem naturæ: igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo creatore. Probatur minor. 1. Ineſt cuilibet adulto ratio, ineſt judicium & conſilium; cœlum & terra in conſpectu ejus ſunt, & teſte Propheta: *Cœli enarrant gloriam Dei*. Poteſt igitur unum inferre ex alio: poteſt viſis effectibus, ſaltem in mente, hæc concludere, Deum eſſe; maxime vero cum hoc

ipſum,

Digitized by Google

ipſum, teſte Tertulliano, inſpiret natura.: igitur modo adhibeatur diligentia ſufficiens, poterit homo, quantumvis tardus ingenio & craſſus, cognoſcere Creatorem mundi: igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo ut auctore naturæ.

Secunda ſic proponitur. Non datur ignorantia invincibilis de jure naturali: & vero etiam Barbaræ nationes, illam confitentur humanæ vitæ regulam: *Alteri non feceris quod tibi fieri non vis*: hinc abhorrent homicidium, hinc noſcunt bona rependere parentibus, patrem & matrem colere, ipſos agnoſcere ſuperiores, quibus etiam ſervire ſatagunt; igitur & primum omnium parentem Deum aut agnoſcunt, aut ſaltem adhibita diligentia illius ſcire poterunt exiſtentiam; quod quidem ipſe Joannes innuere videtur, cum de Verbo Dei diſſerens, ait: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ex quo loco inferunt Patres & Interpretes, omnes & ſingulos homines adultos illuminari ſufficienter ut Deum eſſe, poſſint intelligere; ergo non datur ignorantia, &c.

Tertia. Omnis adultus duo naturaliter cognoſcit, primum quidem nullam creaturam eſſe a ſeipſa, omnem quippe videt ſicut veſtimentum veteraſcere: alterum vero, nullum eſſe ſupremum & ſummum bonum; hinc dato quolibet bono creato majus deſideratur, divites repetitis vicibus novos inhiant honores, aſpirant elati ad novos dignitatum gradus, mollis in novas ſemper ardet voluptates: igitur concludamus, dari ſuper omnia bona unum maximum & ſupremum: & eſt Deus. Hoc ipſum omnis concludet homo, ſi ejus vel contemplari magnalia, vel ſaltem quæ ſentit & experitur in ſe rimari velit.

Quarta accedit: Appetitus naturalis non eſt fruſtraneus, eſt vox & quidem efficax in corde conclamans: ſed eſt in homine appetitus ad bonum infinitum, quod quidem bonum ſane non eſt quid creatum, ſed omni creatura melius: dico appetitum ad bonum infinitum; non enim ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, nec anima quocumque bono creato: quid ergo clamat appetitus ille quem non ſatiat, ſed irritat bonum finitum? profecto clamat eſſe Deum qui omnia bona continet, eſſe Deum qui ſolus poteſt, ſicut ſatiare, ita & beatificare.

Quinta. Qui ignorat Deum, reus eſt culpæ & pœnæ: igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo ut auctore naturæ; quis enim dicet peccare illum qui ignorat invincibiliter legem? Probatur antecedens, Sap. 3. v. 7. de his qui ignorant Deum habetur: *Infelices autem & inter mortuos ſors illorum eſt*: & Romanorum c. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis .... ita ut ſint inexcuſabiles; quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.*

Sexta & ultima. Ab actu ad poſſe valet conſequentia. Sed omne genus hominum, & cujuſcumque conditionis, Reges ſcilicet, Populi, Philoſophi, Idiotæ, & peccatores ſupra modum ſe amantes agnoverunt Deum eſſe & exiſtere; igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo ut auctore naturæ. Probatur minor, ab enumeratione partium.

Philoſophi antiqui, licet idololatriæ addicti, naturæ tamen auctorem agnoverunt: ita refert Paulus Rom. c. 1. v. 21. his verbis: *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Quod quidem intelligitur ſpecialiter de doctis inter Gentiles, & ex Platone in Phoedone ſcribit Azilepius Ariſtotelis interpres in primum Metaphyſicorum, Philoſophos perveniſſe ad cognitionem Dei per contemplationem mundi elementaris. *Ex vivendi ſenſu*, inquit, *Philoſophiam homines acceperunt, cum enim oculos in cælum ſuſtuliſſent, & ordinem qui illic eſt, & inexplicabilem pulchritudinem contemplati eſſent, ad Conditoris intelligentiam pervenerunt*; igitur viſis Dei effectibus, nempe creaturis, quiſque poteſt pervenire ad cognitionem ipſius Creatoris.

Plat. cognovit Deum eſſe. Proclus in primo Commentario in Timæum de illo dicit: *Cauſam omnium quæ in mundo ſunt ad ſupremum refert artificem*. Idem 2. in Timæum, pag. 80. ſic loquitur: *Solus Plato Pythagoræos ſecutus, omne quod ab aliqua cauſa dicit fieri, fatum ac Deum rebus quæ fiunt præficiens.*

Cicero in l. de natura Deorum, unum

præ-

prædicat Deum, quem quidem vocat Jovem dum cœlo præſidet, Cererem cum terræ, Neptunum cum aquis: eo prope modo quo Oceanus idem in ſe manens vocatur Germanicus Oceanus cum tranſit per Germaniam, Gallicus cum Galliæ alluit plagas.

Empiricus, in octavo Commentariorum adverſus Mathematicos, eodem medio homines ad Dei notitiam perveniſſe teſtatur, & hoc ex Ariſtotele refert: *Cum enim*, inquit, *contemplati eſſent Solem quidem interdiu circumeuntem, noctu vero ordinatum, aliorum Syderum motum arbitrati ſunt eſſe Deum aliquem, motus & illius ordinis principium*. Ubique igitur apparet hominem ad Dei aſcendere cognitionem ſive illative, ſive alio modo, cum contemplando & meditando intuetur ejus effectus: igitur cogitet eum & contempletur ipſe idiota, & profecto dicet, datur Deus. Hinc & ipſi peccatores & Potentes in ſæculo eum agnoſcere non erubuerunt, & fateri adſtricti ſunt.

Pharao agnovit: namque Dei portentis perterritus, a captivitate relaxavit populum Judaicum. *Ita habetur Exod.* 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Abimelec Rex Geraræ, qui in ſuam acceperat Sarai quæ erat Abrahæ uxor, agnovit: immo terribili duxit peccato quod ſponſam Prophetæ ſuſtuliſſet: hinc & timens Deum, eam reddidit marito. *Geneſeos* 20.

Philiſtiin utique agnoverunt Deum cœli, & ideo intactam remiſerunt arcam, ne iteratis plagis ſuam ſuper eos aggravaret manum Dominus: *ut legitur Regum* 1. 4. & 5.

Nabuchodonoſorus agnovit, & proſtratus confeſſus eſt, quamvis antea ſe tanquam Deum haberi conſtituiſſet. *Daniel* 4.

Barbari & Idiotæ etiam agnoverunt Deum auctorem naturæ: præter Hieronymum ſupra citatum dicit Minutius Felix in Octavio: *Audio vulgus dum ad cælum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt, & Deus magnus eſt, & Deus verus, & ſic Deus dederit*.

Lactantius, l. 2. c. 1. Gentilibus objicit illud populi Gentilis: *Nam & cum jurant, & cum obſtant, & cum gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, ſed Deum ominant, adeo ipſa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit*.

Denique Maximus Tyrius Platonicus Philoſophus, in prima Diſſertatione dicit de variis Nationibus, moribus & cultu diſſonis: *Unam eos habere univerſum terrarum orbem conſenſu omnium conſtitutam legem & rationem, unum eſſe Deum Regem omnium & parentem*. Igitur tum ratione, tum exemplis, tum etiam omnium Nationum, cunctorumque Populorum teſtimonio, conſtat non dari ignorantiam invincibilem de Deo, ut auctore naturæ.

Fit ſatis Objectionibus.

Objicies 1. Deus non poteſt cognoſci ſine fide, juxta illud Apoſtoli effatum Hebræorum 11. v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum*: ſed multi carent fide: igitur in his ſaltem datur ignorantia invincibilis de Deo.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Deus ut auctor gratiæ non poteſt cognoſci ſine fide, concedo; ſic enim tranſcendit omnem naturæ ordinem: Deus ut auctor naturæ, nego. Apoſtolum loqui in primo tantum ſenſu ex duobus conſtat 1. Quidem poſt verba in objectione allata ſubdit: *Quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*: Deus autem intuitive viſus remunerator & corona Sanctorum eſt: igitur Apoſtolus loquitur de Deo, ut auctore gratiæ. Idem patet ex alio capite, ſcilicet Romanorum, c. 1. ubi habetur: *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*. Igitur Deus ut auctor naturæ cognoſci poteſt: & ſi quando Paulus exigat fidem, ſolum neceſſariam ducit pro cognitione Dei, ut auctores gratiæ & gloriæ.

Inſtabis: Atqui Deus etiam ut auctor naturæ nequit abſque fidei ope cognoſci; ergo nulla ſolutio: probatur antecedens. Iſta propoſitio, Deus eſt, inter articulos fidei annumeratur: igitur exiſtentia Dei etiam ut auctoris naturæ, ſine fide nuſquam cognoſcitur.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem dico. 1. Exiſtentiam Dei ut auctoris naturæ non eſſe de fide, ſed D. Thoma teſte quid præambulum ad fidem cum lumine naturali cognoſcitur evidenter Deum eſſe. Reſpondeo 2. diſtinguendo. Cognitio Dei ut auctoris natu-

næ

ta implicita & confuſa eſt de fide, nego: cognitio clara & explicita, ſubdiſtinguo: eſt de fide reſpectu rudiorum, tranſeat; reſpectu eorum qui ingenio pollent, nego. Certum eſt & conſtat ex probationibus non dari ignorantiam invicibilem de Deo, ut auctore naturæ; nemo enim adeo ſtolidus eſt, qui viſis tot & tantis effectibus non inferat exiſtentiam cauſæ. Si tamen ſermo ſit de cognitione perfectiſſima & omnibus numeris abſoluta, concedit D. Thomas fidem ad hoc eſſe neceſſariam rudioribus, ut ſuppleat quod ex parte ſufficientis capacitatis deeſt; ſed eſt, ut patet per accidens, &c.

Urgebis: Deus nequit a viatoribus cognoſci abſque fide quoad quid eſt; ergo & quoad an eſt. Probatur conſequentia & paritas. Exiſtentia in Deo non diſtinguitur ab eſſentia; ſed Deus non poteſt abſque fidei auxilio cognoſci in ſe & quoad quid eſt; igitur neque quoad exiſtentiam.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem; & vero magnum intercedit diſcrimen inter cognitionem Dei in ſe & quoad quid eſt, & cognitionem Dei quoad an eſt. I. eſt cognitio a priori Dei, qui quid teſte Apoſtolo lucem inhabitat inacceſſibilem: altera vero a poſteriori & per effectus, qui quidem manuducunt ad cognitionem Dei, quatenus relationem habent ad ipſum ut ad cauſam a qua dependent. Porro nemo non novit ſufficere aliquem cognoſcere effectum, ut ſciamus ejus exiſtere cauſam: ſed non unus aut alter Dei effectus præ oculis noſtris adeſt; & cœli & terra & mundus totus in conſpectu cujuslibet hominis eſt. Quis ergo tot magna demiretur & non cognoſcet cauſam multo demirandam? ut verbo Salomonis, Sapientiæ 13. utar.

Ad id vero quod dicitur exiſtentiam in Deo non diſtingui ab eſſentia, diſtinguo: realiter, concedo: virtualiter: nego: & hoc ſufficit ut exiſtentia manifeſta fiat, tametſi maneat obſcondita eſſentia: nec mirum, hoc & copertum habemus in ipſis creaturis; in homine *v. g.* Anima ſenſitiva diſtinguitur tantum virtualiter ab anima rationali; & tamen cum Petrum dormientem intuemur, cognoſcimus quidem eum eſſe animal, quia motum ſenſationis ex motu cordis inferimus, ſed non rationalem, ſiquidem dormit & non ratiocinatur; quidni igitur viſis Dei effectibus cognoſcemus eum exiſtere, tametſi quid ſit in ſe, prorſus ignoremus?

Perſiſtes: Atqui non poteſt cognoſci exiſtentia Dei quin cognoſcatur & ejus eſſentia; ergo cum iſta ſine fide non cognoſcatur, ita nec illa. Probatur ſubſumptum. Deus eſt eſſentialiter ens a ſe, adeoque habet a ſe exiſtentiam: igitur non poteſt cognoſci ejus exiſtentia quin cognoſcatur & eſſentia, eo enim ipſo quo aliquis cognoſcit Deum exiſtere, cognoſcit ſummum bonum, cognoſcit ens a ſe & infinitum exiſtere, quæ quidem duo nempe ens a ſe & ens a ſe exiſtere ita ſunt relata & inter ſe connexa, ut cognitio unius inferat abſolute cognitionem alterius.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem diſtinguo conſequens. Exiſtentia Dei non poteſt cognoſci a priori quin cognoſcatur & eſſentia, concedo: non poteſt cognoſci a poſteriori quin & natura manifeſtetur, ſubdiſtinguo: quin cognoſcatur & eſſentia implicite & confuſe, concedo: quin cognoſcatur explicite, nego. Cognitio rei duplex diſtinguitur, altera a priori, altera a poſteriori: prima eſt cognitio rei in ſe & per prædicata eſſentialia; ſecunda vero eſt ſolum cognitio per effectus: cognoſcimus igitur per effectus creatos Deum exiſtere, ſed non cognoſcimus quid ſit exiſtentia Dei in ſe niſi implicite & in confuſo, in quantum apprehendimus ens infinitum, ens a ſe omni potens; & ſic patet ſolutio ad id quod dicitur in objectione, ens a ſe & exiſtere ſeſe mutuo ponere & inferre eſſe relativa, adeoque ſimul & natura & cognitione: quandoquidem cognoſcendo Deum exiſtere, etiam cognoſcimus habere infinitam perfectionem, habere natnram mirabilem; ſed quænam ſit? Fugit mentem humanam, ac prorſus excedit.

Oppones 2. Ut homo cognoſcat Deum tanquam naturæ auctorem, debet viſis effectibus inferre exiſtentiam Dei: atqui tanta eſt in multis hebetudo mentis, ut unum iſtud ex alio, nempe ex creaturarum viſione, inferre non valeant. Et probatur Sapientiæ 13. v. 1. & 2. habetur Idololatras non potuiſſe Deum ex ope-

operibus intelligere. *De iis quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt qui eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deum putaverunt.*

Reſpondeo negando minorem, ad probationem, diſtinguo. Idololatræ non potuerunt intelligere Deum, ideſt, noluerunt, concedo, non potuerunt abſolute, nego: noluerunt præ malitia & mentis obcæcatione attendere ad opera Dei, ut ipſum agnoſcerent & adorarent: quod autem hic ſit germanus Scripturæ ſenſus, patet maxime ex eo quod dicit Sapiens: *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*: quid plura? Eo loci illos pronuntiat mortis & ultimi ſupplicii reos propter eorum de Deo ignorantiam: *Nec his debet cognoſci: ſi enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſæculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt*. Ecce dicuntur rei & inexcuſabiles idololatræ, eo quod potuerint ſcire Deum & invenire, & tamen nec intelligere, nec quærere voluerint. Igitur non datur ignorantia invincibilis de Deo; alias qui illum ignorarent, nullum culpæ & pœnæ reatum propter hoc incurrere cenſerentur.

Rurſus inſtabis: Si Deum ut naturæ auctorem Gentiles potuiſſent cognoſcere profecto non militiam cœli, non Lunam, non Solem, non homines nefandos, ut Jovem, ut Mercurium & ſimiles, tanquam numina & habere & colere voluiſſent; etenim rectæ rationi magis conſentaneum videtur, ens omnibus abſolutum numeris ſolum verum & unicum Deum agnoſcere, quam homines mortales, vitiis plurimis etiam nefandiſſimis irretitos, maxime vero quia inanium deorum multitudo & cultus, ſicut numinum nullitas eſt, ita & ſumma cæcitas ac damnabilis ſuperſtitio.

Reſpondeo diſtinguendo. Et illi Gentiles obcæcatione voluntaria abjicientes Deum, creaturas, tanquam numina habere voluerunt, concedo: & non poterant cognoſcere Deum, nego. Plurimi inter eos agnovere, ſed non ſicut Deum glorificare ſategerunt: ideo prolapſi ſunt in paſſiones ignominiæ, deinde in reprobum ſenſum. Ita reſpondet Apoſtolus Romanorum, c. 1. his verbis: *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum .... in paſſiones ignominiæ ... in reprobum ſenſum*. Sola igitur paſſio ligabat intellectum & voluntatem eorum, ne auctorem naturæ agnoſcerent.

Nova fit inſtantia. Si Gentiles Creatorem mundi aut agnoviſſent, aut omni adhibita diligentia potuiſſent agnoſcere, non effudiſſent Martyrum ſanguinem, ita ut pater filium, & frater fratrem cæco & crudeli impetu morti traderent; & hoc quia iſti abjicientes idola, Deum verum, omni qua par eſt, & fide & veneratione profiterentur. Quomodo enim fieri potuiſſet ut infando duxiſſent ſceleri adorare quem ipſi & implicite jam prænoſcebant, & explicite adhibito aliquo ſtudio poterant cognoſcere? Igitur dicendum eſt non potuiſſe.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Gentiles non effudiſſent ſanguinem innoxium ſi rationem & conſcientiam conſuluiſſent, concedo: ſi ſolum malitiam & paſſionem, nego. Idololatria eſt omnis peccati & malitiæ principium: ſic enim habetur Sapientiæ, 14. v. 12. *Initium enim fornicationis eſt exquiſitio Idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ eſt*: Apoſtolus Rom. 1. aſſerit traditos fuiſſe Gentiles in paſſiones ignominiæ, eo quod Deum glorificare renuerint. *propter quod*, inquit, *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum ... in paſſiones ignominiæ*. Quid mirum igitur ſi contra ipſum Deum rebelles, etiam contra parentes inſurrexerint, ita ut veri Dei adoratores indiſcriminatim occidere non erubuerint.

Rurſum inſtabis. Inter Gentiles, ſaltem plurimi habent omnis generis impedimenta, quibus ligantur, ne etiam depoſita paſſione, etiam adhibita omni diligentia, Deum poſſint agnoſcere; fruſtra igitur aut in malitiam, aut in crudelitatem refunditur eorum de conditore mundi ignorantia. Probatur antecedens. 1. Quia nihil unquam audierunt de

Deo.

Deo. Dicit autem Apoſtolus, Romanorum 10. v. 15. *Quomodo audient ſine prædicante?* 2. Quia enutriuntur a prima rationis aurora in abominabili idololatriæ commercio, cujus quidem venenum cum ipſo, dicam, matris lacte infelices ebibunt, hinc impietas a parentibus tranſmiſſa in filios, evadit quodammodo naturalis. 3. Quia de facto ex D. Thoma, dantur infideles negativi; iſti vero ex eodem S. Doctore excuſantur a peccato, quod non credant: igitur eorum de Deo ut auctore naturæ ignorantia eſt invincibilis, quia & excuſabilis.

Reſpondeo negando antecedens, ad primam probationem, diſtinguo. Plurimi inter Gentiles nihil audierunt de Deo ut auctore gratiæ, concedo: de Deo ut auctore naturæ, ſubdiſtinguo; & poſſunt audire, concedo: & non poſſunt, nego. Audiant cœlos, qui enarrant gloriam Dei, audiant ipſum conſcientiæ dictamen, audiant erumpentes ſubito voces, quibus quilibet, quantumvis bardus aut barbarus, Deum advocat in auxilium: tunc ſane cognoſcent ſupremum numen eſſe & exiſtere. Jam venio ad Apoſtolum, & dico eum loqui de Deo ut auctore gratiæ, quem certe nullus ſine gratia & fide agnoſcere poteſt. Quod autem loquatur de Deo ſub iſta conſideratione, patet ex verbis ſubſequentibus: *Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? ſicut & ſcriptum eſt: quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona; ſed non omnes obediunt Evangelio*. Loquitur de Deo, quem Evangelium prædicat, nempe de Incarnato, de Deo ut remuneratore & gratiæ auctore.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo. Et vitia non corrumpunt totaliter bonum naturæ, concedo: & penitus corrumpunt, ita ut non ſit amplius & ſenſus, & ratio, nego. Idololatria ortum habuit, ut legitur Sapientiæ 14. ſolum ex cæco amore parentum erga filios, quos ſubito ereptos dolentes, coli voluerunt ut Deos, poſtea vero ex prava conſuetudine: ſed reclamante conſcientia ſerpere cœpit in mundo cultus ille ſuperſtitioſus: nullus igitur homo eſt, quantumvis falſi numinis religione præventus, qui ſi mira naturæ meditetur, ipſius demirandum Creatorem non agnoſcat.

Ad tertiam probationem, diſtinguo. Dantur infideles negativi circa Deum ut auctorem gratiæ, concedo: circa Deum ut auctorem naturæ, nego. Infideles alii ſunt tales poſitive, alii negative: infideles poſitive illi cenſentur qui cognoſcunt Deum, ſed non ſicut Deum glorificare volunt: ſic ſunt Judæi, qui Chriſtum, tametſi a Prophetis non ſemel pronuntiatum, eum tamen tanquam Meſſiam & verum Dei filium nolunt habere: infideles vero negative illi dicuntur, qui nihil de Chriſto aut audierint, aut potuerint audire, hinc eum ſecluſa culpa ignorant, *Quomodo enim audient*, inquit Apoſtolus, *ſine prædicante*? Rurſus *accedentem ad Deum oportet credere*: igitur abſque fidei lumine Deum ut auctorem gratiæ cognoſcere non valent: at vero auctorem naturæ ſcire quid prohibet? D. Thomas loquitur ſolum de infidelibus reſpectu Dei ut auctoris gratiæ: quod autem non teneat dari infideles negativos reſpectu Dei ut auctoris naturæ, eſt ſui ipſius interpres quæſtione 14. de veritate c. 11. ubi ſic loquitur: „ Si „ quis in ſylvis, vel inter bruta anima„ lia enutritus ductum rationis ſequeretur „ in appetitu boni & fuga mali, certiſ„ ſime tenendum eſt, quod ei Deus vel „ per internam inſpirationem revelaret ea „ quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel „ ad eum fidei prædicatorem aliquem di„ rigeret.

Objicies 3. Dantur Athei: ſed Deum ut auctorem naturæ etiam adhibita omni morali diligentia nequeunt cognoſcere, alias non eſſent Athei: ergo datur ignorantia invincibilis de Deo. Confirmatur: Athei ſunt ſemper averſi a Deo Creatore: igitur non poſſunt ad ejus cognitionem pervenire.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Dantur Athei ex malitia & cordis depravatione, concedo; Athei mentis, ita ut inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intelligere non valeant, nego. Unde Propheta Pſal. 13. non ait: *Dixit inſipiens in mente*, ſed *in corde*, *non eſt Deus*: igitur ſolum ex pravitate dantur Athei, minime vero ex impoſſibilitate cognoſcendi naturæ auctorem.

Ad confirmationem, diſtinguo. Athei ſunt ſemper averſi a Deo, hoc eſt, habitualiter, concedo: actualiter, nego. Habitus peccati non impedit abſolute quin peccator quandoque cogitet de Deo,

Deo, cum hoc ipſum illi injungatur ut redeat ad cor: alias infidelis nullus poſſet ſe convertere, cujus contrarium non ſemel apparuit, ut legitur de Nabuchodonoſore, qui humiliatus tandem agnovit Dominum cœli, & confeſſus eſt: ſimiliter agnovit Darius Medus, agnovit Cyrus Imperator, & alii permulti agnoverunt.

Inſtabis: Atheus non poteſt vincere ſine gratiæ auxilio impedimenta quæ habet circa exiſtentia Dei ut auctoris naturæ: igitur verum eſt dicere non poſſe Deum ut auctorem naturæ cognoſcere: Probatur antecedens. Magnum impedimentum eſt infidelitatis peccatum, & in eo maxime poſitum eſt, quod peccator non credat Deum eſſe: igitur ante omnia purificari debet ab illo peccato: enimvero ſi ſemel admittitur Atheum poſſe cognoſcere Deum viribus naturæ, etiam admittendum eſſet, poſſe proprio nutu, proprioque conatu a peccato purgari, & conſequenter juſtificari, quod certe plurimum adverſatur fidei.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo. Infidelitas eſt impedimentum ad cognitionem practicam Dei, concedo: ad cognitionem mere ſpeculativam, ſubdiſtinguo; & illud impedimentum ſuperari poteſt, concedo; & ſuperari non poteſt, nego. Cognitio Dei ut auctoris naturæ duplex diſtinguitur, alia practica, alia ſpeculativa: practica amori & charitati conjungitur, & abſque gratia haberi non poteſt; nec mirum; amor, teſte Apoſtolo, eſt plenitudo legis, ideſt, tendit ad totius legis adimpletionem; cognitio vero ſpeculativa ſiſtit in mente; modo eſt clara, modo etiam tantummodo confuſa: peccatum infidelitatis opponitur quidem cognitioni practicæ; qui enim male affectus eſt circa finem, utique eſt circa media; nonnumquam etiam impedit claram, ſed non deſtruit totaliter rationem; igitur intellectus infidelis poteſt habere demonſtrationem a poſteriori de exiſtentia Dei; & legitur Philoſophos Paganos eam de facto habuiſſe.

Adhuc inſtabis. Ex conceſſis Atheus non poteſt ſine gratia Deum, etiam ut auctorem naturæ, diligere: igitur nec cognoſcere, amor enim ſequitur cognitionem; nihil amatum, ut fert axioma, quin præcognitum.

Reſpondeo negando paritatem. Cum enim voluntas ſit magis, inquit D. Thomas, per peccatum ſauciata quam intellectus, majores uberioreſque requiruntur vires ad amandum, quam ad cognoſcendum Deum: tum quia, ut dictum eſt modo, amor perfectus infert totius legis adimpletionem, ad quam certe gratia Chriſti neceſſaria eſt.

Rurſus inſtabis. Ex dictis ſequitur Atheum excuſabilem eſſe circa legis naturæ tranſgreſſionem: & probatur. Atheus eſt obcæcatus, unde nec ſufficienter cognoſcit, nec poteſt cognoſcere quomodo Deus ſit colendus: ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam, ad probationem dico, Atheum poſſe ſufficienter cognoſcere Deum, maxime cum cultus Dei ut auctoris naturæ ſit de jure naturali: nedum igitur cognitio ſpeculativa eſt naturalis, ſed etiam ea quæ circa principia moralia & ſyndereſis teſtimonia verſatur; ſic norunt omnes colendos eſſe parentes, a fortiori Deum eſſe pietate debita venerandum. Præterea gratia ſufficiens, ex D. Thoma, nemini deeſt, & facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ excitantis, non denegat Deus gratiam uberiorem, neceſſariam ad præcepta tum naturalia, tum ſupernaturalia adimplenda. Quod quidem colligitur ex D. Auguſtino, qui in Pſal. 6. de obduratis loquens, etiam divina gratia adjuvari contendit, nedum ad cognoſcendum Deum, verum etiam ad operandum ſalutem. *Dedit*, inquit, *eos in reprobum ſenſum: non eſt ea cæcitas mentis, in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur, ſed non penitus cum in hac vita eſt.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non datur ignorantia invincibilis de Deo.

PRIMO. Quia teſte Salomone, Sap. 13. a magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri; eodem namque teſtante, ſicut artefactum indigitat artificem, ita & creatura, Creatorem.

Secundo. Quia ex Patribus, eſt quædam cognitio Dei ut auctoris naturæ inſita homini.

Tertio. Quia adſunt media, quibus homo quantumvis ſtupidus, poteſt exiſtentiam Dei & inveſtigare & cognoſcere.

Sy-

SYNOPSIS SOLUTIONUM OBJECTIONUM.

PRIMO. Deus non poteſt quidem ut auctor gratiæ ſine fidei ope cognoſci, bene tamen ut auctor naturæ.

Secundo. Ultro fatemur quoſdam in ſylvis enutritos, præ magna animi hebetudine, non poſſe demonſtrationem perfectam de Dei exiſtentia, etiam ut auctoris naturæ, habere; ſed nullus eſt qui diſcurrendo de his quæ videt, imperfectam elicere non queat.

Tertio. Eſto, quidam ſint Athei, qui dicant in corde: non eſt Deus, non tamen dicunt in mente.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum iſta propoſitio: Deus eſt, *ſit aliquo modo nota quoad nos*.

ULTRO fatentur omnes nullam ineſſe nobis ideam de Deo ut auctore gratiæ ingenitam, quandoquidem Deus ut ſic, tranſcendit omnem tum Angelorum, tum hominum cogitationem. Quæſtio igitur procedit de Deo ſolum ut auctore naturæ; & quæritur an iſta propoſitio, Deus eſt, ſit nota quoad nos. Ad cujus intelligentiam obſervandum eſt:

Propoſitionem aliquam poſſe eſſe notam dupliciter, nempe quoad ſe, & quoad nos. Propoſitionem eſſe notam quoad ſe, eſt prædicatum eſſe de eſſentia ſubjecti, ut iſta: homo eſt animal rationale; omnes enim conveniunt animalitatem & rationalitatem eſſe de eſſentia hominis, & eiuſdem conſtituere naturam. Propoſitionem vero eſſe per ſe notam quoad nos, eſt prima apprehenſione & ſine diſcurſus ope concipere prædicatum convenire ſubjecto, ut in iſta: totum eſt majus ſua parte; quilibet abſque ſtudio, & inquiſitione hoc capit, quia ineſt omnibus primorum principiorum idea ingenita.

Theologi docent communiter iſtam propoſitionem, Deus eſt, eſſe notam quoad ſe; ſiquidem exiſtentia ita eſt de eſſentia Dei, ut ſit ſuum eſſe, juxta illud Exodi 3. *Ego ſum qui ſum*: totus igitur difficultatis cardo in eo ſitus eſt, an propoſitio prædicta ſit ſaltem aliquo modo & confuſe nota quoad nos, ſeu an ſit nobis ingenita aliqua Dei ut auctoris naturæ notio. Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Ineſt nobis ingenita aliqua auctoris naturæ notio.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex ſcriptura ſacra*.

SANCTUS Job, c. 36. v. 26. ſic loquitur: *Omnes homines vident Deum*. Quæ verba non intelliguntur de viſione Dei intuitiva: igitur de abſtractiva; & cum iſtud aſſerat Job de omnibus, etiam rudioribus hominibus qui demonſtrationem aliquam facere vix poſſunt, dicendum eſt eum loqui de aliqua Dei cognitione, ſingulis ingenita. Eadem veritas inſinuatur in aliis Scripturæ textibus, Pſal. 7. v. 7. habetur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Joannis 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Romanorum 1. v. 19. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*. Quæ quidem omnia de cognitione Dei, quam ipſe nobis miſericorditer impertitur per ſignaculum quoddam ſuæ divinitatis animæ impreſſum, intelligi debent: alias hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatum eſſe vix concipi poſſet: igitur ineſt nobis aliqua Dei idea ingenita.

Secundo, *ex ſanctis Patribus*.

JUSTINUS, Apologia prima, quæ ſecunda vulgo nuncupatur, ait: " Dei appellatio nomen non eſt, ſed rei inenarrabilis naturæ omnium indita opinio.

Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes idem confirmat: " omnibus, *inquit*, inſtillatus eſt quidam divinus ſenſus, qua de cauſa vel inviti quidem, fatentur unum eſſe Deum ab interitu alienum, & ingenitum. "

Tertullianus adducitur tanquam tertius veritatis propoſitæ teſtis: ſic enim loquitur Apologiæ c. 17. " Hæc eſt ſumma delicti nolle recognoſcere quem ignorare non poſſunt: multis ex animæ ip-

Digitized by Google

,, ipſius teſtimonio comprobemus , quæ
,, licet corpore carceris preſſa , licet in-
,, ſtitutionibus pravis circumſcripta , li-
,, cet libidinibus ac concupiſcentiis evigo-
,, rata , licet falſis Diis exancillata ,
,, cum tamen reſipiſcit , ut ex crapula ,
,, ut ex ſomno , Deum nominat : hoc ſo-
,, lo nomine quia proprio Dei veri . ,,
Iit libro de Teſtimonio Animæ c. 5. dicit : " Magiſtra natura , anima diſciplina
,, circumventa ab adverſario , meminit
,, ſui auctoris : ſed qui ejuſmodi eruptio-
,, nes eſſe , non eſſe putaverit , doctri-
,, nam eſſe naturæ congenitæ & inge-
,, nitæ conſcientiæ : certe prior natura
,, quam littera ; & prior ſermo quam
,, liber ; & prior ſenſus quam ſtylus ,
,, & prior homo ipſe quam Philoſophus
,, & Poeta . ,,

Origenes eandem tenet doctrinam libro contra Celſum , in quo ſic loquitur : " Non
,, eſt mirandum Deum eorum , quæ per
,, Prophetas & ſervatorem docuit , ſemi-
,, na indidiſſe omnium mortalium animis ,
,, ut in divino judicio omnis homo ſit
,, inexcuſabilis . ,, Quare vero ex Origene inexcuſabiles ? quia ſemina indita boni , & maxime cognitionis Dei habebant , quem cum cognoverint , non ſicut Deum , heu infelices ! glorificaverunt .

Arnobius etiam venit in teſtimonium : nam l. 2. adverſus Gentes , dicit : " Deum
,, eſſe omnes naturaliter ſcimus . Et l. 1.
,, Quiſquamne eſt hominum , qui cum non
,, iſtius Principis cognitione diem primæ
,, nativitatis intraverit , cui non ſit in-
,, genitum , non affixum , immo cui pæ-
,, ne in genitalibus matris impreſſum ,
,, non inſitum eſſe Regem ac Deum cun-
,, ctorum quæcumque ſint ?

Hieronymus in caput 1. Epiſtolæ ad Galatas refert iſtum Scripturæ locum : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem* : deinde ſubdit : " ex quo perſpicuum ſit natu-
,, ræ omnibus Dei ineſſe notitiam . ,,

Tertio , *ex ipſo Paganorum teſtimonio.*

PHILOSOPHI in articulo ſuperiori citati referunt vulgus non Jovem , ſed Deum appellare in auxilium ſuum . Unum inter alios percelebrem ſcilicet Ciceronem referre juvat de divinitate ſcribentem , l. 1. de natura Deorum : " Quæ eſt. n.
,, gens , aut quod genus hominum , quod
,, non habeat ſine doctrina anticipatio-
,, nem quandam Deorum ? quam Epicu-
,, rus appellat πρόληψιν , ideſt antece-
,, ptam animo rei quamdam informatio-
,, nem , ſine qua nec intelligi quidquam ,
,, nec quæri , nec diſputari poteſt . ,, Ergo , &c.

Quarto , *ex Ratione.*

PER ideam ingenitam intelligimus eam quæ nec eſt facta ex contemplatione effectuum alicujus cauſæ , nec producta ex præſentia aliquorum objectorum quæ ſubjiciuntur ſenſibus , nec formata ex reminiſcentia rerum præteritarum ; ſed illam quæ eſt ab inſtinctu erumpente , aut per primam apprehenſionem , aut etiam per aliquam vocem : atqui datur in nobis ejuſmodi idea de Deo ut auctore naturæ : igitur datur homini notitia ingenita Creatoris . Probatur minor . 1. Auctoritatibus jamjam citatis . 2. Experientia , qua ſæpius comperitur tum in Paganis , tum in Barbaris , tum etiam in Idiotis iſtas voces : Deus meus , repentino impetu naturæ divinum auxilium in neceſſitatibus advocantis pronuntiari ; ergo ineſt homini idea aliqua de Deo ut auctore naturæ ingenita . Hoc argumentum tanti fecit Minutius Felix , ut exinde Dei exiſtentiam probarit hoc ſenſu . " Audio vulgus cum ad Cœlum ma-
,, nus tendunt . nihil aliud quam Deum
,, dicunt , & Deus magnus eſt , & Deus
,, verus eſt , & ſi Deus dederit : vulgi
,, iſte naturalis ſermo eſt , an Chriſtiani
,, confitentis oratio ? ,,

CONCLUSIO SECUNDA.

Iſta Propoſitio, *Deus eſt* , nota eſt aliquo modo quoad nos .

QUOD non ſit nota ſimpliciter & explicite , patet , quia prima apprehenſione nullus capit , ſaltem perfecte , Deum exiſtere ; indigemus ad hoc aliquo diſcurſu : unde dicimus eſſe notam quoad nos ſolum ſecundum quid .

Jam probatur aſſertio : Illa propoſitio eſt nota quoad nos implicite , cujus prædicatum concipitur ſine diſcurſu convenire ſubjecto : atqui ſic eſt propoſitio allata : igitur eſt nota quoad nos ſecundum quid

quid & implicite. Probatur minor: Eo ipſo quo concipimus Deum, concipimus, ſaltem in confuſo exiſtere: nam concimus illum ut ſummum bonum, ut ens a ſe & ſumme perfectum; maxime vero quia habemus ideam de divinitate ingenitam; quandoquidem ex inſtinctu quodam in emergentibus difficultatibus Deum invocamus in auxilium: igitur propoſitio præfata eſt aliquo modo nota quoad nos.

Solvuntur objectiones contra primam concluſionem.

OBJICIES: Si idea Dei nobis foret ingenita, anima eſſet naturaliter Chriſtiana, naturaliter ad Deum tenderet, & quandam ad eum propenſionem inſitam haberet: ſed hæc dicere ſapit Semipelagianiſmum, etenim ſine fide nec poſſumus cognoſcere Deum, nec ad eum tendere; fides autem non eſt naturæ donum, ſed gratiæ fœtus: igitur idea Dei non eſt nobis ingenita.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Si idea Dei ut auctoris gratiæ foret homini ingenita, anima eſſet naturaliter Chriſtiana, concedo: ſi agitur ſolum de idea Dei ut auctoris naturæ, ſubdiſtinguo: anima hominis foret naturaliter Chriſtiana ſecundum quid, in quantum cognitio Creatoris eſt quid præambulum ad fidem, concedo, ſimpliciter & poſitive, nego. Cognitio Dei ut auctoris naturæ, ſive per inſtinctum, ſive per diſcurſum habita, eſt quidem gradus ad cognoſcendum Deum ut auctorem gratiæ, juxta illud Romanorum, c. 1. v. 2. *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: ſed non diſpoſitio poſitiva; nullam quippe connexionem abſolutam & neceſſariam creaturæ habent cum Deo in ſe & Trino; unde non ſequitur animam eſſe naturaliter Chriſtianam, niſi ſecundum quid, nimirum quatenus idea ingenita quaſi manuducit ad perfectam auctoris naturæ cognitionem, quæ quidem cognitio removet quædam impedimenta ad cognitionem auctoris gratiæ occurrentia. Et vero niſi homines quadantenus de Creatore cogitent, deflectent vel in quoddam Atheiſmum, ut peccator inſipiens qui dicit in corde ſuo, non eſt Deus: vel ad Idololatriam, ut ingrati illi Judæi, qui circa vitulum conflatilem ſaltantes, dicebant: *Ii ſunt Dii Iſrael qui te eduxerunt de terra Ægypti*: vel ad nefandam hæreſim, ut Manichæi, qui duo inſulſe admittebant rerum prima principia, alterum bonum illudque inviſibilium, alterum prorſus malum & viſibilium. Alia momenta ſimiliter diſtinguo: homo abſque fidei ope ad Deum ut auctorem gratiæ ne quidem ullam habet propenſionem, concedo: ad Deum ut auctorem naturæ, nego. Semipelagianiſmum quidem ſapit dicere, & cognitionem Dei ut auctoris gratiæ initialem, & primordia fidei eſſe a nobis; nuſquam vero ideam Dei ut auctoris naturæ, & quandam ad Creatorem optimum inclinationem & propenſionem.

Inſtabis: Atqui anima eſſet poſitive Chriſtiana: & probatur: Si idea Dei ut auctoris naturæ foret innata & ingenita, utique eſſet & fides, ſaltem inchoative: igitur anima foret viribus innatis formaliter & poſitive Chriſtiana: probatur antecedens. Cognitio exiſtentiæ Dei in Idiotis, qui demonſtrationem facere non valent, eſt objectum fidei: igitur fides ſaltem inchoative, foret a natura.

Reſpondeo negando ſubſumptum, ad primam probationem, nego antecedens: ad ſecundam probationem, diſtinguo. Exiſtentia Dei explicata foret objectum fidei in Idiotis, & hoc per accidens, concedo: per ſe, nego. Cum Idiota præ mentis hebetudine non poſſit perfectam de exiſtentia Dei eruere demonſtrationem, per accidens & defectu ſufficientis capacitatis in ſubjecto, foret fidei objectum, inquit D. Thomas, ſed non per ſe, & ex natura rei: quandoquidem ingenio pollentes puſſunt illam formare demonſtrationem, adeoque & naturaliter cognoſcere explicite Deum exiſtere: unde D. Thomas docet cognitionem Dei ut auctoris naturæ, eſſe ſolummodo quid ad fidem præambulum.

Oppones 2. Idea eſt de entitate & non de exiſtentia rei: ſed non datur idea ingenita de eſſentia Dei; ergo nulla prorſus datur de Deo. Probatur antecedens: exiſtentia non poteſt in ſpecie aliqua ſeu imagine exprimi, quandoquidem non cadit ſub ſenſum; ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad pro-

bationem, diſtinguo. Exiſtentia Dei non poteſt per ſpeciem ſenſibilem exprimi & repræſentari, concedo; non enim eſt quid quantum & coloratum: per ſpeciem ſpiritualem & intellectualem, ſubdiſtinguo, claram & bene explicatam, concedo: confuſam & implicitam, nego: quando aliquis videt fluxum & refluxum maris, ſane intelligit dari cauſam hujus effectus, unde videndo effectum, format quamdam de exiſtentia cauſæ ideam: ſimiliter & homo quilibet videns creaturas, intelligit earum eſſe aliquam cauſam & Deum exiſtere.

Inſtabis: Idea illa Dei ſiqua eſſet, acciperetur ab objectis creatis, quibus cognoſcimus Deum exiſtere; nihil eſt enim in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu: ſed Deus non poteſt repræſentari per aliquod creatum: igitur non datur idea ingenita de Deo. Confirmatur: ipſe intellectus humanus utpote creatus & limitatus, Deum in ſe per ſpeciem aliquam exprimere & effingere non poteſt, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Idea clara, qualis habetur per demonſtrationem, formatur ex objectis creatis, concedo: idea confuſa & implicita, nego. Porro quæ habentur per inſtinctum, independenter ab ideis effigiatis habentur; immo etiam quæ cognoſcuntur per guſtum: *v. g.* Qui manducat favum mellis abſque eo quod unquam viderit mel, illud quidem cognoſcit, & tamen ſine ſpecie emiſſa in oculum, ſed ex ſapore colligit intellectus dari mel, quatenus quandam de melle ideam effingit: quid plura adjiciam? Ille qui cognoſcit ſolummodo per fidem aliquid, certe non habet ideam de objecto effigiatam; poteſt igitur intellectus habere ideam ingenitam de Deo, non quidem expreſſam & ſpeculativam, ſed ideam impreſſionis. Unde ad id quod dicitur, nihil eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu, diſtinguo: ſi ſit ſenſibile per ſe, concedo: ſi non ſit ſenſibile per ſe, nego. Ad confirmationem ſimiliter diſtinguo, intellectus creatus ideam de Deo immediatam efformare non valet, concedo; mediatam, nego: revera quidem viſis creaturis concipit Deum eſſe, ſed ante illam claram de Deo ideam, habet ingenitam a Deo ipſo impreſſam.

Rurſus inſtabis: Illa idea Deum repræſentare non poteſt: igitur non eſt idea Dei. Probatur antecedens. Deus eſt infinitus & ſummum bonum: ſed idea creata infinitum repræſentare non poteſt: ergo. &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Idea non poteſt repræſentare Deum adæquate, concedo: inadæquate, ſubdiſtinguo; per ſpeciem claram, concedo: per impreſſionem, nego: magis ſentitur Deus quam repræſentatur, & melius cognoſcitur, inquit D. Thomas poſt Dionyſium, per quid non eſt, quam per quid eſt; & vero cognoſcimus Deum eſſe pluſquam & Cœlum, & Angelos, & quicquid in mundo eſt, compertum quippe habemus creaturas quantumvis pretioſas noſtra non implere deſideria, & ideo tendimus ad Deum, ut ſummum in eo inveniamus bonum: igitur vocibus ſecretis quidem & intimis, ſed efficacibus Deum eſſe, compertum aut habemus, aut habere ullo abſque dubio poſſumus. Enimvero illa idea eſt ipſe Deus immediate præſens in creatura & illam tangens, juxta illud Actuum 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*; unde a demonſtratione quam de eo per effectus formamus, eſt diſtincta, quatenus eſt cognitio intima & immediata per impreſſionem, altera vero mediata & per diſcurſum.

Objicies 3. Si naturaliter cognoſceretur Deus, ſequeretur 1. Quod illum omnes æqualiter cognoſcerent. 2. Quod inutilis eſſet demonſtratio ad illum cognoſcendum. 3. Quod cognoſceret homo naturaliter omnes Dei perfectiones: ſed hæc omnia falſa videntur. Igitur non cognoſcimus Deum per ideam innatam.

Reſpondeo diſtinguendo. Si Deus per ideam ingenitam cognoſcatur perfectiſſime, concedo: ſi tantum imperfecte & confuſe, nego. Unde non ſequitur omnes Deum ut auctorem naturæ æqualiter cognoſcere; Philoſophus addit ideæ innatæ cognitionem demonſtrativam; non ſequitur iſtam inutilem eſſe, perfectius quippe eſt objectum aliquod clare & ſcientifice cognoſcere, quam implicite ſolum & veluti in genere; nec utique ſequitur omnes Dei proprietates per ideam ingenitam cognoſci; notitia enim attributorum eſt cognitio diſtincta Dei, adeoque & clara.

In-

Inſtabis. Si daretur idea Dei ingenita, omne mortalium genus eundem adoraret Deum, cum omnes quotquot ſunt homines illum naturaliter cognoſcerent exiſtere: atqui tamen cuncti homines non eundem colunt Deum; etenim pro libito ſibi numina finxere Idololatræ: igitur non datur idea ingenita Dei etiam ut naturæ Conditoris.

Reſpondeo diſtinguendo. Omnes homines unum & eundem colerent Deum, ſi vellent, & attenderent ad dictamen conſcientiæ, concedo: ſi nolunt ex pravitate animi, nego. Vident bona, ſed deteriora ſequuntur; cognoſcunt Deum, ſed ſicut Deum non glorificant: ideo fit inſipiens cor eorum, & ad idololatriam ſe ſe convertunt ut paſſionibus indulgeant.

Adhuc inſtabis. Si daretur idea ingenita de Deo ex prima apprehenſione, omnes cognoſcerent iſtam propoſitionem eſſe veram, *Deus eſt*: atqui multi, ſaltem idiotæ, indigent aliquo diſcurſu ut cognoſcant exiſtentiam convenire Deo: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Omnes cognoſcerent confuſe, concedo: nam idea ingenita eſt de exiſtentia Dei; cognoſcerent explicite, nego. Ad hoc requiritur diſcurſus & demonſtratio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eſt nobis ingenita aliqua auctoris naturæ notio.

PRIMO, Quia ex Propheta regio, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei.

Secundo, Quia ex Patribus quædam Dei cognitio nobis inſita eſt; in quo quidem ſenſu Tertullianus vocat animam rationalem naturaliter Chriſtianam.

Tertio, Quia erumpente naturæ voce ex impetu quodam, Deum quilibet in ſuum advocat auxilium.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO. Licet idea Dei ut auctoris naturæ ſit homini ingenita, non ſequitur innatam eſſe homini alicui fidem; cæterum nullus eſt inter mortales tam idiota qui abſque fidei auxilio aliquam Dei, non quidem ut auctoris gratiæ, ſed ut auctoris naturæ non habeat impreſſionem.

Secundo. Quamvis exiſtentia ſit de quidditate Dei, optime tamen a poſteriori & per effectus cognoſci poteſt, quia effectus indigitat cauſam.

Tertio. Omnes quidem Deum ut auctorem naturæ cognoſcunt: non omnes tamen, teſte Apoſtolo, ſicut Deum glorificant: nec mirum, quia neque ad dictamen conſcientiæ, nec ad ipſam attendunt rationem, quam ſi conſulerent, & Dei demirarentur pulchritudinem, & adorarent majeſtatem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum omnes creaturæ Deum eſſe & exiſtere conclament.

CONCLUSIO

Omnes creaturæ Deum indigitant.

EFFECTUS quicumque ſuam indigitat cauſam: igitur omnis creatura eatenus Deum eſſe conclamat, quatenus ejus eſt effectus. Ex hoc principio Salomon, Sap. 13. 6. Dei optimi deducit exiſtentiam: *A magnitudine*, inquit, *ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit horum Creator videri*. Hoc ipſum prædicat Apoſtolus Rom. 1. 20. his verbis: *Inviſibilia ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas*. Entis ſupremi exiſtentiam eloquitur, explicat & detegit Cœlum ipſum: „ Vide, *inquit eleganter* „ *Minutius Octavius*, quam late tendi- „ tur, quam rapide volvitur, vel quod „ in noctem aſtris diſtinguitur, vel quod „ in diem ſole luſtratur: jam ſcies quam „ ſit in eo ſummi moderatoris mira & „ divina libratio. Vide annum, ut ſo- „ lis ambitus faciat, & menſem vide ut „ luna auctu, ſenio, labore circumagat. „ Quid tenebrarum & luminis dicam re- „ curſantes vices, ut ſit nobis operis & „ quietis alterna reparatio? „ Cæli igitur vere, ut ait Pſaltes Regius, enarrant gloriam Dei; quicumque ergo intueris cœleſtes globos, fatere Deum eſſe: attende quomodo ſydera per ſtatutas motuum periodos, indefeſſa vertigine, & admirabili cum celeri-

C. 4. rita-

Digitized by Google

ritate ab ortu properent in occaſum, viciſſitudineſque anniverſarias conſtantiſſime conficiant. Optimo jure olim mirabundus in has erumpebat Auguſtinus voces lib. 1. de gen. ad lit. cap. 11. " Pulchrum eſt cœlum, ſed pulchrior eſt fabricator cœli, ſed video cœlum, inquis, & illum non video; oculos enim habes ad videndum cœlum, cor nondum habes ad videndum fabricatorem cœli „. Immo tanta eſt cœleſtis orbis pulchritudo, ut referente Scriptura, Sap. 13. v. 3. *Aut gyrum ſtellarum, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt Idololatræ:* illorum tamen cæcitatem Sapiens ſic increpat ibidem: *Quorum ſi ſpecie delectati, Deos putaverunt: ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit.*

Nec ſilet ipſa terra: quid urbium ſplendor, camporum amœnitas, plantarum viror, decor florum qui veluti aſtra terreſtria, veluti telluris ſtellæ odoriferæ, colorum varietate, odoris ſuavitate, nitore foliorum mundum hunc exornant, niſi ſuaviſſima vox terræ rectorem prædicans? „ Quid loquar, *inquit Minutius*, apte diſpoſita recta montium, collium flexa, porrecta camporum, quidve animantium loquar adverſus ſe ſe tutelam multiformem, alias armatas cornibus, alias dentibus ſeptas & fundatas ungulis, & ſpicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pennarum? „ Jam vero illud plenum admirationis & prodigii inſtar eſt, terræ hunc globum cum aquarum circumfuſa congerie, in medio ſic ſuſpenſum eſſe, ut neque ſurſum nitatur, neque deorſum ſidat, ſed perpetuo & ſtabili libramento medium ſemper teneat; & ex hoc capite unius numinis exiſtentiam regius Pſaltes colligit. Pſal. 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, dicebat Deo: ſic quoque Job reprehendens Baldad, ait de Deo cap. 26. *Appendit terram ſuper nihilum*: illud quoque attingit Prophericis verbis Iſaias c. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes & colles in ſtatera? quis adjuvit ſpiritum Domini?* dic igitur quicumque vivis, quicumque oculis talia luſtras, ſupremam debere eſſe rationem, cujus imperio hæc condita fuere, cujus nutu gubernantur.

Nonne mundi rectorem & auctorem teſtatur aeris elementum, cujus benigno delectamur halitu, cujus aura ſpirabilis vitam fovet, cujus agitatio ventos gignit, in cujus ambitu grando, nix, glacies, pluvia, & ſpiritus tempeſtatis generantur; nam, ut præclare ait Auguſt. lib. 3. de gen. ad litt. cap. 10. " Aer motus, ventos, & vehementius concitatus etiam ignes & tonitrua, & contractus nubila, & conſpiſſatus pluviam, & congelantibus nubibus, nivem, & turbulentius congelantibus denſioribus nebulis grandinem, & diſtentus ſerenum facit, occulris imperiis, & opere Dei a ſummis ad infima univerſa quæ creavit adminiſtrantes. „ Ergo qui favente illius elementi afflatu reſpiras, in Deum illius parentem animum converte.

„ Mari intende, *hæc ſunt Octavii verba ibidem*, lege ſtringirur ... aſpice Oceanum, refluit reciprocis æſtibus; vide fontes, manant venis perennibus: fluvios intuere, eunt ſemper exercitis lapſibus, " & exclamabis mirabiles eſſe elationes maris, & mirabilem in altis Dominum. Etenim inquire & interroga quis mari arenam tanquam ultima poſuit mœnia quæ nuſquam tranſgreditur, & ſubito cum Job prophetante dices, cap. 26. Deus eſt qui *terminum circumdedit aquis, uſque dum finiantur lux & tenebræ .... in fortitudine illius repente maria congregata ſunt*. Non referam diverſa prope piſcium genera; innumera quæ alit Pelagus in ſinu ſuo; non depingam feris agitatum fluctibus, non placidis conſtitutum undis; dicam tantum dominantem poteſtati maris, mare annuntiare.

Ignis ſuo modo indigitat Dei ut auctoris naturæ exiſtentiam. Et vero miris donatur proprietatibus, aſpectu delectabilis & ut plurimum ſuavis, lucens & ardens; virtute magnus, & fortitudine terribilis, cui omnia alia corporalia cedunt, diſſipans ferrum, metalla comminuens, conſumens lapides, in ipſa terræ penetralia pervadens ut æris candorem, argenti nitorem, fulgorem auri procreet. Adeſt arboribus, adeſt & plantis, ut benigno calore ſemina veluti excitet: quid plura? Suavi ſcintillarum emiſſione hybernum mitigat frigus, cibos coquendo parat, ſi in tonitrua mutatus, toto perſonat æthere: his & aliis ſimilibus portentis & effectibus univerſi Conditoris & gloriam enarrat & exiſtentiam prodit.

Jam

Jam vere, quid dicam de mineralium vi & virtute? quid de plantarum efficacia ad vitam hominis vel ſovendam, vel etiam reparandam? quid de naturæ phænomenis mirabilibus? quid de nive, de glacie, de ſpiritu procellarum; quas quidem creaturas Deum annuntiare ita compertum habebant pueri ſancti ſornacis Babylonicæ, ut etiam eum benedicere aſſererent. *Benedicite* inquiunt, *omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.*

Eundem annuntiant & benedicunt aves cœli. Quæ induſtria in nidi fabricatione? quæ vigilantia, qui animus & ad nutriendos & ad defendendos pullos? eum utique & eſſe prædicant beſtiæ campi & ſine fine benedicunt. Benedicit rugitus & fortitudo Leonis; benedicit magnitudo & genium Elephantis; benedicit bellicoſus equus; benedicit ſuo blandiens hero canis; benedicit ingenioſa apis; benedicit & formica prudens: *Interroga*, inquit S. Job, cap. 12. 7. *jumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terra, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quod omnia hæc, manus Domini fecerit?*

Verum inter cæteras creaturas ſublunares Deum eſſe luculentius prædicat homo. " Ipſa præcipue formæ noſtræ pul-
„ chritudo Deum fatetur artificem, *in-*
„ *quit Octavius*, ſtatus rigidus, vultus ere-
„ ctus, oculi in ſummo, velut in ſpecu-
„ la conſtituti, & omnes cæteri ſenſus
„ velut in arce compoſiti. Longum eſt
„ ire per ſingula; nihil in homine mem-
„ brorum eſt, quod non & neceſſitatis
„ cauſa ſit & decoris: & quod magis mi-
„ rum eſt, eadem figura omnibus, ſed
„ quædam unicuique lineamenta deflexa,
„ ſic & ſimiles univerſi videmur, & in-
„ ter ſe ſinguli diſſimiles invenimur. „
Hæc autem vultus vociſque diverſitas quæ in hominibus advertitur, nullius alterius, quam divini numinis effectus eſſe poteſt, cum ad hoc inducta ſit, ut injuriæ caveatur, & juſtitia conſervetur: etenim ſi univerſi ejuſdem eſſemus frontis & vultus maxima rerum omnium perturbatio facile naſceretur. Utinam tu Athee qui Dei exiſtentiam negare non erubeſcis, Beatum Auguſtinum audires, dum iſtam vultuum diverſitatem miraculum appellat lib. 25. de civit. cap. 8. " Surgat
„ Atheus, *inquit*, atque mihi, ſi poſ-
„ ſit, reſpondeat, quot in corpore hu-
„ mano diverſi motus, quot nervi, quot
„ oſſa, quot venæ, quot arteriæ, quot
„ humores; explicet quomodo ſolus ho-
„ mo omnia conſideret, diſcernat, judi-
„ cet: quomodo præterita fideli teneat
„ mente, quomodo in intellectu ſuo
„ omnes creaturas contineat, & in eo to-
„ tum mundum depictum habeat; eno-
„ det hic divinitatis inſimulator quis crea-
„ turas omnes hominum uſibus ſubjece-
„ rit, adeo ut alterius numinis inſtar eſ-
„ ſe videatur. Profecto qui his perſpe-
„ ctis mundi rectorem ens ſupremum a-
„ gnoſcere renuit, aut inſania laborare aut
„ cæcitate maligna detineri dicendus
„ eſt. „

Ita & per Angelos, niſi forſitan aliquos eſſe auſu temerario conteſtari volueris, divinitatem levi negotio inveſtigare poteris. Tanta eſt illorum ſpecies, ut Abrahamus credentium pater, poplite flexo eos adoraverit, tanta noſtrum cura ut Loth ex Sodomorum incendio liberaverint; tanta fortitudo, ut unius noctis ſpatio Angelus exterminator, Ægyptiorum primogenitos trucidaverit, ut Sennacherib Jeruſalem obſidente & blaſphemante omnipotentem, nocte veniens Angelus Domini percuſſerit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque hominum millia; tanta manſuetudo ut Eliam deficientem, ut mæſtum Danielem Angeli recreaverint; tanta charitas, ut juniorem Tobiam longum per iter Raphael cuſtodierit; tanta ſcientia, ut legem Moyſi in monte Angelus dictaverit. Populo fideli ubique præſto ſunt Angeli, Iſraelem per aſpera vagantem deſerta præcedunt & cuſtodiunt. Machabæos pro lege Dei certantes in certamine corroborant.

Viduarum & pupillorum ſacra depoſita & victualia audacem adverſus Heliodorum Angelos tueri, ipſe ſacrilega palam confeſſus eſt. Petrum tertio in carcere propter Chriſti fidem detentum, ſuperno circumvolutus lumine Angelus liberavit. Joanni Evangeliſtarum aquilæ, quæ futura ſunt in conſummatione ſæculi detexit. Ipſi adminiſtratorii ſpiritus nobis adſunt, peregrinantur nobiſcum, comitantur domi, comitantur foris, à periculis tentationum, itinerum, latronum nos eripiunt. Jam anxius expoſtulo, quis Ange-

los.

los creaverit, creatos ornaverit, ornatos ad noſtram adhibuerit cuſtodiam ; certe præter omnipotentem Deum, quem dixeris non conſpicio.

Quid memorem cæteras Angelorum dotes? quid merita? quid virtutem mirabilem quæ per omnia & Dei magni exiſtentiam, & ejuſdem enarrant gloriam ; amore Creatoris flagrant, hinc & Seraphim quidam appellantur : illuminati a Deo omni pollent ſcientia, unde & nonnulli præclaro Cherubim nomine donantur. Deo pleni ipſum prædicant, & prædicando veluti portant & tranſmittunt ad homines : hinc & thronorum appellatione inſigniuntur: nullius aut vitii, aut peccati ſervi facti ſunt, & ideo dominationes vocantur ; & ſic de cæteris.

Ordo mundi mirabilis nec tacet Deum eſſe. Mundus ipſe, inquit Auguſt. l. 4. de civit. Dei c.4. " ordinatiſſima ſua mutabili-
,, tate, & mobilitate & viſibilium omnium
,, pulcherrima ſpecie, quodammodo taci-
,, tus, & factum ſe eſſe, & nonniſi a
,, Deo ineffabiliter atque inviſibiliter ma-
,, gno, & ineffabiliter atque inviſibili-
,, ter pulchro, fieri ſe potuiſſe procla-
,, mat. ,,

Unio & partium mundi concordia Deum exiſtere probat. Ita Athanaſius lib. contra Gentes, pag. 31. his verbis: " Fieri
,, non poſſet ut iſta omnia invicem con-
,, fligentia, & contraria in unum ſe ſe
,, agerent, niſi præſtantior aliquis eſſet,
,, & ſummus moderator ac Dominus, qui
,, ea ſociaret, cui & elementa ipſa, ve-
,, lut hero famuli ad nutum obtempera-
,, rent & cederent .... Neceſſe eſt co-
,, gitari aliquem, animoque percipi Do-
,, minum qui in unum omnia iſta coegerit
,, ac devinxerit, atque ad ſocietatem &
,, concordiam adduxerit; qui tametſi non
,, videtur oculis, ex ordine tamen &
,, diſſidentium invicem rerum, ac ſibi
,, multum adverſantium colligatione co-
,, gnoſcitur.. ,,

Ipſa natura omnium parens Dei exiſtentiam, ſuos producendo effectus omnium prodit Creatorem, ait Lactantius. ,, Na-
,, tura, qua dicitur orta eſſe omnia, ſi
,, conſilium non habet, efficere nihil po-
,, teſt: ſi autem efficiendi, aut generandi
,, potens eſt, habet ergo conſilium ,, &
,, propterea Deus ſit, neceſſe eſt; nec a-
,, lio nomine appellari poteſt ea vis, in
,, qua ineſt & providentia excogitandi,
,, & ſolertia, poteſtaſque faciendi: melius
,, igitur Seneca omnium Stoicorum acu-
,, tiſſimus, qui vidit nihil aliud eſſe na-
,, turam quam Deum; ergo inquit, Deum
,, non laudabimus, cui virtus naturalis
,, eſt, nec illam didicit ex ullo? Idem
,, libro de ira Dei c. 10. dicit: " Natu-
,, ra quam veluti matrem eſſe rerum pu-
,, tant, ſi mentem non habet, nihil effi-
,, ciet unquam, nihil molietur, ubi enim
,, non eſt cogitatio, nec motus eſt ullus,
,, nec efficacia; ſi autem ſuo conſilio uti-
,, tur ad incipiendum aliquid, ratione ad
,, diſponendum, arte ad efficiendum, vir-
,, tute ad conſummandum, poteſtate ad
,, regendum & continendum; cur natura
,, potius quam Deus nominetur? ,,

Ergo ſi apertis oculis Atheus mundi hujus aſpectabilis fabricam & ordinem conſpexit, niſi pecudibus ipſis ſtolidior ſit, Deum unum illius machinæ architectum opificemque univerſorum fateatur neceſſum eſt: quid aliud innuit, cœlorum motus, ſyderum fulgor, elementorum virtus, animalium vita, hominis ratio, Angelorum ſpecies, plantarum viror, fructuum diverſitas, fluminum & fontium perennis decurſus, Oceani fluxus & refluxus, imperturbata tempeſtatum ſucceſſio, perpetua diei noctiſque revolutio, niſi ſummum gubernatorem, niſi ſapientiſſimum auctorem, qui immotus cuncta moveat? Exclamet igitur omnis caro, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Hæ omnes rationes compendioſe, ſed eleganter explanat Tertullianus l. 1. adverſus Marc. pag. 439. edit. Pariſ. ann. 1634. " Ad humilia, *inquit*, deficiam,
,, unus, opinor, de ſepibus floſculus,
,, non dico de pratis; una cujuslibet ma-
,, ris conchula, non dico de rubro; una
,, tetraonis pinnula: taceo de pavo, ſor-
,, didum artificem pronuntiabit tibi Crea-
,, torem? at cum & animalia invides mi-
,, nutiora, quæ maxime artifex de indu-
,, ſtria ingenii aut viribus ampliavit: ſic
,, magnitudinem in mediocritate probari
,, docens quemadmodum virtutem in in-
,, firmitate: ſecundum Apoſtolum, imi-
,, tare ſi potes, apis artificia, formicæ
,, ſtabula, aranei retia, bombycis ſtami-
,, na: ſuſtine ſi potes, illas ipſas lectuli
,, & togatis tuæ beſtias, cantharides vene-

næ

„ næ muſcæ ſpicula, culicis & tubam „ & lanceam. Qualia erunt majora, cum „ tam modicis aut juvaris, aut læderis, „ ut nec in modicis deſpicias Creatorem? „ Poſtremo te tibi circumſer, intus ac „ foris conſidera hominem: placebit tibi „ vel hoc opus Dei noſtri, quod tuus „ Dominus ille Deus melior adunavit, „ propter quem in hæc paupertina ele„ menta de tertio cœlo deſcendere labo„ ravit; cujus cauſa in hac cellula Crea„ toris etiam crucifixus eſt, ſed ille qui„ dem uſque nunc, nec aquam reproba„ vit Creatoris, qua ſuos abluit; nec o„ leum, quo ſuos ungit; nec mellis & la„ ctis ſocietatem, qua ſuos infantat; nec „ panem, quo ipſum corpus ſuum repræ„ ſentat. „

Diluuntur Atheorum objectiones.

OBJICIUNT. Si daretur Deus, foret omnipotens ad mala propellenda vel etiam impedienda, ſapiens quippe ad cuncta tum dirigenda, tum bene facienda attendit, maxime præcipua, nobiliora & eminentiora opera: atqui hoc non apparet in mundo: igitur Deum exiſtere non conclamant creaturæ. Major patet, Probatur minor. Sol & luna inter ſydera eminentiſſima quandoque patiuntur eclipſes, nec ſemel alterationes & corruptiones annotatæ ſunt in cœlis. Videtur igitur ſapientiam & omnipotentiam in mundo non relucere ad propellendum malum.

Reſpondeo 1. Omnia ſuis ferri ponderibus, & quodlibet ens ſibi convenientia habere: omnipotentia igitur & ſapientia Dei in omnibus relucent operibus: quis enim aut hominum, aut Angelorum non dicam facere, ſed comprehendere poteſt quanta ſit virtus Dei in factis? cogitare quippe de arte & ſapientia divina ſenſus eſt conſummatus, inquit Salomon, ſap. 6. 18.

Reſpondeo 2. negando minorem: ad probationem, diſtinguo. Sol & luna patiuntur eclipſes per concurſum & interpoſitionem alicujus corporis inter nos & illa ſydera, nempe per interpoſitionem terræ in eclipſi lunæ, per interpoſitionem vero ipſius lunæ in eclipſi ſolis, concedo: per maculam intrinſecam, & alterationem in ipſis realem, nego. Cœli ſecundum communem opinionem ſunt incorruptibiles, & dato quod corruptioni ſubjicerentur, non minus tamen appareret omnipotentia Cratoris, qui omnia immotus movet, qui opera tametſi viciſſitudini & alterationi obnoxia, ineffabili tamen conſervat providentia; nequo vero ſummæ adverſatur bonitati permittere, creaturas etiam nobiliſſimas quandoque deficere, ut ſublimitas ſit Dei.

Objicies 2. In rerum natura nonnumquam monſtra conſpicimus: non pauci etiam inter homines ab ipſa nativitate ſunt aut claudi, aut cæci, aut gibboſi: ſed ſi cuncta ſummæ ſubjacerent Providentiæ, illos & ſimiles defectus ſupremum numen avertere deberet: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Monſtra eſſe veluti miracula Dei exiſtentiam mirum in modum conclamantia, quatenus ſupremi omnipotentiam numinis cuncta ad nutum ſuum immutantis indigitant. Ita ſcribit Auguſtinus l. 21. de civit. Dei c. 8. his verbis: " Sicut ergo non fuit impoſſibile Deo „ quas voluit inſtituere, ſic ei non eſt im„ poſſibile, in quidquid voluerit, quas „ inſtituit mutare naturas, unde illorum „ quoque miraculorum multitudo ſilveſcit, „ quæ monſtra, oſtenta, portenta, pro„ digia nuncupantur: quæ recolere & „ commemorare ſi velim, hujus operis „ quis erit finis? „

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Multa ſunt in natura monſtra, plurimæ in individuis imperfectiones per accidens & defectu cauſarum ſecundarum, concedo: defectu cauſæ primæ, nego. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona, ut legitur Geneſeos 1. Enimvero unicuique tribuit neceſſaria, tum ad operandum, tum ad vivendum: tribuit cuilibet creaturæ illud quo, & eſſent, & conſervarentur. Dedit virtutem, rebus quidem inanimatis, qua verſus centrum moverentur, arboribus, quo ſuos innatis viribus producerent fructus. Tribuit animalibus inſtinctum & cognitionem, hominibus rationem & liberum arbitrium, Angelis intelligentiam perfectiſſimam: ſi quædam igitur monſtra ſeſe produnt; ſi quidam naſcatur aut claudus, aut mutilus; non inde affirmandum univerſi conditorem & moderatorem deficere, cum potius illa ipſius providentiam aſtruant: cu-

jus

Digitized by Google

jus ratio eſt, quia & quæ perfecta ſunt, abſque agente perfectiſſimo, perfecta evadere nequent; quæ vero imperfecta, abſque aliquo fine nequeant eſſe; alioquin nihil eſſent; ſed finis ille nullus eſſe poteſt, niſi Creatoris gloria, cui ea ita diſponi complacuit, ut orbis pluchritudo ex hac diverſitate magis ac magis eluceret, quemadmodum ex umbris, fulgidus tabellæ color oculis ſuavior & fit, & apparet. Cæterum cauſa ſecunda modificat & ſibi attemperat cauſæ primæ influxum; unde effectus aſſimilatur ſecundo, nuſquam vero primo motori, ſimiliter & defectus, qui quidem nuſquam contingit niſi deficiente cauſa ſecunda. Quod iſto poteſt illuſtrari exemplo a ſancto Thoma non ſemel laudato. Quidquid eſt greſſus, inquit, in tibia claudicantis, hoc ipſum totum a virtute tibiæ conceſſa promanat: quidquid vero defectus, & a creatura eſt, & ab infirmitate.

Objiciunt iterum. Multæ ſunt feræ ad nocendum ut plurimum paratæ, veluti leones, tigres, ſerpentes: ſed quod nocivum eſt, Deum optimum maximum non habet auctorem; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Feræ ſunt ad nocendum paratæ per accidens, concedo: primario & per ſe, nego. Quærunt eſcam ut vivant; unde ſi deficit, quandoque venatione parant ſibi cibos, quod ſummam arguit in conditore ſapientiam. Cæterum, leones, tigres, ſimileſque feræ non nocens homini, niſi vel fame premantur, vel minis aut verberibus laceſſitæ irritentur. Quid mirum ſi tunc fremant dentibus, ſi dilacerent inſidiantes? nocent igitur tantum ſecundario & per accidens, & hoc in pœnam peccati; ſcriptum eſt enim Sap. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*.

Opponunt 4. Cuncta pereunt, ſolvuntur imperia, homines etiam ſanctiſſimi moriuntur: atqui, inquiunt Athei, ſi Deus eſſet, profecto tantos deberet impedire defectus; enimvero artifex gloriæ cupidus, opera ſua, dum poteſt, in ævum perpetuum conſervat, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Et Deus alia, eaque perfectiora producere poteſt, concedo: & non poteſt, nego. Mundum Deus multiplicatione individuorum conſervat: quinimmo perpetuus rerum ortus & interitus, ſupremi numinis potentiam mirum in modum teſtatur, juxta illud Pſalmi 101. *Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Glorioſum eſt quidem agenti creato opera facere quæ diu perſeverent, hoc quippe arguit ejus & ſcientiam & potentiam; cum enim virtutem habeat finitam homo, ex ſoliditate operum colligitur & artificis fortitudo: at vero Deus eſſentialiter in omni virtutum genere infinitus eſt, a ſe omnipotens & omnia, unde parum intereſt utrum creata pereant & cito labantur.

Objiciunt 5. Quæcumque ſunt, ut vana prorſus habentur juxta illud Eccleſ. 1. *Ecce univerſa vanitas & afflictio ſpiritus*: ſed ſi Deus foret univerſorum artifex & gubernator, jam cuncta nec vana, nec afflictio mentis eſſe deberent; nihil enim vanum a ſupremo numine prodire poteſt: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Quæcumque ſunt in mundo ut vana habentur, ideſt, nec ſatiant hominem, nec beatum reddunt, concedo: ideſt, ſunt mala, nego. Cuncta quæ fecit Deus bona, immo & optima cenſentur; verum non ideo finem ultimum in his ſtatuere aliquis debet; dato enim quolibet bono, novum inhiat mortalis homo, quippe qui appetitum ad bonum infinitum & incommutabile habeat; unde Auguſtinus apprime dicit, *Quidquid Deo minus eſt, explere non poteſt*. Enimvero ſi divitias appetis, omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ in eo ſunt: ſi potentiam, ſolo verbo facit & reſtaurat univerſa: ſi vitam, ipſe eſt Sanctorum omnium & felicitas & gloria. Hoc ipſum prædicat Eccleſiaſtes, unde ut hominem in ſolo Deo quieſcere doceat, ait: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; hoc eſt, creaturæ omnes relative & comparative ad Deum, aut nihil, aut parum ſunt: hinc ſi quis paſſione ductus, eas ut beatitudinem, vel appetat, vel habeat, contritio & infelicitas cito aderit, nec viam pacis uſquam tunc cognoſcet.

Inſtant ibidem c. 3. 16. habetur: *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem, & in*

loco

Digitized by Google

loco juſtitiæ iniquitatem; rurſus cap. 4. 1. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ ſub ſole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos:* ſed tot & tanta mala, quibus homo etiam juſtus nonnunquam ſubjicitur, Deum eſſe prorſus abjudicant; enimvero ſi daretur ſupremum numen, nedum ea propelleret mala, ſed & adoriri totis viribus præpediret; ergo, &c.

Reſpondeo cum D. Jacobo Deum intentatorem malorum eſſe; unde diſtinguo: multa videntur ſub ſole mala, impietas magna, major & injuſtitia, & hoc cedit in bonum pro juſtis & innocentibus, concedo: & non cedit, nego. Tob. 12. 13. *Quia acceptus eras Deo*, inquit Angelus Raphael Tobiæ, *neceſſe fuit ut tentatio probaret te*; unde B. Auguſtinus, tract. in Pſal. 54. ad primum verſum ait: "Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Omnes creaturæ Deum eſſe conclamant.

Ptimo, Quia ex Apoſtolo, Rom. 1. *Inviſibilia ipſius a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

Secundo, Hoc ipſum dicit ordo mundi mirabilis.

Tertio, Hoc ingenioſa in omnibus natura prædicat.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Videmus quidem in rerum natura defectus: ſed in cauſam ſecundam, nuſquam vero in primam refunduntur.

Secundo. Videmus & mala; ſed eſto poſitiva ſint a Deo in vindictam malorum, at non privativa.

Tertio. Videmus utique cuncta aut corruptioni, aut interitui ſubjacere: ſed & hoc ad pulchritudinem univerſi accidit, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant; unde & ipſa perditio Deum eſſe & exiſtere conclamat, quatenus omnium & Dominum & Dominatorem indigitat.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum omnis generis ratio dicat Deum exiſtere.

Quintuplex diſtinguitur ratio, nimirum; Phyſica, Metaphyſica, Moralis, Mathematica, & ea quæ ex conſenſu univerſi exurgit. Prima, ex rebus Phyſicis & creatione ſumitur. Metaphyſica, ex neceſſitate entis neceſſarii. Moralis, ex gubernatione & ordine. Mathematica, ex Aſtronomia, Geometria, aliiſque ſcientiis. Quinta, fundatur in mutuo creaturarum conſenſu.

CONCLUSIO.

Omnis generis ratio dicit & probat Deum eſſe & exiſtere.

RATIONES PHYSICAE.

Prima ſic exponitur. Si non datur Deus a quo ſint omnia, mundus & materia non ſunt creatura, ſed ſunt a ſe ipſis & ab æterno: atqui implicat mundum & materiam non eſſe creata, eſſe a ſe-ipſis & ab æterno; ergo datur Deus a quo ſunt omnia. Major patet: omne enim quod eſt, vel eſt a ſe-ipſo, vel ab alio. Probatur minor ex Damaſceno, qui l. 1. ſic diſcurrit: "Omnia quæcumque ſunt, vel creata ſunt, vel increata: quod ſi creata ſunt, omnia ſunt mutabilia; quorum enim eſſe a mutatione cœpit, hæc mutationi erunt plane ſubjecta, ſive corrumpantur, ſive voluntate mutentur. Si increata ſunt, ex conſequentiæ ratione prorſus immutabilia ſunt: nam quorum eſſe contrarium eſt, iis certo modo eſſe, contraria ratione convenit quæ ſunt proprietates. Quis igitur non aſſentietur omnia quæ ſunt, non modo quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, verum etiam & Angelos variari, atque mutari, ac multis modis moveri, atque converti?"

Secunda eſt: Si non detur Deus fons omnis intelligentiæ ad omnia ordinanda, ipſa materia, cui omnia tribuunt Athei, aut erit ſpiritus, aut omnia ſine mente, ſine conſilio & ordine fient: atqui implicat

eat materiam eſſe ſpiritum, implicat illam cogitare & ordinare omnia: igitur datur Deus fons omnis intelligentiæ, a quo eſt opus naturæ. Major vere eſt, non enim datur medium: & vero ſi non datur Deus, omnia ordinans, materia eſt ſpiritus & regulat opera mundi, vel dicendum caſu & temere ſine mente, ſine conſilio cuncta fieri: atqui hoc aſſerere nefas eſt, cum ſit tantus in generationibus ordo & pulchritudo, ut opus naturæ vulgo dicatur ſecundum axioma opus intelligentiæ. Probatur minor quoad utramque partem. 1. Quidem: quis ſanæ mentis dicet materiam ſpiritum, & cogitare? cum ſit pura potentia, quæ partes de ſe immotas, extenſas in longum, latum, & profundum habet: ſi enim cogitat, jam non eſt materia, ſed aliquid excellentius; nimirum, ſpiritus & mens: cogitatio enim de re ſpirituali eſt a materia Phyſica independens: quis etiam dicet omnia fieri abſque conſilio? cum cuncta etiam contraria confluant ad unitatem, & totus mundus ſit in ordine mirabili compoſitus, inquit Lactantius, lib. 2. cap. 8. Igitur datur Deus a quo, ut a ſuprema intelligentia, omnia ordinata ſunt.

Tertia ratio ſic ſe habet: Videmus diverſas in diverſis creaturis perfectiones, alias majores, alias minores, alias vitales ut in arboribus, alias pure materiales ut in auro, argento, ferro, alias ſenſitivas ut in animalibus, alias rationales ut in hominibus: ſed ſi non daretur Deus, creaturæ haberent a ſe perfectiones iſtas; ſi haberent a ſe, omnes ſimiles & æquales haberent, quandoquidem forent in fortitudine pares, alias non eſſent a ſe: & tamen cernuntur modo majores, modo minores; quinimmo conſtat omnes habere finitas perfectiones: igitur deveniendum eſt ad unum ſupremum ens infinite perfectum a quo cuncta ſumant quæ poſſident. Iſta ratio eſt D. Anſelmi in Monologio cap. 1. " Quæcumque dicuntur aliquid, *inquit*, ita ut ad invicem magis aut minus, aut æqualiter dicantur, per aliud dicantur, quod non aliud & aliud: ſed idem intelligitur in diverſis, ſive in illis æqualiter, ſive inæqualiter conſideretur. Nam quæcumque dicuntur ad invicem, ſive pariter, ſive magis & minus, non poſſunt intelligi juſta niſi per juſtitiam, quæ non eſt aliud & aliud in diverſis; ergo cum certum ſit quod omnia bona, ſi ad invicem conferantur aut æqualiter, aut inæqualiter ſint bona, neceſſe eſt omnia ſint per aliud bona, quod intelligitur idem in diverſis bonis." Iſtas & ſimiles rationes impugnando Epicuri de mundo ſyſtema fundatius enucleabimus.

RATIONES METAPHYSICAE.

D. THOMAS quinque hic quæſt. 2. & 3. affert, quæ ſic exponuntur.

Prima a primo motore petitur. Scimus omnia moveri: Angeli moventur ab uno loco ad alium, modo ſunt in cœlo, modo in terra: moventur & interius ad veritatem, nova vident quando vult Deus eis revelare myſteria. Moventur homines ad tempus: ſunt hodie, mane moriuntur: moventur ad locum, ad veritatem, ad virtutem; quippe qui acquirunt nova loca, annos plures, virtutes de die in diem majores: moventur & animalia ſicut & alia quælibet ſublunaria: ipſi lapides moventur deorſum; ignis, ſurſum: ſed niſi eſſet unus ſupremus motor, qui immotus omnia moveret, nihil moveretur: igitur datur Deus. Major patet: nulla enim creatura eſt omnia; caret igitur aliqua perfectione quam debet ab alio accipere: igitur ab alio moveri debet. Quod autem nihil moveretur abſque primi motoris ope, ſic probatur. Motus eſt aliquid novi habendum: ſed creaturæ non poſſunt hoc ipſum ſibi dare, ſupponuntur enim & in perfectionibus finitæ; & in virtute infirmæ atque impotentes; ergo ſublato primo motore, nihil moveretur: jam vero cum non detur proceſſus in infinitum, neceſſe eſt devenire ad unum primum motorem qui ſit ubique, qui ſit æternus, qui plenus, qui immenſus, & omnia poſſideat, adeoque nullo modo ſe movens, qui ſemper in actu omnium perfectionum cuncta moveat, ut creaturæ accipiant ab eo quod non habent. Hanc rationem delineare videtur Philoſophus, 8. Phyſicorum, cap. 5. his verbis: *Utrumque dicimus movere & primum & ultimum moventium, ſed magis primum: illud enim movet ſecundum, ſed iſtud ſecundum non movet primum: & ſine quidem primo ultimum non movet-*

vebit: illud autem ſine hoc. Porro primus ille motor eſt Deus.

Secunda petitur a prima cauſa. Videmus quotidie novos in terra effectus: ſed abſque cauſa independente, a qua cæteræ inferiores pendeant, nullus eſſet, nullusque produceretur effectus: igitur datur cauſa prima a qua cæteræ omnes cauſæ dependent, & eſt Deus. Major patet: probatur minor. Quod eſt in potentia nequit reduci ad actum, niſi per hoc quod eſt ſemper in actu: ſi enim iſtud foret in potentia, indigeret reduci ad actum per aliud quod eſſet in actu, & iſtud per aliud in infinitum, quod non datur; dum enim omnes cauſæ eſſent in potentia, priores ſicut ſubſequentes, omnes inanes forent, omnes inertes, ergo ſine cauſa prima quæ ſit ſemper in actu, & reducat alias ad actum, nullus produceretur effectus.

Tertia petitur ab ente neceſſario. Cuncta eſſe contingentia nullus ambigit; corruptio enim unius eſt generatio alterius; quæ ſunt hodie, mane ſicut fœnum areſcunt: ſed niſi daretur ens ſupremum, abſolutum in ſe & neceſſarium, quod ſit a ſe & a quo ſint cætera, nihil eſſet: igitur datur ens ſupremum, a ſe independens & neceſſarium. Probatur minor. Entia contingentia ſubordinantur uni enti primo & neceſſario a quo habent eſſe, quandoquidem non ſunt a ſe: alias daretur proceſſus in infinitum, illudque prorſus abſurdum; ergo nihil eſſet niſi daretur illud ſupremum neceſſarium: igitur datur, & eſt Deus.

Quarta petitur ab ente quod ſit ſummum bonum, a quo creaturæ ſint magis vel minus bonæ, ſecundum quod magis vel minus participant de ejus bonitate: cum enim ſint inæqualiter bonæ, debet dari ſummum bonum a quo quodlibet ens ſit bonum, alias quælibet creatura eſſet bona, eſſet a ſe & infinita. Iſta ratio explicata eſt ſupra; illud autem ſupremum bonnm eſt Deus.

Quinta petitur ab uno ſupremo Gubernatore. Opus naturæ eſt opus intelligentiæ: ſed flos, *v. gr.* non dirigit colores ſuos, animalia generationes ſuas: igitur agnoſcendus eſt ſupremus artifex qui ordinat omnia, & eſt Deus. Hanc etiam rationem ſupra delibavimus.

Ex his quinque demonſtrationibus probantur attributa divina. Ex immobilitate primi motoris probatur Dei immutabilitas, ex qua deducitur immenſitas & æternitas: qui enim eſt omnia, eſt ubique & ſemper abſque ullo prorſus labore. Ex ratione primæ cauſæ efficientis oritur omnipotentia circa creaturas; ex hoc quod Deus ſit ens a ſe & neceſſarium, ſequitur in eo omnis perfectio, ſequitur bonitas, immaterialitas & ratio actus puriſſimi. Ex hoc quod ſit primum & maximum ens, colligitur ejus ſimplicitas & omnis perfectionis mira plenitudo; inde etiam ſequitur Deum incorporeum eſſe, infinitum, actum puriſſimum & ſuper omnia. Ex hoc quod ſit ſupremus Gubernator, ejus oſtenditur ſapientia, providentia, juſtitia, miſericordia, ſummus erga creaturas amor. Quid plura? cæteræ perfectiones quæ in regimine univerſi collucent, demonſtrantur.

RATIONES MORALES.

PRIMA. Homo factus eſt propter beatitudinem; ad hanc enim tendit, & illam quærit, felix ſi eam, ubi eſt, inquirat: ſed appetitus ipſius ad beatitudinem fruſtraneus foret, niſi daretur Deus: igitur datur. Probatur minor. Nullæ creaturæ, nullumque bonum finitum & creatum ſatiare poteſt hominem. Date theſauros, creſcit ipſius fames: addite honores, reputat vanitatem: jungite ſcientiam, videt & experitur afflictionem ſpiritus; quidquid, inquit Auguſtinus, ſummo bono & Deo minus eſt, explere hominis appetitum non poteſt: igitur appetitus ad beatitudinem foret fruſtraneus, ſi non daretur Deus. Et vero ſi ſummum dari bonum negatur, homo fieri beatus nuſquam poterit.

Secunda. Dari debet vindex ſupremus ſcelerum; etenim æquum eſt & juſtum, ut crimen puniatur, ne ſubvertatur ordo univerſi: hinc res ipſæ inanimatæ malum horrent, & mare ejicit ſordes ad litora: ſed niſi detur De●, non erit qui frangat iniquitatem: quis enim hominum magnatibus reſiſtere poteſt? Dominantur omnibus Principes, & tamen quot mali fuere? quot inter homines peccatores execrandi? quot etiam pecunia, fraude, potentia, ſubtilitate, aliiſve modis ſua vel obtegunt, vel difendunt crimina? judices aut ignari, aut imbecilles,

les, aut infirmi ſunt; omnes peccatores: quomodo igitur juſtum judicabunt judicium; Igitur requiritur ſupremus Judex qui ſit oculatiſſimus, qui fortiſſimus; qui potentiſſimus, qui ſapientiſſimus; & eſt Deus, qui quidem ita juſtus eſt, ut ipſas hominum juſtitias judicet, & appendat in ſtatera, inquiunt Prophetæ, ut reddat unicuique vel præmium pro bonis, vel pœnam & ſupplicium pro malefactis.

Tertia. Inter duas opiniones de re maximi momenti, probabilior & tutior in praxi ſequi neceſſe eſt: ſed qui non credit Deum eſſe, omnia ſupremo exponit diſcrimini; ſuppoſito enim quod detur Deus, actum eſt de Atheo pro æternitate: qui e contra agnoſcit Deum eſſe & exiſtere, ſuppoſito quod non eſſet, nec infelicior foret, ſed beatiſſimus, ſi confiteatur: igitur credendum eſt Deum eſſe: maxime cum omnes mundi Nationes eum agnoſcant, licet in aſſignanda Dei natura non conveniant.

RATIONES MATHEMATICAE.

REVERENDUS admodum Pater Merſennius ordinis Minimorum, quondam celeberrimus Theologus, & in Mathematicarum peritia nulli ſecundus, librum in Geneſim egregium adverſus Atheos elucubravit; in quo quidem exiſtentiam Dei ſine fine optimi & maximi, non minori pietate quam ſcientia, rationibus tum Theologicis, tum Phyſicis & Moralibus, præcipue vero Mathematicis ita revincit incredulos, ut non remaneant in ore eorum redargutiones. Fuſior eſſem ſi cunctas hic vellem enarrare, aliquas tantum referre & explanare juvat.

Prima, Unitas eſt totius numeri & principium & finis, ita ut hac ſublata, evaneſcunt omnia & nihil ſunt; unitas vero eſt ante numerum, eſt intra & poſt numerum, ip[illegible] deficiente non deficit, ab eo quippe independens: ſed unitas ſine Deo, qui ſit ab unitate creata independens, nulla eſt: igitur datur Deus. Probatur minor. Quæcumque ſunt in mundo, ſane certo clauduntur numero. Merſennius noſter in caput primum Geneſeos verſu primo, abſque negotio numerat arenam, & maris, & totius terræ: ipſa unitas quæ inchoat orbis numerum, eſt creata & producta: igitur deveniendum ad unam improductam, & ab omni, non dicam compoſito, ſed & cauſa efficiente independentem, & quæ ſit a ſe: porro per Deum intelligimus ens a ſe a quo omnia, in quo, & per quem omnia.

Hanc rationem ex Arithmetica deſumit R. P. Merſennius, ibidem ratione 16. pag. 39. edit. Pariſ. 1623. ubi ſic loquitur: " Porro quæcumque ſunt, unum deſiderant, velut ſuum principium, quoniam primum ab eo proceſſerunt in quod nunquam ea redirent, quæ multitudine gaudent, niſi ipſa multitudine gradatim exuerent. Exurge igitur anima Chriſtiana, illamque myſticam monadem, unitatum unitatem, ſimplicitatis ſummitatem, rerumque omnium ſemen, & centrum mentis intuitu ſuſcipe; in ea ſiquidem facile reperies, quæ in unitate prædicta, ſed & alia plura; hæc enim eſt unitas quæ myſticum concentum in mundo producens, eum ita movet & regit, ut microcoſmi compages exiliendo veluti tripudiare videatur, hoc concentu ſtellæ velut animatæ choreas ſempiternas ducere, quibus humani corporis conſonantiæ quodammodo reſpondere valeant. Hæc eſt unitas quæ cyphris omnibus virtutem confert, ſine qua quotcumque cyphras appoſueris. *v. g.* 000000, ſicque deinceps in infinitum, nihil prorſus efficient, niſi præcedat unitas. Quid, obſecro, ſunt omnes creaturæ ſeorſim abſque Deo ſpectatæ? tollis unitatem, tollis & omnia, quam ſi reſtituas, omnia redeunt. "

Pergit ibidem. " O quantum eſt unitatem e rebus tollere, cum nulla ſit alia miſeria, præter unitatis privationem, nulla felicitas, niſi cum Deo unitatem habere, & unum eſſe, quæ omnia, prout ad profectum animæ, ac vitam religioſe, tranquilleque degendam attinent..... Unde vero putas hæc omnia unitatem arithmeticam, niſi dependenter ab unitate divina habere, a qua ſunt, quæcumque ſunt? quare nihil penitus excogitari, nihilque ſubſiſtere poteſt, niſi unitatem habuerit: eapropter Deus, qui eſt unitas ſuprema, quibuslibet ita præſens adeſt, ut ſine eo nihil eſſe, nedum excogitari poſſit; quomu-

Digitized by Google

„ modo enim quidqam excogitabis, niſi „ præſentiſſimus ſit, qui tibi dat unde co- „ gites. „

Secunda ratio ex Geometria petitur, ſicut enim Arithmetica computat numerum & ad eum aſcendit, unde omnis unitas, ita & Geometria menſurat latitudinem, longitudinem & profunditatem, donec perveniat ad id quod profundiſſimum, & eſt Deus: igitur ſic argumentor. Circulus eſt figurarum omnium perfectiſſima a cæteris independens figuris, cæteras continens & limitans, ipſe vero illimitatus, lineas omnes in centro ſuo mirabiliter adunat: ſed & hoc Deum indigitat; & probatur. Omnium Deus continent perfectiones: ab ipſo omnia, ad illum ut ad centrum redeunt omnia: cuncta ejus cedunt gloriæ. Unde habebimus omnium creaturarum concentum? unde in perfectionibus figuram ſeu harmoniam? unde centrum & quietem, niſi aſcendamus ad eum qui immotus omnia movet? audiamus iterum R. P. Merſennium, ratione 17. pag. 56. 57. 58.

„ *Idem* etiam ex Geometria probamus, non tantum quia lineæ omnes circumferentiam tangentes æqualiter diſtant, ut omnes creaturæ a Deo: non tantum quia circulus principio fineque caret, ſeque ipſo contentus eſt, cæteris figuris non indigens, omnes comprehendens, atque ſuperans, qua ratione Deus omnia comprehendit, omniaque termino carens limitat, non tantum quia circulus eſt figura capaciſſima omnium, ad cujus perfectionem alia figura pertingere nequit, ſicut nec aliquid æquale Deo eſſe poteſt: ſed quia Deus inſtar circini videtur eſſe, cujus pes in centro poſitus immutabilis cum ſit, alius ad circumferentiam extenſus movetur; ita tamen, ut quidquid agit, aut deſcribit pedi fixo acceptum ferat, qui amicitiæ vinculo per caput connectitur; nunquid enim a Deo pari ratione deprehendent omnia tam ut ſint & fiant, quam ut operentur? omnes enim creaturas Deus immobilis movet: igitur circinus ille Deum refert, juxta id, quod in ſe circinus fixum & immotum habet: creaturæ vero ſunt veluti pars mobilis; quæ niſi Deo conjungantur, nihil omnino producere poſſunt, quod ſit perfectum. Hinc quamdiu firmiſſimum divinæ voluntatis pedem ſequemur, nunquam a perfectiſſima Religione Chriſtiana, nunquam a perfectis operibus recedemus. „

Poſtea ſic exclamat: “ Itaque, vir Chriſtiane, ſi tuis in actibus juſtus, & perfectus eſſe volueris, reſpice centrum, vide immutabilem divini numinis voluntatem, vide ſcientias omnes, ut rationes atque media, quæ te ad Dei cognitionem adducant, atque charitatis ardore voluntatem in flamment tuam, teque ad æternitatem circularem, in qua centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam, cito perducant. Quod ſi proprietates circuli atque ſphæræ penitius intuearis, mira profecto reperies, quæ te ad ineffabilia divini numinis attributa, ſeu perfectiones ſuſcipiendas evehant. Eſt ergo Deus indiviſibile centrum, cujus irradiatio in omnium rerum peripheriam extenditur; eſt circulus omnes angulos creaturarum perfectiſſime comprehendens; ut enim circulus polygoniam infinitam, ita Deus infinitus creaturas continet, quæ ſi nunquam omnes ſimul productæ erunt, ita nec omnes anguli producentur unquam, quos circulus amplectitur; ut enim aliqui Philoſophi timent, ne ſi craturæ infinitæ eſſent, Deus ipſe fierent; ita Geometræ putant figuram polygonam in circulum verſam iri, ſi angulos infinitos habuerit, &c... Multa ſunt Geometriæ principia, multæ propoſitiones, quæ ſatis oſtendtnt aliquem auctorem eſſe homine doctiorem, qui hæc invenerit, & homines docuerit. „

Tertia ratio, quæ multas alias continet, petitur ex ſcientiis, ex artibus tum liberalibus, tum mechanicis; & vero ſcientia concludit ſemper ad veritatem: ars ad eamdem in praxi reducendam: mechanices ponderum moles cum virtute parva modo ſurſum, modo deorſum movent: omnes nihil aliud ſunt præter mentis ideas expreſſas: mens vero Deum a quo omnia ſumit, & habet, & indigitat: ubique concentus a prima & improducta ratione, quæ ſolo verbo cuncta creavit & fecit.

De cunctis ſuſus eſt ſermo apud Merſennium, de muſica, de harmonia, tum ven-

ventis, tum arte producta, ibidem pag. 77. ſic loquitur: " Verum enim vero „ nuſquam illud contingere arbitror, præ- „ ſertim ſi de perfecta harmonia loqua- „ mur: quod ſicubi fiat, id in venti at- „ que rupium, antrorumque auctorem re- „ ferendum eſt. Fatebitur ergo Atheus „ nuſquam teſtudinis ſonum & harmo- „ niam audiri, quin ſit aliquis, qui ratio- „ ne atque manu, vel re alia, quæ ma- „ nus ſubit vices, illius cauſa exiſtat. „ Prima vero omnium cauſa eſt Deus, „ optimus, maximus. „

R. P. Merſennius ibidem de mechanicis ait, ratione 20. pag. 83. & 84. " Non tantum ſcientiis theoreticis ad Deum a- „ ſcendere poſſumus, verum etiam ex „ practicis, inter quas mechanica non ul- „ timum locum obtinet, quam ſi juxta „ ſuum omnem ambitum deſcribere ve- „ lim, nemo eſt qui non admiretur; quan- „ doquidem miraculorum inſtar ea ſunt, „ quæ fabricat, non poſſumus in eam re- „ ferre, quæcumque rara atque mirabi- „ lia vulgo nuncupantur. Præſertim ve- „ ro de machinis agit, cujus cauſas in- „ veſtigat, & aſſignat, prout rationalis „ eſt: operi autem manum admovet, „ quatenus eſt chirurgica, cui artes tam „ orariæ, quam ædificatoriæ, ſimileſque „ deſerviunt. Illa magnariam continet, „ qua, vi minima, pondus maximum tol- „ lit: „ unde hæc mirabilia niſi ab auctore infinito, robuſto & intelligente?

Rationes ex omnium creaturarum conſenſu deprompta.

OPINIO Atheorum 1. ſingularis eſt; Catholica vero Nationum omnium & ipſius naturæ habet conſenſum. 2. Sola cupiditas negat Deum eſſe & exiſtere; ratio vero honeſta ultro fatetur eſſe & prædicat. 3. Effectus nedum terribiles ſed & abominabiles ad inanem conſequuntur incredulorum ſententiam: hinc quippe ſcelerum effrænata licentia; hinc contempta virtus; hinc vitium per fas & nefas coronatum; hinc vita admodum animalis. Quid plura? hinc pœnæ æternæ. Non ſic profecto, non ſic de cognitione & ſcientia Dei; veniunt certe omnia bona pariter cum ea, & innumerabilis honeſtas per manus illius, qua qui uſi ſunt bene, amici Dei facti ſunt, inquit Salomon. 4. Hinc tenebræ & lubricum in prima opinione, quippe quæ extinguat conſcientiæ ſtimulos, erumpentes ex impetu naturæ voces nec audiat, nec capiat. Atheus noluit intelligere ut bene ageret: at vero ſapiens & prudens inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, facile intelligit. 5. Nulla ratio probat non eſſe Deum, omnis e contra hoc probat atque demonſtrat, ſaltem a poſteriori. Ergo quinque conſenſus Deum eſſe prædicant, videlicet conſenſus rerum naturalium; quælibet enim, inquit Auguſtinus, denotat principium a quo manavit. Conſenſus rerum ſupernaturalium & myſteriorum, ſignis, portentis & miraculis confirmatorum, quibus quidem cedit ipſa ratio: conſenſus omnium Nationum: fuerunt enim inter omnium ſæculorum homines, qui Deum eſſe agnoverunt; immo quando & Epicurei, & Pythagorici exiſtentiam Dei inficiari conati ſunt, alii inſurrexerunt Philoſophi, qui contrarium ſentientes, uti Platonici, eos impugnare non deſtiterunt. Conſenſus omnium pæne luminum & facultatum hominis. Revera quidem ex oculo corporali, qui immenſa in puncto videt, colligitur exiſtentia Dei; ex imaginatione, quæ infinita rimatur, & omnium rerum ſenſibilium efformat imagines; ex intellectu, qui materialia immaterialiter videt, diviſa, indiviſibiliter; compoſita, ſimpliciter; ex voluntate, quæ illuminata a mente, nullo bono creato ſatiata, ad Deum ut ſummum bonum anhelat. Denique conſenſus omnium ſcientiarum, Deum exiſtere indigitare non ceſſat.

Juvat per aliquas diſcurrere. Aſtronomia *v. g.* aſtrorum curſus & ordines certo demonſtrare nequit, niſi tantorum globorum Deum deſignet auctorem. Juriſprudentia leges ſtatuit, juſtitiæ innixa axiomatibus, quæ profecto pereunt, ſi non eſt Deus. Et vero, ſi cuncta caſualia ſunt, & fortuita; ſi nulla vita aut beata pro bonis, aut pœnalis pro peccatoribus futura eſt, cur paſſionum impetus compeſcere & frangere? jam furtum, homicidium, fornicatio, adulterium, & omnia promiſcue vitia licita, immo & bona ſunt, cum in hypotheſi nulla remaneat inter vitium & virtutem diſcrepantia, nec unum altero ſit laudabilius. Hiſto-

Digitized by Google

ſtoria dicit rerum omnium, & ipſarum artium atque ſcientiarum ortum, Dei vero initium nec inveſtigare, nec referre poteſt; quin potius aſcendit uſque ad ens neceſſarium, ad ens a ſe & ſummum bonum, a quo omnia fluxiſſe conſtat. Moralis regulas vitæ honeſtæ præſcribit, paſſiones compeſcere docet, & ad Deum tanquam ad ultimum finem tendit atque quieſcit. Ariſtotelis Philoſophia ſubordinationem cauſæ ſecundæ cum prima nedum demonſtrat, ſed & Deum, ut unum primum mobile, ſcilicet Deum qui immotus omnia movet, luſtrat & ſpeculatur. Ipſa Carthesii Philoſophia, tametſi in pluribus & nova, & ne dicam ſucata, Dei tamen exiſtentia innititur; & vero liberam admittit electionem intelligentiæ ſupremæ, ejuſque efficacia materiam motum habere determinatum ſtatuit; ita ut ſine ejus ope, neque materia moveretur, neque leges mechanicæ utiles forent, quinimmo totius mundi & compoſitio & concentus impoſſibilis eſſet. Agnoſcit ille Philoſophus ſolam primam cauſam poſſe producere cogitationem vel cogitandi principium in corpore organizato. Denique doctrina ſenſationum ad Carthesium, fundatur in diſtinctione qualitatum, ſeu proprietatum ſpiritus, a proprietatibus materiæ longe diſcrepantium.

Jam ecce concluſio, quæ ex his omnibus, veluti connaturaliter ſequitur. Si omnes Nationes conveniunt Deum eſſe: ſi ratio & conſcientia hoc ipſum prædicent, adverſantibus licet quinque aliis conſenſibus, videlicet ſenſuum exteriorum, qui quidem divinitatem percipere non valent; imaginationis, quæ eam aut capere, aut delineare nequit; præventionum rationis corruptæ, quæ illuſa & a ſenſibus, & a vitiis, contrarium judicare ſatagit; paſſionum quæ ſibi indulgentes, nequidem Deum, qui earum frangat impetus cogitare ſinunt: profecto dicendum eſt contra Atheos, Deum optimum maximum eſſe & exiſtere.

His omnibus rationibus adjungitur iſta ultima. Opus eſt religione revelata, eamque eſſe admodum neceſſariam nemo cordatus non videt: ſed hæc religio unum agnoſcit Deum omnipotentem, cuncta regentem, bonorum omnium auctorem: igitur Dei exiſtentiam negare ſcelus eſt nefandum. Probatur major, in qua eſt difficultas. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, quis igitur in iſta lucta pacem componet? niſi lex divina quæ dicit, non concupiſces? quis furtum, adulterium, & alia vitia, quæ naturæ corruptæ placent admodum, eſſe mala immo & peſſima definiet? niſi loquatur Dominus, & dicat: non furtum facies, non adulterabis: datur igitur Deus, qui cuncta ineffabili regat Providentia, alias omnia forent confuſa.

Exploduntur vana Atheorum commenta.

OBJICIUNT 1. Objectum fidei demonſtrari non poteſt: ſed exiſtentia Dei eſt objectum fidei: igitur Deum exiſtere nullus demonſtrare valet, etiam a poſteriori.

Reſpondeo diſtinguendo. Objectum fidei primarium demonſtrari non poteſt, concedo: objectum ſecundarium, ſubdiſtinguo: demonſtrari non poteſt a priori, concedo: a poſteriori & per effectus, nego. Deus in ſe ſpectatus & conſideratus eſt primarium fidei objectum, & ſic non poteſt demonſtrari: at vero Deus ſecundum exiſtentiam ſpectatus, in creaturis tanquam in ſuis effectibus relucet: igitur Deum eſſe a poſteriori recte probatur, non enim ſub iſto reſpectu eſt fidei objectum, niſi ad ſummum ſecundario & per accidens, videlicet reſpectu rudiorum, qui ob ingenii tarditatem non valent juxta Logicæ regulas demonſtrationem elicere.

Inſtant. Demonſtratio fit ex prioribus: ſed creaturæ non ſunt Deo priores: igitur Deus non poteſt demonſtrari per creaturas. Confirmatur. Prima veritas demonſtrari nequit, ſed Deus eſt prima veritas; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Demonſtratio quoad quid eſt, concedo: quando enim demonſtratur quidditas rei, demonſtratur per cauſam: demonſtratio quoad exiſtentiam, ſubdiſtinguo: fit ex prioribus in cognoſcendo, concedo: ex prioribus in eſſendo, nego. Prius cognoſcimus creaturas, quæ noſtris ſubjiciuntur ſenſibus, quam Deum; & ex effectibus inferimus cauſam exiſtere, quia neceſſario & eſſentialiter ab ea dependent. Ad confirmationem, diſtinguo. Prima veritas nequit demonſtrari a priori, & quoad quid

eſt, concedo: a poſteriori & quoad exiſtentiam, nego. Nam per veritates inferiores, quæ ſunt in creaturis, cognoſcimus exiſtere primam veritatem, a qua cæteræ fluunt.

Inſtant. Creaturæ non ſunt Deo priores etiam in cognoſcendo reſpectu noſtri: ergo Deus non poteſt demonſtrari etiam a poſteriori. Probatur antecedens. Idea Dei eſt nobis ingenita, ut dictum eſt: igitur creaturæ non ſunt nobis priores in cognoſcendo.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens. Creaturæ non ſunt nobis priores in cognoſcendo, cognitione confuſa, concedo: clara, nego. Prius quidem implicite cognoſcimus Deum quam creaturas: ſed explicite prius cognoſcimus creaturas, cum ſubſint ſenſibus noſtris, & ſint magis nobis proportionatæ, immo inſerviant ad excitandam in nobis ideam Dei innatam; unde in genere demonſtrationis & cognitionis ſcientificæ, ſunt priores.

Inſtant. Non poſſunt cognoſci clare creaturæ, quin ſimul & in eodem momento cognoſcatur Deus: igitur non ſunt priores etiam in cognitione clara. Probatur antecedens. Creator & creatura ſunt relativa, adeoque ſimul cognitione: ergo non poteſt cognoſci creatura clare, quin cognoſcatur & Deus.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo. Creaturæ ut creaturæ ſunt relativæ ad Creatorem, concedo: conſideratæ ſecundum ſe, & ut ſunt a parte rei ſub ſenſibus noſtris, nego. Prius illas conſideramus iſto modo, & cum appareant ab alio procedere, tunc illas formaliter ut creaturas, & habentes relationem ad Deum intuemur; ex quo concludimus dari ejuſmodi effectuum conditorem: igitur creaturæ ſecundum ſe conſideratæ, ſunt priores cognitione reſpectu noſtri; & ſic inſerviunt ut medium ad probandum Dei exiſtentiam.

Objiciunt 2. Effectus finitus non exigit cauſam infinitam: ſed creatura eſt finita, Deus vero nedum in ſe & in ſua natura, verum etiam & in omnibus perfectionibus infinitus eſt ita ut ejus ſapientiæ non ſit numerus: igitur ex creaturis non recte colligitur exiſtentia Dei. Confirmatur. Debet eſſe proportio inter medium demonſtrationis, & rem demonſtratam: ſed nulla eſt inter finitum & infinitum, inter creaturam & creatorem: igitur Deus non poteſt demonſtrari etiam quoad an eſt & a poſteriori.

Reſpondeo diſtinguendo. Non exigit effectus finitus cauſam ſecundam infinitam, concedo; eſt enim ejuſdem ordinis, quandoquidem ſimile producit in creatis ſibi ſimile: cauſam primam, nego. Namque deveniendum eſt ad unam cauſam, quæ ſit a ſe, & a qua cætera dependeant.

Ad confirmationem, ſimiliter diſtinguo. Debet eſſe proportio habitudinis inter medium demonſtrationis & rem demonſtratam, concedo: proportio entitatis, ſubdiſtinguo; ſi medium ſit a priori, & demonſtret rei quidditatem ſicut rationalitas, quæ demonſtrat naturam hominis, concedo: ſi ſit ſolum a poſteriori, & demonſtret tantum exiſtentiam, nego. Creaturæ ſunt effectus conditoris, omnis autem effectus habet habitudinem neceſſariam ad cauſam; quia ab illa dependet in eſſe, & ſic denotat exiſtentiam cauſæ, a qua emanavit.

Inſtant adhuc. Creaturæ ſunt Deo extrinſecæ; ergo non poſſunt illum demonſtrare, etiam a poſteriori: probatur conſequentia; quia teſtimonium Dei revelantis eſt ex creaturis extrinſecum, ideo non poteſt aſſumi ut medium ad illas per rationem demonſtrandas: ergo a pari eo ipſo quo creaturæ ſunt Deo extrinſecæ, non poſſunt aſſumi ut medium ad demonſtrandam illius exiſtentiam.

Reſpondeo diſtinguendo. Creaturæ ſunt Deo extrinſecæ entitative, concedo; non enim ſunt Deus: quoad ordinem dependentiæ, nego: dicunt enim relationem intrinſecam dependentiæ ad Deum. Ad probationem, nego paritatem; quia revelatio eſt nobis omnimode extrinſeca, nec nobis debetur; aſſumitur tamen ut medium ad probandas res naturales, ſed argumento Theologico & ſupernaturali; eſt enim medium ad hoc ſufficiens, ut ſupra diximus.

Inſtant. Atqui non eſt neceſſaria connexio inter creaturam & Creatorem: igitur, inquiunt Athei, non poteſt demonſtrari etiam a poſteriori, & per creaturas Deum eſſe. Probant ſubſumptum. Non eſt neceſſaria connexio in ratione motus;

tus ; materia enim , *v. g.* poteſt moveri ſecundum unam partem , & ſe ipſam movere per aliam ; ſic etiam homo , quia liber eſt , ſeipſum movet per virtutem innatam , ſecundum multos.

Reſpondeo negando ſubſumptum , ad probationem , nego antecedens : ad aliud diſtinguo : una pars materiæ poteſt movere aliam , & eſt prius mota a prima cauſa , concedo : & immota aliam movet , nego : verum quidem eſt unam partem ſemel motam poſſe alteram movere , ſed ſi prius fuit mota : ſi enim non fuit ab alio mota , oportet ut ſit actus purus , & ens a ſe , quod ſane implicat : ſi vero ipſa fuit mota , cum non detur proceſſus in infinitum , revertendum eſt ad unum primum motorem , qui immotus omnia moveat .

Ad aliud exemplum de homine aſſumptum , nego paritatem . Nam ſecundum illos Philoſophos homo non ſeipſum movet ut cauſa prima , ſed per virtutem quam accepit a Deo in ſua creatione , & per ipſius concurſum ſimultaneum .

Rurſus inſtant . Si mundus foret ab æterno , generationes utique eſſent ab æterno , & potuit de facto creari mundus ab æterno : ſed tunc non eſſet aſſignabile inſtans in quo motus inciperet : igitur non eſt neceſſe ut omne quod movetur , ab alio moveatur ; & ſic non erit neceſſaria connexio motus inter creaturam & Creatorem .

Reſpondeo mundum non poſſe eſſe ab æterno quoad entia ſucceſſiva ; cum enim illa nonniſi ſucceſſive ſuas habeant partes , nunquam vero ſimul , motum fieri in tempore neceſſe eſt : ſed dato & non conceſſo mundum poſſe eſſe ab æterno , etiam quoad ejuſmodi entia , repetenda foret cauſa mundi productiva a quo motus primo flueret , ſi eſſet a ſe : igitur utique eſſet ens omnimode perfectum , & eſt ſolus Deus ; ſi vero partes eſſent in perfectionibus inæquales , ſicut de facto eas eſſe intuemur , adhuc recurrendum eſſet ad primam cauſam , a qua creaturæ iſtas haberent perfectiones : enimvero ſi quodlibet individuum eſſet a ſe , tot Dii numerarentur quot ſunt mundi partes , quod plane ut ridiculum ab omnibus habetur . Cæterum eodem prope modo ratiocinandum eſt de motu *v. g.* ac de luce , quæ procederet & promanaret a Sole , qui ſupponeretur eſſe ab æterno : in hac hypotheſi & lux & illuminatio eſſent a Sole ut a cauſa : immo ipſe Sol haberet ab æterno cauſam ſui productivam : igitur in hypotheſi quod mundus eſſet & quoad entia permanentia , & quoad ſucceſſiva , ſab æterno , haberet nihilominus cauſam ſui productivam , & illa cauſa prima eſt Deus .

Perſiſtunt . Non eſt neceſſaria connexio inter res contingentes & ens unum primum neceſſarium , alias non eſſent contingentes , ſed neceſſariæ : igitur ruit totum fundamentum , quo dicimus per creaturas demonſtrari Creatorem , propter neceſſariam connexionem , quæ dicitur eſſe inter creaturas & Deum .

Reſpondeo diſtinguendo . Non eſt neceſſaria connexio entitativa , concedo ; Deus enim eſt ens independens , nec bonorum noſtrorum indiget ; unde creaturæ poſſunt eſſe & non eſſe : non eſt neceſſaria connexio dependentiæ , nego . Suppoſito enim quod producatur aliquis effectus , eſſentialiter dependebit a ſua cauſa .,

Inſurgunt de novo . Unum individuum poteſt producere aliud , & iſtud aliud in infinitum : igitur non recurrendum eſt ad unam primam cauſam . Probatur conſequentia . Tametſi quodlibet contingens non ſit neceſſarium , poteſt tamen tota collectio eſſe neceſſaria ; ergo non recurrendum eſt ad unam primam cauſam neceſſariam . Probatur antecedens . A ſenſu diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia : ſic licet ſinguli milites non ſint exercitus , non ſequitur non dari exercitum .

Reſpondeo diſtinguendo : & individuum quod operatur , fuit ab alio productum , & tandem unum ab uno improducto emanavit , ſcilicet a Deo , concedo : & non emanavit , nego ; unde ad probationem , nego individuorum collectionem non fuiſſe productam . Ad alteram probationem , utique diſtinguo : a ſenſu diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia in prædicatis accidentalibus , ut in exemplo allato , concedo ; nam exercitus formaliter eſt collectio militum , & non unus aut alter : in prædicatis eſſentialibus , nego : *v. g.* Homo cum eſſentialiter ſit rationalis , rationabilitas abſolute convenit ſingulis hominibus , & omni conſequenter collectioni : pari

& conſimili ratione, quia quodlibet individuum finitum eſt, finita utique & tota collectio, hæc enim nihil aliud eſſe cenſetur præter individua: ſicut igitur individuum clauditur terminis & dependens eſt, ſimiliter & totus mundus eſt ab alio a quo dependet, non enim datur proceſſus in infinitum: igitur deveniendum eſt ad unum primum mobile, a quo cætera profluant, ipſum vero a nullo ſit, ſed potius cuncta ſint ab illo.

Adhuc inſtant. Non poſſumus mente concipere & cogitare ea quæ poſſunt eſſe ſimul & de facto eſſe; igitur a pari non poſſumus quæcumque ſunt, cogitare ea non eſſe: igitur abſque eo quod neceſſe ſit aſcendere ad unum primum, a quo ſint cætera, poſſumus intelligere totam collectionem creaturarum non habere initium.

Reſpondeo negando paritatem, quia omnia poſſibilia habent eſſe in tempore ſolum ſucceſſive: ſed tota collectio habet ſimul exiſtentiam, unde conciperetur non eſſe, niſi aſcenſio fiat ad unum primum a quo habeat eſſe initiative.

Opponunt 3. Deus non poteſt definiri, ergo neque demonſtrari.

Reſpondeo diſtinguendo. Non poteſt definiri a priori, concedo: non enim habet cauſam: non poteſt definiri a poſteriori, & deſcriptive per effectus, nego.

Objiciunt 4. Si Philoſophus demonſtraret Deum eſſe, amitteret fidem circa exiſtentiam Dei: abſurdum conſequens; ergo & antecedens. Probatur minor: ſequerentur duo abſurda 1. Quod eſſet hæreticus. 2. Quod ſaltem eſſet deterioris conditionis quam ruſticus; qui enim credit Deum eſſe, certiorem habet de eo cognitionem, quam ille qui cognoſcit eſſe per demonſtrationem Philoſophicam.

Reſpondeo diſtinguendo, Amitteret fidem quoad extenſionem circa aliquid, concedo: quoad entitatem, & ipſum fidei habitum, nego. Ideſt, in Philoſopho demonſtrante Deum exiſtere, fides deſinit quidem ſe extendere ad exiſtentiam Dei, ſed remanet entitative & etiam extenſive quoad alios articulos. Unde ad probationem, non ſequitur illum Philoſophum eſſe Hæreticum, cum ille fidem non amittat quoad hoc momentum diſcredendo, ſed per evidentiam ſcientiæ, quæ ſubit vices fidei, ſicut in cœlo deſinit fides adveniente viſione. Non ſequitur etiam hunc Philoſophum eſſe pejoris conditionis ruſtico, tum quia evidentia major, quam habet de exiſtentia Dei, æquiparat quodam modo certitudinem quæ eſt in ruſtico quoad gradum majorem, & compenſat: tum quia fides remanet in Philoſopho circa cæteros articulos. Quid plura? ſi ſcientiam, quoad exiſtentiam Dei, fato & caſu aliquo ſiniſtro amitteret, ejus fides ad illam de novo ſeſe extenderet.

Objiciunt 5. Deum eſſe, & exiſtere colligit D. Thomas, ex eo maxime quod ſit ens neceſſarium, ſed hæc ratio nihil probat, quod quidem ſic oſtenditur. Non deſunt creaturæ, quæ ſint entia neceſſaria, & ad unum determinata, ut cœli, ut ſol, ut ſtellæ, & alia ſydera, quæ utique ſunt incorruptibilia: nemo tamen ſanæ mentis has omnes creaturas dixerit Deos: igitur ex ente neceſſario non recte colligitur unius entis ſupremi exiſtentia.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem, diſtinguo: cœli & ſydera ſunt entia neceſſaria a parte poſt, concedo: a parte ante, nego; & vero ea habuiſſe initium omnes demonſtrant in probationibus allatæ rationes, nec aliam habent neceſſitatem præter extrinſecam & emendicatam a Creatore, qui ſicut vult illa perſeverare, ita & deſtruere poteſt. Solus Deus eſt ens eſſentialiter & ab intrinſeco neceſſarium, quia ſolus a ſe & independens Dominus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Omnis generis ratione Deum eſſe conſtat.

PRIMO quidem: Si Deus non eſſet, mundus foret & a ſe ipſo, & ab æterno; & ſic materiæ convenirent tum ſapientia, tum omnipotentia; quandoquidem omnium creaturarum eſſet cauſa formalis: quinimmo & efficiens, quod quidem meræ potentiæ materiali convenire nuſquam poteſt, ut ex profeſſo infra probabitur.

Secundo. Non datur proceſſus in infinitum in cauſis ad invicem ſubordinatis; ſed deveniendum eſt ad unam primam,

mam, quæ ſit ſola neceſſaria, & cauſa cæterorum, & eſt Deus.

Tertio. Datur appetitus innatus ad bonum infinitum, tanquam ad beatitudinem & finem ultimum; nullo quippe bono creato ſatiatur anima rationalis: porro illud bonum eſt ipſe Deus, optimus, maximus.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD DIFFICULTATES.

PRIMO. Tametſi cognitio omnibus numeris abſoluta de exiſtentia Dei, quandoque ſit fidei objectum, puta reſpectu rudiorum, non tamen reſpectu eorum qui pollent ingenio; unde eam dicit D. Thomas non fidei objectum, ſed quid ad ipſam fidem præambulum.

Secundo. Licet Deus ſecundum ſe ſpectatus ſit prior creaturis, non tamen quoad nos ſemper cognitione clara prior. Poteſt igitur cognoſci ejus exiſtentia a poſteriori & per effectus.

Tertio. Effectus finitus denotat quidem cauſam ſecundam finitam eſſe: at vero indigitat cauſam primam prorſus infinitam, quatenus viſis effectibus creatis, deveniendum eſt ad unum primum, & ſupremum ens, a quo ſint omnia, ipſum vero a nullo, ſed a ſe, & eſt Deus.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum materia ſit increata, & ſine principio.

TERTULLIANUS lib. contra Hermogenem, dicit eum tenuiſſe affirmativam, & hunc a Stoicis accepiſſe errorem. "A Chriſtianis enim, *inquit*, converſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam, & porticum, inde ſumpſit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ & ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia poſtea fecerit."

CONCLUSIO.

Materia non eſt æterna, ſed in tempore facta cum cæteris creaturis.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo quidem, *ex auctoritate Scripturæ ſacræ*.

GENESEOS 1. habetur: *In principio creavit Deus cœlum & terram*: ſed ſub nomine cœli & terræ intelligitur omnis creatura corporalis; nulla quippe eſt, quæ non claudatur intra hunc ordinem; ſiquidem omnis eſt aut ex materia cœleſti, ut ſtellæ, ſol & luna: aut ex materia craſſiori, quæ ſub nomine terræ intelligitur. Igitur & ipſam materiam in principio creavit Deus, cum creaverit omnia ſub quibus ipſa monſtratur & exhibetur.

Secundo. Ibidem habetur v. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus ſuum*. v. 12. *Et protulit terra herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum*. v. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram*. v. 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ*. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*; & cap. 2. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*. v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volucribus cœli, adduxit ea ad Adam*, &c. & ante iſta, v. 7. habetur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. v. 22. *Ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem*. In his omnibus refert Moiſes, & quæ primo creata ſunt, & alia quæ ex præexiſtentibus aut producta, aut per diſtinctionem & ſeparationem in ordinem digeſta ſunt, ut cum c. 1. v. 6. dicit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*. Ex aquis volatilia, ex terra ligna pomifera & beſtiæ facta ſunt; quinimmo ipſe homo, creaturarum princeps de limo creatus eſt: ergo a fortiori materia cum cæteris elementis concreata fuit.

Tertio, Ibidem c. 1. legitur: *Fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem quod eſſet bona & diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*. Ibi & lux dicitur facta; immo quodammodo tenebræ productæ narrantur, in quantum intra locum continentur, a quo lux ipſa recedit: quidni & materia facta erit? ſive ſumatur pro ente poſitivo, cum omne ens a Deo productum ſit, ſive pro potentia mere phyſica, quæ ſecundum multos propriam habet exiſtentiam; tum quia ipſæ tenebræ, quæ ſunt quid minus, etiam factæ ſunt, juxta illud Iſaiæ 45. *Ego, qui ſtruxi lucem, & feci tenebras?* & illud Matth. 27. *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*. Igitur materia, ſicut alia entia, fuit creata, quod & pia Machabæorum mater ſentiebat, cum adhortans filium natu minimum pro ſanctis Dei legibus defendendis, ajebat: *Pete, nate, ut aſpicias cœlum & terram, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus*.

Ex Patribus.

TERTULLIANUS primo loco venit, quippe qui ex profeſſo errorem Hermogenis in libro integro confutaverit; cap. 4. ſic loquitur: " Quis enim alius Dei
„ cenſus, quam æternitas? Quis alius
„ æternitatis ſtatus, quam ſemper fuiſſe,
„ & futurum eſſe, ex prærogativa nul-
„ lius initii, & nullius finis? Hoc ſi
„ Deo eſt proprium: quia etſi alii aſcri-
„ batur, jam non erit, cujus eſt proprium,
„ ſed cum eo cui aſcribitur.... Si Deus
„ eſt, unicum ſit neceſſe eſt, ut unius
„ ſit; aut quid erit unicum & ſingula-
„ re niſi cui nihil adæquabitur? Quid
„ principale, niſi quod ſuper omnia, niſi
„ quod ante omnia, & ex quo omnia?
„ Hæc Deus ſolus habendo eſt, & ſolus
„ habendo unus eſt. Si & alius habuerit; tot
„ jam erunt Dei, quot habuerint quæ Dei
„ ſunt. Ita Hermogenes duos Deos infert,
„ materiam parem Deo infert. „

Idem cap. 20. " in principatu enim &
„ in poteſtate Deus fecit cœlum & ter-
„ ram..... Per ſophiam Dei omnia fa-
„ cta ſunt, & cœlum: ergo & terram
„ Deus faciens, in principio, ideſt ini-
„ tio, in ſophia ſua fecit. „

Idem cap. 31. & 32. Probat fuſe Deum omnia feciſſe, nedum cœlum, terram, atque elementa, ſed & rerum omnium ſpecies, & ipſas tenebras: Singulas, *in-*
„ *quit*, ſpecies factas docet aliis in locis,
„ habes ſophiam, prior autem abyſſo ge-
„ nita ſum, dicentem: ut credas abyſſum
„ quoque genitam, ideſt factam, quia &
„ filios facimus, licet generemus; nihil
„ intereſt facta, an nata ſit abyſſus,
„ dum initium detur illi, quod non
„ daretur, ſi materiæ ſubjecta eſſet, de
„ tenebris vero ipſe Dominus per Iſaiam:
„ Ego qui ſtruxi lucem, & feci tene-
„ bras, de ſpiritu æque Amos, qui ſoli-
„ dat tonitruum, & condit ſpiritum, &
„ annuntiat & in homines Chriſtum ſuum.

Ex Tertulliano æternitas ita Deo propria eſt, ut alteri aſcribere eſt Deo illum aſſimilare, adæquare, immo & facere Deum. Ex eodem; Deus cuncta creavit etiam ſpiritum, etiam abyſſos. Denique omnia fecit in tempore, nempe initio, ideſt primo, quo incepit tempus, momento: igitur ex Tertulliano materia nequit eſſe infacta & innata, ſolus quippe Deus infactus; non æterna, ſolus Deus æternus, & ipſa ſicut cætera creata, habuit initium: igitur materia non eſt æterna.

Theodoretus l. 5. de hær. fabul. ex profeſſo perſtringit errorem Hermogenis, cæterorumque qui tenent materiam Deo coævam atque æternam: " Exiſtimarunt
„ ſtolidi Deum quoque ſine materia creare
„ non poſſe: nec intellexerunt quan-
„ tum Dei & hominum ſit diſcrimen,
„ & quod fieri non poſſit ut omnia
„ habeat imago quæ archetypus; &
„ quod homo quidem velut imago, ex
„ iis quæ extant, creet; Deus vero ex iis
„ quæ extant & ex non extantibus; quod
„ aperte nos Scriptura docuit, Apoſtolus
„ enim ait: fide intelligimus aptata eſſe
„ ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus,
„ viſibilia fierent. Rurſus *qui vocat ea quæ*
„ *ſunt, tanquam ea quæ non ſunt*, quod divi-
„ nus David demonſtravit: *Omnia enim*,
„ inquit, *quæcumque voluit Dominus, fecit*.
„ Non dixit quæcumque potuit, ſed quæ-
„ cumque voluit; habet enim potentiam
„ voluntati æqualem. „

Quibus verbis varias affert rationes, cur materia ſit creata. Prima quidem ea eſt. Deus non ſicut homo, iſte nihil niſi

Digitized by Google

niſi ex præſuppoſito ſubjecto producit; Deus vero e contra poteſt producere aliquid ex nihilo, unde plurimum allucinantur Hæretici; non enim opus habuit Deus materiam præſupponere, ut ex ea conderet mundum. Secunda ſic exponitur. Quæcumque voluit Deus, ea & fecit; multa voluit creare, multa vero alia ex præexiſtentibus producere, veluti piſces ex aquis, corpus hominis ex limo, ut probat ex Scriptura Theodoretus. Tertia. Negare, inquit, Deum potuiſſe creare mundum ſine materia, eſt irridere Creatoris potentiam. " Qui autem, *inquit ibidem*, creationem cavil-
„ lantur, & omni ex parte aptum opi-
„ ficium calumniari conantur, eaque de
„ cauſa materiæ mentionem inducunt,
„ audiant divina oracula clamantia: *Vi-*
„ *dit Deus omnia quæ fecerat, & erant val-*
„ *de bona.* „

Methodius apud Photium, Cod. 236. docet Deum materiam ex nihilo ſicut alias creaturas feciſſe. Enimvero, *inquit*, ſi
„ artifex ex non extantibus molitur opus,
„ a fortiori Deus. Quod ſi res ita ſe
„ habet in hominibus, nonne magis con-
„ venit, ut Deus non ſolum qualitates
„ ex non extantibus conficere poſſit, ſed
„ etiam ſubſtantias? Eo enim ipſo quo e
„ non extantibus fieri poſſe quidpiam ap-
„ paret, id in ſubſtanciis locum habere
„ monſtratur. „

Auguſtinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos eidem veritati ſuum addit calculum: " Ideo, *inquit*, Deus rectiſſime cre-
„ ditur omnia de nihilo feciſſe, quia e-
„ tiamſi omnia formata de iſta materia fa-
„ cta ſunt, hæc ipſa materia tamen de
„ omnino nihilo facta eſt.

Aſtipulatur Petrus Chryſologus ſerm. 46.
„ Ubi ſunt qui Deum de materia mun-
„ dum figuraſſe contingunt? Deus noſter
„ in cœlo & in terra, non ut inventor,
„ ſed ut conditor materiæ, ex nihilo cun-
„ cta perfecit. „ Si igitur ex nihilo omnia condidit Deus, materia non eſt ipſi coæterna.

Ex rationibus.

PRIMA ſic exponitur. Nihil eſt a Deo independens, & ipſi non ſubjectum: ſed ſi materia foret innata, foret etiam a Deo independens: igitur eſt e nihilo & in tempore producta. Probatur minor. Materia, ut ſupponit Hermogenes, eſt innata: igitur non dependeret a Deo in eſſe; enimvero eſſet per ſe ſubſiſtens & incorruptibilis: igitur nec in conſervari a Deo dependeret, immo nec in operari; quippe quæ ex innata virtute ſe moveret, tum ad generationem omnium entium, tum ad eorumdem compoſitionem. Hæc ratio eſt Tertulliani, l. contra Herm. cap. 7. " Quomodo ergo di-
„ ſcernere audebit Hermogenes, atque
„ ita ſubjicere Deo materiam, æternam
„ æterno, innatam innato, auctricem au-
„ ctori, dicere audentem? & ego pri-
„ ma, & ego ante omnia, & ego a quo
„ omnia; pares fuimus, ſimul fuimus;
„ ambo ſine initio, ambo ſine fine, am-
„ bo ſine auctore, ſine Deo, quis me Deus
„ ſubjicit contemporali coætaneo?

Secunda. Ponere materiam innatam, eſt a Deo tollere proprietates: ſed hoc eſt inconveniens, & mendaces reddere ſcripturas; ergo &c. Probatur major. Deus eſt principium & finis, ſolus omnium auctor, omnium Dominus, a quo cuncta dependent: ſed in hypotheſi non eſſet ſolus rerum auctor & Dominus, non ſolus infinitus & immenſus; ſiquidem & materia eſſet primum rerum principium, ex quo omnia, a quo cætera dependent; eſſet & infinita & immenſa, namque daret eſſe cuilibet creaturæ; quod ſane abſurdum eſt & inconveniens: igitur materia non eſt innata. Iſta ratio colligitur ex Tertulliano, ibidem, cap. 6. " Ego quidem Deus, conteſtabitur
„ Deus, & juravit nonnunquam per ſe-
„ metipſum, quod alius non ſit qualis
„ ipſe: ſed mendacem eum faciet Her-
„ mogenes; erit enim & materia qua-
„ lis Deus, infecta, innata, initium non
„ habens nec finem. Dicet Deus: ego
„ primus: & quomodò primus, cui mate-
„ ria coætanea eſt? Inter coætaneos au-
„ tem & contemporales ordo non eſt, aut
„ & materia prima eſt. Extendi, in-
„ quit, cœlum ſolus, at quin non ſo-
„ lus? cum ea enim extendit, de qua &
„ extendit. „

Tertia. Si materia eſt innata, ſequitur ipſam eſſe Deum: ſed hoc implicat: igitur non eſt innata. Probatur ſequela. Materia ſi innata, eſt ens a ſe, incorruptibile, a nullo accipit eſſe, neque dimi-

diminutionem, neque finem patietur; ideo enim creaturæ deficiunt, quia ex nihilo factæ, in nihilum redeunt: ſed & hoc implicat, & eſt contra naturam entis finiti, immo contra ipſam materiæ naturam, quam Hermogenes Deo ſubjectam confitetur: igitur materia non eſt æterna. Sic ratiocinatur Tertullianus ibidem cap. 7. “ Sicut enim cætera quæ naſcun-
,, tur, aut finiunt, & idcirco æterna non
,, ſunt, ſemel oppoſita fini, quæ & ini-
,, tio admittunt ea, quæ Deus non ca-
,, pit. Diminutionem dico interim, &
,, ſubjectionem: quia nata & facta ſunt:
,, ita & Deus ideo ea non capit, quia nec
,, natus omnino, nec factus eſt. Et ma-
,, teriæ autem ſtatus talis eſt. Igitur &
,, duobus æternis, ut innatis, ut infectis,
,, Deo atque materiæ ob eandem ratio-
,, nem communis ſtatus ex æquo habenti-
,, bus, id quod neque diminui, nec ſub-
,, jici admittit, ideſt æternitatem: neu-
,, trum diximus altero eſſe minorem, ſi-
,, ve majorem: neutrum altero humilio-
,, rem, ſive ſuperiorem, ſed ſtare ambo
,, ex pari magna, ex pari ſublimia, ut
,, pari ſolidæ, & perſectæ ſelicitatis,
,, quæ cenſetur æternitas. Neque enim
,, proximi erimus opinionibus nationum,
,, quæ ſi quando coguntur Deum profite-
,, ri, tamen & alios infra illum volunt:
,, Divinitas autem gradum non habet, ut
,, pote unica. Quæ ſi & in materia erit,
,, ut proinde innata, & infecta, & æter-
,, na, aderit utrobique: quia minor ſe nuſ-
,, quam poterit eſſe: quomodo ergo di-
,, ſcernere audebit Hermogenes, atque
,, ita ſubjicere Deo materiam? ,, Quibus verbis demonſtrat Tertullianus materiam, & eſſe Deum, & Deo non ſubjici, ſi innata ſit; quæ quidem omnia coutra ipſum Hermogenis ſyſtema pugnant, ipſum ſubvertunt.

Quarta, Quod eſt finitum, non eſt æternum; æternum quippe illud ſolum eſt, quod eſt ſine termino, & ſine initio: ſed materia eſt finita: ergo & producta. Minor conſtat; materia enim eſt corporea, adeoque & extenſa in longum, latum, & profundum; habet igitur primam lineam a qua incipit dimenſio, & ultimam qua terminatur, ut patet in omnibus entibus ſenſibilibus. Si dicatur eſſe partim corporea, partim incorporea; etiam ex hac parte conſtat eam eſſe finitam, immo ipſa anima, quæ eſt ſpiritus, clauditur terminis, quandoquidem recipitur in corpore a quo circumſcribitur & limitatur: ſi vero aliquis cum Hermogene contendit, materiam eſſe inſenſibilem & incorpoream, ratione motus interioris, quo turbulente agitatur, etiam ipſe motus eſt finitus, quippe qui ſit in ſubjecto in quo recipitur, & ipſi inhæret, ut accidens inhæret ſubjecto, cum & ipſe ſit accidens; immo dato quod foret ſubſtantia, ſemper eſſet finitus; ſiquidem in aliquo mundi ſpatio locaretur, mundus autem eſt finitus; igitur & a fortiori id omne quod continet. Jam probatur major, ſcilicet omne finitum non eſſe innatum, & æternum. Quod eſt finitum clauditur terminis, & a parte ante, quatenus incipit eſſe, & a parte poſt, quatenus partes habet terminatas; alias non eſſet finitum, ſed infinitum: immo ex parte durationis talis eſt menſura quale eſt ens; jam vero cum æternitas omne excludat & abnuat initium, non menſurat, niſi ens infinitum ſecundum ſe, & in ejus natura: ſed materia in ſe eſt finita, ut modo dictum eſt: igitur & facta.

Tertullianus hanc expendit rationem, variiſque explicat modis ibid. cap. 38. argumentando ad hominem contra Hermogenem. “ De ſitu materiæ id tracto,
,, quod & de motu, ut perverſitatem
,, tuam traducat, ſubjacentem facis Deo
,, materiam, & utique locum illi, qui
,, ſit infra Deum. In loco ergo mate-
,, ria. Si in loco, ergo intra locum: ſi
,, intra locum, ergo determinatur a lo-
,, co, intra quem eſt: ſi determinatur,
,, habet lineam extremam, quam quan-
,, tum proprie pictor, agnoſcis finem eſſe
,, omni rei cujus linea extrema eſt; non
,, ergo infinita erit materia . . . . . at tu
,, infinitam facis, dicens: infinita eſt au-
,, tem eo quod ſemper eſt . . . . . obduce-
,, ris, corpore eam infinitam faciens, cum
,, locum ei aſcribens, intra locum & ex-
,, tremam loci lineam includis. ,, c. 43. Oſtendit materiam neque eſſe in motu infinitam, quia demutabilis eſt, & modo in partes dividitur, modo venit in compoſitionem, modo motus ejus eſt concretus atque turbulentus, modo rardus; quod autem eſt in duratione infinitum, uniforme manet, quandoquidem æternitas ſimul habet omnes partes. Iſta ratio probat materiam non eſſe æternam, neque

in

in ſe, patitur enim diminutionem & alias alterationes; neque in motu, nam variatur & locatur ille motus; neque in partibus, quandoquidem ipſæ a loco circumſcribuntur, variiſque ſubjacent formis, adeoque & mutationibus.

Quinta. Deus libere operatur ad extra; ſed poſito quod materia ſit illi coæva, neceſſario ea uti debet; ſiquidem cuncta ex ipſa debent fieri, ideo enim innata prædicatur, quia ex nihilo nihil fit, inquit Hermogenes, & ſic Deus ſubjectus erit materiæ in ſyſtemate iſto, quod ſane eſt impoſſibile: igitur materia non eſt æterna, ſed facta; tum quia falſa eſt ſuppoſitio, nempe omnia eſſe ex materia condita; cum altum ſit de hoc momento in Scriptura ſilentium. Enimvero cœlum & terram e nihilo producta refert Scriptor Canonicus; alia vero corporea, vel ex aquis, vel ex terra, animam vero rationalem per ipſius Dei afflatum creatam commemorat.

Tertullianus hanc urget rationem cap. 8. contra Hermogenem; nam de illo loquens, ait: " Deum potius ſubjicit materiæ; cum vult eum de materia cuncta feciſſe: ſi enim illa uſus eſt ad opera mundi, jam & materia ſuperior invenitur, quæ illi copiam operandi ſubminiſtravit, & Deus ſubjectus materiæ videtur, cujus ſubſtantia eguit ut poſſit uti."

Sexta ſic procedit, evertendo fundamentum Hermogenis. Materia juxta illius opinionem, eſt mala, & ideo eſt æterna, ne mala quæ ſunt & apparent, refundantur in ipſum Deum: ſed ex hoc ipſo quod eſt mala, non eſt æterna. Enimvero dum reformatur in melius, a Deo mutatur; quod autem mutatur, ſuam amittit æternitatem, quæ quidem invariabilis eſt. Ita ratiocinatur Tertullianus c. 12. " Bona atque optima a Deo fiunt: & vidit Deus quia bona, & benedixit ea Deus, utique qua optima, non certe qua mala ac peſſima. Demutationem igitur admiſit materia, & ſi ita eſt, ſtatum æternitatis amiſit: mortua eſt denique ſua forma. Sed æternitas amitti non poteſt: quia niſi amitti non poſſit, æternitas non eſt."

Septima hæc etiam ſubvertit fundamentum Hermogenis. Si materia ſit innata, ut ex ea cuncta fiant, nihil erit a Deo: abſurdum conſequens: ergo & antecedens. Probatur. Quod ſit vel eſt malum, vel bonum: ſi malum non eſt a Deo, ſed a materia quæ eſt de ſe mala: ſi bonum, nec utique a Deo procedit, quia nihil fit ex nihilo ſecundum Hermogenem, ſed ex materia præexiſtente; ſi partim malum, partim bonum, utique & malum in Deum refunderetur, ſiquidem compelleretur uti materia mala ad faciendum aliquid quod eſſet ex parte malum. Ita Tertullianus cap. 16. " Equidem definio, aut Deo aſcribendum & bonum & malum quæ ex materia fecit, aut materiæ ipſi ex qua fecit: aut utrumque utrique, qui ambo ſibi obligantur. Qui fecit, & de qua fecit: aut alterum alteri.... Porro ſi Deus erit utrumque, videbitur Deus etiam mali auctor; Deus autem ut bonus, auctor mali non erit." Cap. 10. infert Tertullianus, malum refundi in Deum, ſi cuncta fiant ex materia mala, quatenus teneretur ea uti pro cæterarum creaturarum productione.

Solvuntur objectiones Hermogenis.

OBJICIT 1. illud Gen. 1. *In principio Deus creavit cœlum & terram*: ſed illud principium quo Deus creavit cœlum & terram, erat materia: igitur materia non eſt creata ſed præexiſtens ad res creatas, adeoque æterna, & innata. Probatur minor. Principium dicit aliquid quod ſit rerum cauſa, & quidem ſimile, aut ejuſdem naturæ: ſed illud non poteſt eſſe Deus, quippe qui ſit inviſibilis, & ſuper omnem excelſus creaturam: ſupereſt ergo quod illud principium ſit materia: enimvero agitur de mundi corporei productione, nempe de creatione cœli & terræ.

Reſpondeo diſtinguendo majorem; & vox *In principio* deſignat ſolummodo temporis ordinem, concedo: & deſignat aliquod ſubjectum præexiſtens rebus creatis, nego. Senſus Scripturæ hic eſt, Deus incepit mundi creationem per productionem cœli & terræ; non vero iſte, materia fuit ab æterno tanquam principium rerum; ſola quippe Sophia, ſeu Dei verbum, eſt in principio, ideſt

ab

ab æterno, juxta illud Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Præclara ſane ratio; ut aliquid ſit ab æterno, debet eſſe apud Deum, & Deus ipſe; unde ſubdit Joannes, *& Deus erat Verbum*, quod neque legitur de materia, neque ipſi tribuitur, etiam concedente Hermogene; illam quippe dicit & extra Deum, & Deo ſubjectam. Solum Verbum eſt ab æterno ut principium rerum, quod & Joannes ibidem commemorat, dicens: *quod factum eſt, in ipſo vita erat*, nempe ut idea in mente artificis.

Sic explicat Tertullianus l. contra Hermogenem, cap. 19. ubi reſpondet ad objectionem. " Principium, ſive initium in-
,, ceptionis eſſe Verbum, non alicujus
,, ſubſtantiæ nomen. Cum utimur voca-
,, bulo principii, quaſi originis, non
,, quaſi ordinis nomine, adjicimus &
,, mentionem ipſius rei ſpecialiter, quam
,, volumus principium alterius rei. De
,, cætero, ſi ſic ponamus; *v. g.* In prin-
,, cipio, fecit figulus pelvim, vel urnam:
,, jam non materiam ſignificabit princi-
,, pium; non enim argillam nominari
,, principium, ſed ordinem operis. Quia
,, figulus ante cætera primum pelvim &
,, urnam fecit, exinde facturus & cæ-
,, tera. Ad ordinationem operum princi-
,, pii vocabulum pertinebit, non ad ori-
,, ginem ſubſtantiarum.,, .

Inſtat, ibidem Gen. 1. 2. habetur: *Terra autem erat inanis, & vacua* & ut verſio quædam perantiqua legit, *erat inviſibilis & inc:mpoſita*; ergo erat ipſa mate:ia, quæ ideo dicitur mala, quia incompoſita, ſed adornata per creationis operationem, quia Deus ad ipſam ſe ſe accinxit & approximavit: igitur & æterna, quod innuit illud vocabulum, *erat*, quandoquidem ſignificat materiam ante mundi conſtitutionem præextitiſſe.

Reſpondeo diſtinquendo antecedens. Terra erat inanis, ideſt, nondum erat ornata tum arboribus, tum beſtiis & floribus, concedo: ideſt, præexiſtebat mundo, nego. Theologi quidem cenſent Deum primo die omnia ſimul produxiſſe, & poſtea diſtinxiſſe opus ſex dierum ſpatio, ſi hominem excipiamus, quem Scriptura creatum expreſſe dicit poſt mundi conſtitutionem. Ita docet D. Thomas: igitur in principio terra erat inanis, ideſt confuſa, & nondum per ordinem entium digeſta ac decorata. Qui quidem ſenſus maxime arridet Scripturæ dicenti: *Congregen:ur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum unum: & appareat arida*; rurſus Eccl. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul* igitur ante iſtam diſtinctionem, terra erat inanis, & cum cæteris elementis permixta. Quis jam putabit Moiſen per terram inanem intellexiſſe materiam imaginariam Hermogenis? Quinimmo adaperte ſuam prodit ſententiam Scriptura: nam habetur illam terram inanem creatam fuiſſe, *in principio*, inquit Moiſes, *creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis*, illa ſcilicet terra quam in principio creaverat: unde Tertullianus lib. contra Hermogen. c. 24. reſpondet ad hoc argumentum; gratis & ſine fundamento per terram inanem intelligi materiam inviſibilem & innatam, cum tamen Scriptura de hoc taceat. Oportet igitur ut & præter terram inanem de qua loquitur Scriptura, admittat Hermogenes aliam terram vere inviſibilem; namque terra inanis dicitur in antiqua verſione inviſibilis. Quo ſenſu? In eo ſcilicet, quod nullus eſſet tunc homo a quo videretur, tum etiam quia erat aquis prorſus cooperta: jam vero ſi admittat Hermogenes aliam terram inviſibilem, rudem & incompoſitam, ſequitur illam materiam non eſſe innatam & æternam, inquit Tertull. cap. 28. *Certe rude illud eſt, quod imperfectum eſt: certe imperfectum non poteſt eſſe, niſi quod factum eſt*. Unde nego conſequentiam, ſcilicet dari materiam æternam.

Ad probationem diſtinguo. Vox *erat* ſignificat terram præextitiſſe mundo ornato, concedo: mundo ut ſic, nego. Dictum eſt Deum omnia creaſſe ſimul, poſtea diſtinxiſſe opus; immo ex terra produxiſſe arbores & beſtias, juxta illud Gen. 1. v. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, lignum pomiferum*, v. 24. *Producat terra an mam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas; factum eſt ita*: igitur materia primum producta cum elementis, vacua erat, & præexiſtebat quidem ornatui ſuo, ſed non toti mundo, ita ut fuiſſet Deo coæva.

Subſcribit Ambroſius hexam. l. 1. c. 4. "

Digitized by Google

4. “ Quia dixit in principio, principium
,, aut ad tempus refertur, aut ad nume-
,, rum , aut ad ſundamentum ; quomodo
,, in ædificanda domo initium fundamen-
,, tum eſt . ,,

Succinit Chryſologus ſerm. 46. “ Ubi
,, ſunt , inquit , qui Deum de materia
,, mundum configuraſſe confingunt ? Deus
,, noſter in cœlo & in terra , non ut in-
,, ventor , ſed ut conditor materiæ , ex
,, nihilo cuncta perfecit . ,,

Reſpondet Tertullianus l. contra Hermog. c.27. ad hoc argumentum , & dicit : “
,, De omni ente creato , quod erat , ſive
,, jam factum ſit ante aliquid , ſive non-
,, dum factum ; & vero ſi factum ante
,, alia , benedicitur quod erat . Si non-
,, dum ipſum erat , dicitur quod illud
,, ens erat vacuum : igitur vox erat . Ex
,, omni parte veritatem propoſitionis ha-
,, bet , tametſi non ſemper cauſalitatis :
,, at ego ſine ullo lenocinio pronuntiatio-
,, nis , ſimpliciter reſpondebo de omni
,, re poſſe dici , *erat* , etiam de ea quæ
,, facta , quæ nata ſit . Omne enim quod
,, habet eſſe , unde habeat ſive initium ,
,, ſive ſine initio , hoc ipſo quod eſt ,
,, etiam erat , dicetur : cui competit prima
,, verbi poſitio in definitionem , ejuſdem
,, etiam declinatio verbi decurret in re-
,, lationem . *Eſt* definitionis caput , *erat*,
,, relationi facit . ,,

Inſtat. Ibidem Gen. 1. 2. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi* : ſed illæ tenebræ denotat materiam inviſibilem , ex qua cæteræ creaturæ productæ ſunt ; ſiquidem Moiſes ſubdit : *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas . Dixitque Deus , fiat lux , & facta eſt lux* : igitur datur materia innata & inviſibilis ex qua Deus cuncta fecit , præſertim cum tenebræ non producuntur : igitur ſunt ipſa materia innata .

Reſpondeo nullam fieri in Scriptura de materia mentionem . Moiſes fideliter refert quæ primum producta ſunt ; deinde quæ ex præexiſtentibus , ut lignum pomiferum , herba virens , beſtiæ ex terra , ut notat Tertull. lib. contra Hermog. cap. 31. & 42. nam urget adverſarium , dicendo contraria loqui , & materiam modo inviſibilem ; modo viſibilem vocare ; modo tantum inviſibilem ratione motus , qui utique inſenſibilis eſſe non poteſt ; quippe qui ſequatur materiæ naturam , & ſit turbulentus & concreatus antequam in compoſitionem cum ipſa materia veniat , ut idem obſervat c. 43. Jam vero non poteſt dici ex illa materia fucata cuncta fieri , cum falſum ſit materiam præextitiſſe rebus ; ſiquidem poſtquam Scriptor Canonicus dicit : *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ſubjungit : *terra autem erat inanis & vacua , tenebræ erant ſuper faciem abyſſi* : ante igitur tenebras ſuper faciem abyſſi diffuſas & terra & cœlum erant producta : præterea additur , *ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas* : igitur aquæ jam erant cum tenebræ faciem abyſſi tegerent , adeoque productæ non ſunt ex illa ſuppoſititia materia .

Reſpondeo 2. diſtinguendo . Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi , & etiam circa entia jam producta , concedo : & non erant , nego . Dictum eſt ſupra , Deum , terram , cœlum , & elementa in globo produxiſſe ; & cum opus nondum extenſum diſtinctumque eſſet , certe hinc inde abyſſi apparebant , & ſuper eas tenebræ : ſicut de facto videntur in foveis profundis , quarum ſundum non percipit oculus ; unde illæ tenebræ erant in loco cui ſubjiciebantur , adeoque non erant materia , quam Hermogenes effutiebat infinitam & illocatam .

Ad probationem , diſtinguo . Tenebræ non fiunt , ratione ſui , concedo ; ſunt enim lucis privationes : ratione formæ oppoſitæ , nego . Factæ ſunt iſtæ tenebræ quando Deus elementa produxit in globo ; tunc enim apparuerunt ſpatia vacua circumfuſa per totum . Cæterum Hermogenes non vult ſuam materiam eſſe privationem : igitur non favet Scriptura , nec eam per tenebras ſuper faciem abyſſi comprobare valet ,

Solutio eſt Tertulliani , qui l. contra Hermogenem , cap. 31. dicit cœlum & terram habere ſuggeſtus ſuos proprios , ſupra quos ſunt aquæ & ſpiritus ; infra vero , tenebræ & abyſſi : “ Suggeſtus au-
,, tem cœli & terræ primo tunc fuerunt
,, tenebræ , & abyſſus , & ſpiritus , &
,, aquæ . Nam terræ quidem ſuberant
,, abyſſus & tenebræ ; ſi enim abyſſus in-
,, fra terram , tenebræ autem ſuper abyſ-
,, ſum , ſine dubio & tenebræ & abyſſus in-
,, fra terram ; cœlo vero ſpiritus & aquæ
,, ſubjacebat . Namque ſi aquæ ſuper ter-
,, ram quæ eam texerant , ſpiritus autem

ſuper

„ ſuper aquas, pariter & ſpiritus & a-„ quæ ſuper terram. Quæ vero ſuper ter-„ ram, ea utique infra cœlum; & ſicut „ terra abyſſo & tenebris, ita & cœlum „ ſpiritui & aquis incubabat, & comple-„ ctebantur; & ita novum non eſt, ut „ id ſolum quod continet, nominetur, „ qua ſummale: in iſto autem intelliga-„ tur & quod continetur, qua portiona-„ le.„

Objicit 2. Mundus non potuit fieri niſi ex materia præexiſtente, & probatur 1. Ex nihilo nihil fit. 2. Materia non potuit fieri ex Deo, quippe qui ſit indiviſibilis & immutabilis; hinc ipſius eſſentia, quantumvis immenſa, non poteſt dividi in partes, & aliquam ſuſcipere mutationem; quod profecto eveniret, ſi ex ipſo factæ ſint creaturæ. Supereſt igitur mundum factum fuiſſe ex materia innata & præexiſtente.

Reſpondeo negando primam propoſitionem, ad probationem, diſtinguo. Ex nihilo nihil fit, a creatura, concedo; cum enim ſit finitæ virtutis, ſupponit ſemper ſubjectum circa quod operetur: nihil fit a Creatore, nego: Et vero eſt omnipotens, unde non ſolum quæcumque voluit, fecit; ſed & ipſa teſte Scriptura, Rom. 4. 7. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Ad ſecundum, dico res factas atque productas fuiſſe, quaſdam ex nihilo, & per creationem; quaſdam vero per generationem aut productionem ex aliquo præſuppoſito ſubjecto, ut jam iterum atque iterum novimus: ſed addo omnia producta fuiſſe a Deo per verbum ſuum, per quod & in quo omnium præhabebat in ſe ab æterno ideas, juxta illud Joann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: & iſtud: *Omnia in ipſo vita erant*. Ita Tertull. lib. contra Hermogen. c. 18. „ Si neceſſaria eſt Deo materia ad opera „ mundi, ut Hermogenes exiſtimavit, „ habuit Deus materiam longe nobilio-„ rem, & idoneiorem, non apud Philo-„ ſophos æſtimandam, ſed apud Prophe-„ tas intelligendam, Sophiam ſuam ſcili-„ cet ..... ex hac facit, faciendo per „ illam, & faciendo cum illa. „ Ex hac quidem fecit, nempe ex ideis rerum præconceptis in ſua ſapientia produxit creaturas: per illam vero, quia per ſuum *fiat*, eduxit e nihilo cœlum & terram: *ipſe dixit & facta ſunt*, inquit Propheta, *ipſe mandavit, & creata ſunt*. Cum illa denique cuncta fecit, quia Verbum erat ſemper apud Deum, & Deus erat Verbum.

Objicit 3. Multa ſunt in mundo mala: ſed mala, ſive culpæ, ſive pœnæ, non poſſunt eſſe a Deo, alias defectus in ipſum redundarent: igitur debuit eſſe materia æterna, & innata ex qua mala prodirent.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Mala culpæ non ſunt a Deo, concedo: mala pœnæ, nego. Mala culpæ ſunt peccata, & hæc cum habeant ſolummodo cauſam deficientem, a ſola creatura promanant. Mala pœnæ alia ſunt inflicta hominibus, ut morbi & ægritudines; alia in bonis, ut exuſtio domorum, & ſimilia quæ caſu eveniunt; alia in ipſa natura, ut monſtra; & iſta omnia ſunt a Deo, afflictiones quidem ad emendationem vitæ, bonorum dilapidatio ad exercitium virtutis, defectus naturales ad pulchritudinem univerſi: quia contraria juxta ſe poſita, magis eluceſcunt. In iſto ſenſu Propheta dicit: *Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Cæterum non oportet ponere materiam ab æterno, ut aſſignetur ratio & cauſa malorum; quandoquidem in hac fucata hypotheſi, Deus redderetur cauſa peccati:. Et certe malum procederet a materia aut neceſſario, aut libere, & Deo volente; ſi primum, Deus ex neceſſitate malum a materia prodire ſineret: ſi libere, malo jam ipſe conſentiret, quod eſt abſurdum. Hinc Hermogenes ponendo materiam innatam,

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Solutio eſt Tertulliani qui quidem cap. 10. ſic alloquitur adverſarium: " Audiat „ igitur Hermogenes, dum alibi de mali „ ratione diſtinguimus, interim ſe quo-„ que nihil egiſſe hac ſua injectione. „ Ecce enim, & ſi non auctor, ſed aſ-„ ſentator mali invenitur Deus, qui ma-„ lum materiæ tanto ſuſtinuit de bono „ ante mundi conſtitutionem, quam ut „ bonus & mali æmulus emendaſſe de-„ buerat. Aut enim potuit emendare, „ ſed noluit: aut voluit quidem, verum „ non potuit infirmus Deus; ſi potuit & „ noluit, malus & ipſe, quia malo fa-„ vit:.

Digitized by Google

„ vit: & ſic jam habetur ejus quod licet „ non inſtituerit, quia tamen ſi noluiſſet „ illud eſſe, non eſſet, ipſe jam fecit „ eſſe, quod noluit non eſſe. Quo quid „ eſt turpius? ſi id voluit eſſe quod ipſe „ noluit feciſſe, adverſus ſemetipſum e- „ git, cum & voluit eſſe, quod noluit „ feciſſe, quod voluit eſſe. Quod ſi bo- „ num voluit eſſe, & quaſi malum no- „ luit feciſſe. Quid non faciendo malum „ judicavit, id ſuſtinendo bonum pronun- „ tiavit: malum pro bono ſuſtinendo, & „ non potius eradicando, aſſertor ejus in- „ ventus eſt; male ſi per voluntatem, „ turpiter ſi per neceſſitatem. Aut fa- „ mulus erit mali Deus, aut amicus, „ cum materiæ malo converſatus, ne- „ dum etiam de malo ejus operatus. „

Objicit denique Hermogenes. Deus eſt ab æterno Dominus: igitur materia eſt ab æterno, ut ſuper eam ſuum exerceret imperium Deus; ſiquidem non eſt Dominus ſine dominio, & dominium ſine ſubjecto, circa quod exerceatur, nullum eſt.

Reſpondeo negando, Deum eſſe ab æterno Dominum. Eſt quidem ab æterno omnipotens, ſed ſuam ab æterno non exercet dominationem; namque dominatio eſt attributum relativum, connotans creaturas, quibus actu dominetur. Ita Tertullianus ibidem cap. 3. “ Dei nomen di- „ cimus ſemper fuiſſe apud ſemetipſum, „ & in ſemetipſo, Dominum vero non „ ſemper: diverſa enim utriuſque con- „ ditio; Deus, ſubſtantiæ ejus nomen, „ ideſt divinitatis; Dominus vero non „ ſubſtantiæ, ſed poteſtatis; ſubſtantiam „ ſemper fuiſſe cum ſuo nomine, quod eſt „ Deus, poſtea Dominus, accedentis ſci- „ licet rei mentio: nam ex quo eſſe cœ- „ perunt, in quæ poteſtas Dei ageret, ex „ illo, per acceſſionem poteſtatis, & fa- „ ctus & dictus eſt Dominus. „

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Deus eſt ab æterno Dominus, in actu primo, concedo: in actu ſecundo, nego. Ideſt ab æterno non ſuum exercet dominium, tametſi eſſet ab æterno Dominus, Dominus, inquam, virtualiter.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia non eſt æterna.

Primo. Scriptura, Gen. 1. eam dicit factam.

Secundo. Tertull. errorem Hermogenis, qui eam poſuit increatam, in libro integro ſuo percellit ſtylo cenſorio. Theodoretus l. 5. Hæretic. Fab. cap. 8. eam opinionem inter Hæreticorum fabulas adſcribit.

Tertio. Nulla creatura eſt a ſeipſa, adeoque æterna; tum quia ſi foret innata, & cuncta ex ea fierent, nihil eſſet a Deo.

SYNOPSIS SOLUTIONUM.

Primo. Scriptura quidem dicit: *In principio creavit Deus cælum & terram*, ſed non ideo ex materia innata: ſenſus eſt; initio creavit Deus cœlum & terram, immo creavit & abyſſos, videlicet terram inanem, & nondum varias diſtinctam in partes.

Secundo. Mundum quoad entia permanentia D. Thomas aſſerit potuiſſe eſſe ab æterno: ſed ex hypotheſi fuiſſet creatus orbis terrarum; & non innatus.

Tertio. Ab æterno Deus Dominus eſt, eſto. Ergone materia æterna, ut ſuum in eam Deus exerceret dominium? minime; præſertim quia ſi foret innata, foret utique a Deo independens. Gratis igitur Hermogenes poſuit eam innatam, ut Deus in eam haberet dominium. Cæterum Deus non eſt ab æterno Dominus quoad dominii & poteſtatis exercitium, ſed tantummodo quoad virtutem & poteſtatem; quippe qui ab æterno omnipotens ſit.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum mundus & omnia quæ continet, caſu facta ſint ex variis materiæ atomis.

Contra Dei optimi maximi exiſtentiam objiciunt impii varias antiquorum Philoſophorum ſententias, maxime Epicureorum, qui præ cæteris audacio-res,

res, Deum non exiſtere, ſaltem conſequenter docebant, dum mundum & ex ſtupidis atomis coaleſcere, & a ſeipſo eſſe autumarent; animam utique nedum belluarum, ſed & hominis mortalem eſſe propugnabant. Ejuſmodi errores impugnavere primorum ſæculorum Patres. Quia tamen ſyſtema Epicuri quaſdam ſpeciales habet difficultates, operæ-pretium eſt illud & referre & refellere, ut veritas fugatis ex omni parte errorum umbris, creſcat uſque ad perfectam diem.

SECTIO PRIMA.

De ſyſtemate mundi ſecundum Epicurum.

HIC ſummatim ſolum referemus Epicuri ſyſtema de mundi fabrica, ut quæ de exiſtentia Dei, & animæ rationalis mortalitate cenſuerit, & quo fuerit innixus principio, ut Dei negaret exiſtentiam, & animam hominis mortalem diceret, clareſcat & appareat. Stanleius ex Anglico idiomate in Latinum translatus, editionis Lipſiæ, in hiſtoria antiquorum Philoſophorum, parte duodecima, tractando de Phyſica Epicuri, refert ejus circa mundi fabricam placita. Epicurus ſectione prima de natura rerum varia proponit & ſtatuit.

Primo. Supponit mundum coaluiſſe ex corpore & inani, quæ duo veluti prima rerum principia habet. Capite primo ſic definit corpus: *Intelligitur autem corpus ex congerie veluti quadam magnitudinis*. Capite ſecundo: *jam univerſum ex inani & corpore conſtans infinitum eſt, id enim quod finitum eſt, extremum habet*. Porro contendit ille Philoſophus mundum extremis carere, ea potiſſimum ductus ratione, quia oculis deluſis quædam habere non ſatis conſtat.

Secundo. Mundum negat eſſe creatum & factum, eo etiam innixus falſo principio, *ex nihilo nihil fit*; unde concreta vult fieri ex ſimplicibus, nempe ex materia ſubtili; formas vero animantium, maxime animæ rationalis, ex materia omnium ſubtiliſſima. Hanc vero materiam ex qua coaleſcunt omnia, atomos vocat, cap. 4. & 5. ſic loquitur: *Cæterum dari atomos allata ratio ſatis convincit. Quoniam cum natura nihil ex nihilo faciat, redigatve in nihilum, oportet quidpiam ſuperaſſe in concretionum diſſolutione, quod inexolubile ſit: ſane enim, ſi adhuc inexolubile, diviſibile-ve dicas, neceſſe erit, ſubdividendo, perveniatur tandem ad aliquid quod ſit ſolidum, diviſioniſque incapax, quippe cum neque ipſa natura infinite exſolvat, ſed in aliquo ultimo conſiſtat, neque dari ulla corporis in infinitum diviſio poſſit.*

Tertio, Atomos ſuas omnes ejuſdem eſſe naturæ affirmat, variiſque gaudere proprietatibus, ad compoſitionem concretorum aptiſſimis; ſic enim ſcribit cap. 6. *Cum omnes porro atomi videantur ob expoſitam ſoliditatem unius modi, ejuſdemve naturæ eſſe, habent tamen quædam conjuncta, ſive proprietates ac qualitates quaſdam quibus differre inter ſe poſſint: hujuſmodi autem ſolummodo ſunt, magnitudo, figura & pondus; & ſi qua præterea cum ipſa figura cognationem habent neceſſariam, uti aſperitas & lævor*, cap. 7. dicit atomos diverſas habere figuras quibus ad compoſitionem concretorum fiunt capaces. *Cum ſint*, inquit, *figurarum in atomis ſpecies numero incomprehenſibiles, ſunt enim rotundæ, ovatæ, lenticulares, planæ, gibbæ, oblongæ, &c.*

Quarto. Atomis tribuit gravitatem, pondus, motum perpetuum; alterum externum & ſenſibilem; alterum vero internum & imperceptibilem, quo quidem occurrentes ad invicem diverſimode conjunguntur, & abeunt modo in arborem, modo in plantam, modo in belluam, modo etiam in hominem: ibid. c. 8. ita loquitur: *Denique ipſis atomis gravitatem, ponduſve attribuo, quod cum in motu, conniſuque ad movendum perpetuo ſint, neceſſe ſit ipſas moveri motu, interno illo impetu, qui gravitas dici, ſeu pondus mereatur*. Ibidem: *Diſtinguendus vero imprimis occurrit in ipſis atomis motus duplex, unus ipſiuſmet gravitatis, ſive ponderis, quo atomus nempe ſuopte nutu fertur: alius ex ictu, ſeu reflexione, quo ſcilicet atomus una in aliam impacta repercutitur; & qui motus quidem gravitatis ſeu ponderis eſt, primario concipitur is quo atomus ad lineam, ſive ad perpendiculum fertur; tali motu videlicet moventur omnia, quæ gravia ſunt; verum, quia, ſi omnes atomi ad lineam, deorſumve & quaſi a regione ferrentur, ut nunquam altera alteram poſſet attingere; ea de cauſa neceſſe eſt declinare atomos perpaullum, & quo nihil poſſit fieri minus, ita enim effici poterunt complexiones, & copula-*

copulationes, *&* *adhæſiones atomorum inter ſe*, *ex quo & effici poſſit mundus*; *omneſque partes mundi*, *quæque in eo ſint*.

Quinto. Contendit atomos eſſe rerum omnium principia, ex quibus cuncta fiunt, c. 10. *Non eſt porro eorum quæ fiunt alia cauſa prima*, *& radicalis requirenda*, *quam ipſæ eædem atomi quatenus ſun. eo prædicta vigore*, *ob quem moventur*, *aut in conniſu ad movendum continuo ſunt*, *neque enim abſurdum eſt facere materiam actuoſam*. Ibidem: *Itaque ut primæ moleculæ ex atomis coalitæ habent in ſe energiam quamdam*, *ſeu ſeſe movendi*, *ac agendi vim*, *conſtantem nempe ex ſingulorum atomorum vigoribus*, *ſed vario tamen modificatis*, *prout atomorum ſeſe invicem irretientium aliæ huc*, *aliæ illuc feruntur*, *ita grandiores moles contentæ ex minoribus habent aliquam*, *eamque pro illarum varietate modificatam*, *ac unum quodvis*. *Denique ex corporalibus naturalibus*, *ex ſuis conſtans motibus*, *& moleculis*, *& atomis*, *ſpecialem habet energiam*, *ſeu ſeſe movendi ac agendi vim*, *certa ratione modificatum*, *ita ſcilicet motus*, *ſive actio a principiis uſque aſcendit*, *& exit*.

Ibidem ſic proſequitur: *At res naturales*, *tametſi mutuentur partem aliquam ſui*, *ſive principium quoddam agendi ab auctore extrinſeco*, *debere tamen ſui affectionem principiis intra ſe contentis*, *& a quibus interius ſecundum omnes ſui partes digerantur & conformentur*. Sic primam cauſam non agnoſcit præter atomos, nam per agens extrinſecum, quod eſt concretorum cauſa, intelligit ipſam creaturam agentem, unde ibidem ſubdit: *Prætereo autem ipſam quoque agentis externi actionem a propriis eſſe*, *interniſque principiis*, *quæ ipſam actionem eo ſemper vertant*, *atque dirigant*, *quo impetus plurium*, *aut validior tulerit*.

Sexto. Omnes atomos æqualiter & recta linea moveri contendit, in concretione tamen anguloſiores & hamatiores magis intricari ad invicem, unde & langueſcere in motu, ſecus vero rotundiores ex quibus oritur energia in concretis; *& quia*, inquit, *tales ſunt ex quibus ignis*, *atque anima*, *ita & generatim qui appellantur ſpiritus conſtant*: *unde fit*, *ut quæ eſt præcipua in corporibus energia*, *ſit ex ipſis ſpiritibus*, *qui ut libertatem diſcurrendi ſic & dominium intra illas habent*. Igitur animam vult eſſe ex atomis quæ majorem ac robuſtiorem conſervant motum.

Septimo. Tenet mundum non eſſe a Deo conditum, nec aliam habere cauſam præter ſtupidas illas atomos, unde & caſu atque fortuna factum propugnat, nempe ex atomis, quæ ad invicem per actionem & reactionem intricatæ, coaluerunt in diverſa entia, quæ præ oculis non ſine magna animi exultatione intuemur. Ergo ſect. 2. c. 3. ſic habet: *Dicendum eſt potius effectum eſſe mundum naturæ*, *ſeu mavis*, *ac ut aliquis Phyſicorum dixit*, *fortunæ naturæ in quam*, *quatenus ea natura eſt atomorum per illam univerſi*, *ſeu naturæ rerum immenſitatem diſcurrentium*, *ut ſibi invicem magna quadam copia occurrentes apprehendere ſe*, *irretireque*, *& implectere mutuo poſſint*, *ac ſeſe varie commiſcentes*, *primum quoddam veluti chaos*, *& in verticis modum glomerum*, *ac deinde poſt multas convolutiones*, *evolutiones*, *factiſque molitionibus*, *& quaſi tentamentis variis*, *omnigenos videlicet motus*, *cœtuſque experiundo*, *in eam tandem formam coire*, *qualem mundus hic exhibet*. *Fortuna vero quod atomi non conſilio aliquo*, *ſed prout ſors obtigerit*, *concurrant*, *cohæreſcant*, *coaptentur*, *adeo ut fortuna proinde*, *quemadmodum dictum jam eſt*, *non ideo ſit cauſa per ſe aliqua quæ atomos temperet*, *& ad talem effectum diſponat*: *ſed quod atomi ſint ipſa fortuna*, *quatenus nulla præmeditatione ſibi invicem occurrentes ſeſe complectuntur*, *& tale concretum prout obtingit faciunt*. Ibidem ex profeſſo negat providentiam.

Et adhuc c. 4. *Verum ad ipſa quidem animalia quod attinet*, *par eſt ipſam terram*, *novum genitale ſemen retinentem*, *quoſdam ex ſe folliculis*, *in quorumdam quaſi uterorum ſimilitudinem protuliſſe*, *eoſque cum maturuiſſent*, *natura cogente ruptos*, *animalia tenera profudiſſe*: *deinde terram ipſam humore quodam qui eſſet lacti ſimilis exuberaſſe*, *eoque alimento animantes eſſe nutritas*.

Idem aſſerit de hominis formatione, quam fortuitam ſicut aliarum creaturarum dicit, nam ibidem ſic proſequitur: *Quod de aliis autem animalibus dico*, *idem & de homine ipſo dictum volo intelligi*: *videlicet folliculos*, *uteroſve aliquos radicibus terræ cohærentes*, *& a ſole concalefactos primum increviſſe*, *& infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem natura*

zura miniſtrante præbuiſſe, quos ita educatos, & adultos genus hominum propagaſſe.

Octavo. Quod pejus & abſurdum magis, animam rationalem materialem ſimul & mortalem prædicat: c. 17. ſuam ſic aperit mentem: *Dicendum jam de animo, qui & intellectus, mens, ratio, & rationalis, princepsque pars appellitari paſſim ſolet. Quin dicitur etiam plerumque cogitatio, imaginatio, opinio, conſilium, & illius eſt proprium, feriante etiam ſenſu, cogitare, quidpiamve apprehendere, intelligere, verſare, meditari, diſcurrere, deliberare. Pars eſt vero animi texturam conſtare ex corpuſculis omnium ſubtiliſſimis, lævigatiſſimis, rotundiſſimiſque.*

Denique c. 22. Ex profeſſo eandem animam eſſe mortalem ita docet: *Ad mortem vero quod attinet, ea nihil eſt aliud, quam privatio ſenſus propter exceſſum animæ. Senſum hic dico, non tantum actionem, cujus eſt etiam ſomnus privatio, ſed facultatem quoque ſentiendi, quæ ſimul cum anima perit, ac una etiam animus, adeo, ut anima excedente, excedere etiam animus, ut ipſi conjunctus, cenſeatur*. Ibidem adhuc ſic ſcribit: *Porro & corpore exſoluto, anima ipſa diſſipatur.... & certe animam diſſipari, interireque vel ex eo conſtat, quod concernatur, exoriaturque*. Ibidem.

Ex his omnibus tria potiſſimum reſultant: primum quidem mundum juxta Epicuri opinionem a ſeipſo eſſe. Alterum, eundem mundum coaluiſſe ex atomis, & ipſam animam rationalem in ſingulis hominibus, adeoque eſſe & materialem, & mortalem. Tertium denique mundum caſu & fortuna factum: quæ quidem tria, quamvis ridicula & impia, non deſunt tamen quibus arrideant animæ mortalitas & interitus, quique ſi non mente, ſaltem corde, hæc eadem cum impiis loquantur, Sap. 2. *Non eſt refrigerium in fine hominis.. quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus,.. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter... coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt par noſtra, & hæc eſt ſors*. Quamobrem illa tria capita convellere juvat, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum portare in honorem, ideſt, vitam hic ſanctam ducere, ut poſtea beatam pro æternitate aſſequatur. Sit igitur

SYNOPSIS SYSTEMATIS EPICURI.

PRIMO quidem ſupponit mundum coaluiſſe ex corpore & ex inani.

Secundo. Negat mundum eſſe factum & creatum.

Tertio. Atomos omnes ejuſdem eſſe naturæ, variiſque gaudere proprietatibus ad compoſitionem concretorum aptiſſimis pronuntiat.

Quarto. Atomis tribuit pondus & gravitatem, ſicut & motum perpetuum duplicem; alterum externum & ſenſibilem; alterum vero internum & imperceptibilem, quibus mediantibus ſibi occurrentes ad invicem adhærent, & abeunt modo in arborem, modo in plantam.

Quinto. Atomos dicit rerum omnium principia.

Sexto. Omnes atomos motu directo duci conſtituit.

Septimo. Defendit mundum a Deo non eſſe factum, nec aliam præter ſtupidas atomos habere cauſam.

Octavo. Animam rationalem eſſe corpoream, & mortalem effutit.

Nono. Sequitur ex illo ſyſtemate nullum eſſe Deum, præter materiæ ſubtilioris coacervationem.

SECTIO SECUNDA

Convellitur fictitium Epicuri Syſtema, circa fortuitam & independentem a Deo mundi fabricam.

SYSTEMA Epicuri non ſolum animæ rationalis immortalitatem evacuat, ut ex dictis claret; ſed & Dei exiſtentiam inficiatur, quatenus mundum independenter a Deo ex atomis coaluiſſe dicit. Tria igitur in hoc ſyſtemate claritatis cauſa diſtinguimus & annotamus, 1. quidem mundum eſſe a ſeipſo. 2. eundem coaluiſſe ex atomis. 3. denique caſu & fortuito factum; ex quibus manifeſte ſequitur animam rationalem eſſe mortalem, Deum vero nonniſi fictitie exiſtere. Revera quidem eo ipſo quo mundus, & omnia quæ continet, ſunt a ſeipſis, jam ex creaturis in va-

num

num colligitur Dei optimi maximi exiſtentia; namque in hypotheſi Epicuri, non habent neceſſariam cum Deo connexionem, cum mundus ſit a ſeipſo. Quia vero primum rerum principium repetit Epicurus ab atomis, agendum eſt 1. de hoc ſyſtemate per ordinem ad atomos. 2. de ſyſtemate per ordinem ad ipſum mundum. 3. de ſyſtemate per ordinem ad Deum; de eodem ſyſtemate per ordinem ad animam rationalem dicemus infra in tractatu prædeſtinationis & reprobationis.

PRIMA PARS.

De ſyſtemate Epicuri per ordinem ad atomos.

SEX pro ſuo ſyſtemate ſupponit & non probat Epicurus. Videlicet 1. cuncta caſu & fortuito fieri. 2. omnia coaluiſſe ex atomis, quæ totum, ut vult, replent mundi ſpatium. 3. atomos eſſe ab æterno. 4. eaſdem habere motum æternum. 5. moveri motu recto. 6. quaſdam componere & facere combinationes, quæ nec numerari, nec comprehendi poſſunt; contra quem ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Mundus, qualis videtur, non eſt ens caſuale aut fortuitum, ſeu caſu aut fortuna factum.

Probatur multipliciter.

Primo. ILLUD non eſt caſuale & fortuitum, quod eſt ad certum finem determinatum: atqui mundus & omnia quæ in eo continentur, ſunt ad certum finem determinata: igitur mundus non eſt fortuna factus. Major patet: nam caſuale illud cenſetur quod fit modo uno, modo altero ſine, quod variatur, quod nihl certi habet, quod diverſas ſine ordiue induit formas. Probatur igitur minor ab enumeratione partium. Sol creatus eſt ad lucendum, & ſi quod aliud deficiente lumine faceret, non foret amplius ſol: ignis ad calefaciendum, equus ad ambulandum, &c. Igitur omnia quæ ſunt in mundo, ſunt ad unum finem determinata.

Secundo. Quæ ſunt ordinata in ſe, & ordinate in ſuis procedunt operationibus, non ſunt caſualia: nam caſuale ſine ordine procedit, quandoque bene fit & operatur, quandoque etiam male. Atqui mundus ordinatus eſt in ſe, & ordinate in ſuis procedit operationibus: igitur neque caſu factus eſt, neque cæco impetu & abſque ordine graditur in ſuis operationibus: probatur minor. Ordo mirabilis ubique relucet in mundo. Ordo in ſole, quamvis totus ignis & flammarum moles immenſas contineat, neque tamen exuberat, neque propius accedit ad nos, ne cuncta conſumat, ſed in ſuo ſiſtens orbe, gyrat mundum motibus annuis, & omnibus prodeſt. Ordo in luna; quippe quæ præſit nocti, & menſtruis circulationibus fœcundet terram. Ordo in avibus cœli, ſemper eodem modo nidificant, pullos nutriunt & defendunt ab hoſtibus, & ſunt in cibum ſimul, & ad hominis recreationem. Ordo in beſtiis terræ: in varias ordinatæ ſpecies quædam ad agriculturam, quædam ad ſarcinas & onera de uno loco ad alium aſportanda inſerviunt. Ordo in tempeſtatibus: ver naſcens ſuccedit hiemi frigido; verno, æſtiva tempeſtas; huic vero fertilis autumnus. Vel rempublicam ordinatam cerneres inter formicas & apes quæ congregant in horrea pro hiemali tempore. Ipſi leones, quamvis ferociſſimi, ſibi invicem ſubordinantur, minores famulantur ſenioribus. Sic & canis, licet rationis expers, hero blanditur & obedit.

Tertio. Quod eſt immutabile & æternæ veritatis, non eſt caſuale; enimvero mutabilitas nedum in proportione partium, ſed & in ipſa eſſentia conſpicitur in caſualibus, ut patet in monſtris; quandoque enim monſtrum habet caput leonis, & corpus alterius animalis. Sed cuncta quæ parent in natura habent eſſentiam immutabilem & æternæ veritatis: ab æterno verum eſt dicere quod homo ſit animal rationale: quod duo & duo ſunt quatuor. Omnes populi & ipſi barbari de hoc conveniunt, nuſquam præſcribetur contra hanc veritatem, & ſi quis eam aut negaret, aut verteret in dubium, protinus haberetur ut ſtultus: igitur mundus & omnia quæ in eo videntur, non ſunt caſualia.

Dices cum Epicuro: viator pluvia & grandine præcluſus & veluti oppreſſus, occurrit in cavernam, intrat & ſalvatur: profecto, caſu venit in antrum: igitur omnia quæ in mundo continentur ſunt caſualia.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Multa ſunt caſualia in mundo reſpectu cauſæ ſecundæ, concedo: per ſe & reſpectu cauſæ primæ ac totius naturæ, nego. Aliquid poteſt eſſe caſuale dupliciter; primo quidem ex ſe & ex ſua natura; deinde vero per accidens. Primo modo illud cenſetur caſuale, quod non ſibi conſtat, quod certis non clauditur terminis, ut ſi ſtultus bene ratiocinetur, ſi judex legum ignarus bene judicet. Secundo modo aliquid dicitur caſuale cum a cauſa ad producendum aliquem effectum ordinata procedit. Sic arbor de ſe virtutem activam ad fructum producendum habet: ſed ventus urens deſiccat flores, hinc aut nullum, aut macilentiorem edit: igitur eſt per accidens quod fructus non det in tempore. Jam vero eventus ille qui eſt quid caſuale reſpectu cauſæ ſecundæ, profecto non eſt reſpectu primæ, quæ quidem permittit defectus, ut per contraria magis affulgeat pulchritudo univerſi. Hinc & hoc caſuale eatenus cedit in bonum naturæ, quatenus inſervit ad gloriam Dei. Ex his duo ſequuntur, alterum eſt naturam, quantum in ſe eſt, ordinate in ſuis procedere generationibus & operationibus; cuncta quippe ſuis ponderibus feruntur, & ad certum tendunt finem. Alterum vero nihil eſſe caſuale reſpectu cauſæ primæ, quia ſi quædam creaturæ deficiunt a fine particulari, propter aliqua impedimenta quibus ſuis fruſtrantur effectibus, non tamen a fine univerſali & creatoris & totius naturæ.

Veniamus nunc ad cavernam, quæ viatori tempeſtate aliqua ingraveſcente oppreſſo occurrit. Quis dicet caſu & fortuna productum illud antrum? Si quis ſub-dio dormiens, evigilatus videret urbes & palatia ſuborta, ſicut planta quæ unius noctis ſpatio aſſurgit e ſinu terræ, forſan poſſet dicere caſu omnia fieri; ſed nec domus, nec urbes ſine lapidibus & lignis compoſitis, ſine manu & artifice dirigente ſtabunt; a fortiori machina mundi. Numquid abſque opifice ſol ſexagies terræ corpus mole ſua ſuperans, gyrabit circa meridiem & aquilonem? numquid ſine Creatore omnipotente ſundamenta terræ apponentur? petis ergo quis cavernam conſtruxit? dico eum eſſe qui in principio creavit cœlum & terram; ipſum eſſe qui dixit & facta ſunt: Eſto quod forte viatori occurrerit antrum, quia non intendebat illuc pergere: ſed caverna non caſu facta eſt; verum potius a Creatore, qui cuncta fecit & ſumma regit ſapientia.

CONCLUSIO SECUNDA.

Omnia quæ ſunt in mundo non fiunt ex atomis.

Probatur multipliciter.

Primo. ATOMI ſunt materiales, immo ſunt ipſa materia in varias diviſa partes, quarum aliæ ſunt rotundæ, aliæ gibboſæ, aliæ cochleares, aliæ humatiores: ſed multa exiſtunt in rerum natura a materia independentia, *v. g.* anima rationalis, quandoquidem eſt indiviſibilis, & nullo modo extenſa, ſive in longum, ſive in latum, ſive in profundum: non eſt in loco circumſcriptive, ſed tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, membro vero aliquo abſciſſo, puta manu, ipſa integra perſeverat: adde eam ſæpius independenter a materia intelligere; cogitat enim multa quæ nuſquam vidit oculis corporalibus, *v. g.* unitatem, capit duo & duo eſſe quatuor, & hoc etiamſi nihil unquam ſenſibile & corporale vidiſſet: falſum eſt igitur omnia ex atomis coaleſcere.

Secundo. Falſum eſt omnia eſſe atomis plena: igitur & falſum omnia conſtare ex atomis. Probatur antecedens multipliciter. 1. Si cuncta forent atomis plena, cuncta loca replerentur æqualiter, quod tamen non eſt verum: quædam enim vacua conſpiciuntur ad ſenſum, & ſolum aliquo replentur aere, quandoque leviori, quandoque denſiori: ſi autem ab atomis repetitur repletio locorum, ipſa loca debent eſſe plena æqualiter, quia atomi ſunt ſecundum Epicurum æqualis naturæ, æqualis abundantiæ: igitur omnia in hypotheſi forent æqualiter plena; quod falſiſſimum eſt, quandoquidem

dem multa ſunt loca quæ parum etiam aeris habent. 2. Faciliter exhauritur aer e vaſe vi machinæ pneumaticæ: igitur datur vacuum in illo vaſe; eſt enim omnis corporis expers, adeoque & atomorum, quæ ſi forent, cum intra eoſdem continerentur terminos, & conſequenter eodem modo & eadem figura ac modificatione ſibi cohærerent, idem corpus ſemper producerent, & in eodem ſtatu ſiſterent, adeoque aer non exhauriretur.

Si reſpondet Epicureus aliquis, aerem ſubtiliorem remanere ex alteratione corporis concreti, nempe aeris; quæritur unde diſſolutio in partes adeo tenues & ſubtiles? Vel enim iſta diviſio fit in ſolo corpore concreto, vel in ipſis atomis: ſi in aere, cum diſſolvatur illud concretum, jam non eſt amplius aer, ſed purum vacuum: ſi fiat in ipſis atomis quæ abeunt in partes ſubtiliores, & extenſiores, jam atomi non ſunt in ſe indiviſibiles, jam non infinitæ, quia ante diviſionem claudebantur terminis certis, jam & habent terminos in quocumque ſtatu ſpectatos. Nam una atomus habet faciem, ſupra habet, infra habet, a dextris & a ſiniſtris, ſicut quælibet pars ſenſibilis, illa namque atomus etiam materialis eſt: ſi ſenſibilis, ſi materialis ſemper utique in infinitum diviſibilis, adeoque atomi non ſunt actu numero infinitæ, tum quia infinitum habet omnes partes ſimul, tum quia eſt indiviſibile & impertranſibile: & vero ſi poteſt in novas dividi partes uſque in infinitum, jam non eſt actu infinitum, & ſic ruit ſuppoſitio & ſyſtema Epicuri.

Tertio. Ut omnia ex atomis fierent, atomi deberent eſſe in motu perpetuo, ut ſupponit Epicurus, & ab æterno: atqui hoc repugnat & productioni rerum atque agentium operibus; hoc naturæ corporum ſolidorum quæ ſunt in quiete perpetua; hoc naturæ & differentiæ ſpecierum, quæ hac in hypotheſi confunderentur: igitur omnia non conſtant ex atomis. Probatur minor quoad ſingulas partes. Primo quidem atomi non ſunt ab æterno; nam quod eſt ab æterno non habet initium, atomi vero ſunt finitæ a parte ante, & a parte poſt; a parte ante, quia ſunt ex natura ſua & eſſentia mutabiles; quædam ſunt rotundæ, quædam ſolidiores, quædam humatiores, præterea quæ hodie ſunt ſolidæ, ex colliſione ad invicem fiunt minus ſolidæ; a parte poſt, quia ut patet franguntur, & alterationem in generationibus patiuntur; apparet enim rerum ortus & interitus. Præterea quod eſt ab æterno, eſt ſemper in actu omnium perfectionum, ſi enim aliquid acquirit, jam deficit ab æternitate, nam in tantum acquirit, in quantum accipit quod non erat; & vero atomi ſuppoſititiæ in perpetua viciſſitudine verſantur; tum quia franguntur diverſimode ex colliſione perpetua quam habent ad invicem, ut ſerviant rerum productioni; tum quia nova ſemper generantur, & corruptio unius eſt generatio alterius.

Rurſus. Si atomi forent ab æterno, tales eſſent vel a ſe, vel ab alio: non tales ſunt a ſe, alias eſſent perfectæ in ratione entis, & una ſufficeret pro rerum omnium productione, cum nulla creatura producta exhauriret virtutem productivam atomi, quæ ſupponeretur infinitam habere perfectionem, verius dicam, perfectionum omnium plenitudinem; eo enim ipſo quo perfectio infinita eſt, cæteras omnes includit: non ſunt a fortiori tales ab alio, niſi a Creatore; ſi enim eas habeant a creatura, datur proceſſus inanis in infinitum, quatenus eadem quæſtio tunc ſine fine redit. Et vero creatura vel habet a ſe quod dat atomis, vel ab alio: ſi a ſe, jam atomi non ſunt prima rerum principia: ſi ab alio, rurſus quæſtio redit in infinitum; porro ſi non invenitur initium, nihil fiet; namque non moto primo, non movetur medium, neque ultimum: igitur repugnat productioni rerum & agentium operationibus atomos eſſe ab æterno, & moveri motu perpetuo; tum quia motus, utpote ens ſucceſſivum, eſſe ab æterno non poteſt; ſiquidem partes non ſimul, ſed ſucceſſive tantum habet. Sequitur adhuc atomos immotas ab æterno manere, quia eas motum ſolummodo in tempore accipere conſtat: igitur ſi a ſupremo numine non moventur, inanes prorſus & inertes manebunt; unde & nihil fiet, quia nihil movebitur. Solus ergo Deus immotus manens poteſt movere atomos in tempore, ipſæ namque atomi ab æterno ſunt in po-

potentia ad motum, & ab æterno ſeſe movere non valent.

Repugnat utique naturæ corporum ſolidorum atomos eſſe in motu perpetuo; ſiquidem videmus dari corpora ſolida quæ non moventur, ut rupes; dari incorruptibilia quæ eadem in ſe manentia perſeverant, uti cœleſtia, quæque motu alterationis nullo modo moventur. Iam vero ſi nullum corpus quieſcit, ſed atomis agentibus & reagentibus movetur, nullum eſt diſcrimen inter corpora ſolida & fluida; nullum inter illa quæ immota videntur, & alia quæ ſubſunt diverſis generationum formis, & ſic illudit uos natura: Enimvero dum rupes, dum quædam corpora cœleſtia immota credimus, perpetuæ fiunt in eis generationes, activitate & motu atomorum, quæ quidem atomi cum ſint de eſſentia rerum, ſequitur eſſentias rerum de die in diem mutari, quatenus & ipſæ atomi mutantur & ſubeunt diverſos eſſentialiter ſtatus; & ſic ſol noſter, non erit ille qui fuit a mundi primordio, quandoquidem motu atomorum novam non ſemel induit formam: quæ quidem omnia cum ſint abſurda, abſurdum utique eſt dicere atomos & motu agitari perpetuo, & eſſe a ſeipſis ab æterno.

Repugnat denique motus atomorum perpetuus cuilibet rerum eſſentiæ. Cum enim, ut oſtenſum eſt, ex atomi cuncta fiant ſecundum Epicurum, & ipſæ atomi ſint de eſſentia individuorum, omnia promiſcue confundereutur entia, nec per ſpecies ea aut diſtinguere, aut dividere in hypotheſi fas erit. 1. quidem, quia ejuſdem naturæ ſunt atomi: igitur erit eadem omnium rerum natura; homo *v. g.* equus erit, & e contra; namque cuncta ex atomis conſtabunt, immo & conſtituentur. 2. Nec eſſentiæ erunt immutabiles; atomi quippe juxta Epicuri ſententiam ſunt in motu perpetuo, eædemque manent; unde quæ componunt & conſtituunt hominem, alternata vice poſſunt configurari in leonem. Sic multi inter Orientales errore devio ducti, credunt hominem tranſmutari, modo in urſum, modo in ſtupidam vaccam; quod quidem nedum fides, ſed ipſa ratio impoſſibile aſtruit; tum quia eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, tum quia ſuperius non deſcendit ad inferioris naturam, nec e contra teſte B. Dionyſio inferius attingit ſuperius; namque ſi homo bellua evaderet, nihil eſſet hominis, cum ejus non ſubſiſteret forma; & vero vel eadem hominis forma remanet in tranſmigratione per metempſycoſim, vel non; ſi eadem eſt; igitur nulla eſt tranſmutatio, homo ſemper eſt; nam tamdiu ens dicitur ſubſiſtere, quamdiu ſuum formale conſtitutivum retinet: ſupponitur quod anima perſeverat, igitur & homo: unde mutatio ſi qua foret, ſolum accidentalis eſſet: ſi forma vel abſcedat, vel pereat, ut ſupponit Epicurus, qui animam hominis poſuit eſſe mortalem & materialem, jam non ſit tranſmigratio unius entis ad aliud. Cæterum tranſmigrationem animarum propugnantes, aliam propugnat in eſſentia & natura variationem. 3. Denique motus perpetuus atomorum non firmat, ſed totam deſtruit naturam, atque ſubvertit rerum pulchritudinem, tollit quietem, debellat gratiam, turbat univerſi tranquillitatem & pacem, quia tollit omninum diſtinctionem, & dum ad unum conſtruendum operatur, ſimul ad deſtruendum ſatagit: igitur motus atomorum neque æternus, neque perpetuus: igitur omnia non conſtant ex atomis.

Dices. Epicurus nihil confundit; nam diverſas admittit atomorum modificationes, quibus entia ſpecie inter ſe diſtinguuntur; quæ quidem modificationes variæ a motu atomorum cauſantur & producuntur, & ſic atomi conſtituunt genera & ſpecies rerum quarum ſunt principia.

Reſpondeo 1. Hæc gratis dici; ubi enim probationes? unde negatur atomos diverſis modificationibus conſtituere entia diverſa, & quidem propter multa. 1. Quia eiuſmodi modificationes non poſſunt eſſe ab atomis; cum enim atomi ſint materiales de ſe, tum intrinſece, tum extrinſece, utique ſunt inertes; nam materia de ſe non eſt activa, ſed pura potentia: ſi dicatur materiam habere activitatem ab aliquo actu ſibi intrinſeco & entitativo; quæritur an ille actus entitativus ſit materialis vel non; ſi materialis, profecto & de ſe iners, ut infra fuſius dicemus: ſi ſupra materiam, ergo & ſupra atomos: igitur non ab atomis configuratio, ſed ab alia cauſa omnibus crea-

creatis ſuperiore, nempe Deo; unde dato & non conceſſo, ſolam materiæ modificationem ſufficere ad conſtituendum diverſas rerum ſpecies, hoc repeteretur a ſupremo numine. 2. Ejuſmodi modificationes ſunt tantum configurationes materiæ, in longum, latum & profundum; quæ quidem configurationes poſſunt & ab artifice fieri: attamen quis invenit, aut inveniet unquam inter homines artificem, qui vel unam viventem muſcam conficere poſſit? Eſt igitur aliquid præter configurationem, quod eſt intrinſecum rei principium. Si dicant Epicurei, atomos habere motum imperceptibilem, nihil probant, quia ex ipſis concreta fiunt ex atomis configuratis, unde redit ſemper eadem difficultas. 3. Ineſt rebus virtus activa, eaque intrinſeca, quæ non eſt ab atomis, utpote inviſibilis, & quæ ineſt cuilibet parti concretorum.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: & præter modificationes requiritur aliud ad conſtitutionem entium, concedo: & non requiritur, nego. Tales modificationes, utpote materiales ſunt ſolum rebus extrinſecæ, quia ſunt figuratæ: videmus autem, & experientia conſtat quotidiana, virtutem vegetantium, animalium, & maxime hominis, eſſe aliquid præter figuram & materiam ſolam.

Dices 2. non implicat ens unum tranſire motu atomorum in alterius entis naturam, cum generatio unius ſit corruptio alterius, & materia novas quotidie induit formas: quidni & anima hominis poterit, arboris vel vaccæ induere naturam?

Reſpondeo diſtinguendo. Unum ens tranſit in alterius entis naturam quoad aliquid, ideſt, materia quæ ineſt v. g. leoni, ipſo mortuo ſubeſt alteri formæ, concedo. Unum ens formaliter tranſit in alterius naturam, nego. Perit forma leonis dum ipſe moritur, unde deſtructa forma ac ſoluto compoſito generatur aliud, puta vermis, muſca, &c. unde non eſt verum dicere, unum ens tranſire in aliud. A fortiori id negandum de anima rationali, quæ non perit pereunte corpore; & dato quod informaret corpus leonis, non ideo homo fieret leo; tum quia anima maneret in ſe rationalis & per ſe ſubſiſtens, tum quia non informaret neque moveret niſi extrinſece corpus leonis, ſicut dæmon movet linguam & manus energumenorum; ratio eſt, quia anima non haberet operationes vitales in corpore leonis, ſiquidem deeſt belluæ ſufficiens ad eas eliciendas & producendas organizatio.

CONCLUSIO TERTIA.

Motus rectus, ſeu in recta linea poſitus non eſt eſſentialis atomis, unde nihil eſt certum in ſyſtemate Epicuri.

Probatur multipliciter.

Primo. TALIS eſt cauſa, qualis effectus: atqui effectus qui in natura videntur non ſunt in eadem linea conſtituti; enimvero apparent montes & colles, apparent valles, ſunt loca ardua & obtuſa, & tota natura in diverſo gaudet: igitur motus atomis confictus non eſt eſſentialiter rectus, alias cum ſit, ut ſupponitur ab Epicuro, omnium cauſa rerum, entia utique deberent eſſe eodem modo, & in eadem linea facta atque constructa; quandoquidem cauſa eadem manens, eundem ſemper & eodem modo producit effectum. Si ergo motus rectus eſt eſſentialis atomis, omnia produci debent in linea recta, unde nihil curvum foret in mundo.

Secundo. Effectus ſequitur naturam cauſæ: ſed motus cauſatur ab atomis, & illæ ſunt ovales, triangulares, gibboſæ, acutæ, quædam etiam obtuſæ: igitur fieri non poteſt motus rectus ab entibus tam intricatis; quis enim dicet ingentes exercitus, milites promiſcue euntes & redeuntes ac inter ſe, prout eſt impetus, & vitandi periculi neceſſitas, decertantes, motu recto moveri, cum potius conſtet modo a dextris, modo a ſiniſtris juxta occurſum & congreſſum ferientis, motum & actionem fieri? Quis utique propugnabit atomos numero & figura infinitas & permixtas ad invicem moveri recta linea, cum potius in gyrum, & per tranſverſum ſeſe movere exigant? jam vero ſi motus rectus non eſt eſſentialis atomis, ſed accidentalis, nihil certum habet ſyſtema Epicuri, nec ſibi conſtat & cohæret.

Tertio. Si atomi moventur recta linea,

nea, nihil unquam fiet, quia neque commiſcebuntur, neque cohærebunt ad invicem; quamdiu enim duo corpora ſtipata ungulis, roſtris, curvis pectinibus & acuminibus, moventur ſeparatim in duabus lineis paralellis, nunquam ſe tangunt, nunquam invicem cohærent; quamvis unumquodque habeat, unde ab alio teneatur: igitur atomi non moventur motu recto.

Dices cum Epicuro: eſt clinamen in atomis, quia paululum incurvantur ut ſibi invicem cohæreant, & ex ipſis fluant concreta: ut primum igitur ſibi adhærent, fiunt combinationes; & ex combinationibus concretiones; ex concretionibus compoſita.

Reſpondeo ex hoc ſequi motum rectum nunquam ineſſe atomis, unde ruit Epicuri principium, utpote falſum, quia abſolute atomi debent moveri motu curvo ad hoc ut faciant combinationes, & per combinationes entia concreata & compoſita.

Reſpondeo 2. Combinationes utique eſſe fictitias. 1. Quia nihil eſt certum in motu qui ad horam variatur, occurrunt namque ſemper diverſæ in atomis figuræ, & ſi quæ in eis ſiſtant, ad tempus ſiſtunt, aliæ enim adveniunt totum præcedens immutantes compoſitum, unde nihil erit in rerum natura ſolidum, nihil permanens. 2. Cœli ſunt incorruptibiles; terra in æternum ſtat, ideſt immobilis permanet: igitur terra non conſtat atomorum combinationibus, quæ nihil habent fixum propter motum perpetuum atomorum. 3. Combinationes illæ ſunt mere extrinſecæ reſpectu entium, quia ſunt figuratæ: igitur non conſtituunt entia, maxime animam rationalem, quam eſſe ſine figura & extenſione conſtat ex rationibus ſupra laudatis.

CONCLUSIO QUARTA.

Combinationes prædictæ ſunt fictitiæ & impoſſibiles.

Probatur multipliciter.

Primo. ILLÆ combinationes ſunt fictitiæ quæ fieri non poſſunt ex motu & colliſione atomorum: atqui combinationes, de quibus procedit quæſtio, fieri non poſſunt ex motu & colliſione atque fractione atomorum: igitur & ex hac parte ſtare non poteſt ſyſtema Epicuri: probatur minor. 1. Atomi non ſunt ſemper in actu operabilium, hodie enim arbor generatur, quæ tamen anno mox præterito nondum exiſtebat: a quo igitur atomi reducuntur ad actum? profecto non a ſe, alias ſi ſemper forent in actu, ſemper arbor *v. g.* equus &c. producerentur, & quidem ab æterno. Præterea multa ſunt poſſibilia quæ nunquam erunt; quod tamen falſum eſſet, ſi atomi motu perpetuo agitarentur & infinitas haberent combinationes: cum enim infinitæ ab æterno jam tranſactæ eſſent; profecto nulla ſupereſſet facienda ad productionem entis unius poſſibilis; quod tamen non eſt veriſimile: igitur combinationes nihil ad hoc conducunt.

Rurſus: atomi ſunt ejuſdem naturæ: igitur non poſſunt ita in diverſa coaleſcere ut producant entia ſpecie diſcrepantia, quorum alia dura corpora exigunt, mollia vero altera, ut lana: igitur fictitiæ ſunt iſtæ combinationes pro rerum productione: licet enim diverſæ ſint atomi, omnes tamen ſunt ejuſdem naturæ; & ideo quantumvis modificentur, non poſſunt conſtituere entia ſpecie diverſa; ſicut lana quantumvis modificetur, & recipiat figuras, nunquam evadet aut lapis, aut ferrum: igitur gratis pro rerum productione ſupponuntur combinationes.

Secundo. Motus nihil confert ad ejuſmodi combinationes requiſitas ad productionem entium: & probatur. Corpus occurrens alteri corpori, *v. g.* pila alteri pilæ ſuper tabulam raſam, communicat motum, & pro ſe amittit: igitur atomi in illa pila non moventur motu perpetuo, neque combinationes producunt ſufficientes ad novum effectum, quandoquidem langueſcit motus & perit in corpore alterum impellente. Quæro jam a quo motus? certe procedit vel ab atomis, vel ab alio; ſi ab atomis, cum pila ſecunda æquales habeat ac prima, ſeſe ſine impellente movere deberet; namque atomi omnes ſupponuntur moveri motu æquali: item corpus motum ſemper moveri deberet, quia conſtat atomis quæ moventur motu perpetuo, & tamen quieſcit pila impellens; immo & pila mota

ta poſt curſum aliquem. Ergo ab alio movetur ad combinationem atomorum pro concretione : non ab atomis, quandoquidem ſine impellente extrinſeco omnia immota manent : igitur a Deo : igitur combinationes nullæ ſunt ; ſed totum procedit a cauſa prima cuncta movente, & a cauſa ſecunda quæ prius mota ſe movet ad agendum & operandum.

Tertio. Homo eſt liber libertate & contrarietatis, & contradictionis. Contrarietatis quidem ; experientia comprobat quotidiana nos poſſe facere pro libito bonum vel operari malum : contradictionis vero ; ſiquidem quilibet poteſt agere, vel non agere : ſed admiſſis illis atomorum combinationibus, nulla erit libertas ; omnes quippe erunt ad unum tracti & determinati, prout ſcilicet erit impetus atomorum, quæ cæco raptu modo in unam, modo in iſtam confluunt combinationem ; cuncta ſine deliberatione faciet homo, cuncta ſine electione ; velit enim, nolit, eo ipſo tempore & momento, quo irruent in combinationes atomi, operabitur promiſcue bonum & malum. Ex quo exitioſo principio ſequitur hominem nunquam peccare, neque eſſe aut laude aut vituperio dignum, quia invitus cæco modo & caſu ad quodlibet rapietur.

Dices cum Epicureis : Datur medium inter motum atomorum rectum & clinamen, quod electionis locum ſuppeditet.

Reſpondeo hoc in nullo favere libertati, quia atomi moventur motu perpetuo, motu æterno, motu cæco & abſque dirigente ; combinationes ſunt ad unum fortuna & neceſſario determinatæ ; unde ne quidem umbra aut electionis, aut libertatis apparet.

Concludamus igitur, 1. Omnia non caſu fieri. 2. Omnia non coaleſcere ex atomis. 3. Atomos neque eſſe ab æterno, neque moveri motu perpetuo. 4. Motum rectum non eſſe atomis eſſentialem, ſed accidentalem & arbitrarium. 5. Combinationes neque eſſe poſſibiles, neque convenientes ; Denique numerum atomorum non eſſe infinitum : & conſequenter ſyſtema Epicuri penitus ruere, & eſſe ſine fundamento ; addam, abſque ulla aut rationis, aut ſapientiæ umbra.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Mundus nec caſu factus eſt, nec coaleſcit ex atomis.

PRIMO quidem, caſu & fortuna nuſquam factus eſt ; nam & propter debitum certumque finem creatus apparet, tum quia in ſuis viciſſim operationibus ordinate procedit.

Secundo. Sed nec ex ſtupidis atomis coaluit : nam & ipſæ atomi per omnia materiales ſunt, nec certum habent motum, cum linea modo recta, modo & obliqua ac per tranſverſum agitetur : porro nemo non videt cauſam mundi productivam mere ſpiritualem eſſe, nam & ſupra materiam, & ab ea independens eſt, quippe quæ cuncta ordinet & in pace componat ; unde & infinita & immenſa cenſetur ; hac ratione opus naturæ dicitur, ut tritum fert adagium, opus intelligentiæ : cæterum experientia comprobat quotidiana, noſmetipſos independenter a materia ſæpius multa intelligere.

Tertio. Homo eſt liber, & libertate contrarietatis & libertate contradictionis : poſita vero pro principiis rerum & operationum fucata atomorum combinatione, maneret ad unum determinatus, præcepſque ad cuncta, in quæ eſſet atomorum impetus, abiret.

SECUNDA PARS.

De ſyſtemate Epicuri per ordinem ad mundum.

EPICURUS agnoſcit ſupremum numen, & tamen vult mundum eſſe a Deo independentem, & eſſe a ſeipſo ; vult illum naturaliter coaluiſſe ex atomis, quas eſſe ab æterno falſo ſupponit : hinc atomis ſeu materiæ ſubtiliori, quam quidem antiqui Philoſophi nominaverunt quintam eſſentiam, vel materiam eſſentiatam, tribuit efficaciam prope divinam, immenſitatem, omnipotentiam, æternitatem, ſapientiam ; ſaltem ſequitur ex illius principiis, atomos hæc omnia habere : enimvero ſi mundus eſt a ſeipſo, ſi coaluit ex atomis ſeu materia ſubtiliori æterna, eaque a Deo independente,

Digitized by Google

te, colligitur ejuſmodi materiam donari omnipotentia, immenſitate, ſapientia infinita; hæc enim omnia requiruntur ad creanda quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ in poſterum futura ſunt: quod certe non eſt minus impium quam ridiculum: dico impium, nam blaſphemia horribilis eſt ponere creaturam a Deo independentem: ridiculum vero, quia eſt contra rationem entis finiti eſſe ſine principio & independens: ſit igitur

CONCLUSIO PRIMA.

Mundus non eſt a ſeipſo.

Probatur multis argumentis.

Primo. QUOD eſt de ſe & eſſentialiter finitum, non poteſt eſſe a ſeipſo; ſed mundus eſt eſſentialiter finitus: igitur non eſt a ſeipſo. Major patet; eo enim ipſo quo res perfectionem dumtaxat finitam habet, deſunt illi multa, unde agnoſcit aliquid ſupra ſe. Probatur minor. Talis eſt mundus, quales partes; cum mundus nihil ſit præter omnium entium aggregationem & collectionem: ſed quodlibet ens intra certos terminos continetur & clauditur; Beſtiæ limitatas habent perfectiones; item & homines; igitur mundus eſt finitus; adeoque non eſt a ſeipſo.

Secundo. In iis quæ ſunt eſſentialia: a ſenſu diſtributivo valet conſequentia ad collectivum; ſic quia Petrus, Paulus, Jacobus, ſunt animalia rationalia, ſequitur illos omnes eſſe homines: ſed quælibet creatura eſt finita & ab alio: igitur & omnes creaturæ; alias ſi qua foret a ſeipſa, non eſſet creatura: igitur mundus qui eſt omnium entium creatorum collectio, non eſt a ſeipſo.

Tertio. Si mundus eſt a ſeipſo, eſt actus purus, & habet omnem perfectionum plenitudinem; alias ſi deeſt illi aliquid, jam eſt in potentia, & moveri debet ab alio ad perfectionem quam quærit: ſed mundus neque eſt actus purus, neque omnis perfectio; novos ſiquidem acquirit in generationibus, tum entium tum perfectionum gradus.

Quarto. Si mundus foret a ſeipſo, eſſet utique ſemper in actu omnium & intelligibilium, & amabilium; namque cuncta entia, etiam intellectiva ſeu ſpiritualia ab eo ſicut cætera fluerent; deberet omnes omnino in ſe complecti perfectiones, neminem enim dare quod non habet, ultro quiſque fatetur: ſed materia etiam ſubtiliſſima neque intelligit, neque vult; & ſuppoſito quod utraque donetur operatione, profecto non ſemper & pro ſemper; enimvero apud nos homines, eſt tempus vigiliæ, ſimiliter & quietis: igitur mundus non eſt a ſeipſo.

Quinto. Atomi e quibus fiunt omnia non ſunt a ſeipſis: quælibet enim atomus eſt pars materiæ: igitur & finita; atomus enim utpote ens finitum, & ab alio præciſum, non eſt a ſeipſa: immo nec atomus concreta, a fortiori nec ſimplex: igitur atomi non ſunt a ſeipſis, adeoque nec mundus.

CONCLUSIO SECUNDA.

Attributa divina, qualis eſt infinitas, ſapientia, intelligentia quæ cuncta dirigit, omnipotentia, æternitas, non conveniunt atomis & materiæ, ex qua vult Epicurus omnia coaluiſſe.

JAM probavimus contra Hermogenem materiam non eſſe ab æterno: æternitas igitur non convenit materiæ ſubtiliori & atomis, adeoque nec mundo.

Probatur pro aliis momentis.

IMMENSITAS non convenit materiæ ſubtiliori & eſſentiatæ ſeu atomis, & probatur. Illud non eſt immenſum quod ex natura ſua clauditur terminis: atqui talis eſt materia de qua agimus: igitur materiæ, quæcumque ſit, non convenit immenſitas. Probatur minor. Quantitas externa eſt a materia atomorum inſeparabilis; hac quippe ſublata, materia non remanet ſenſibilis; ſed quantitas ex ratione ſua claudit materiam inter terminos longitudinis, latitudinis & profunditatis, nihil enim in quantitate concipimus præter has dimenſiones; quælibet autem habet lineas, habet puncta & ſuperficiem, ſed & hæc inſerviunt ad limitandam materiam & certis terminis circumſcribendam: igitur materia clauditur terminis; etiam materia ſubtilis, etiam atomus; nam

Digitized by Google

nam terminatur ſuperficie & punctis, quæ omnia ſi demas nihil eſt.

Incorruptibilitas & immortalitas non conveniunt materiæ. Illud non eſt incorruptibile, quod conſtat contrariis & ea ſuſcipit, quod eſt alterabile & diſſolubile: ſed talis eſt materia quæcumque: igitur incorruptibilitas & immortalitas non conveniunt materiæ. Probatur minor. Materia duplex eſt; alia ſimplex, alia concreta: & iterum concreta duplex, altera cœleſtis, ut ſol; altera ſublunaris, ut arbor; & adhuc ſublunaris duplex: una quæ omnis cognitionis iners & incapax eſt, ut arbor; alia quæ aliquam habet cognitionem, ut homines & belluæ: ſed incorruptibilitas & immortalitas non conveniunt iſti materiæ multiplici; quælibet eſt ex ratione ſua diviſibilis & diſſolvi poteſt: quod enumeratione, & diſcurrendo per ſingula materiæ genera cito apparebit.

Primo quidem, Materia ſimplex eſt diſſolubilis: nam atomus una ex colliſione cum altera frangitur, & ſi partes habet acutas, ex congreſſu fiunt obtuſæ, ut patet in colliſione duorum corporum ſolidorum, motus enim langueſcit, & cito ceſſat in eo quod aliud impellit; unde motus & ceſſatio; niſi ex fractione & alteratione atomorum in impellente contentorum.

Secundo. De materia concreta ſublunari non eſt dubium; & hoc ipſum ſufficienter indicant ortus rerum & interitus.

Tertio. Materia cœleſtis etiam ſubjacet alterationi: nonnumquam in ſole & luna comperimus eclipſes; immo non ſemel apparuerunt in eis maculæ, quas quidem ipſi ſoli intrinſecas fuiſſe non pauci autumant: ipſa Scriptura veritatem quam defendimus non obſcure indicat; ſic enim legitur, 2. Petr. 3. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur*.

Quarto. Etiam materia concreta aliquam habens cognitionem, qualis eſt anima belluarum, corruptibilis eſt; quamvis enim præ cæteris inferioribus ſubtilior, attamen habet partes, quæ quidem ſoluta unione diſſolvi poſſunt. Igitur incorruptibilitas rigoroſe ſumpta, eaque abſoluta, non convenit materiæ, quandoquidem materia quæcumque ſit, vel eſt elementorum actione & reactione corruptibilis, vel ſaltem diviſibilis, & in partes diſſolubilis.

Omnipotentia non convenit materiæ, etiam ſubtiliſſimæ, qualem vult eſſe in atomis Epicurus: & probatur. Quod eſt in ſe finitum, non eſt omnipotens; nam quod terminis concluditur, indiget multis bonis & perfectionibus; alias, ſi eas haberet, non foret finitum, ſed infinitum: atqui materia etiam ſubtilis eſt finita: igitur non eſt omnipotens. Probatur minor. Materia clauditur terminis perfectionum, quandoquidem novas de die in diem in generationibus acquirit; & certe ſi materia ſubtilis, ſeu atomi eſſent infinitæ in perfectionibus, nulla generatio eſſet, ſed omnia apparuiſſent ſimul cum atomis ab æternitate: attamen nova quotidie conſpiciuntur, quæ ſicut pulchritudinem, ita & perfectionem addunt huic mundo. Materia clauditur terminis locorum, circumſcribitur a loco, & unum corpus expellit, & deſtruit aliud per colliſionem & congreſſum. Clauditur terminis temporum; quæ ſunt hodie, mane ſicut flos agri marceſcunt, & ſicut fœnum quod in clibanum mittitur pereunt: uno verbo menſurantur tempore & non æternitate, alias nihil periret, & nihil de novo generaretur. Quid plura? clauditur terminis operationum: lapis eſt ad unum determinatus, idem dicendum de ſole, qui unum & idem ſemper operatur: immo hoc & de belluis conſtat; eadem quippe faciunt & ſemper per totam vitam; jam ſi quando ira, vel invidia, aliiſve paſſionibus commoventur, ſine directione agunt, ſed prout eſt impetus, cæco motu rapiuntur.

Sapientia non convenit materiæ; & probatur. Sapientis eſt ordinare, & media ut media conſerre ad finem conſequendum: ſed hoc non convenit materiæ: & probatur. 1. Quia ſecundum ſe eſt indifferens ad omnes formas; videmus enim in leone occiſo eandem materiam, idem corpus, quamvis eodem modo organizatum, ſubeſſe alteri formæ, & eſſe non amplius animal, ſed cadaver. 2. Materia non cogitat, alias lapis, arbores deberent ſaltem aliqualiter cognoſcere, ſi hoc conveniret materiæ ſecundum ſe conſide-

CONCLUSIO TERTIA.

Materia quæcumque, etiam ſubtilior & atomorum, non eſt independens; & hoc ſequitur ex dictis ſupra.

Probatur inſuper variis rationibus.

PRIMA eſt. Quod dependet in eſſe, in fieri & in conſervari, non eſt independens: atqui talis eſt materia: igitur non eſt independens. Probatur minor. 1. Materiam dependere in fieri ab alio liquet; oſtenſum eſt enim non eſſe a ſe. Præterea idem eſto judicium de materia ſecundum ſe, ac de materia in concreto ſumpta: atqui materia in concreto ſumpta, nempe compoſitum, accipit eſſe ab alio, & ideo datur generatio & corruptio, ortus rerum & interitus: igitur materia dependet in fieri & in eſſe ab alio; quod autem eadem ſit lex ortus & interitus pro materia, tum ſecundum ſe, tum in concreto conſiderata, patet ex eo quod materia ſecundum ſe eſt finita, & habet partes diviſibiles: igitur & corruptibiles; quod autem eſt corruptibile, incipit eſſe & fit: igitur & dependet, quia habet cauſam.

Secunda. Exiſtentia ſequitur ad rem completam, ad rem in ſe eſſentialiter atque phyſice perfectam; nam quod eſt a parte rei, debet eſſe determinatum in aliquo genere & in aliqua ſpecie, alias foret ens rationis: atqui materia ſecundum ſe non habet exiſtentiam: igitur debet illam ab aliquò ſuperiori accipere: igitur dependet in fieri & in eſſe ab alio. Major patet. Probatur minor. Materia ſecundum ſe conſiderata, neque eſt quid, neque quantum, aut aliquid aliud per quod ens determinatur. Habet eſſe determinatum a forma, alias ſi ex ratione ſua formam haberet, cum ex Epicuro atomi ſint numero infinitæ, nihil fieret & generaretur, ſed omnia eſſent ab æterno cum materia, namque materia haberet infinitas formas, unde eſſet omnia, quod profecto ridiculum prorſus eſt & experientiæ contrarium: igitur materia habet eſſe quid determinatum & exiſtere a forma: forma vero ſive ſit pura modificatio, ut vult Epicurus, ſive actus intrinſece materiæ ſuperadditus, habet ubique eſſe ab alio; ſiquidem incipit eſſe, & poſtea deſinit per compoſiti reſolutionem, ſi animam rationalem excipiamus: ergo & materia ſecundum ſe, & materia concreta dependet ab alio in fieri, & in eſſe, & conſequenter in conſervari, quippe conſervatio eſt iterata rei & continuata productio.

Tertia. Illud ſolum eſt independens quod eſt ens a ſe & actus purus, ideſt, quod habet omnes omnino perfectiones, quod eſt in actu omnium bonorum, cui nihil aut addere, aut ab eo minuere poſſibile eſt; ſi enim aliquo caret bono, mutabile eſt & perfectibile ab alio magis perfecto, & ideo dependens fiet; item ſi aliquid deperdit; aliquid igitur eſt ipſo fortius & perfectius cui paret & ſubjicitur, & ſic iterum fit dependentia: ſed materia neque eſt a ſe, neque actus purus, neque immutabilis: igitur eſt ab alio, nempe a ſupremo numine dependens. Probatur minor. 1. Dictum eſt ſupra, materiam eſſe ab alio, & non a ſe: ſed addo non eſſe actum purum, novas ſiquidem quotidie recipit formas, vetereſque deperdit: item eſt diviſibilis in infinitum in partes; igitur alterabilis & corruptibilis, igitur ab alio perfectibilis, adeoque ab alio dependens.

Quarta. Implicat etiam in ſyſtemate Epicuri, materiam eſſe independentem: igitur eſt dependens. Probatur antecedens. Epicurus agnoſcit ſupremum numen ſupra materiam, agnoſcit ens a ſe & in ſo beatiſſimum, a quo tamen mundum & factum fuiſſe, & nunc gubernari negat, ne ſollicitudo aut labor aliquid de ejus beatitudine atque felicitate detrahat: ſed implicat Deum eſſe & materiam ab eo non dependere: & probatur. 1. Sequeretur quod eſſet aliqua in materia perfectio quæ non eſſet a Deo; ſiquidem & materia, & ipſe mundus a Deo non eſſent. 2. Materia foret ſicut Deus, quia eſſet a ſe: jam eſſent duo Dii; pluralitas autem Deorum, nullitas eſt; ut probavimus ſupra. 3. Deus non eſſet Dominus, neque materiæ neque mundo dominaretur; quandoquidem omnia ab ipſo, in ſyſtemate Epicuri, forent independentia. Quale numen quod æmulum haberet? Igitur ex omni parte implicat independentia materiæ.

Quinta. Omnia quæ ſunt ab alio, depen-

pendent, juxta illud Ariſtotelis 8. phyſic. cap. 5. " Utrumque dicimus movere, pri-
„ mum & ultimum moventium, ſed ma-
„ gis primum; illud enim movet ſecun-
„ dum, ſed non hoc primum, & ſine
„ quidem primo, ultimum non movebit:
„ illud autem ſine hoc. „ Immo ſentimus & experimur nos ab alio dependere: accipimus eſſe, habemus operari a Deo, juxta illud Act. 17. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus*; & vero deficiente cauſæ primæ influxu, vita ſicut umbra fugit & diſſipatur; ergo & materia dependet. Probatur conſequentia. 1. Quia materia habet partes; igitur ut iſtæ maneant unitæ, & ſibi invicem cohæreant, ab alio dependent in conſervari; eatenus enim compoſita dependent ab alio, quatenus recipiunt aliquid, & ex partibus unitis coaleſcunt, quam quidem partium unionem accipiunt in tempore, & ideo generantur, ſed & corrumpuntur, dum agens prædominans ceſſat ſervare earumdem partium unitatem; cum igitur eadem ratio currat pro materia ſecundum ſe, nam habet partes, etiam ſecundum ſe ab alio dependet. 2. Compoſitum nobilius eſt materia; iſta quippe informis eſt, compoſitum vero habet formam, ſpeciem, & conſequenter pulchritudinem: attamen ab alio dependet; ergo a fortiori materia. 3. Sublata materiæ a ſupremo numine dependentia, nulla eſt providentia, neque ullus ordo in rerum natura, ſed ſempiternus horror inhabitat; quia cuncta caſu promiſcue fieri neceſſe eſt, quod propugnat obcæcatus Epicurus; nulla pulchritudo quæ quidem conſiſtit in modo, ſpecies & ordine: attamen oculus & mens teſtes ſunt, mundum eſſe & perfectum, & pulcherrimum, eundem mutua partium & entium ſubordinatione ſubſiſtere: igitur materia & mundus ab alio dependent, immo ideo ſunt, quia a Deo dependent, & accipiunt ab eo eſſe, moveri, vivere & conſervari.

Solvuntur objectiones Epicuri.

Objicit Epicurus. Cura, ſollicitudo & labor, repugnant ſupremo numini, cui ſumma competit beatitudo: ergo & ipſi repugnat fabrica mundi: igitur mundus eſt a ſeipſo. Probat conſequentiam; mundus non potuit fieri ſine magno & ſtupendo labore; labor autem opponitur beatitudini. Sic igitur loquitur Epicurus in Phyſica ſua, Sect. 2. cap. 3. apud Stanleium: *Eximendum imprimis eſt a ſollicitudine ac labore mundi extruendi divinum numen: neque enim eſſe poteſt a cauſa beata ſimul ac immortali, quæ ipſum fabrefecerit.*

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; quippe ſine labore Deus mundum condidit; vocat enim ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; & ſicut ſolo verbo cuncta fecit, ita ſolo ſermone reſtaurat univerſa. Ratio eſt, quia eſt omnipotens & infinitam habet virtutem, unde in inſtanti ſibi ſubdit paſſum, & entia quando vult procreat: eſt infinite perfectus, & ideo in ipſo omnia vita erant, inquit Joannes cap. 1. Ad probationem, diſtinguo. Mundus non poteſt fieri ab agente creato ſine ſtupendo labore, concedo; immo tantus foret, ut opus perficere haud valeret pura creatura: non poteſt fieri ſine labore ab agente infinito, nego. Sicut igitur Deus potuit abſque labore & animi fatigatione mundum condere, ita & ſine beatitudinis interruptione conſervare: immo fecit propter gloriam ſuam, nimirum ut ſeſe ad extra diffunderet & manifeſtaret.

Inſtant. Quod non eſt factibile, fieri non poteſt etiam a Deo: atqui mundus non eſt factibilis; nullus quippe artifex poteſt aut invenire, aut ipſe fabricare inſtrumenta ad tantum & tam arduum opus faciendum idonea. *Quibuſnam*, inquit Epicurus ibidem, *certe oculis intueri Plato potuit fabricam illam operis tanti, qua conſtitui a Deo atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machina?* igitur mundus eſt a ſeipſo.

Reſpondeo 1. Mundum non eſſe Deo fortiorem & potentiorem: ſi mundus potuit fieri a ſeipſo, ut vult Epicurus, & compaginari quatuor elementis pluſquam ferreis vinculis ad invicem adunatis; jure potiori concedere debet Deum, quem agnoſcit virtute & poteſtate mundo ſuperiorem, mundum ipſum potuiſſe fabricare.

Reſpondeo 2. Negando minorem: ad probationem diſtinguo. Nullus artifex creatus poteſt habere inſtrumenta idonea &

de

de ſe ſufficientia ad fabricam mundi, concedo: nullus artifex qui ſit Deus, nego. Eo enim ipſo quo habet infinitam agendi virtutem, ſolo verbo facit & creat omnia; cuncta quippe illi obediunt: unde dicitur a Pſalmiſta, *Qui cælos fecit in intellectu*. Et vero, ſi anima noſtra, ſolo voluntatis nutu, & facultates & membra, cæteraſque corporis partes movet, & applicat ad actum, quidni machinam mundi, uno ſolum verbo fecerit Deus? ergo allucinatur graviter Epicurus, judicando de virtute Creatoris, ſicut de potentia finita artificis humani.

Inſtant. Artifex non potuit magnam mundi fabricam conſtruere ſine miniſtris & ſine magna partium cum ad ſe invicem, tum erga factorem relatione & obedientia; atqui non ſunt miniſtri ad hoc opus idonei, nec poſſibilis eſt partium ſubordinatio & abundantia. *Qui miniſtri*, inquit ibidem Epicurus, *tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati Architecti, aer, ignis, aqua, terra potuerunt? unde vero ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, puniendoſque ſenſus?* Igitur non datur artifex qui mundum condere queat. Confirmatur. Nemo dat quod non habet: ſed Deus non habet in ſe arbores, non ripas, non flumina: igitur non potuit hæc & ſimilia condere: igitur mundus eſt a ſeipſo.

Reſpondeo diſtinguendo. Artifex finitam habens virtutem non potuit ſine miniſtrorum ope elementa condere, concedo: agens infinitæ virtutis, nego. Epicurus errat ab utero & loquitur falſa, divina & increata cum creaturis confundens. Ultro concedimus agens creatum nequidem poſſe, etiam ut inſtrumentum, creare mundum: at vero Deus & potuit, immo & per ſolum intellectus actum ſeu imperium fecit mundum, juxta illud: *Ipſe mandavit, & creata ſunt*: & illud ejuſdem Pſalmiſtæ: *Qui fecit cælos in intellectu*; & adhuc Joann. 1. *Deus erat Verbum* . . . . *Omnia per ipſum facta ſunt*.

Reſpondeo retorquendo argumentum. Ex Epicuro admodum difficile eſt ingentem mundi molem conſtruere: igitur mundus non eſt a ſeipſo. Et vero, non habet tantam virtutem, quanta requiritur ad talem fabricam; nam quæritur ab Epicuro quinam miniſtri potuerint elementa condere? quinam unire ſimul & concordare? ſi partes a partibus ulterioribus pendent, ubique & illæ partes ſuperiores alternata vice dependent, quia ſunt ejuſdem naturæ cum cæteris, eo enim ipſo quo ſunt partes, ſunt ab alio; quippe quæ non ſint omnia, ſed ſupponunt aliquid prius & ſupra ſe: ſunt igitur a ſupremo numine dependentes, nempe a Creatore qui fecit omnia.

Ad confirmationem, diſtinguo minorem. Deus non habet in ſe arbores, non lapides formaliter, concedo: virtualiter ſeu eminenter, nego. Non habet quidem formaliter, neque enim ſuſcipit naturam rerum inanimatarum; ſed eas præcontinet virtualiter ſeu eminenter, in quantum ejus virtus, utpote infinita, poteſt quodlibet facere & operari.

Objicis 2. Vel Deus eſt ante mundum, vel poſt: non ſecundum, quia æternus eſt, non primum utique, alias debuiſſet creare mundum ab æterno: numquid dormivit in tota æternitate? abſit; nam ſomnus æternus, mors eſt. Si vigilaverit: igitur creare debuit mundum ab æterno: ſi opus habuit, fecit; ſin minus, nullo modo fuit. Sic loquitur ibidem Epicurus: *Sed & is quem perhibet Deus, aut non fuit prior illo ævo quo corpora ſive immota erant, ſive nullo ordine celebrantur, aut dum dormivit, vel vigilavit, neutrumve iſtorum: primum admitti non poteſt, ſi quidem Deus æternus eſt; neque ſecundum, quippe, ſi ab æterno dormivit, mortuus ergo fuit; quoniam æternus ſomnus mors eſt, magno enim intervallo diviſa ſunt immortalitas Dei & res vicina morti: quod ſi vigilaverit, aut aliquid ipſi ad felicitatem defuit, aut perfecte beatus fuit; & prius non ſineret eum eſſe felicem, non eſt enim felix, cui aliquid ad felicitatem deeſt; poſterius vero abſurdum eſt, quoniam cui nihil deeſt, inanis illi rerum molitio*.

Reſpondeo Deum eſſe ab æterno, & conſequenter mundo anteriorem, neque ſomno captum, neque inquieta vigilia occupatum, ſed ſibi fuiſſe ſufficientem: Omnia, inquit Tertullianus, Deus ſibi eſt, ſibi templum, ſibi pax ſumma, ſibi ineffabilis beatitudo. Mundum vero in tempore creaſſe ad ſui manifeſtationem conſtat: ſicut ergo Rex tametſi dives & omnibus affluens bonis, quandoque tamen

ad

ad magnificentiam hinc dignitates diſtribuit, hinc erigit ædificia, hinc munit urbes, hinc ædificat propugnacula; quandoque etiam ſuis parat optimatibus menſam: eo ſimili prope modo Deus egit; licet enim bonorum noſtrorum non indigeat, attamen cum ſit ſummum bonum, placuit ipſi ad extra variis modis ſeſe diffundere: ergone ante mundi conſtitutionem non beatus? minime: beatus quidem erat, & ſummum ſemper bonum, & ideo voluit ad extra ſe prodere; cæterum gloria quam habet Deus a creaturis eſt pure extrinſeca, unde abſque beatitudinis diſpendio, potuit ab æterno ſine mundo & eſſe, & vivere.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Cui nihil deeſt, ſuperflua illi eſt & inutilis rerum molitio, pro gloria eſſentiali & intrinſeca, concedo: pro gloria extrinſeca, nego. Omnia quæcunque voluit Deus, fecit in cœlo & in terra: placuit autem ſeſe per mundi frabicam prodere: unde hoc ſuppoſito, creavit libere mundum in tempore.

Inſtat. Deus nihil facit fruſtra: ſed ſi mundum condidit, fecit aliquid fruſtra; eo quippe non indigebat: *Quid ergo erat* inquit Epicurus, *ut hoc inculcem, quod concupiſceret Deus mundum ſignis & luminibus, tanquam ædilis ornare? ſicut Deus melius habitaret, antea ſcilicet tempore infinito in tenebris; tanquam in gurgitio habitaverat; poſt autem varietate eum delectari putamus, qua cœlum & terras exornatas videmus? quæ iſta poteſtate oblectatio? Deoque ſi eſſet, non ea tamdiu carere potuiſſet:* ergo, &c.

Reſpondeo, negando minorem. Deus enim condidit mundum propter ſuam gloriam: ad probationem, diſtinguo. Deus non indigebat mundo ad gloriam eſſentialem, concedo: ad gloriam accidentalem, nego. Ergone aut pauper, aut dependens? neutiquam; quia nec aliquid recepit in ſe cum mundum creavit, nec aliquid deperdidit, manens enim ſemper quod erat, voluit ſe creaturis manifeſtare: quocirca totum quod perfectionis eſt in fabrica mundi refunditur in Deum: totum vero quod eſt dependentiæ, in ipſam creaturam. Allucinatur Epicurus in eo quod de Deo ſicut de pura creatura indigente ratiocinatur; verum nec deſunt in rebus creatis exempla quibus veritas illuſtrari poteſt: lampas ardens & lucens in cubiculo clauſo, ſemper ardet & lucet, etiamſi multi ſint præſentes: quando vero adveniunt aliqui, eos profecto utique illuminat, quod eſt perfectio: ergone magis ardens in ſe, & lucens? minime. Sic proportionaliter de Deo philoſophandum. Ab æterno quidem lucens, & omni refertus perfectione, ſibi ipſi beatitudo & omnia: in tempore vero ſe communicavit ad extra ad ſuæ & bonitatis & ſapientiæ manifeſtationem; ſed non ideo aut in ſe perfectior, aut a creatura dependens. Homines de novo illuminati in cubiculo novam non addunt lampadi lucem, nec ſimiliter creaturæ de novo productæ Deo perfectionem addunt aliquam.

Objicit 3. Si Deus fecit mundum, debuit facere perfectum: atqui non fecit: & probatur. Multi ſunt infirmi, & tales naſcuntur; multi afflicti, oppreſſi plurimi, & hoc ſæpius ſine culpa: igitur neque bonitas, neque juſtitia creatoris in hoc affulget: igitur mundum non manifeſtat Dei perfectiones; & conſequenter ab ipſo non apparet creatus. Sic diſcurrit ibidem Epicurus: *An dicet quis, hominum cauſa, fuiſſe hæc a Deo coſtituta? verumtamen, ſapientumne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio? an ſtultorum? at primum, cauſa non fuit, quod de improbis bene mereatur; deinde quid eſt aſſecutus, cum omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi, maxime quod ſtulti ſunt, miſerius enim ſtultitia quid poſſumus dicere? deinde, quod tam multa ſunt incommoda in vita, ut ea ſapientes commodorum compenſatione leniat; ſtulti nec vitare venientia poſſint, nec ferre præſentia.*

Reſpondeo diſtinguendo. Et Deus permittit defectus, ut magis appareant & reſulgeant bona atque perfecta, concedo: & hoc non cedit in pulchritudinem univerſi, neque in creatoris gloriam, nego. Sicut ergo pictor delineat umbras in tabella, ut amœniora prata appareant, ſic conditor permittit in quibuſdam creaturis defectus ad manifeſtandam ſuam gloriam, ſuamque ſupremam in creaturas potentiam, ut ſciant homines Dominum eſſe vitæ & mortis, & nihil ipſis debere. Hoc etiam non modicum inſervit ad manifeſtandam cæterarum creaturarum

pul-

Digitized by Google

pulchritudinem ; contraria enim juxta ſe poſita magis eluceſcunt.

Reſpondeo 2. Diſtinguendo . Et miſeriæ ſunt peccati originalis effectus, concedo : & non ſunt, nego. Deus, ipſa teſtante Scriptura , fecerat hominem rectum , immo & immortalem, gratia prænditum, gloria & honore decoratum ; quippe qui cæteris dominabatur creaturis : ſed mors per peccatum intravit in mundum , intraverunt & miſeriæ ; quo magis enim creatura a creatore vitæ principio per peccatum recedit, eo imperfectior & defectibilior evadit . Philoſophi pagani, utpote fide deſtituti , hoc non ponderantes , vel creatorem accuſarunt , negando providentiam ; vel mundum a Deo independentem inſanientes dixerunt : in utrumque errorem , ut patet ex ſupra dictis , prolapſus eſt Epicurus ; unde etiam ab aliis philoſophis derelictus eſt.

Objicit 4. Si Deus hominem fecit, maxime ut haberet illum ut filium , & ab ipſo coleretur : ſed implicat filium ærumnis confectum producere , homines ſtultos condidiſſe ut ab ipſis coleretur : præterea Deus eſt per ſe beatus , unde non indiget coli : ſic enim ibidem proſequitur Epicurus : *An & mundum fecit , & in mundo homines , ut ab hominibus coleretur ? & quid Deo cultus hominum confert beato , & nulla re indigenti ? vel ſi tantum honoris homini habuit , ut ipſius cauſa mundum fabricaret , & inſtitueret eum ſapientia , ut Dominum viventium faceret , eumque diligeret , tanquam filium ; cur mortalem , fragilemque conſtituit ? cur omnibus malis, quem diligebat, objecit ? cum oporteret & beatum eſſe hominem , tanquam conjunctum & proximum Deo ; & perpetuum , ſicut & ipſe , ad quem colendum & contemplandum configuratus eſt* : ergo , &c.

Reſpondeo, ut ſupra , diſtinguendo minorem . Implicat hominem innocentem pœnis ſubjici & ærumnis , & morbis , & concupiſcentiæ , concedo , hominem peccatorem, nego. Licet enim Deus potuerit hominem in puris creare , & naturalibus ſubjectum miſeriis, ex vi tamen decreti quo voluit hominem in gratia & in ſtatu omnium virtutum ſupellectili perfecto condere, implicat hominem ignorantia, concupiſcentia , aliiſque miſeriis & ipſa morte affici : igitur primus homo tanquam dilectus Dei filius , & ipſi charitate cunjunctus, habitus eſt . Verum jus ad gloriam & pro ſe & pro cæteris hominibus , inobedientiæ culpa , infelix amiſit : hinc ærumnæ , hinc morbi ; ſed gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti , luctus convertitur in gaudium . Deus quippe mira Martyrum patientia exaltatur ; quid dico, Martyrum ? eorum etiam omnium , qui hujus temporis paſſiones , tum ejus propter amorem, tum ad faciendum ſatis juſtitiæ, æquo tolerant animo. Quæ quidem omnia, Auguſtinus Enchir. c. 25. 26. & 27. egregie explanat , dicens : " Mortis ſupplicium Dominus homini comminatus fuerat , ſi peccaret ;
„ ſic eum munerans libero arbitrio , ut
„ tamen regeret imperio , terreret exi-
„ tio ; hinc poſt peccatum exul effectus ,
„ ſtirpem quoque ſuam quam peccando
„ in ſe vitiaverat , pœna mortis & da-
„ mnationis obſtrinxit ... Ad iram quip-
„ pe Dei pertinet juſtam, quidquid cæca
„ & indomita faciunt libertate mali, &
„ quidquid manifeſtis , opertiſque pœnis
„ patiuntur inviti : non ſane creatoris de-
„ ſiſtente bonitate ... melius enim judi-
„ cavit de malis benefacere, quam mala
„ nulla eſſe permittere . „

Hic ſilemus immortalitatem animæ ; eam quippe in Tractatu Reprobationis , ubi de æternitate pœnarum , fuſo calamo contra impugnantes defendemus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

I. Mundus non eſt a ſeipſo factus . 2. Falſum eſt proprietates Dei ut ſapientiam , omnipotentiam , infinitatem convenire , tum atomis , tum materiæ ſubtiliori . 3. Materia etiam ſubtiliſſima non eſt independens.

PRIMUM patet, quia mundus eſt finitus, & certis quibuſdam terminis concluditur , ut in ſingulis partibus videre eſt : porro, nihil aliud præter partes eſſe conſtat : tum quia ſuſcipit magis & minus , & novas de die in diem ſuſcipit formas, quas certe antea non habebat.

Secundum utique . Quis enim mundum dicet materiam infinitam & omnipotentem , quam per omnia terminis circumſcriptam & dependentem intuetur ?

quis illam intelligentem eſſe conclamabit, cum experientia doceat alicujus objecti ſenſibilis conceptionem per abſtractionem a materia fieri?

Tertium denique, tum quia materia dependet a forma, hac enim ſecluſa inanis eſt, immo & quaſi nihil, tum quia non eſt ipſa entis plenitudo: igitur dependet: nam & novas induit formas & nova ornamenta.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

MULTA perperam nobis opponunt Epicurei. *v. g.* creationis opus importare, 1. anxietatem, 2. impoſſibilitatem in executione, 3. imperfectionem in Deo, quatenus abſque mundo ſubſiſtere non potuiſſet, & ipſum in hypotheſi imperfectum condidiſſet: omnis autem imperfectio ſupremo numine procul facienda eſt.

Sed abſque negotio reſpondemus: ad primum quidem, opus externum & laborem & afflictionem ſpiritus, artifici creato imponere; cum enim finitam habeat virtutem, ut plurimum materiæ obnitentiam vincere non valet: at vero cuncta obediunt Deo, qui ſolo verbo vel facit, vel reſtaurat univerſa. Ad ſecundum, non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Ad tertium, creatio mundi magnam in Deo arguit perfectionem: nam & libere, & in tempore condidit, unde ab æterno potuit Deus eſſe abſque mundo: mundus enim ab eo pendet, ſed non e converſo Deus a mundo. Cæterum, Deus mundum condidit perfectum, quandoquidem cuilibet & ſpeciei, & individuo tradidit quod ſuum eſt; hinc ſi quæ adoriantur monſtra, eſt per accidens.

TERTIA PARS.

De ſyſtemate Epicuri per ordinem ad Deum, cujus exiſtentiam impius ille vir perperam inficiatur.

TERTULLIANUS in Apologetico mirum in modum unius Dei comprobat exiſtentiam, & hoc variis validiſſimiſque argumentis: nam & mundi ſtructuram a ſolo Deo eſſe, & novitatem in ipſis falſis numinibus reperiri; & illam Dei exiſtentiam, tum ſcripturis, tum prophetiis, tum utriuſqqe legis ſanctitate, dilucide probati oſtendit. Sic intonat, p. 18. de exiſtentia loquens: " Vultis ex operi- „ bus ipſius tot ac talibus quibus contine- „ mur, quibus ſuſtinemur, quibus oblecta- „ mur, etiam quibus exterremur... Vul- „ tis ex animæ ipſius teſtimonio compro- „ bemus, quæ licet corporis carcere preſ- „ ſa, licet inſtitutionibus pravis circum- „ ſcripta, licet libidinibus ac concupi- „ ſcentiis evigorata, licet falſis Deis ex- „ ancillata, cum tamen reſipiſcit, ut ex „ crapula, ut & ſanitatem ſuam patitur, „ Deum nominat, hoc ſolo nomine quia „ proprio Dei veri: DEUS MAGNUS, „ DEUS BONUS; & QUOD DEUS DE- „ DERIT: omnium vox eſt. Judicem quo- „ que conteſtatur illum: DEUS VIDET, „ &, DEO COMMENDO, &, DEUS MI- „ HI REDDET. O teſtimonium animæ na- „ turaliter Chriſtianæ! denique pronuntians „ hæc, non ad capitolium, ſed ad cœlum „ reſpicit; novit enim ſedem Dei vivi ab „ illo, & inde deſcendit." Alia deinde ordine ſuo ex ſcripturarum antiquitate, majeſtate, veracitate, ex Prophetiis, ex miſſione Chriſti & lege Evangelica explanat argumenta, quibus nedum Idololatris, ſed & Atheis unius Dei demonſtrat exiſtentiam.

Quamquam Epicurus in ſua Phyſica Deum agnoſcere videatur, verius dicam, ſimulet; non tamen ut creatorem; cum mundum eſſe a ſemetipſo affirmet: hinc & ejus exiſtentiam ſuo ſyſtemate impugnat. Enimvero poſitis ejus principiis, Deum eſſe nullus poſſet demonſtrare, aut a priori, aut a poſteriori; a priori quidem, nemo quippe viator poteſt ſine fide illum ſic cognoſcere; a poſteriori vero, quia Epicurus contendit creaturas nullum habere ordinem ad eum; quandoquidem non a Deo Creatore, ſed a ſeipſis eſſe ſatue credit: & docet: In hanc blaſphemiam impegit utique Spinoſa: partes igitur exiſtentiæ Creatoris habemus impræſentiarum defendendas contra ſyſtema Epicuri, oſtendendo omnia quæ ſunt in mundo, tum cœleſti, tum elementari a Deo promanare, & ejus denotare exiſtentiam: quam quidem quæſtionem jam ex profeſſo ſupra tractavimus, eandem utique ex parte reſumptam pro-

bavit

bavimus argumento negativo contra Epicurum, oſtendendo mundum non eſſe a ſemetipſo: ecce nunc tandem illam eandem complemus argumento poſitivo; probando ſcilicet Deum eſſe auctorem rerum omnium tam viſibilium quam inviſibilium, & hoc non ſolum contra Epicureos, verumetiam contra Manichæos qui alio quidem, ſed prorſus inani medio, creaturas ſenſibiles a Deo non eſſe probare fatagunt. Contra quos omnes ſit

CONCLUSIO.

Deus eſt auctor & Creator rerum omnium tam viſibilium, quam inviſibilium.

HANC concluſionem quatuor potiſſimum argumentis probamus. Primo quidem, quia mundus incepit, & creatus eſt a Deo, ſicut narrat atque deſcribit Moiſes. 2. quia neceſſe eſt mundum promanaſſe ab ente infinite ſapiente & intelligente, adeoque a Deo. 3. quia ita ſentit Religio Judaica, cui fides adhibenda eſt. 4. quia & hoc confirmat Religio Chriſtiana, omnibus credibilitatis motivis firmata.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Petitur ab initio quod res omnes habuerunt in tempore, ſicut narrat Moiſes.

ILLE cuncta creavit, qui cuncta eduxit e nihilo: atqui Deus cuncta eduxit e nihilo: igitur cuncta creavit. Probatur minor. Mundus conſtat cœlis & elementis, conſtat aere & volatilibus cœli, conſtat aquis & piſcibus, conſtat terra & reptilibus atque beſtiis agri, denique conſtat angelis & hominibus: atqui hæc omnia eduxit e nihilo Deus; ergo & mundum: ſic docet fides Nicæna in Symbolo. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cœli & terræ: viſibilium omnium, & inviſibilium.* Sed cum hic loquamur adverſus Epicurum & alios ipſi affines, præſertim vero contra Spinoſam, qui mundum eſſe a ſeipſo, poſt illum Philoſophum propugnare non erubuit, ratione ſimul & auctoritate quæ rejici non poſſint, utrumque revincere juvat. Probo igitur minorem, nempe Deum cuncta prædicta eduxiſſe e nihilo atque produxiſſe, ita ut materia exhauſta ſit in prima rerum productione, claudatur terminis, & nihil ſit extra. Sic refert Moiſes, Gen. 1. his verbis: *In principio creavit Deus cœlum & terram.... Dixitque Deus: fiat lux, & facta eſt lux... Fiat firmamentum in medio aquarum ... Et factum eſt ita .... Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum ... Et factum eſt ita ... Fiant luminaria in medio cœli ... Fecitque Deus duo luminaria magna ... & ſtellas ... Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli .... Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas, factumque eſt ita ... Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram ... Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, &c.* Igitur cuncta produxit e nihilo Deus: tota difficultas eſt, an Moiſi fides ſit adhibenda, & reſpondemus affirmative, & quidem propter multa.

Primo. Moiſes ab Adam uſque ad diluvium numerat 1656. annos: eſt aliqua diverſitas apud ſeptuaginta; in uno exemplari numerantur 2260. in alio 2262. in alio 2252. Euſebius numerat 2242. ſed anni viginti detracti vel additi parum ſunt. Textus Hebraicus detrahit ſexcentos & ſex annos; quippe qui centum detrahat e vita cujuslibet Patriarchæ: verum & iſta diſcrepantia nihil officit initio mundi: manet enim ſemper ex his omnibus ſententiis mundum fuiſſe in tempore productum.

Secundo. Omnem & Adæ, & filiorum ſuorum genealogiam uſque ad Noe notat exacte Moiſes: item, c. 5. & c. 10. texit ſimiliter proſapiam filiorum Noe, a quibus diviſæ ſunt gentes poſt diluvium; deinde pergit ab Abraham uſque ad ſua tempora: narrat in Exodo quomodo filii Iſrael egreſſi ſunt de Ægypto; in libro numerorum, quomodo diviſi in Tribus; ibidem computat familias, & mirum in modum indigitat ortum Reipublicæ Judaicæ, quæ poſtea per Reges & Duces, per Prophetas & Doctores floruit uſque ad Chriſtum.

Tertio. Moiſes non ſolum deſcribit or-

Digitized by Google

tum & progreſſum familiarum; verum etiam ſignat perſonas quæ vel artes, vel urbes inſtituerunt; etiam diverſas per univerſam terram habitationes. Gen. capite primo, initium creaturæ tum corporeæ, tum ſpiritalis deſcribit: capite quarto primam generationem Adæ, qui cognita uxore Cainum & Abelem filios habuit: ibidem ortum ſacrificiorum commemorat, referendo munera quæ Cain de fructibus terræ, Abel vero de primogenitis gregis ſui obtulerunt Domino; ibidem dicit Jabel primum habitaſſe in tentoriis, & patrem fuiſſe canentium cithara & organo; Tubalcain vero malleatorem & fabrum in cuncta opera æris & ferri; Enos cœpiſſe ritu ſolemniori invocare Dominum. Cap. 10. proſequitur ſignando initia rerum; & recenſitis filiis qui nati ſunt ex Sem poſt diluvium, ſubdit: *Ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis*. Poſtea venit ad filios Cham de Nemrod, & ſic loquitur: *Robuſtus venator coram Domino; fuit autem principium regni ejus Babylon & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, &c.*

Quarto. Homines ſolebant res præclaras memoriæ mandare erigendo lapides quorum primus auctor fuit Jacob, qui in Bethel erexit lapidem in titulum, & votum vovit Domino; ab eo mos forſan inolevit apud nationes pyramides conſtruere & elevare, aliaque monumenta pro celebranda memoria eorum, qui vel bello & victoriis, vel factis aliis præclare geſtis, vel etiam litteris, ſapientia, dignitate potiſſimum Regia floruerant; ita ut mundus initio quaſi moribus informis, ſucceſſu temporum excultus, protulerit tum ingenii, tum virtutis ſigna atque argumenta, præcipue Philoſophos: attamen inter primos nulla erat certa opinio, circa mundi fabricam; aliis ab æterno, aliis vero e contra in tempore productum aſſerentibus. Quidquid ſit, tria certa ſunt: primo quidem mundum eo modo compoſitum ſicut ſcripſerat Moiſes, dixerunt. 2. Nihil clare definitum habebant de mundi productione ab æterno: Ariſtoteles uno modo explicabat, Epicurus altero, & ſic non erant circa iſtud momentum convenientia teſtimonia. Ita refert Plutarchus lib. 3. c. 3. de placitis Philoſophorum. 3. Artes & Academiæ apud Græcos non floruerunt ante bellum Thebeorum & Trojæ; hinc Græcæ Hiſtoriæ initium Chriſti nativitatem octo circiter ſæculis anteceſſiſſe conſtat, ut colligitur ex Lucretio l. 5. v. 325. & ſeqq. qui ſic canit:

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cœli, ſemperque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Thebanum & funera Trojæ?
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ,
Qui tot facta virum toties cecinere? neque uſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem ſumma, recenſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cæpit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam agnoſcunt, nunc addita navigiis ſunt
Multa, modo organici melicos peperere ſonores.
Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt,
Nuper & hanc primus, cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum, in patrias qui poſſim vertere voces.

Quibus verſiculis nedum cœpiſſe mundum Lucretius enarrat, ſed has reddit luculentiſſimas rationes, quia nempe ſi mundus ab æterno fuiſſet, ante bellum Thebanum & funera Trojæ multa tum heroum, tum academiarum, tum etiam artium monumenta apparuiſſent; enimvero tempore Lucretii ita incipere conſtabat, ut etiam de die in diem excolerentur, uti ars navigandi, ars muſicæ, & ſimiles, tum & ipſe teſtatur ſe primum fuiſſe, qui potuerit in ſua patria ad cantandum vertere & componere voces: ipſe vero refert quæ prius inter Democritum, Epicurum, & alios Philoſophos de mundi ſive conficta æternitate, ſive de vera creatione tribus tunc ab hinc ſæculis agitata fuerant: unde tum ex ipſo,

Google

ipſo, tum ex aliis, nihil, certum fuit apud Græcorum Hiſtoriam, ante bellum Thebanum & funera Trojæ.

Varro huic opinioni ſuffragatur. Tria quippe diſtinguit hiſtoriæ tempora; alterum incertum; nempe ab origine & creatione mundi uſque ad diluvium, quod tempore Ogygis adveniſſe cum aliis plurimis auctoribus profanis ſcribit: alterum a diluvio uſque ad primam Olympiadem, quæ apud Græcos cœpit ſolum anno 407. poſt Trojæ ruinam; quod quidem temporis ſpatium fabuloſum nuncupat, eo quod Heroum fabulas præcontineat; numerantur pro illo tempore ſexdecim ſæcula a quibuſdam, ab aliis ſolum quatuordecim uſque ad Deucalionis ætatem, a Deucalione vero uſque ad bellum Trojæ quadringenti ſunt anni; totidem ab hoc tempore uſque ad primam Olympiadem. Ergo ſi Chriſti nativitas ſub finem centeſimæ nonageſimæ quartæ Olympiadis venit, Græcorum hiſtoria, quamvis omnibus, una excepta hiſtoria Moſaica, antiquior, Chriſti adventum ſeptingentis ſeptuaginta & ſex circiter annis præceſſit.

Recentior profecto eſt Romanorum hiſtoria. Strabo l. 5. Sabinos dicit antiquiores fuiſſe inter Italiæ nationes: multus eſt ſermo in hiſtoria Romana de Sabinorum regno; Janus fuit primus Rex; ita Arnobius l. 2. adverſus gentes: elapſis ſexdecim annis, poſt Janum regnavit Saturnus, & poſt eum Picus ejus filius: quidam credunt Æneam veniſſe Romam anno centeſimo quinquageſimo poſt Janum, qui fuit trigeſimus tertius Latini, qui regnabat in Italia anno mundi 1237. Ab illo vero Latino uſque ad urbis Romæ fundationem numerantur decem & ſeptem Reges: hæc regio celebris nomen Italiæ fortita eſt ab Italo, cujus pater Siculus vocabatur, quique a ſuo nomine inſulam maris Mediterranei percelebrem Siciliam appellavit: porro Albæ regnum incepit quadringentis & viginti annis ante Romæ fundationem; & ſic omnes qui falſa vel vera traditione ducti de mundi productione ſcripſerunt, nihil in monumentis tum Græciæ, tum Siciliæ, tum Italiæ antiquius reliquerunt, quod Chriſti adventum præcedat pluſquam ſpatio bis mille vel circiter annorum: igitur omnia ortum habuerunt.

Hiſtoria vero Græca & Latina non ſolum non officit hiſtoriæ Moiſis, ſed potius eam confirmat, quippe quæ ſummam habeat cum ipſa conformitatem & affinitatem: quinimmo luce clarius apparet, Homerum, Virgilium, Ovidium, alioſque ſive Poetas, ſive Philoſophos & Oratores hauſiſſe in libris Moiſis, quæ dixerunt tum de mundi fabrica, tum de hominum proſapia, tum etiam de præmio bonorum, & de pœna & ſupplicio malorum. Ipſe Epicurus non ſibi conſtat in ſyſtemate mundi, & incidere in ſyſtema Moiſis compellitur; quod arguit ſummam Moiſi adhibendam eſſe fidem, & hoc ex duobus maxime liquet. Primo quidem, quia prophani auctores & Philoſophi delineant mundum ſicut deſcripſit Moiſes, & ſi quid antiquius iis quæ ſcripſit de generatione & propagotione hominum, dicere tentarunt, profecto non probant. Secundo Julianus Apoſtata omnis veræ religionis tam Judaicæ quam Chriſtianæ hoſtis inſenſiſſimus & apertus, ne quidem unum protulit aut ſcripſit verbum, ad impugnandum ſyſtema mundi Moſaicum, quo Deus univerſorum auctor conſtituitur: ita refert Marcellinus l. 16. c. 5.

Appion multa contra Judæos, ſed nihil adverſus ſyſtema a Moiſe datum, profert: unde Joſephus qui libro 2. contra eundem ad objectiones reſpondet, ne quidem de hoc momento vel minimum verbum loquitur. Juſtinus utique, Anaxagoras & Tertullianus in Apologiis quas dederunt pro Chriſtianis, altum circa hoc ſervant ſilentium, quod ſane argumentum eſt, Paganos tunc aut conveniſſe de Moiſis ſyſtemate, aut non habuiſſe unde illud impugnarent. Neque vero etiam apparet Epicureos & Pythagoræ aſſeclas feciſſe ſatis tum rationibus, tum argumentis aliorum Philoſophorum qui contra ipſos propugnabant mundi creationem: igitur fides adhibenda eſt Moiſis ſyſtemati: cujus quidem rei perſpicuum ſignum eſt, quod Moiſes non præventione aliqua ductus quidquam ſcripſerit, quin potius magna ſimplicitate & ſolo veritatis amore texit hiſtoriam, immo quandoque contra ſuam & populi gloriam facta enarrat: contra ſeipſum quidem, cum ſcripſit ſe Ægyptium aggredientem Iſraelitam interfeciſſe & ſe-

peliviſſe in arena; ſe dubitaſſe in fide bis percutiendo petram in deſerto; numquid hæc facta ſecluſo veritatis hiſtoriæ motivo, memoriæ mandare neceſſe erat? contra populum vero ſuum, quem ſæpius de idololatria objurgat & punit: jam vero Deuteronomio 4. 7. ſuam ſic exaltat gentem: *Nec eſt alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris*: alibi vero nempe Gen. 14. 18. dicit Melchiſedech fuiſſe Regem Salem, Sacerdotem altiſſimi, & benedixiſſe Abraham, quem tamen Judæi omnes ut patrem ſuum a Deo ipſo benedictum auſcultabant. Refert populum Judaicum a cæteris nationibus tanquam immundis & maledictis circumciſione ſeparatum; ſcribit nihilominus Abimelech Regem Ægypti timuiſſe Deum, & Balaam quantumvis peſſimum, donatum tamen fuiſſe gratia prophetiæ. Quid plura? Moiſes prædicit vocationem Gentilium, qui populi Judaici prius electi loco ſubſtituendi quondam erant, tum in vindictam ſcelerum populi ſui, tum ad exaltationem & gloriam miſerentis Dei: igitur Moiſes fide digniſſimus eſt in his quæ ſcribit de mundi creatione. Sed juvat rerum omnium initium fuſius texere & explanare, ut quiſque videat omnia novitatem mundi prædicare,

Philoſophia nova fuit. Nullus quippe ante Pythagoram inter Græcos de ea locutus fuerat; & Seneca eam ſuis temporibus ſolum mille annis antiquiorem dicit.

Thales Aſtronomiam docuit Græcos, ut ſcribit Diogenes Laertius in ejus vita: ille vero eam acceperat ab Ægyptiis, Ægyptii a Chaldæis, unde nomen *Chaldæi* apud veteres idem eſt ac Aſtronomi nomen. Decurſu temporum crevit ſcientia Aſtronomiæ. Thales obſervabat Eclipſes ſolis & lunæ; poſtea longa meditatione ita invenit earum curſus & cauſas, ut antequam evenirent, eas prædiceret: ante ipſum vero homines ita de eclipſi aliqua attoniti erant, ut teſte Plutarcho in vita Niciæ, crederent mundum brevi periturum: hinc tunc temporis exercitus & ordinatæ acies ſuſpenſæ manebant; ita ut nec elapſis prius ab eclipſi multis diebus moverentur ad prælium.

Medicina, tametſi perutilis, ortum ſuum tamen habuit ſicut aliæ ſcientiæ. Herodotus l. 2. refert morem quondam fuiſſe ægrotos in plateis exponere, qui tranſeuntes cernui deprecabantur, ſi quod haberent aut ſcirent remedium pro ſanitate reſtauranda, declararent & aperirent. Norunt omnes Hippocratem medicinæ, ſaltem perfectæ & in ordinem digeſtæ eſſe auctorem.

Jus canonicum ortum ducit a lege duodecim tabularum quam Romani a Græcis, nempe a Solone & Lycurgo acceperant, ut refert Plutarchus in vita ejuſdem Solonis & Lycurgi, & in tractatu Iſis & Oſyris: incrementum habuit a codice Theodoſii & Juſtiniani Imperatorum: perfectionem a decretis ſummorum Pontificum, a conſtitutionibus Regum, ab ipſis regionum uſibus & conſuetudinibus.

Origo Regum hæc fuit. Homines primis temporibus habitabant in tentoriis ſeu tabernaculis, ut legitur de Patriarchis Gen. 18. de profanis vero apud Juſtinum l. 2. Refert Joſephus litium definitionem tunc fuiſſe penes familiæ patrem cui omnes obediebant. Succeſſu temporum conſtructæ ſunt domus & quidem ſeparatæ, quas familia in multos diviſa, etiam diviſive & ſeparatim habitabat, ita ut quædam pro parentibus eſſent, quædam vero pro filiis & nepotibus, qui ſuas habebant uxores, & filios atque filias: & ex iſta diviſione familiæ multiplicatæ ſunt, ita ut unuſquiſque ſuum prædium, ſuos agros, ſuave pecora haberet, ut patet in ſeparatione Loth ab Abraham; cum enim non couterentur utriuſque famuli & ſervi, ſeparati ſunt; ſic enim habetur Gen. 13. *Dixit ergo Abram ad Loth: ne quæſo ſit jurgium inter me & te; & inter Paſtores meos & Paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt; recede a me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo ...... Elegitque ſibi Loth regionem circa Jordanem, & receſſit ab Oriente: diviſique ſunt alterutrum a fratre ſuo.* Quia vero contentiones ut plurimum inter homines exſurgebant, ipſi virum aliquem probum litis conſtituebant judicem. Sed cum petulantiores definitionibus nonnunquam obedire abnuebant, judicem etiam conſtituerunt Domi-

num,

num, qui auctoritate frangeret iniquorum proterviam; ita refert Herodotus. Iſti Domioi erant ſicut Barones & Comites noſtri: quælibet urbs ſuum habebat judicem ſeu Dominum, cui parebant cæteri; tales erant Reges, qui captivum duxerunt Loth, quos omnes Abrabam ſuis accinctus vernaculis devicit.

Multiplicatis deinde in immenſum familiis; & filiis, ſeu Noe nepotibus, per diverſas terræ regiones diſperſis, factum eſt ut homines in ſocietatem convocati urbes mœniis clauderent, munirentque turribus, tum ad præcludendum dilapidantibus bona aditum, tum ad hoſtium impetum propellendum. Quia vero offeudentium de die in diem augebatur numerus, villæ cum urbibus, deinde civitates cum civitatibus ad defenſionem mutuum inierunt fœdus, & uni ſupremo Domino, qui Regis nomine donabatur, obediebant; ex hoc regna Edom, & Ægypti; ex hoc Aſſyriorum, Chaldæorum, Medorum, Perſarum, Græcorum & Romaoorum imperia prodierunt.

Commercium incepit commutationibus mercium unius regionis, cum mercibus alterius regionis; unde tametſi prius omnia forent inter homines communia, ex diſperſione tamen hominum in diverſas mundi plagas, nata eſt etiam bonorum diviſio & appropriatio. Poſt commutationes, uſus invaluit merces ad pondus dare; a libra & pondere gradum fecerunt mercatores ad monetam; prima fuit ferrea apud Romaoos, deiode ærea, poſtremo argentea & aurea: tempore Abrahæ jam commercii inoleverat uſus in mundo. Ipſe emit agrum pro ſepultura, & ſua & ſuorum, ut legitur Gen. 23. 16. Plinius l. 7. c. 56. ſcribit Phidonem Argivum, pondera, menſuras & ſtateras adinveniſſe.

Homerus. Iliad. l. 1. obſervat Græcos primum magna ex parte fuiſſe piratas: deinde congregatos in unum ſub ducibus bellum adverſus Trojanos geſſiſſe; quo feliciter completo, diſperſos in varias abiiſſe provincias, & in variis Europæ partibus colonias erexiſſe. Ante litteras & ſcripturam utebantur homines bymnis & canticis ad conſervandas leges; ita colligitur ex Pauſaoia, qui l. 2. quoſdam verſus inter Græcos celebres commemorat. Athenæus lib. 1. ſcribit Polycratem Tyrannum, Piſiſtratem Athenarum Tyranoum, Euclidem ejuſdem urbis civem primas erexiſſe bibliothecas: Photius cod. 224. dicit Clearcum Heracleæ tyrannum tempore Artaxerſis & Ochi præclariſſimam collegiſſe. Ante diluvium homines veſcebantur fructibus terræ & leguminibus; ſic & primi Græciæ incolæ ſub Pelaſgo, qui auno mundi 1145. docuit Athenienſes agriculturam, modum ſeminandi atque metendi, tum triticum, tum alia grana. Plinius l. 7. c. 26. ſcribit Danaum primum fuiſſe qui ex Ægypto adduxit in Græciam navem. Thucydides lib. 1. aſſerit primam claſſem, quæ apparuit apud Græcos, habuiſſe auctorem Minos.

Sculptura initium habet a Dædalo, qui primus ſtatuas fecit, perfectionem vero a Phidia Atheoienſi, Myrone, Praxitele & Scopaſo. Figuræ equorum exquiſitæ, & quædam alia ab ipſis facta, uſque ad hodiernam diem ante palatium Papæ in monte Cavallo conſpiciuntur.

Pictura valde informis erat, ætate Anacreontis Poetæ; Ælian. var. lib. 8. c. 8. refert ſuo tempore eam ita fuiſſe obtruſam, ut in ſcriptionibus notaretur quid figuræ depictæ repræſentarent; Eumarus Athenienſis auxit; perfecit Echion; complevit Nicomachus, deinde Apelles.

Dominus Jaquelotur lib. de Exiſtentia Dei Creatoris diſſert. 1. fuſe tractat de origioe urbium, artium, ſcientiarum Græciæ, cap. 13. 14. & in ſequentibus de origine Aſſyriorum, Ægyptiorum, Sinarum. Sunt alii Auctores vetuſtiores qui de his omnibus ſcripſere, ut Juſtinus, Tit. Livius, & cæteri nationum Annaliſtæ, necnon Poetæ, qui ad futuram rerum memoriam, cuncta quæ ſpectabant nationes, reges, imperia ſcriptis mandarunt.

Hiſtoria quidem utiliſſima eſt. Nam facta præclara pro morum formatione tranſmittit a patribus ad filios & nepotes, ab his uſque ad exteras nationes: & tamen quis rerum æſtimator æquus, non videbit eam novam? Varro Cenſor nihil certum ante funera Trojæ in hiſtoria Græcorum refert.

Dices. cum Præadamitis; Sinarum Chro-

Digitized by Google

nologiæ mundum multo antiquiorem Moiſis ſyſtemate notat. Idem dicunt Chaldæi. Herodotus refert & poſt ipſum Cyril. Alex. 1. Strom. Ægyptios duo diſtinxiſſe tempora, alterum in quo deos Reipublicæ rectores, alterum vero in quo homines Reges habuerunt: hominum autem regnum tenent ſpatio annorum 10340. perduraſſe; quod quidem ſi jungatur regno Deorum, in immenſum excedit eorum Chronologia creationis mundi ætatem a Moiſe relatam atque conſcriptam.

Reſpondeo 1. Hos omnes partim ſabuloſe, partim etiam oſtentatione loqui; qui quidem mos perantiquus uſque in hodiernam diem perſeverat apud Sinas; hi namque jactantia multo minora & pauciora munera, aliave dant, quam promittunt.

Reſpondeo 2. Plutarchum in vita Numæ annotare gentes iſtas annum quatuor menſium, & ſecundum aliquos unius dumtaxat men ſis lunaris, ſaltem primis temporibus, habuiſſe. Quid mirum jam, ſi Chronologia Sinarum non concordet cum Chronologia Moiſis, qui numerat annos lunares vel ſolares, quorum quilibet duodecim menſes præcontinet? ſed attende quæſo, lector, ſi fides adhibenda ſit illis, maxime Chaldæis, qui quidem jactitabant ſe aſtra obſervare a 461000 annis; & tamen Aſtronomia quæ ab ipſis tranſiit ad Græcos, modicum quid tunc erat. Præterea ars ſcribendi tribuitur a quibuſdam Palamedi: igitur Chaldæi ſola traditione tenebant Aſtrologiam: certe traditio tam antiqua aut obſcura admodum, aut nulla erat. Si vero ars ſcribendi creationis mundi coæva eſt, cur igitur infinitos prope eventus non ſcripſere? altum quippe ſilentium eſt apud eorum Hiſtoricos de actitatis in tot & tantis durationibus; quod ſane argumentum eſt omnia eſſe nova.

Neque vero ſolum urbes & artes ſubſequutæ ſunt mundi creationem, ſed & vana falſorum numinum religio, cujus primum auctor fuit Belus, qui occaſione filii mortui, quem volens, in quantum poterat, præſentem ſibi reddere, ſtatuam in ejus honorem etexit; ſed de hoc ſufficienter diximus, loquendo de origine & progreſſu Idololatriæ. Unum ſupereſt demonſtrandum pro fide ſeu augenda ſeu confirmanda erga Moiſis ſcripta; nempe profanos Auctores non modicum collimare pro Hiſtoria mundi cum iis quæ referuntur in Pentateucho. Et vero, Moiſes ſcribit primos parentes pelliceis veſtibus nuditatem habuiſſe tectam: nonne Pauſanias paganus lib. 10. obſervat quoſdam fuiſſe apud Locrienſes populos, qui Ozoles nominabantur, qui pellibus cooperti incederent? Moiſes morem fuiſſe dicit in honorem vel Dei, vel alicujus Herois hymnos ſeu cantica dicere: loquitur etiam Moiſes de caverna quam emit Abraham pro ſepultura, de oſſium Joſeph translatione ab Ægypto in terram promiſſionis; qui quidem uſus multum viguit apud Paganos: nam & mortuos ſepeliebant, atque ſepulturæ mandabant, item feſta Herorum celebrabant canticis, maxime Poetæ; quandoque etiam defunctorum corpora comburebant ne forent ludibrio vel inimicis, vel etiam beſtiis. Hiſtoria Romana refert Syllam primum ſuæ familiæ extitiſſe, qui mortuorum cadavera comburi voluerit; ita Cicero l. de legib. Moiſes ſcribit Patriarcharum opes maxime in gregibus fuiſſe ſitas: ſimiliter & gentes, ut refert Herodotus l. 1. c. 14. argentum & aurum parvi faciebant; at vero & jumentis & pecoribus abundare ſatagebant: denique Ægyptios habuiſſe pro Rege Pharaonem, pro ſacrificatoribus Sacerdotes, qui primas in Regno ſedes obtinerent, non pauci ſcripſerunt Hiſtorici. Quæ quidem inter Hiſtoriam ſacram & prophanam convenientia & affinitas ſi ponderetur, Moiſen fide digniſſimum eſſe nemo non videbit.

Iam ſic argumentari fas eſt. Illi fides adhibenda eſt qui ſcripſit a Deo inſpiratus, qui creationis Hiſtoriam nimirum in modum concinnavit, qui primi hominis proſapiam uſque ad egreſſum populi Iſraelitici ex Ægypto adamuſſim & fideli calamo conſcripſit, qui civitatum fundatores & artium inventores apprime notavit, qui primus inter homines hiſtoriam non diffitentibus Paganis juris fecit publici, cujus de creatione mundi relationem confirmat initium tum artium, tum academiarum, quemque fidei ejurati hoſtes in hoc maxime puncto impugnare non auſi ſunt: atqui

ex

ex dictis omnia pro Moiſe ſic ſe habent; quæ quidem cuncta abſque ſupremi numinis ope nec ſcire, nec ſcribere potuit; nam & occulta oporis creationis, & mortalium cogitationibus impervia memoriæ mandavit: igitur omnes nedum Chriſtiani & Judæi, ſed & Pagani ac Barbaræ Nationes fidem Moiſi adhibere debent.

Tertullianus iſtud novitatis argumentum explanat ad revincendos Idololatras & Atheos, immo in ipſis falſis numinibus cuncta novitarem & ſapere & arguere oſtendit, Apol. p. 27. " Plures, *inquit*,
,, Deos veſtros regnaſſe certum eſt: igi-
,, tur ſi conferendi imperii tenent pote-
,, ſtatem, cum ipſi regnarent, a quibus
,, acceperant eam gratiam? quem colue-
,, rat Saturnus & Juppiter? aliquem o-
,, pinor ſterculum; ſed Romæ poſtea cum
,, indigenis, etiam ſi qui non regnarunt,
,, tamen regnabantur ab aliis nondum
,, cultoribus ſuis, ut qui nondum Dii ha-
,, bebantur: ergo aliorum eſt regnum dare,
,, quia regnabatur multo ante quam iſti Dii
,, inciderentur. ,,

Idem proſequitur argumentum, & ſic loquitur, pag. 28. " Nam etſi a Numa
,, concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa,
,, nondum tamen aut ſimulacris, aut
,, templis res divina apud Romanos con-
,, ſtabat, frugi religio & pauperes ritus,
,, & nulla capitolia certantia cœlo,
,, ſed temeraria de ceſpite altaria & va-
,, ſa adhuc Samiæ, & nidor exilis, &
,, Deus ipſe nuſquam .....ergo non an-
,, te religioſi Romani quam magni, ideo-
,, que non ob hoc magni, quia religio-
,, ſi: atqui quomodo ob religionem ma-
,, gni quibus magnitudo de irreligioſitate
,, provenit? Ni fallor enim omne re-
,, gnum vel imperium bellis quæritur,
,, & victoriis propugnatur: porro bella
,, & victoriæ captis & everſis plurium
,, urbibus conſtant. Id negotium ſine
,, Deorum injuria non eſt. Eædem ſtra-
,, ges mœnium & templorum; pares
,, cædes civium & ſacerdotum, nedum
,, diſſimile rapinæ ſacrarum divitiarum
,, & profanarum. Tot igitur ſacrilegia
,, Romanorum, quot trophæa; tot de
,, Deis, quot de gentibus triumphi; tot
,, manubiæ, quot manent adhuc ſimula-
,, cra captivorum Deorum; tam impune
,, læduntur quam fruſtra coluntur. ,,

Poſtea ſic concludit Tertullianus pro exiſtentia & unitate unius veri Dei, ibidem pag. 28. " Certe non poteſt fidei
,, convenire, ut religionis meritis ex-
,, creviſſe videantur, qui, ut ſuggeſſi-
,, mus, religionem aut lædendo cœpe-
,, runt, aut creſcendo læſerunt. Etiam
,, illi quorum regna conflata ſunt im im-
,, perii Romani ſummam, cum ea amit-
,, terent, ſine religionibus non fuerunt. ,,

Deinde vero ſic alloquitur ibidem Paganos: " Quid erratis? prior eſt qui-
,, buſdam Diis ſuis ſylveſtris Roma: an-
,, te regnavit quam tantum ambitum
,, Capitolii extrueret: regnaverunt &
,, Babylonii ante Pontifices, & Medi
,, ante quindecim viros, & Ægyptii an-
,, te Salios, & Aſſyrii ante Lupercos,
,, & Amazones ante Virgines veſtales.
,, Poſtremo ſi Romanæ religionis regna
,, præſtant, nunquam natio Judaica re-
,, gnaſſet, deſpectrix communium iſtarum
,, divinitatum, cujus & Deum victimis,
,, & templum donis, & gentem fœderi-
,, bus aliquandiu honoraſtis; numquam
,, dominaturi ejus, ſi non ultimo dereli-
,, quiſſet Chriſtum. ,,

Denique Gentiles adhuc alloquitur ibidem pag. 25. dicens: " Jam Deos quæ-
,, rite, quos enim præſumpſeratis, dæ-
,, mones eſſe cognoſcitis: eadem vero ope-
,, ra noſtra ab eiſdem Diis veſtris non
,, tam hic detegentibus, quod neque ipſi
,, Dii ſint, neque ulli alii, etiam illud
,, in continenti cognoſcitis, qui ſit vero
,, Deus; & an ille, & an unicus quem
,, Chriſtiani profitentur; & an ita cre-
,, dendus, colenduſque, ut fides, ut di-
,, ſciplina diſpoſita eſt Chriſtianorum. ,,

Ex his omnibus redit ſummatim præcedens argumentum pro creatione mundi a Deo optimo maximo. Ille ſolus eſt auctor omnium creaturarum qui ſolus eas creavit in tempore: atqui ex Moiſe ſolus Deus cuncta creavit in tempore: igitur eſt auctor omnium rerum: igitur iniquitas mentitur ſibi cum mundum a ſeipſo eſſe confingit. Hanc urget rationem Tertullianus in Apologetico pag. 18. his verbis: " Sed quo plenius &
,, impreſſius tam ipſum quam diſpoſitio-
,, nes ejus & voluntates adiremus, in-
,, ſtrumentum adjecit litteræ, ſi qui ve-
,, lit de Deo inquirere, & inquiſito in-
,, venire, & invento credere, & credito de-

,, ſer-

„ ſervire". Viros enim juſtitia & innocentia dignos Deum noſſe & oſtendere a primordio in ſæculum emiſit ſpiritu divino inundatos, quo prædicarent Deum unicum eſſe, qui univerſa condiderit, qui hominem de humo ſtruxerit, ... qui ſæculum certis temporum diſpoſitionibus & exitibus ordinaverit, exinde qui ſigna majeſtatis ſuæ judicantis ediderit per imbres, per ignes, qui demerendo ſibi diſciplinas determinaverit, quas ignoratis aut deſeritis, ſed obſervantibus præmia deſtinavit, qui producto ævo iſto judicaturus ſit ſuos cultores in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æque perpetem & jugem, ſuſcitatis omnibus ab initio defunctis & reformatis, & recenſitis ad utriuſque meriti diſpenſationem. „

Solvuntur objectiones Epicureorum & Spinoſæ.

Objiciunt. Homines e ſinu & gremio terræ eo prope modo quo arbores, & hoc per atomorum aggerem, & in unum modificative confluentes, emanarunt; modificatio quippe adveniens materiæ in infinitum extenſæ, inqnit Spinoſa, ſpecies & individua efformat; unde concludit: ergo Deus non dicendus auctor viſibilium; ſed mundus eſt a ſeipſo. Confirmat dictum ex ipſa ſcriptura; Homines primi dicuntur terrigenæ, ſubſequentes vero ab iſtis procreati filii hominum vocantur: ſic enim habetur Pſal. 48. *Audite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem: quique terrigenæ & filii hominum: ſimul in unum dives & pauper;* ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens, quod æque falſum ac ridiculum eſt: quaſi vero homo, qui omnibus creaturis ſenſibilibus præeſt, aſſimiletur arbori & plantæ: ubi unquam auditum eſt hoc? Jam vero ſi terra ita fœcunda quondam fuit, cur hodie non germinat homines, ſicut primis germinavit temporibus, cum ſint eædem diſpoſitiones, idem ſolis & aſtrorum curſus & recurſus? ſi non perfectiſſimos, ſaltem rudes aliquos terra proderet homines: attamen ipſi ſylvarum incolæ ſola generatione procreantur. Præterea ſi terra hominum mater & genitrix fuit; cur omnes ejuſdem ſpeciei protulit? cum & herbas, & lapides, & plantas, & arbores veluti in infinitum ſpecie diverſas producat? ſignum certe & argumentum evidens eſt atque irrefragabile, omnes homines ex eodem ſanguine & patre, nempe a primis parentibus a Deo creatis prodiiſſe.

Jamjam reſpondimus ad objectionem petitam, tum ex veſana atomorum congerie; tum ex earumdem motu & modificatione futili; impræſentiarum addo congeriem & atomorum adunationem mechanicam impoſſibilem eſſe; hominem, *v. gr.* eſſe machinam nemo cordatus dicet, cum conſtet corpore & anima ſpiritali, & inter utramque partem doloris & gaudii, ſeu etiam voluptatis perpetuus ſit fluxus & refluxus, quem modo ſiſtere, modo etiam longius & ad libitum protendere valet: ſed unum maxime attendas velim, benevole Lector, videlicet atomorum ſtupidarum motum non eſſe eſſentialem, ſed accidentalem: cum ſit quandoque rectus, quandoque etiam per clinamen obliquus. Quid plura? Motus ille quicumque ſit, gratis confingitur; enimvero ejus ortum ducit Epicurus ab atomorum gravitate: hoc dato & non conceſſo, pondus debet ducere atomos ſemper deorſum; & tamen ut modificationem inducant atomi, debent moveri per tranſverſum, debent modo a dextris, modo a ſiniſtris, modo linea recta, modo curva, modo ovali, modo ſemi-recta ruere, modo etiam aſcendere & ubique indiſcriminatim ferri, ut ſeſe invicem lineis tranſverſalibus occurrentes ligent & ſibi cohæreant. Ratio motus illius vagi & indeterminati duplex eſt: prima, quia ut dictum eſt ſupra, nec ſibi adhærebunt mutuo atomi, nec ſimul conglutinabuntur: ſecunda, quia diverſas debent induere formas, quarum aliæ ovales, aliæ rectæ, aliæ obliquæ ad efformandas arborum, animaliumve, & cæterorum corporum partes, quæ in diverſas figuras & ſitus varios abeunt; nam effectus aſſimilatur cauſæ: ſi tot ſint in corporibus figuræ diverſæ, debent eſſe & totidem motus diverſi, quos certe gravitas, quæ ſolum tendit & pellit deorſum, nunquam producet: igitur nullum eſt rationis & veritatis fundamentum in iis quæ Epicurus,

&

& Spinoſa dicunt de productione omnium entium ex materia : quocirca relinquitur abſolutus recurſus ad Deum qui ſit ſua omnipotentia , ſuoque dominio rerum univerſarum auctor , & cauſa .

Ad confirmationem , diſtinguo : & non eſt differentia inter terrigenas & filios hominum, concedo : & eſt , nego; idem ſignificant ſicut iſta duo vocabula vir & homo ; namque homines per ordinem ad primam originem ſpectati dicuntur terrigenæ , eo quod ortum habent ab Adamo , qui ex limo terræ formatus eſt : conſiderati vero relative ad parentes a quibus immediate procedunt , filii hominum vocantur ; ita Chryſoſtomus & Euthymius . Baſilius per terrigenas , eos intelligit homines qui terrena ſapiunt ; per filios vero hominum juſtos : verum ſecundum proprietatem linguæ Hebraicæ magis convenit per terrigenas intelligere ignobiles , ſicut & apud nos terræ filius per adagium dicitur , qui obſcuro loco natus eſt , (hoc & Græcis placet :) per filios autem hominum Principes & Nobiles notantur .

Inſtant . Cteſias refert multos inter Indiarum populos caput caninum habere : igitur veriſimile apparet primos homines e terra oriundos .

Reſpondeo nedum injuſtum , ſed prorſus indignum eſſe hominem ratione præditum , & ad imaginem Dei factum ita dejicere , ut etiam jumentis inſipientibus ſimilem quis audeat facere . Porro Auguſtinus lib. 16. de civitate Dei cap. 7. reſpondet Indos Simias pro hominibus ſylveſtribus habuiſſe : quandoque etiam nemorum incolæ propter ſtupiditatem & feritatem ita illuſere viatores , ut ab eis veluti terrigenæ & non homines habiti ſint ; qui quidem error devius , doloſa traditione ad alios ſubſequentibus ſæculis tranſmiſſus eſt , quamobrem fama percrebuit apud ſimplices , terram quandoque peperiſſe homines . Stupendæ ſunt de monſtris hiſtoriæ : Rev. P. Merſennius refert quamdam mulierem Veronæ anno 1254. in lucem ediſſe equos , alteram Ravennæ 1512. genuiſſe ſemiavem , alteram in Saxonia peperiſſe ſemivitulum : non deſunt qui aſſerant eſſe in ſinu maris piſces hominis figuram præ ſe ferentes , quos & homines marinos vocant .

Noſtras reſponſiones juvat iſtis D. Auguſtini verbis claudere : ſic enim ipſe loco mox citato concludit : “ Nam & Simias , & Cercopithecos , & Sphingas , ſi neſciremus non homines eſſe , ſed beſtias , poſſent illi Hiſtorici de ſua curioſitate gloriantes , velut gentes aliquas hominum nobis impunita vanitate mentiri : ſed ſi homines ſunt , de quibus illa mira conſcripta ſunt ; quid , ſi propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes creare , ne in his monſtris quæ apud nos patet ex hominibus naſci , ejus ſapientiam , quæ naturam fingit humanam , velut artem cuiuſpiam minus perfecti opificis , putaremus erraſſe ? non itaque nobis videri abſurdum debet , ut quemadmodum in ſingulis quibuſque gentibus quædam monſtra ſunt hominum , ita in univerſo genere humano quædam monſtra ſint gentium . Quapropter ut iſtam quæſtionem pedetentim cauteque concludam , aut illa , quæ talia de quibuſdam gentibus ſcripta ſunt , omnino nulla ſunt ; aut ſi ſunt , homines non ſunt ; aut ex Adam ſunt , ſi homines ſunt . ”

Inſtant . Ut veritas ſtaret pro generatione omnium hominum ab una ſtirpe & Adami ſanguine prodeuntium , filii primi parentis , & poſt diluvium pii Noe nepotes debuiſſent transfretare uſque ad Americam : ſed hoc veriſimile non apparet de primis , & de ſecundis : de primis quidem ; quia non habebant navium uſum , qui ortum habuit ab arca Noe ; quomodo igitur de Aſia tranſiiſſent ad Americam , quæ Oceano ab aliis mundi partibus ſejungitur ? neque etiam de ſecundis , cum America novus appelletur mundus , quippe quæ vix a duobus ſæculis agnita & detecta ſit ; & tamen primi qui ex Europa illic abiere , hanc mundi partem hominibus refertam invenerunt : igitur iſti a terrigenis ortum ducebant .

Reſpondeo negando minorem . De hominibus quidem ante diluvium natis , neque ſatis conſtat tranſiiſſe uſque ad Americam , neque opus fuit , cum homines tunc ſuperſtites non ſufficerent ad habitandam omnem terram ; unde prioribus temporibus loca amœniora ſelegerunt antiqui pro habitatione , & primo quidem viciniora , ut Aſiæ partes ; aſt poſt diluvium, ſcientiam & artem fabricandi na-

ves

ves didicerunt a Noe : nihil igitur vetat quin homines vel curioſitate ducti , vel ſuper mare iter facientes ventorum & tempeſtatum impetu compnlſi ſint ad Americæ litora , quam poſtea habitare cœperunt : quidquid ſit , hoc ſufficienter indicat Moiſes ; nam Gen. 10. recenſitis filiis quos Sem poſt diluvium habuit , ſubjungit : *Ab his diviſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ſuis unuſquiſque ſecundum linguam ſuam :* ſi diviſæ ſint ab eis inſulæ : igitur a terra ſua egreſſi , arte exculti , potuerunt navigare etiam verſus Americam .

Præterea multus eſt ſermo in ſcripturis , & de navibus Tyriorum , qui copioſam ſuper montem Libani ſylvam habebant ad componendas rates , & de claſſibus Salomonis quæ pergebant verſus Tyrum : igitur ex Tyriis , vel etiam ex Judæis multi ad litora Americæ , & Indias Occidentales transfretare potuerunt . Cæterum auctores de claſſibus Phœniciorum tanquam de antiquiſſimis ſcribunt . Omnes etiam norunt magnam Tartariam affinem eſſe Americæ : quidni Tartari cæterique ex Septentrione veluti torrens inundans & examen egreſſi uſque ad Americam tranſierint , & ibi permanſerint , atque ex parte habitaverint ſylvas ? Plinius lib. 2. cap. 62. refert Coelium Antipatrem , vidiſſe hominem qui ab Hiſpania egreſſus uſque ad Æthiopiam penetraret . Idem ſcribit ſub Conſulatu Metelli , Celeri & Afranii , quemdam Sueviæ Regem dediſſe Galliarum Proconſuli Indos , qui quidem navem aſcenderant pro commercio , ſed ventorum vi ad litus Germaniæ adducti fuerant . Quid plura referam ? Huetius demonſt. Evang. pag. 102. §. 6. propugnat Americam a Phœniciis primo detectam fuiſſe , qui ad lineam pervenientes , poſtea uſque ad Americam ventorum tempeſtate appulſi fuerant : quinimmo ſcribit numiſmata tempore Auguſti fabricata , etiam tunc ibi fuiſſe adinventa , quod ſane argumentum eſt aliquos vel ex Aſia , vel ex Europa , vel ſi vis ex Africa homines , caſu aut ex directione prævia tum cordis , tum mentis illuc tranſiiſſe .

Objiciunt 2. non unum fuiſſe diluvium ; hinc monumenta præcedentium temporum ab oculis evanuiſſe : igitur ſyſtema Moiſis non eſt ſequendum pro fabrica mundi in tempore : diluvium autem multiplex genealogiis & chronologiis Sinarum perantiquis probare ſatagunt .

Reſpondeo nullum auctorem etiam profanum , ſaltem cordatum & percelebrem meminiſſe multiplicis diluvii : quod ſane perperam confingitur . Et vero , cum homines omni tempore facta præclara memoriæ mandari curaverint , ſi mundus foret ante quinquaginta annorum millia , cur nullum apparuerit mundi tam antiqui , immo & æterni veſtigium ? ubi Pyramides erectæ ? ubi Heroum trophæa ? ubi ex præcedentibus palatiis & urbibus deſtructis aggeres ? ſi enim rami olivæ ad omnem auram verſatiles , tametſi tenues ac fragiles permanſerunt poſt diluvium , cum & columba unum aſportaverit ad Noe ; jure certe potiori lapides prægrandes ex ruina ædificiorum relictæ remanſiſſent : nam & Ægyptiorum pyramides a tempore primorum Imperatorum perſeverant ; paucis ab hinc annis columnas marmoreas , effoſſa terra , Romæ adinventas legimus ; nonne Roma vetus , tametſi non ſemel diruta , ex parte tamen in locis ſubterraneis hodie conſpicitur ? Cum igitur nullum apparuerit poſt diluvia ſuppoſititia priſtinæ antiquitatis veſtigium monumentumve , argumentum eſt ea eſſe abſolute fictitia . Addo , ſterilitates , peſtem , inundationes , quæ repetitis veluti falcibus ingentem hominum multitudinem metebant , vaſtabantque imperia , multos aut ſimplicitate , aut falſitate tantum adduxiſſe in errorem , ut mundum ex integro tunc periiſſe , & novum priſtino ſucceſſiſſe crederent in quo quidem plurimum allucinatos eſſe conſtat . Sterilitas quippe , aut alicujus regni inundatio ſeu devaſtatio , reſpectu totius orbis , quaſi pro nihilo habetur ; quinimmo vix audiri aut ſentiri in aliis longinquis regionibus poteſt . Jam vero , ſi mundus eſt ab æterno , cur mare , poſt infinitos fluctuum impetus , terram terminis concluſam repetitis demolitionibus non abſorbuerit ? cur illud elementum ſi a ſemetipſo eſt , ſuos tumentes fluctus in exigua ſiſtat arena ? nonne naturali & fluxu & impetu terram inundare deberet ? Igitur non a ſeipſo , ſed a ſupremo naturæ Domino intra ſuos continetur limites .

Ceterum , nec plus proficiunt illi , qui mul-

Digitized by Google

multos & infinitos prope mundos abſque termino a Deo ante diluvium creatos confingunt : habemus enim ex traditione mundum conditum perſeveraſſe ab Adam uſque ad diluvium Noetianum; ipſe Noe ejuſque filii, teſtes ſunt ; monumenta nonnulla nedum in lignis olivarum, ſed & in ædificiis tranſacto diluvio remanſiſſe refert Joſephus ; mentionem potiſſimum facit de duabus columnis, altera ex lapidibus contra diluvium futurum conſtructa a Seth, altera ex lateribus contra excidium mundi per ignem judicii ; utrumque enim orbis interitum inſtinctu quodam prophetico eum prævidiſſe teſtatur ille Hiſtoricus, ſubditque ſuis circiter temporibus columnas ex parte ſubſiſtentes a multis viſas fuiſſe. Quid plura ? arcam Noe ſuper montes Armeniæ ſtetiſſe narrat Scriptor Canonicus : nec deſunt qui referant nonnullos Heremitas, cruces ex arcæ ligno conſtructas non ſemel porrexiſſe viatoribus. Igitur nec aliud a Noetiano fuit diluvium, nec alius ab orbe condito mundus.

Verum, ut paucis cuncta complectar, rerum ortus etiam antiquiſſimarum breviter dicam. 1. Deus omnia ſimul creavit, poſt ſua diſtinxit opera. 2. Adam genuit filios ; iſti vero a patre edocti invenerunt artes, tum ædificandi domos & urbes, tum fabricandi opera ex ære & ferro, tum cantandi muſicam, organis aliiſque ſimilibus inſtrumentis utendo, ut legitur in libro Geneſeos ; ipſe vero Adam omni ſcientiarum genere excultus, juxta illud Eccli. 17. 5. de primis parentibus, *Diſciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam ſpiritus ;* utique filios docuit ſapientiam, docuit artes liberales, aliaſque ad culturam animi neceſſarias diſciplinas. 3. Poſt diluvium ſolus Noe cum tribus filiis remanſit ; & ideo pereuntibus hominibus, perierunt & pæne extinctæ ſunt artes, pæne extinctæ ſcientiæ. Noe quidem, Sem, Cham & Japhet aliquas potuerunt lectiones inſtituere nepotibus : ſed tam pauci ſaltem ſufficienter inſtruere homines non valebant, tum quia filii Noe & nepotes diviſi ſunt in inſulas ; tum quia poſt ædificationem turris Babel, unuſquiſque non audiebat proximum loquentem ; tum quia homines vel propter ſupinam negligentiam, vel etiam quia vagi per omnem terram inculti admodum fuere : hinc Varro in hiſtoriis Temporum periciſſimus, ſpatium a diluvio quod tempore Ogygis advenit, uſque ad primam Græcorum Olympiadem merito vocat fabuloſum, addo, omni ſcientia & arte deſtitutum. 4. Græci ingenio acres, ſciendi cupiditate compulſi peregrinabantur apud Perſas, apud Ægyptios & Phœnicios, a quibus tamen pauca didicere ; neque enim ullus eſt in illorum hiſtoria ſermo de monumentis, de columnis, de ſcientiis ante bellum Thebanum & Trojæ : igitur nihil acceperant ab illis nationibus apud quas diverſati fuerant ; quod profecto arguit mundi novitatem, qualem deſcripſerat Moiſes. 5. Poſt funera Trojæ tandem Græci artes, philoſophiam, diſciplinas ſive negligentia, ſive terrore diluvii deperditas cogitando, ſtudendo & reflectendo invenerunt, aut potius repararunt : ſed maxime obſervandum illud eſt, quod tempus Olympiadum contineat in ſe inventionem & artium, & liberalium diſciplinarum. Enimvero intra octo circiter ſæcula numerando a prima Olympiade uſque ad Chriſtum, columnæ & trophæa Heroibus, altaria falſis numinibus erecta leguntur a Græcis ; quod ſane ſummam arguit novitatem, quandoquidem non eſt credibile, ſi mundus aut ab æterno, aut a viginti, vel triginta millibus annis fuiſſet conditus, homines nihil memoriæ traditum reliquiſſe.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Deus eſt auctor rerum omnium, quia cauſam mundi eſſe natura ſpiritualem & infinite intelligentem neceſſe eſt.

ISTAM rationem non ſemel jam ſupra delineavimus, ſed ut veritas creſcat, ſi fieri poteſt, in mentibus uſque ad perfectam diem, in nova forma ſic argumentamur. Quod eſt materiale, & tamen in ſpecie determinatum ; quod contraria continet, & tamen in unum concentum confluentia ; quod eſt modo in potentia, modo in actu, haud dubie cauſam habet mere ſpiritualem, eamque infinite ſapientem : atqui mundus conſtat entibus

tibus materialibus & corporeis, entibus contrariis & ſeſe invicem impugnantibus, immo actione & reactione deſtruentibus, ad unum tamen finem tendentibus, entibus quæ modo ſunt in actu, modo in potentia: igitur præter mundum elementarem eſt unus Deus & Creator omnium. Major in qua eſt difficultas probatur, 1. Quia determinatio materiæ in aliqua ſpecie ſingulari procedit ab intelligente ſuperiori; nam ordinatio eſt rationis & humanæ perfectionis effectus. 2. Quæ pugnant ad invicem, ut aqua & ignis, & tamen ordinantur, & unum faciunt corpus harmonicum, uti in homine in quo quatuor qualitates agunt & reagunt, & tamen vitam fovent, non poſſunt abſque ſuperiori cuncta ordinante ſic eſſe. 3. Quod eſt in potentia, nequit reduci ad actum, niſi per id quod eſt ſemper in actu: ſi dicatur id quod eſt in potentia reduci ad actum per motum atomorum, redit quæſtio, & petitur a quo iſte motus habuerit eſſe in actu: non enim ab æterno eſt; ſiquidem ens ſucceſſivum, nec eſt, nec poteſt eſſe ab æterno, quippe quod non habeat omnes partes ſimul: igitur agnoſcendum eſt agens omnibus dominans, ſpirituale & infinite ſapiens atque omnipotens; agnoſcendus Deus qui ſpecies rerum figat & determinet, qui cuncta quantumvis contraria ad finem conducat, qui cauſas ſecundas reducat de potentia ad actum.

Confirmatur. Effectus aſſimilatur cauſæ, & illam denotat: ſed omnes creaturæ ſunt effectus Dei; omnes enim ſunt infinitæ bonitatis participationes, quandoquidem ſupponunt cauſam ſpiritualem & infinite intelligentem. Et vero, belluæ aliqua pollent cognitione; homines majorem habent, ſed tamen finitam; nam & inter ipſos quidam ſubtiliori præditi ſunt ingenio: igitur deveniendum eſt ad cauſam quæ plenitudine cognitionis & intelligentiæ polleat: alios ſi mundus ex ſeipſo foret intelligens, eodem modo foret in omnibus individuis, quia motus materiæ eſt idem & uniformis, ipſa vero materia eſt univoca in ſe, & conſequenter in omnibus; namque ex motu vel diviſione non mutatur eſſentialiter; cruſtula panis æque panis eſt, ac panum acervus.

Confirmatur 2. Motus materiæ non ſufficit ad productionem rerum, niſi adſit agens ſupremum cuncta dividens & ordinans in ſpecies: igitur ſolus Deus eſt Creator omnium. Probatur antecedens. Motus impreſſus pilæ terminatur ad locum ad quem pulſat impreſſio; attamen in agentibus liberis non ſic: nam aliquis poteſt reſiſtere impreſſioni & quando incipit motus, & quando eſt in medio: Petrus ambulat & currit ut equus, poteſt tamen, fracto motus impetu, ab abrupto immotus manere & tranquillus; attamen ſi ſpecies rerum forent ex atomis motis, homo quantumvis liber, non poſſet non agere, quandoquidem neceſſario compelleretur ad agendum per materiæ motum, nam & ipſa foret ad unum ſemper determinata.

Denique. Si motus atomorum eſſet ſine cauſa, nulla eſſet in rebus veritas, nulla foret propoſitio & enuntiatio vera, nullaque falſa; quia omnia caſu & fato fierent: hanc rationem affert Cicero lib. de fato, ſic enim concludit Chryſippus apud illum ": Si eſt motus ſine cauſa, „ non omnis enuntiatio, quod axioma „ dialectici appellant, aut vera aut falſa erit; cauſas enim efficientes quod „ non habebit, id nec falſum erit." Cæterum quis ſanæ mentis aut credet, aut pronuntiabit cognitionem ab atomis, ut a primigenio fonte fluere? quis hoc ipſum de libertate aſtruere audebit? Et vero ſi res ſic ſe haberet, ſequeretur inde atomum unam, ſcire ſe eſſe & rerum principium, & libertatis dominam. Fruſtra Spinoſa reponit pilam in hypotheſi fore liberam, ſi ſuum cognoſceret motum; namque ſi ita eſt, pila mota verſus Orientem, poſſet proprio motu retrogredi ad Occidentem; Belluæ forent liberæ, quandoquidem cognoſcunt quod faciunt; quinimmo opus jam cœptum, ſi neceſſe eſt, aut reformant, aut in priſtinum reſtituunt ſtatum, ut non ſemel in avium nidificatione compertum eſt; non deſunt edoctæ aves quæ cantilenas dulci & muſicali modulamine repetant, quæ ſi notula deſit aliqua, relicto medio, quaſi ſe corrigentes, de novo incipiunt. Infelix prorſus conditio hominum, qui majorem quam ipſa jumenta non haberent libertatem! ſed iſta profecto tanquam inania peſſumdare neceſſe eſt, & univerſorum agnoſcere Creatorem, qui

qui-

quidem vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Solvuntur objectiones Spinoſæ.

OBJICIT 1. contra exiſtentiam Dei Creatoris. Eſt unica ſubſtantia infinita ex qua omnia coaleſcunt: ita docet in ſua Ethica propoſ. 1. & in 6. propoſitione concludit unam ſubſtantiam non poſſe alteram producere: *Una*, inquit, *ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia*: ſubſtantiam igitur dicit infinitam; extenſionem vero quam attributum ſubſtantiæ vocat, finitam pronuntia; jam vero cum extenſio multiplicetur ſecundum modificationes quæ in infinitum fieri poſſunt, per Deum habentem & attributa, & intellectum, & voluntatem, intelligit aggregationem tantummodo attributorum, ſeu potius extenſionum materiæ; & ſic nullum revera agnoſcit Deum, nullumve Creatorem; unde concludit, ergo non datur Deus Creator, quia omnia ſunt ex eadem ſubſtantia ſcilicet materiali: igitur ex illo non dantur duplicis generis entia, quorum unum ſit ſpirituale, aliud materiale; ſic loquitur in ſua Ethica.

Suam inanem ita ratiocinando confirmat doctrinam; ſubſtantia eſt improducibilis: igitur non habet Creatorem. Probat antecedens. Subſtantia eſt ſolum producibilis ratione extenſionis, & modificationis, minime vero ratione ſui, quia ſecundum ſe eſt prior extenſione; Ethicæ parte 1. de Deo propoſ. 1. ſic habet: *Subſtantia prior eſt natura ſuis affectionibus*. Probat vero idem antecedens alio medio, videlicet dicendo individua habere quidem cauſam ſui, & talem cauſam alteram adhuc uſque in infinitum habere: unde inquit, cum non adinveniatur prima omnium cauſa, ſequitur materiam, quæ in individuis diffunditur & dividitur, eſſe ſecundum ſe indiviſibilem & improductam; in Ethicæ parte 1. propoſ. 1. ſic ſtatuit his verbis: ,, Quodcumque ſingulare, ſeu quævis res ,, quæ finita eſt & determinatam habet ,, exiſtentiam, non poteſt exiſtere, nec ,, ad operandum determinari, niſi ad ,, exiſtendum, & operandum determi- ,, netur ab alia cauſa quæ etiam finita ,, eſt, & determinatam habet exiſtentiam. ,, *Et rurſus*, Hac " cauſa non ,, poteſt etiam exiſtere ſingulare, neque ad ,, operandum determinari, niſi ab alia ,, cauſa quæ etiam finita eſt & determina- ,, tam habet exiſtentiam, determinetur ad ,, exiſtendum & operandum, & ſic in in- ,, finitum. ,, Ibidem docet proceſſum in infinitum pro modificationibus, quas attributa rerum vocat: " Debuit ergo, *inquit*, ſequi ,, vel ad exiſtendum & operandum deter- ,, minari a Deo, vel aliquo ejus attribu- ,, to, quatenus modificatum eſt modifi- ,, catione quæ finita eſt, & determina- ,, tam habet exiſtentiam, quod erat pri- ,, mum: deinde hæc rurſus cauſa, ſive hic ,, modus debuit etiam determinari, & ſic ,, ſemper in infinitum. ,,

Iterum ſuam impiam confirmare ſententiam enititur, & ſic arguit: " Omne ,, quod ex ſe habet exiſtentiam, non pro- ,, ducitur: atqui res omnes, etiam cor- ,, porales habent ex ſe exiſtentiam, quia ,, ſubſiſtentia eſt ens per ſe ſubſiſtens: igi- ,, tur independens ab alio: ,, ita prop. ,, 24. p. 1.

Reſpondeo 1. Spinoſam multa dicere, & nihil probare. 2. Conſtare ex dictis duplicem eſſe ſubſtantiam, alteram ſpiritualem, alteram corpoream, ſpiritualem vero duplicem, finitam unam, & alteram infinitam. Prima eſt anima ſpiritualis, quæ eatenus cognoſcitur ut talis, quatenus cogitat, judicat, diſcurrit, intelligit, immo & ſæpiſſime independenter a corpore, dominatur ſenſibus, & operatur libere. Secunda eaque infinita, eſt ipſe Deus; quia ut ſupra oſtenſum eſt, datur primum mobile, prima cauſa, omne enim quod movetur, ab alio movetur: nec datur proceſſus in infinitum, alias nihil moveretur; ſiquidem ex eo ipſo quod non aſſignatur primum movens, nec medium movetur, nec ultimum: poſita autem iſta duplici ſubſtantia funditus evertitur ſyſtema Spinoſæ, qui poſt Epicurum unicam abſque fundamento admittit ſubſtantiam, eamque materialem. præterea falſum eſt ſubſtantiam materialem eſſe infinitam: illa enim ſubſtantia gratis a Spinoſa excogitata, vel eſt extenſa & modificata, vel non: ſi primum, eſt finita, quia ipſe Spinoſa concedit modificationem eſſe finitam; ſi ſecundum, eſt ens rationis & pure metaphyſicum: quæſtio autem procedit de ente

phyſi-

phyſico, quod eſt a parte rei & ſenſibile atque materiale; & ſic manifeſta in principiis Spinoſæ contradictio apparet. Neque vero magis verum eſt, unam ſubſtantiam non poſſe producere aliam ſubſtantiam: nam leo generat leonem, equus equum, arbor etiam producit aliam arborem.

Reſpondeo 2. in forma. Eſt unica ſubſtantia, eaque divina & increata quæ ab alia produci non poteſt, concedo: unica creata, nego. Iſta quippe dividitur in ſubſtantiam ſpiritualem & corpoream. Item ſubſtantia eſt indiviſibilis & improducibilis metaphyſice ſumpta, concedo: phyſice ſumpta, & ut ſubeſt exiſtentiæ, nego: ſubſtantia igitur poteſt conſiderari dupliciter, nempe in genere, deinde vero in individuo. Primo modo exiſtit ſolum per mentem, & eſt ſubſtantia metaphyſice ſumpta, quæ definitur ens per ſe ſubſiſtens: ſecundo modo conſiderata, habet exiſtentiam talem individuam & ſingularem *v. g.* Ioannes, hic homo. Rurſus, ſubſtantia individua hominis, puta Petrus, poteſt conſiderari metaphyſice & phyſice, eſſentia ejus metaphyſica eſt definitio hominis, nempe iſta, Petrus eſt animal rationale. Phyſica vero eſt ipſa eſſentia & ſubſtantia in concreto, nimirum ut ſubeſt exiſtentiæ & accidentibus, ſicque eſt individua: primo modo ſubſtantia ſeu eſſentia hominis eſt indiviſibilis, improducibilis, æterna, quia verum eſt ab æterno dicere, homo eſt animal rationale: at vero ut individua, eſt finita, & producta, extenſa, & ut vult Spinoſa modificata: iſta autem modificatio habet, ipſo teſte, cauſam, & cum non detur proceſſus in infinitum in cauſis phyſicis & ſubordinatis, ſequitur omnia entia prout ſunt a parte rei, fuiſſe producta, adeoque Deum habere auctorem; unde patet, demonſtrationes Spinoſæ perpetua laborare æquivocatione, ipſum vero confundere eſſentiam metaphyſicam cum phyſica, de qua ſolum hic movetur quæſtio: igitur fucum facit Spinoſa, quia definit ſubſtantiam ſolum in genere & metaphyſice ſumptam, ut colligitur ex propoſitione 24. p. 1. Hac autem diſtinctione facta, cætera ſophyſmata facile diluuntur; unde:

Ad primam confirmationem, diſtinguo: ſubſtantia ſecundum ſe & metaphyſice conſiderata non producitur ab alia, concedo; ſic enim eſt mera rei definitio & propoſito æternæ veritatis, ut iſta, homo eſt animal rationale; ſubſtantia ut eſt ens per ſe ſubſiſtens in concreto, & exiſtens a parte rei, nego. Loquitur Spinoſa tantum in primo ſenſu, unde illudit Lectorem loquendo de ſubſtantia materiali, quæ nihil eſt extra mentem: agitur autem impræſentiarum de ſubſtantia reali, quæ quidem eſt ſolum talis per extenſionem & modificationem: quod autem eſt modificatum, finitum eſt, atque producitur: igitur omnis ſubſtantia realis, materialis, finita & producta cenſetur, & ſic Spinoſa ſibi non conſtat: igitur ſubſtantia indiviſibilis & improducibilis, eſt ſolum ens rationis & ſubſiſtens per mentem, immo & per mentem finita eſt: quis enim dicet iſtam eſſentiam hac propoſitione & definitione conceptam, homo eſt animal rationale, eſſe infinitam, niſi per infinitam intelligere velit, æternam æternitate propoſitionis, non durationis? Ad aliud, dictum eſt non dari proceſſum in infinitum in cauſis ſubordinatis.

Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo: ſubſtantia ut eſt a parte rei & individuata, & ſecundum Spinoſam modificata habet exiſtentiam, concedo: ſecundum ſe & in abſtracto conſiderata, ſubdiſtinguo: habet exiſtentiam propoſitionis & per mentem, in quantum verum eſt dicere, *v. g.* homo eſt animal rationale, concedo: exiſtentiam realem, nego; nam ut ſic, eſt tantummodo ens rationis. Ad id vero quod dicitur ſubſtantiam eſſe ens independens, diſtinguo: ut vox independens excludit inhærentiam & dependentiam ab alia creatura, concedo: ut excludit dependentiam a prima cauſa, nego. Subſtantia definitur quidem ens per ſe ſubſiſtens, unde accidens dependet ab ipſa, ſed non e contra, in hoc ſolum ſenſu dicitur independens, nuſquam vero ſi conſideretur relative & per ordinem ad primam cauſam a qua dependet, hæc enim ſola eſt ens a ſe & omnino independens; nec eſt cumulus attributorum materiæ, ſeu modificationum, ut inique finxit Spinoſa, ſed Deus optimus maximus, ſolus Dominus, ſolus omnium creator; non in-

quam

quam aggregatio materiæ modificatæ; nam quælibet portio materiæ modificatæ eſt finita & habet cauſam, etiam non diffitente Spinoſa: ergo & totus cumulus, cum nihil aliud ſit præter plures materiæ proportiones modificatas. Ratio, eaque demonſtrativa, eſt, quod in prædicatis eſſentialibus a ſenſu diſtributivo ad collectivum conſequentia valet, *v. g.* Petrus eſt rationalis & finitus, item & Jacobus & Andreas: ergo omnes homines ſunt rationales & finiti: igitur & in facto præſenti, quælibet materia modificata eſſentialiter, immo & neceſſario ex ipſo Spinoſa finita eſt & habet cauſam, ut patet ex propoſitione 28. ſupra citata: ergo ex concedendis etiam aggregatio materiæ modificatæ, quæ cuncta mundi entia componit, eſt finita & habet cauſam: ergo & mundus; cum nihil aliud ſit præter creaturarum omnium collectionem. Igitur ſuper omnia agnoſcendus eſt Creator omnium Deus, qui ſolus cuncta fecit, quia ſolus infinitus, ſolus omnipotens.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Deus eſt auctor mundi & Creator, quia ſic profitetur Gens Judaica.

ILLE eſt auctor mundi, cui teſtimonium perhibet irrefragabile gens Judaica: atqui gens Judaica teſtimonium irrefragabile perhibet Deum optimum maximum eſſe viſibilium & inviſibilium Conditorem: igitur Deus optimus maximus eſt Creator omnium. Minor patet. Probatur major. Illud teſtimonium eſt irrefragabile & omni acceptione dignum, quod perhibetur a gente antiquiſſima, a gente veraci in ſuis reſpective ſcripturis, a gente ſancta atque inſpirata tum in lege, tum in cæremoniis & Prophetiis ſuis, immo & in figuris: atqui teſtimonium pro Deo omnium Creatore perhibetur a gente omnibus iſtis donata prærogativis: igitur eſt irrefragabile. Jam altera iſta minor probatur diſcurrendo per ſingula.

Primo, *Gens Judaica eſt antiquiſſima*.

HABEMUS ab ipſo Moiſe quantum gens Judaica ſit antiqua; ſiquidem Abraham a quo ſuam ducit originem, erat filius Thare: Thare vero, filius Nachor: Nachor, filius Sarug: Sarug, filius Reu: Reu, filius Phaleg: Phaleg, filius Heber: Heber, filius Sale: Sale, filius Arphaxad: Arphaxad, filius Sem qui illum genuit biennio ſolum poſt diluvium: hinc a diluvio uſque ad Abraham computantur ſolum anni 2957. Ita colligitur ex Gen. 11. Dictum eſt autem ſupra, ipſos Judæorum infenſiſſimos hoſtes Gentiles, maxime tempore Chriſti, in ſtatera rigoroſa ponderaſſe antiquitatem tum gentis Judaicæ, tum librorum Moiſis; nec ipſum Julianum Apoſtatam in omnibus Chriſtianæ Religionis apertum inimicum aut revocaſſe in dubium, aut oppugnaſſe ſcripturarum veteris Teſtamenti antiquitatem, quibus tamen ſcripturis Religio Chriſtiana, quam odio & ferro hic impius inſectabatur, ſuum habet robur & fundamentum.

Secundo. Ipſi profani Auctores aſtipulantur antiquitati Judæorum. Tacitus hiſt. 5. ſermonem habet de Judæis, eoſque a Cretæ inſula, ſecundum quoſdam, ab Ægypto, Ducibus Jeroſolymo & Juda, fugitivos dicit; alii ſecundum eumdem Tacitum primordia celebriora eis perhibent, exiſtimantque eos eſſe populos ſub nomine Jeroſolyma apud Homerum percelebres. Juſtinus Auctor Latinus libro 36. cap. 2. ſcribit Judæos ex Damaſco oriundos, urbemque ab eorum Rege ſic fuiſſe nominatam: poſt Regem Damaſcenum ponit Azellum, poſt Azellum loquitur de Adores, de Abraham, de Iſrael, quos omnes Damaſci Reges fuiſſe commemorat: iterum loquitur de Joſeph, qui Pharaonis Regis Ægypti ſomnium explicuit, de Moiſe, quem filium Joſeph autumat, qui Moiſes, inquit, populum aggravatum de manu Ægyptiorum crudelium eripuit. Juvenalis etiam multa de Judæis ſcribit: primo quidem eos cœlum & nubes coluiſſe aſſerit, quæ quidem, ut patet, refert, eo quod Moiſen Deum in monte & nubis caligine allocutum fuiſſe legerat.

Celeberrimus eſt Juſtini Martyris locus, qui probat contra Gentiles incredulos, ex ipſis Auctoribus Paganis, & Moiſis & populi Judaici antiquitatem: ſic igitur loquitur in paræneſi pagina 9. editio-

tionem-Pariſienſ. " Non enim ex divi-
,, nis tantum Hiſtoriis noſtris hæc pro-
,, bare aggredior, quibus vos nondum,
,, propter inveteratum in animis veſtris
,, Majorum veſtrorum errorem, fidem ad-
,, hibere vultis: ſed ex veſtrarum etiam
,, nihil ad religionem noſtram pertinen-
,, tium litterarum monumentis; ut in-
,, telligatis omnibus veſtris ſive Sapien-
,, tibus, ſive Poetis, ſive Hiſtoricis, ſi-
,, ve Philoſophis & Legislatoribus mul-
,, to antiquiorem fuiſſe primum religio-
,, nis noſtræ Doctorem Moiſem, ſicuti
,, nobis Græcæ declarant Hiſtoriæ: nam
,, circa Ogygis & Inachi tempora, quos
,, nonnulli veſtrorum hominum terrigenas
,, fuiſſe ſunt opinati, Moiſis illæ memi-
,, nerunt, tanquam Ducis & Principis
,, Judaicæ gentis: ita enim Polemon in
,, Græcanicarum rerum primo ſcribit li-
,, bro, & Appion Poſſidonii in ſuo ad-
,, verſus Judæos commentario: atque is
,, itidem in quarto Hiſtoriarum libro di-
,, cit, regnante apud Ægyptios Inacho,
,, ab Ægypti Rege Amaſide ſeceſſiſſe Ju-
,, dæos, quibus Moſes præfuit; ſuffraga-
,, tur omnibus iſtis Ptolemæus Mendeſius,
,, qui res Ægyptias ſcripſit, tum autem
,, & qui Athenienſium geſta memoriæ
,, mandarunt, Hellenichus & Philo-
,, chorus cujus Attici ſunt libri; item
,, Caſtor & Thallus, & Alexander Poly-
,, hiſtor: atque inſuper ſapientiſſimi illi
,, Philo & Joſephus, qui Judaicas res
,, ſcribentes, ut admodum vetuſti & an-
,, tiqui Judæorum Principis Moſis faciunt
,, mentionem.,,

Celſus cum Luciano familiariſſimus eidem veritati aſtipulatur: enimvero dicit omnes Nationes ægre tuliſſe Judæorum antiquitatem, eamque omnibus modis Phrygienſes & Arcadienſes aut impugnaſſe, aut multum inter ſe de hoc momento diſceptaſſe; ſubdit Judæos adinveniſſe fabulam de muliere ex Adamo primum formata, deinde a ſerpente ſeducta; ſic ille Paganus apud Originem lib. 4. irridet myſteria: ſed ridendo dicere verum, quid vetat? Idem Origenes lib. 1. contra Celſum, inducit illum de Judæis multa diſſerentem; nimirum illos fuiſſe & pauperes & paſtores; ipſos Ducem ſuum Moiſen ſecutos eſſe, atque tandem ab ipſo ita deceptos, ut unum Deum exiſtere crediderint; quod vero ſpectat tum mundi, tum Moiſis & librorum legis antiquitatem, nihil profecto, tametſi omnis vere Religionis inimicus, eis conteſtatur & negat iſte Paganus.

Quid plura referam pro antiquitate Judæorum? Lactantius l. 4. divinarum inſtitutionum, aliique quamplurimi probant Moiſen eſſe non ſolum Homero, verum etiam antiquioribus ipſo Homero ſcriptoribus vetuſtiorem: ſic inter cæteros loquitur Tatianus, oratione adverſus gentes, apud Euſebium lib. 10. de præp. Evang. c. 11.

,, *Jam* agendum nobis id videtur, ut
,, noſtram quoque Philoſophiam exquiſitis
,, illis Græcorum artibus antiquiorem eſ-
,, ſe demonſtremus; qua in re Moſem
,, & Homerum ſummos veluti cardines
,, terminoſque ſtatuemus . . . . . neque
,, tamen domeſticos eam in rem teſtes
,, dabimus: ſed Græcorum ipſorum au-
,, ctoritate abutemur . . . Ac de Home-
,, ri quidem poeſi, genereque ſimul, ac
,, tempore quo floruit omnium antiquiſſi-
,, mi Rheginus ille Theagenes; qui ſub
,, Cambyſe vixit, Thaſius, &c. jam
,, ante quæſierent . . . . inter quos Cra-
,, tes, ipſum ante Heraclidarum redi-
,, tum, intra annos a Trojanis tempori-
,, bus octoginta floruiſſe auctor eſt; Era-
,, toſthenes vero nonniſi poſt annum ab
,, excidio Trojano centeſimum . . . At
,, eſto ſane, demus Homerum non mo-
,, do, non everſione Trojana poſteriorem,
,, ſed etiam ipſomet belli Trojani tempo-
,, re vixiſſe, immo etiam Agamemnonem
,, in illa expeditione ſequutum, ac ſi
,, quis ita velit, ipſa litterarum inven-
,, tione priorem fuiſſe: Moſem enim cer-
,, to conſtabit, non ſolum permultis an-
,, nis captum Ilium anteceſſiſſe, verum
,, etiam ejuſdem conditu, adeoque Troe
,, ſimul & Dardano longe antiquiorem
,, extitiſſe, quam in rem Chaldæorom,
,, Phœnicum, Ægyptiorum teſtimonia
,, proferam. Beroſus ergo vir Babylonius,
,, idemque Beli, quod ipſorum numen
,, erat, ſacerdos, qui Alexandri tem-
,, poribus vivebat, in ea quam tribus
,, libris Antiocho poſt Seleucum tertio,
,, ſcripſit Chaldæorum hiſtoria, ubi Re-
,, gum ipſorum geſta commemorat, Na-
,, buchodonoſoris cuiuſdam meminit, qui
,, adverſus Phœnices & Judæos expe-
ditio-

Digitized by Google

,, ditionem ſuſceperit, quam a Pro-
,, phetis quoque noſtris celebratam eſſe
,, novimus, quæque cum longe poſt
,, Moiſen contigerit, tum vero Perſa-
,, rum imperium annis ſeptuaginta præ-
,, ceſſerit. Beroſus ille quidem omni
,, fide digniſſimus eſt, uti vel ex Jobæ
,, teſtimonio intelligere poſſumus, qui
,, de Aſſyriis ſcribens, illorum ſeſe hi-
,, ſtoriam ex Beroſo didiciſſe profitetur.
,, Phœnices vero quod attinet, tres
,, apud eos viri floruere: Theodotus,
,, Hypoſicratès, & Mochus, quorum li-
,, bros Græce vertit Aſitus, is qui Phi-
,, loſophorum vitam ſumma diligentia
,, ſtudioque conſcripſit. Qui quidem om-
,, nes ſuis in hiſtoriis, ſub uno aliquo
,, Rege ſimul & Europæ raptum, &
,, Menelai profectionem in Phœniciam,
,, & Irami fœdus ac ſocietatem conti-
,, giſſe tradunt, cum is Salomoni Iudæo-
,, rum Regi, filia jam matrimonio con-
,, juncta, vim inſuper omnis lignorum
,, generis maximam ad templum ædifican-
,, dum ſponte donavit; quarum etiam
,, rerum Menander ille Pergamenus ſuis
,, memoriam ſcriptis conſignavit. Jam
,, Irami tempora non longe a Trojanis
,, abſunt, cum tamen Salomon ejuſdem
,, æqualis multo fuerit Moiſe poſterior.
,, Ægyptiorum denique Commentarii ac-
,, curate in primis ac diligenter elabora-
,, ti ſunt, quorum è numero litterarum
,, ſuarum interpres Ptolemæus fuit,
,, non Rex ille quidem, ſed ſacerdos
,, Mendetus. Is in Regum Ægyptiorum
,, hiſtoria ſub Amoſe Rege, Duceque
,, Moſe, Judæos quocumque libitum fuiſ-
,, ſet, ex Ægypto profectos, teſtatur.
,, Amoſin autem illum Inachi tempori-
,, bus regnaſſe conſtat: Ptolemæum ſe-
,, quitur Apio Grammaticus, clariſſimi
,, vir nominis, qui libro Ægyptiacarum
,, hiſtoriarum quarto, cum alia pleraque
,, tum hoc in primis docet, ab Amoſi
,, everſam Avarim fuiſſe, eundemque Ar-
,, givi Inachi vixiſſe temporibus, uti Pto-
,, lemæus Mendeſius ſuis in annalibus
,, teſtatum reliquit. Quod ſi ab Inacho
,, ad captum Ilium temporum ſeriem du-
,, cere volueris, ætates viginti numera-
,, bis. Argis olim regnarunt, qui ſe-
,, quuntur; Inachus, Phoroneus, Apis,
,, Argius, Criaſus, Phorbas, Triopas,
,, Crotopus, Steneleus, Danaus, Linceus,
,, Abas, Proetus, Acriſius, Perſeus, Eu-
,, ryſteus, Atreus, Thyeſtes, Agamem-
,, non, cujus anno duodecimo octavo Tro-
,, ja capta eſt: atque hic prudenti & in-
,, genioſo Lectori diligenter obſervan-
,, dum erit, vel ex ipſa Græcorum ho-
,, minum traditione conſtare, nullam
,, tum apud illos perſcriptam adhuc hiſto-
,, riam fuiſſe. Nam qui litterarum for-
,, mam ipſis & rationem tradidit Cad-
,, mus, nonniſi multis poſt ætatibus per-
,, venit in Bœotiam: poſt Inachum vero
,, Phoronei ductu atque auſpiciis homines
,, ab ferino vagæque vitæ genere ad hu-
,, maniorem ac liberaliorem cultum vix
,, tandem aliquando traducti ſunt. Qua-
,, re ſi Moſem Inacho æqualem fuiſſe
,, habebimus, idem Trojana tempora
,, quadringentis annis anteceſſerit neceſſe
,, eſt. ,,

Deinde ſic concludit Tatianus: " Si
,, clariſſima quæque Græcorum ſub Ina-
,, chi tempus, & ſcriptis mandari, &
,, in hominum cognitione verſari cœpe-
,, re, id ipſum pariter ſub Moſis ætatem
,, contigerunt: nam Phoroneo qui poſt
,, Inachum regnavit, ſupparem Athe-
,, nienſes Ogygem faciunt, ſuo quo pri-
,, mum diluvium accidit: tum Phorban-
,, ti Actæum, a quo Attica Acteæ no-
,, men habuerit; Triopæ deinde Prome-
,, metheum, Epimetheum Atlantem, ge-
,, minum Cecropem, & Io. Ad Crotopi
,, ævum, & Phætontis incendium, &
,, Deucalionis diluvium referunt. Cum
,, Steneleo, Amphictionis regnum, Da-
,, nai in Poloponneſum adventum, con-
,, ditam a Dardano Dardaniam & Eu-
,, ropæ ex Phœnicia deportationem in
,, Cretam, temporis ſocietate conjungunt.
,, Sub Lynceo, Proſerpinæ raptum,
,, Eleuſinii delubri ædificationem, agri-
,, culturam Triptolemi, Cadmi Theba-
,, nam in civitatem adventum, & Mi-
,, nois regnum collocant. Ad Prœtum
,, Eumolpi bellum adverſus Athenienſes,
,, ad Acriſium Pelopis trajectionem ex
,, Phrygia, Ionis Athenas adventum, Ce-
,, cropem alterum juniorem, Perſeique
,, res geſtas revocant. Poſtremo regnan-
,, te Agamemnone captum eſt Ilium.
,, Ergo ex ſuperioribus, Moſem Heroi-
,, bus, civitatibus ac dæmonibus ipſis (ſeu
,, Diis Gentium) antiquiorem fuiſſe ma-
,, nifeſte intelligitur. ,, Quinimmo ne-

dum ſolo Homero vetuſtiorem facit Moiſen Tatianus, verumetiam antiquioribus ipſo Homero ſcriptoribus, Lino, Philammone, Thamyride, Orpheo, Muſæo, Dæmodoco, Femio, Sibylla, Epimenide Cretenſi, &c.

Denique demonſtrat ſeptem Græcorum Sapientes Moiſe eſſe poſteriores quos extitiſſe poſt Trojæ funera, ſic probat: “
,, Minos, quem omnis cum ſapientiæ,
,, tum ſolertiæ, adeoque legum ſanctionis
,, Principem fuiſſe putant, Lynceo,
,, qui Danao ſucceſſit, regnante flore-
,, bat, ætate poſt Inachum undecima.
,, Lycurgus vero, longe poſt captum I-
,, lium, annis ante Olympiades haud am-
,, plius centum, Lacedæmonios legibus
,, inſtituit. Draconem circa Olympiadem
,, nonam ſupra trigeſimam fuiſſe repe-
,, ries; Solonem vero circa ſextam &
,, quadrageſimam; Pythagoram denique
,, circa ſexageſimam ſecundam. Olym-
,, piades autem annis ſeptem ſupra qua-
,, dringentos poſt Trojana tempora inſti-
,, tutas fuiſſe oſtendimus. His certe con-
,, ſtitutis, ſeptem quoque Sapientum æ-
,, tatem facile, breviterque definiemus.
,, Nam cum vetuſtiſſimum eorum Thale-
,, tem circa Olympiadem quinquageſi-
,, mam vixiſſe conſtet, ſimul etiam uno
,, quaſi compendio cæterorum, quos il-
,, le ſuppares habuit, ætatem colligi-
,, mus. ,,

Ex his omnibus ſequitur iſtud argumentum. Gens Judaica eſt antiquiſſima, immo ipſi Gentiles inter Græcos & Latinos in hiſtoriis primorum temporum texendis percelebres, hoc ultro concedunt; & licet aliquo teneantur errore, vel circa religionem, vel circa exactam hiſtoriæ Judæorum inquiſitionem, de realitate tamen & de rerum ſubſtantia conveniunt. Et vero ſcribit Cornelius Tacitus Judæos ab Ægypto egreſſos fuiſſe: Juſtinus meminit Abrahæ, & Joſephi apud Pharaonem quondam potentiſſimi: Juvenalis differit de ejuſdem nationis cultu & religione, de Moiſe, ſicut & alii permulti quos refert Juſtinus martir: Ipſe Celſus hæc omnia concedit. Hinc Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum, poſtquam dixit Philoſophiæ ſtudium & amorem a Barbaris tranſmiſſum fuiſſe ad Græcos; poſt multum ſermonem de variis pluribuſque perantiquis Legiſlatoribus ſubdit nationem Judaicam multo antiquiorem eſſe; & hoc Patres primorum ſæculorum, qui pro veritate Religionis Chriſtianæ contra Philoſophos ſtrenue decertabant, tanquam principium inconcuſſum ſupponebant: igitur fides adhibenda eſt Judæis, cum Deum prædicant omnium Creatorem: veritas quippe, inquit Tertullianus, mendacio longe vetuſtior eſt; qui autem negant mundi Creatorem cum Epicuro nova dicunt, nova effingunt: igitur nulla fide digni, immo impii, & prorſus abominabiles haberi debent.

Secundo, *Gens Judaica in ſuis reſpective ſcripturis verax eſt.*

ILLA natio verax eſt in his quæ refert, adeoque fide digniſſima, cum Deum dicit verum omnium Creatorem, cujus ſcripturæ ſunt antiquiſſimæ: cujus ſcripturæ alios æmulantur Auctores in multis quæ de moribus hominum, de Imperiis & mundi Monarchiis ſcripſere: cujus ſcripturæ magnis honoribus ab ipſis Regibus Paganis donatæ ſunt: cujus ſcripturæ pluris factæ ſunt etiam a Poetis & Hiſtoricis Gentilibus: cujus ſcripturæ inſpiratæ ſunt, immo rerum prædictarum eventu & miraculis comprobatæ: atqui ſic ſunt Judæorum ſcripturæ, quæ unum Deum Creatorem cœli & terræ, viſibilium, & inviſibilium annuntiant: igitur credendum eſt nationi Judaicæ, cum Deum cauſam omnium rerum eſſe prædicat. Probatur quoad ſingula minor, in qua ſolum verſatur lis & difficultas.

Antiquitas librorum Moiſis ſeipſam prodit ex hiſtoria Creationis, quam nullus præter Moiſen ita accurate ſcripſit; quam nullus ante ipſum ſcriptis mandavit. Primum patet: ſiquidem creationem primorum parentum, & filiorum ac nepotum, tum ante, tum poſt diluvium propaginem notat atque deſcribit; immo & primarum urbium fundationes, monarchias antiquiſſimas notat: loquitur de ſingulis urbibus; aſſignat Reges permultos, puta Sodomorum, & Gentium, ut habetur Gen. 14.

Item. Totam Ægyptum tempore Abrahæ jam ſub uno Pharaone guberna-

tam

Digitized by Google

tam refert. Si qui vero aut creatione Mundi, aut de primis Imperiis præter ipſum ſcripſerunt, omnia ſuboſcure delineaſſe conſtat: nec ſemel annotavimus, ipſo teſte Lucretio, nihil certum, clarumve reperiri in hiſtoriis Græcorum, qui tamen primi inter omnes Nationes, hominum facta, mores, & imperia ſcripſere, nihil inquam certum reperiri ante bellum Thebanum & Trojæ; & ſic patet utique ſecundum, nempe nullum ante Moiſen ſcripſiſſe. Ita defendit Euſebius, & ex Lucretio aliiſque profanis Auctoribus colligitur. Nam ipſis teſtibus ſolum poſt funera Trojæ ſcripſerunt Græci: jam vero primæ de mundi fabrica diſputationes habitæ ſunt inter Epicurum & alios Philoſophos, octingentis ſolum annis ante adventum Chriſti, & juxta nonnullos, anno circiter ab urbe Roma condita 471. Cæterum quamvis Pythagoræ philoſophia in qua mundum eſſe ab æterno Philoſophus ille propugnabat, per omnem Orientem diffunderetur, neque tamen apud Chaldæos, neque apud Scythas, neque apud Phœnicios, neque apud Carthaginienſes, neque apud Ægyptios, Italoſve defuerunt, qui mundum in tempore productum propugnarent. Addo Moiſen ſcripſiſſe hiſtoriam Creationis, traditionem ducendo ab Adamo uſque ad exitum de Ægypto: quæ quidem omnia majorem probant hiſtoriæ Moiſis præ cæteris antiquitatem: nec mirum; vix decem & ſeptem ſæcula effluxerant a diluvio, & duodecim a tempore quo homines unius labii erant, cum ſcripſit ſervus Dei Moiſes.

Tertullianus celebrat plurimum ſcripturarum veteris Teſtamenti veritatem, Apol. pag. 19. edit. Pariſ. 1634. "Primam, inquit, inſtrumentis iſtis auctoritatem ſumma antiquitas vindicat. Apud vos quoque religionis eſt inſtar fidem de temporibus aſſerere; omnes itaque ſubſtantias, omneſque materias, origines, ordines, venas veterani cujuſque ſtyli veſtri, gentes etiam pleraſque, & urbes inſignes, & canas memoriarum, ipſas denique effigies litterarum indices cuſtodeſque rerum; & puto adhuc minus dicimus, ipſos inquam Deos veſtros, ipſa templa & oracula, & ſacras unius interim Prophetæ ſcrinium ſæculis vincit, in quo videtur theſaurus collocatus totius Judaici ſacramenti, & inde etiam noſtri. Si quem audiſtis interim Moiſem, Argivo Inacho pariter ætate eſt, quadringentis pæne annis; nam & ſeptem minus, Danaum & ipſum apud vos vetuſtiſſimum prævenit, mille circiter cladem Priami antecedit: poſſem etiam dicere quingentis amplius & Homerum, habens quos ſequar. Cæteri quoque Prophetæ, & ſi Moiſi poſthumant, extremiſſimi tamen eorum non retroſiores deprehenduntur primoribus veſtris Sapientibus & Legiferiis & Hiſtoricis. Hæc quibus ordinibus probari poſſint, non tamen difficile eſt nobis exponere quam enorme; nec arduum ſed interim longum: multis inſtrumentis cum digitorum ſupputariis geſticulis adſidendum eſt. Referenda antiquiſſimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum. Advocandi municipes eorum per quos notitia ſubminiſtranda eſt, aliqui Manethon Ægyptius, & Beroſus Chaldæus, ſed & Gramus Phœnix Tyri Rex; Sectatores quoque eorum Mendeſius Ptolemæus, & Menander Epheſius, & Demetrius Phalereus, & Rex Juba, & Appion, & Thallus, & qui iſtos aut probat, aut revincit Judæus Joſephus antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex. Græcorum etiam cenſuales conferendi, & quæ quando ſint geſta, ut concatenationes temporum aperiantur, per quæ luceant annalium numeri: peregrinandum eſt in hiſtorias, & litteras orbis. Et tamen quaſi partem jam probationis intulimus, cum per quæ probari poſſint, aſperſimus."

Veritas ſcripturarum probatur maxime ex affinitate ſeu conformitate quam habent in factis hiſtoricis cum auctoribus Græcorum & Latinorum. Primo quidem Pagani uſi ſunt canticis, ut facta Heroum præclara memoriæ mandarent: fama volat Homerum multa ceciniſſe verſibus, quæ quidem opera in varias diſtributa partes labore & diligentia Philiſtrati apparuere, antequam in uno colligerentur volumine; hinc muſicam perantiquam & poeſiam ante proſam eſſe infertur. Cinas apud Græcos, Carmenta ſive Themis apud Latinos, ſi credamus Theodoro Siculo l. 1. primi fuerunt

Digitized by Google

Muſici. Ariſtoteles in problem. Tmemat. 19. ſcribit leges longo tempore antequam ſcriptis mandarentur, verſibus fuiſſe celebratas & decantatas. Cic. lib. 4. Tuſc. qq. aſſerit morem perantiquum invaluiſſe cantare avorum laudes & præconia. In hoc concinunt Græci & Latini cum Moiſe, qui Exod. 15. verſibus & cantu celebrat victoriam, cœlo patrocinante, ſuper Pharaonem in mari rubro demerſum, reportatam. Exod. 15. *Cantemus*, inquit, *Domino*, *glorioſe enim magnificatus eſt*, *equum & aſcenſorem dejecit in mare*, *&c.* Eodem & ſimili modo Deuteron. 32. Dei magnalia atque miracula patrata in favorem populi, quem eduxerat in manu potenti ex Ægypto, deſcribit: *Audite*, inquit, *cæli quæ loquor*, *audiat terra verba oris mei ...... Date magnificentiam Deo noſtro*, *Dei perfecta ſunt opera*, *& omnes viæ ejus judicia*. 2. Legitur apud Auctores profanos, homines mœniis vallaſſe domos & habitacula, ut contra feras, ſed potiſſimum contra hoſtes invidos irruentes, vitam ac bona defenderent. Moiſes in hoc etiam cum eis concordat: loquitur de variis urbibus a filiis Adæ & Noe conſtructis: loquitur de duobus celeberrimis imperiis terræ Canaan, de Amorrhæis, de Jebuſæis, de regno Ægypti, de Pharaone. 3. Iſaias loquitur de Cyro. Daniel ſuſum habet ſermonem de imperio Chaldæorum ad Medos & Perſas tranſmiſſo; de imperio Græcorum futurorum, quod eleganti calamo deſcribit Auctor libri Machabæorum; & in his omnibus concordant ſcripturæ, cum his quæ auctores Pagani pertractant. 4. Legitur in antiquis Auctoribus multa extitiſſe Idolorum templa in Ægypto a tempore Abrahæ. Idolum Belus colebant Babylonii, Dianæ Epheſii; immo idololatria præceſſit Sculpturæ artem. Prima idola erant puri & ſimplices lapides, quos Bethuli vocabant. Pauſanias lib. 10. mentionem facit de lapidibus quos homines cæco & ſuperſtitioſo cultu colebant: additque unum nomine Bethulus fuiſſe, qui & juxta templum filii Achilles erat, ſuper quem quotannis oleum infundere ſolebant populi. Lampridius cap. 7. Herodotus lib. 5. cap. 3. referunt morem quondam fuiſſe apud Nationes, ejuſmodi lapides cultu celebrare divino. Maximus Tyrius differt. 38. refert, Arabes adoraſſe quadratum lapidem; quandoque igitur lapidem informem, quandoque lapidem columnæ figuram præ ſe ferentem venerabantur. Pauſanias lib. 1. loquitur de quadam pyramide quæ ſub Apollinis nomine a Megorre colebatur, & lib. 7. refert olim extitiſſe juxta Mercurii ſtatuam in platea urbis Phare, triginta quadratos lapides cum alicujus divinitatis inſcriptione; ex quo factum eſt poſtea ut columnas ligneas pro Diis haberent Nationes: quidam ſcripſerunt primam Dianæ ſtatuam fuiſſe duntaxat arboris truncum. Vitruvius lib. 5. illam dicit cedrinam. Pauſanias lib. 5. meminit columnæ ligneæ ferro ad parietem alligatæ, quæ tanquam idolum habebatur. Nunc verum ad ſanctum Moiſem venio: ſæpiſſime loquitur de idolis Gentium, quæ & diſtricte prohibet; Gen. 28. 18. mentionem facit de lapide quem Jacob erexit in Bethel, cui etiam oleum infudit in honorem Dei, a quo Pagani perverſa fide, perverſoque animo morem ſumpſerunt adorare lapides; quidquid ſit, collimat atque convenit hiſtoria Moiſis cum hiſtoriis Nationum; quod ſcripturarum veritatem non modicum arguit. Denique uſus ſepulchrorum apud Nationes floruiſſe legitur. Pauſanias lib. 6. de his multa enarrat. Lucianus Dialogo de luctu, multa ſcribit de pyramidibus, de columnis & inſcriptionibus in honorem mortuorum. Titus Livius lib. 8. cap. 14. refert arma devicti hoſtis appenſa fuiſſe ſuper tumulum victoriis. Similia leguntur in libris veteris Teſtamenti. Legitur Gen. 35. Jacob erexiſſe monumentum Rachel: teſtatur Moiſes columnam erectam ſuis adhuc videri temporibus: ſcriptum eſt utique ſecundo Regum, Davidem, pro ſua contra inimicos defenſione aſſumpſiſſe gladium Goliat, quem quidem in perpetuum ſuæ victoriæ monumentum appendi voluerat in templo.

Hanc etiam partem exequitur Tertullianus, ſacras exaltans ſcripturas nedum ex conformitate cum cæteris hiſtoriis, verum etiam ex divinatione, quæ quidem ipſo teſte, magnum eſt divinitatis argumentum: ſic loquitur, ſic pronuntiat, Apol. pag. 20. " Plus jam offerimus pro iſta dilatione majeſtatem ſcri-

ptu-

,, pturarum , ſi non vetuſtatem : divi-
,, nis probamus , ſi dubitatur antiquus .
,, Nec hoc tardius , aut aliunde diſcen-
,, dum : coram ſunt quæ docebunt, mun-
,, dus & ſæculum & exitus . Quidquid
,, agitur prænuntiabatur , quod terræ vo-
,, rant urbes , quod inſulas maria frau-
,, dant , quod externa atque interna bel-
,, la dilaniant , quod regnis regna com-
,, pulſant , quod fames & lues & locales
,, quæque clades , & frequentiæ plera-
,, que montium vaſtant , quod humiles
,, ſublimitate , ſublimes humilitate mu-
,, tantur , quod juſtitia rareſcit , iniquitas
,, increbeſcit , bonarum omnium diſcipli-
,, narum cura torpeſcit ; quod etiam offi-
,, cia temporum & elementorum munia
,, exorbitant , quod & monſtris & por-
,, tentis naturalium forma turbatur , pro-
,, videnter ſcripta ſunt . . . Dum patimur,
,, leguntur , dum recognoſcimus , pro-
,, bantur . Idoneum , opinor , teſtimonium
,, divinitatis , veritas divinationis : hinc
,, igitur apud nos futurorum quoque fides
,, tuta eſt , jam ſcilicet probatorum : quia
,, cum illis quæ quotidie probantur , præ-
,, dicabantur : eædem voces ſonant , eæ-
,, dem litteræ notant , idem ſpiritus pul-
,, ſat : unum tempus eſt divinationi , fu-
,, tura præfandi : apud homines , ſi for-
,, te diſtinguitur , dum expungitur ; dum
,, ex futuro præſens , dehinc ex præſenti
,, præteritum deputatur . ,,

Veritas ſcripturarum illuſtratur & confirmatur ex honoribus quibus donati ſunt libri veteris teſtamenti , & primo quidem res aperta eſt de Samaritanis , qui erant populi a Salmanaſar ad habitandam terram Iſrael miſſi : quinque libros Moiſis tanti fecerunt , ut quamvis adverſantibus privatis & publicis contra Judæos inimicitiis , nihilominus ſervavere Pentateuchum , & pro regula tum cultus erga Deum , tum vitæ habere voluerunt ; hinc textus Samaritanus multum ponderat apud doctos , immo & in Eccleſia . Cyrus qui Chaldæos ſuo adſcivit imperio multi faciebat utique divinas ſcripturas , & præcipue Iſaiæ librum , in quo quidem Propheta multa de eo prædixerat ; hinc populum relaxavit a captivitate Babylonica , & voluit templum iterum ædificari l. 1. Eſdræ cap. 5. Darius Hyſtaſpes Cyri inſiſtens veſtigiis , pro eodem negotio novum promulgavit Edictum . Ibidem 6. duo alia emiſit Artaxerſes Longimanus , alterum anno ſeptimo ſui regni , quo ſummam argenti conceſſit pro utenſilibus templi ; alterum anno vigeſimo , quo permiſit ipſam urbem Jeruſalem extrui de novo atque ædificari l. 2. Eſdræ c. 2. Quæ quidem bona Judæis ideo præſtita leguntur a Regibus Perſarum , quia libri ſacri multa de mirabilibus a Moiſe patratis referebant , majora vero tum de imperiis , tum de Chriſto per Prophetas prænuntiabant : ſed inter omnes percelebres fuit Ptolemæus Ægypti Rex potentiſſimus , qui adeo coluit ſcripturas veteris Teſtamenti , ut translationem in linguam ſuam , nempe Græcam a ſeptuaginta ſenioribus habere voluerit : quo facto , reſtituit Judæos quos detinebat captivos , multiſque donis cumulavit interpretes . De hoc momento ſic ſcribit Tertullianus Apol. pag. 18. & 19. " Ptolemæorum eruditiſſimus ,
,, quem Philadelphum ſupernominant ,
,, & omnis litteraturæ ſagaciſſimus ,
,, cum ſtudio bibliothecarum Piſiſtratum ,
,, opinor , æmularetur , quibus aut vetu-
,, ſtas , aut curioſitas aliqua ad famam
,, patrocinabatur , ex ſuggeſtu Deme-
,, trii Phalerei Grammaticorum peritiſ-
,, ſimi , cui præfecturam mandaverat , li-
,, bros a Judæis quoque poſtulavit , pro-
,, prias atque vernaculas litteras , quas
,, ſoli habebant . Ex ipſis enim & ad ip-
,, ſos ſemper Prophetæ peroraverant , ſci-
,, licet ad domeſticam Dei gentem ex
,, Patrum gratia . Hebræi retro , qui
,, nunc Judæi . Igitur & litteræ Hebrææ ,
,, & eloquium : ſed ne notitia vacaret ,
,, hoc quoque Ptolemæo a Judæis ſub-
,, ſcriptum eſt , ſeptuaginta & duobus
,, interpretibus indultis , quos Menede-
,, mus quoque Philoſophus providentiæ
,, vindex de ſententiæ communione ſuſpe-
,, xit . Affirmavit hæc vobis etiam Ari-
,, ſtæus , ita in Græcum ſtylum ex aperto
,, monumenta reliquit . Hodie apud Se-
,, rapeum , Ptolemæi bibliothecæ cum ip-
,, ſis Hebraicis litteris exhibentur : ſed
,, & Judæi palam lectitant : veſtigalis
,, libertas vulgo aditur ſabbatis omnibus .
,, Qui audierit , inveniet Deum , qui
,, etiam ſtuduerit intelligere , cogetur &
,, credere .

Veritas ſcripturarum comprobatur ex earum principiis , quippe quæ Deum ha-

Digitized by Google

beant auctorem. Et vero Spiritus ſanctus eas inſpiravit, cum & illas dictaſſe credatur; quod quidem patet ex multis momentis. Primo, quia gens Judaica erat rudis, ruſtica & vilis admodum apud Nationes: Primates inter Judæos erant gregum Paſtores, quos Ægyptii circa tempora Joſephi ſummo proſequebantur odio. Legitur enim Gen. 46. illum Patriarcham ſuos ſic allocutum fuiſſe fratres: *Cumque vocaverit vos*, ſcilicet Pharao, *& dixerit: quod eſt opus veſtrum? reſpondebitis: viri paſtores ſumus ſervi tui, ab infantia noſtra uſque in præſens & nos & patres noſtri: hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in terra Geſſen, quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium.* Iſraelitæ elapſis Joſephi temporibus ut ſervi tenebantur in Ægypto: ipſe Moiſes paſcebat gregem in deſerto, cum a Deo miſſus eſt ad liberandum populum: jam vero ſcripſit Creationis hiſtoriam, tranſactis decem & octo ſæculis poſt patrata a Deo opera, initium ducens ab ipſo Adamo, ante quem nullus erat: igitur a ſolo Spiritu ſancto edoceri potuit de iis quæ dixit & ſcripſit: Prophetæ vero multa occulta panderunt; ſic Joſeph ſomnium Pharaonis de annis abundantiæ & ſterilitatis explicavit, cujus quidem interpretationis veritatem probavit eventus, de quo facto Hiſtorici profani ſupra citati mentionem faciunt. Quid dicam de Daniele, qui ſimilia & quidem myſterioſa ſomnia non ſemel interpretatus eſt Regi Nabuchodonoſori; qui Balthaſſari mortis & Imperii tranſlationis ad Medos & Perſas expandit ſententiam, quam ne quidem legere Chaldæorum Magi valebant. Quid de cæteris Prophetis, qui multa de Incarnatione Filii Dei, de ablatione ſcepteri Judæorum prædixerunt? Noverunt tempore Chriſti Gentiles & Philoſophi Pagani, quid evenerit nationi Judaicæ in vindictam Chriſticidii; Sciebant hoc multis ante ſæculis a Prophetis prædictum, libros veteris Teſtamenti occaſione Religionis Chriſtianæ de die in diem mirabiliter creſcentis, ad apices juris examinarunt, ut ſcirent utrum veritas ſtaret Prophetiarum, in quibus Chriſti Religio clare præſignabatur, viderunt & legerunt; nec ipſe Julianus oppugnare auſus eſt; quod quidem verum eſſe, ſicut prædictum fuerat comperientes inter Philoſophos ſapientiſſimi, ut Juſtinus, Anaxagoras, & alii permulti converſi ſunt ad fidem Chriſti: igitur ſcripturæ inſpiratæ fuerunt; quomodo enim vir ſimplex & ovium cuſtos qualis erat Moiſes, altiſſima & profundiſſima divinitatis eructaſſet, ſicut præterita ita & occultiſſima aperuiſſet futura, & a ſuis temporibus bis mille ſæculis diſtantia, nempe mirabilia incarnationis Verbi divini prænuntiaſſet, niſi a Spiritu ſancto fuiſſet edoctus? igitur fides adhibenda eſt Moiſi libris, qui tot monumentis muniti probantur.

Euſebius l. 9. præp. Evang. eandem probat veritatem in multis variiſque capitibus.

In primo, oſtendit oracula Judæorum prophetica magnis celebrari laudibus a præſtantiſſimis Philoſophis, in primis a Theophraſto, qui ſacrificia Judaica & cæremonias pio veluti affectu refert atque deſcribit; deinde ex Porphyrii libro eximium ſubjicit teſtimonium, quo plurimum laudantur Eſſæi, tanquam viri inter Judæos virtute & morum integritate perilluſtres; & primum inducit Theophraſtem ſic loquentem: " Judæi „ ad hæc uſque tempora animalia quo„ quo modo ſacrificant .... quod fa„ ciunt interim jejunantes: ac quoniam „ Philoſophi natura ſunt, de Deo inter „ ſe colloquentes, noctu autem ſtellas „ aſpicientes, orationibus Deum invo„ cant .... bruta & ſeipſos offerre „ cœperunt, neceſſitate, non cupiditate „ id facientes, &c. „ Poſtea Porphyrius apud eundem Euſebium multa præclara dicit de Eſſæis.

In ſecundo, Hecatæus, *inquit*, Abderita vir & re & verbo Philoſophus, librum de rebus & religione Judæorum conſcripſit, in quo quidem nihil tum de eorum ritu, tum de cæremoniis, parvi faciendum eſſe aſſerit.

In tertio, Clearchum Philoſophum egregie de Judæis, eorumque lege perorantem exhibet Euſebius; poſtea Numenii pro eodem momento hæc laudat verba: *Numenius autem*, inquit, *Pythagoricus aperte ſcribit, nihil aliud eſſe Platonem quam Moſem attica lingua loquentem: & in primo volumine de Bono; Plato, inquit, atque Pythagoras, quæ Brachmanes Ma-*

gi,

gi, Ægyptii, Judaique invenerunt, ea Græce ipſi expoſuerunt: & in tertio Moſis meminit his verbis: Jannes & Jambres Ægyptii erant, viri magicis artibus adeo præpotentes, ut Muſæo Judæorum duci viro Deo conjunctiſſimo, ſoli reſiſtere poſſe a cunctis Ægyptiis judicati ſint. Multas enim calamitates quas Muſæus Ægypto intulit, ſolvere viſi ſunt. His verbis Numenius & de miraculis a Moiſe factis, & quod vir iſte Deo conjunctiſſimus eſſet, teſtatur.

In quarto, oſtendit multos Barbaros convenire de Hiſtoria Judæorum, ut Xenophon in l. 7. de Cyri Pædia. Joſephus l. 1. antiq. ſic ſcribit: " Diluvii iſtius &
" arcæ meminerunt omnes Barbarorum
" ſcriptores, ex quibus eſt & Beroſus
" Chaldæus.

In libro decimo præp. Evang. probat Euſebius Moiſen vetuſtiorem eſſe Philoſophis & Græciæ Sapientibus, quippe qui viveret ante Trojani belli tempora, Philoſophos vero floruiſſe tantummodo poſt Cyrum Perſarum Regem non pauci aſſerunt. " Hebræorum igitur,
" *inquit Euſebius*, in Babylonem migra-
" tio a Nabuchodonoſore facta, ſeptua-
" ginta duravit annos. Cyrus regnavit
" Olymbiade 55. ut a Diodori, Thalli,
" Caſtoris, Polybii, Phlegontiſque hi-
" ſtoriis patet. " Ibidem ſic proſequitur.
" Tatianus vero qui ſeipſum in Syria re-
" gione natum dicit, vir lingua Græ-
" ca doctiſſimus, Græcis omnibus Mo-
" ſem antiquitati anteponens, de Home-
" ro, inquit, Steſimbrotus, Thaſius, Cal-
" limachus, Colophonius, Reginus Thea-
" genes, qui fuit Cambiſæ temporibus,
" & Herodotus Halicarnaſſæus, aliique
" complures ſcripſerunt. "

Ex his manifeſte liquet libros Moiſis cæteros antiquitate longe ſuperare, cum primus mortalium ſcriptis facta tum a Deo, tum ab Iſraelitis mandaverit; unde apud omnes etiam Paganos fide digniſſimus eſt. Idem judicium ſane ferendum eſt de cæteris Canonicis Auctoribus, qui nedum ſcientia, pietate & ſanctitate floruerunt; ſed & præclara tum de divinitate colenda, tum de inſtruendis, formandiſque moribus ſcripſerunt. Et vero ſi Gentiles ſuis credunt Hiſtoricis, qui ut plurimum vel paſſione ducti, vel cupiditate victi, vel ſuperſtitione & idololatria obcæcati, quandoque falſa, nonnunquam ſordida, ſæpiſſime levia, & ad vitium promovendum aptiſſima delineaverunt, cur fides non adhiberetur viris ſimplicibus, cordatis, ſanctis, & ſancta per inſpirationem Dei enarrantibus, qualis fuit Moiſes, quales extiterunt Prophetæ & cæteri Canonici Scriptores?

Tertio, *Gens Judaica legem ſanctam pro regula morum habebat.*

ILLA lex eſt ſancta quæ eſt a Deo, quæ eſt antiquiſſima, quæ eſt immobilis & invariabilis, quæ præcipit bonum, & prohibet quodcumque malum: atqui ſic eſt lex Moiſis: igitur fides ei adhibenda eſt in iis omnibus quæ dicit, tum de creatione, tum de judiciis & cæremoniis. Major patet: enimvero ſi lex omnibus iſtis gaudeat prærogativis, argumentum eſt rectam eſſe atque bonam, & conſequenter fide digniſſimam. Quod autem lex vetus ſit a Deo, patet; dicitur enim paſſim in libris legis: *Locutus eſt Dominus ad Moiſem, hæc dices populo Iſrael.* Hoc & probat illud quod modo diximus, nempe fuiſſe inſpiratam: antiquiſſimam eſſe etiam claret, ex iis quæ dicta ſunt de antiquitate librorum Moiſis. Minos fuit primus Greciæ Legislator: ita referunt ejuſdem nationis Hiſtorici; florebat Cretæ, imperante Pandion Atticæ Rege, anno ſcilicet ante Chriſtum natum milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo. Moiſes vero vivebat anno mundi, 1464. ante vero Chriſtum natum Græci nihil habent antiquius Areopago, aliter Martis rupe appellato, eo quod ibi Mars filium Neptuni occidiſſet, ex hoc tempore quo Canaus Athenis regnabat, anno ſcilicet mundi juxta Epocham Comitis Arundelli 1268. ante Chriſtum vero natum anno 1332. tunc leges in columnis ſcribebantur; Sapientes, ſeu Docti ſenſum legis, vel occultum, vel nimis obſcurum interpretabantur. Quod Romam ſpectat in fundationis tantæ urbis, tantique imperii exordio, leges nihil aliud erant præter Principis voluntatem, & quædam longo uſu firmata ſtatuta; ſed orta inter populum & Senatum diſceptatione Olympiade 84. data & promulgata fuit duodecim tabularum lex. Diximus legem Moſaicam immobilem fuiſſe, & immutabilem apud Judæos permanſiſſe, quinimmo

tametſi.

Digitized by Google

tametſi dura admodum præciperet, uti maſculos octavo die circumcidere; attamen adamuſſim abſque ulla facta innovatione ad Chriſtum uſque, & a plebejis, & a nobilibus ſervata eſt. Non idem profecto legitur de legibus Paganorum atque Gentilium; cum enim & ſua & ſeipſos quærerent, leges prout erat paſſionum impetus immutare quandoque, & ex integro abrogare non dubitabant: ſed operæ-prætium eſt nunc aliqua celebriora hic legis Judaicæ capita texere, ut omni legenti pateat, quanta fuerit veteris legis ſanctitas. Nam etſi ad ſummam perfectionem non adduceret, ſed veritatem & gratiam per Chriſtum faciendam expectaret, attamen ſancta & recta admodum erat.

Magnum ſanctitatis argumentum legis deſumitur ex præcepto quo bonum injungitur, malum vero prohibetur: quam quidem veritatem nedum Hiſtorici ſacri, ſed & profani prædicant; Cicero enim libro de legibus, dicit legem bonum injungentem, malum vero prohibentem omnibus populis antiquiorem eſſe, & divinitati coævam.

Primo, Quamvis lex vetus promulgata ſit a Moiſe qui erat dumtaxat paſtor ovium, obligabat tamen omnes, nobilem ſicut plebeium, Reges ſicut ſubditos, Sacerdotes ſicut laicos: non ſic apud nationes, namque conditores legum ab eis ſe eſſe immunes autumabant.

Secundo. Lex Moſaica diſtricte prohibet vitium, virtutem vero præcipit omnibus & injungit. Non ſic Philoſophi; omnes quippe, paucis admodum exceptis, de vitio & virtute tanquam de rebus ad nutum odio vel amore proſequendis, & mere arbitrariis ſcripſerunt. Ita Diogenes Laertius lib. 2. quinimmo, tametſi Epicurus beatitudinem in gaudio & mentis exultatione atque deliciis conſtitueret, multi tamen concupiſcentia victi, eam in voluptatibus etiam obſcœnis, & corporalibus ſitam eſſe dicebant.

Tertio, Perpetuus eſt de Deo apud Moiſen ſermo, vult ſapiens iſte Legislator, illum ſolum & diligi ex toto corde, & in ſpiritu atque veritate tum coli, tum adorari; unde idola ſub graviſſimarum pœnarum interminatione prohibet, ſic enim Iſrael alloquitur: *Non facies tibi ſculptile*. Hinc cum deſcendens de monte populum adorantem vitulum conflatilem conſpexiſſet, Levitas ſibi adjunxit, ad reos in ore gladii percutiendos.

Tanti faciebant legem Dei Judæi, ut cætera aut abominabilia, aut inutilia eſſe & vitanda ducerent. Quod adeo verum compertum eſt, ut nec ipſi refragarentur Gentiles; unde Cornelius Tacitus ſcribit quod quidquid apud eos ſacrum erat, illud ipſum a Judæis haberi ut profanum. Idem lib. 3. obſervat gentem Judaicam hominum multiplicationi faviſſe ea potiſſimum ratione, quia cautum erat in lege ne ullus aliquem, aut ex ſua, aut ex aliena & extera natione quemquam interimere præſumeret, quod certe Gentiles parum curaſſe conſtat, cum ad hodiernam uſque diem apud Sinas licitum ſit parantibus qui gravantur familia, parvulos in flumen ſubmergendos tradere.

Cæterum alii Legislatores multiplicant Deos, eoſque ad invicem faciunt invidos. Multa falſa, immo & nefanda atque obſcœna, prout paſſio dictaverit, ſuis tribuunt numinibus, ne iſta & ipſis adverſentur, de Diis raro admodum loquuntur, raro etiam apud eos habentur in honore, maxime vero quum aut ſiniſtra eis adveniunt, aut poſtulata non conceduntur. Non ſic ſane de Deo noſtro res ita ſe habet. Moiſes ſic loquitur Deut. 4. *Nec eſt alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris, quæ eſt enim alia gens tam inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?*

Quarto. Univerſæ nationes ſuos habebant Deos ligneos, ferreos, & argenteos, quos ſecum aſportabant; Moiſen vero omnia prohibet idola, nequidem permittit adorare cœlum quod ſubjicitur oculis, aut ejuſdem cœli militiam, puta ſolem, lunam, ſtellas: ſic enim ibidem loquitur ad Iſraelitas: *Cuſtodite igitur ſollicite animas veſtras, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel feminæ, ſimilitudinem omnium jumentorum quæ ſunt ſuper terram vel avium ſub cælo, volatilium atque repti-*

Digitized by Google

reptilium quæ moventur in terra, ſive piſcium quæ ſub terra morantur in aquis, ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea.

Quinto, Dure, & ut ita dicam, crudeliter Gentes tractabant ſervos mancipales. Plutarchus in vita Lycurgi hanc adſcribit inhumanitatem Lacedæmoniis: non ſic certe magnus Moiſes; præcipit enim populo manſuetudinem erga ſervos, ut patet Exodi 20. 9. 10. Deut. 5. 14. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus dies Sabbati eſt, requies Domini Dei tui; non facies in eo quidquam operis, tu, & filius tuus, & filia, ſervus & ancilla .... ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua ſicut & tu.*

Sexto, Xenophon lib. 1. rerum memorabilium ſcribit amicos beneficiis cumulandos eſſe, inimicos vero alternatis offenſis vincendos. Heſiodus præcepta moralia permulta ad inſtituendam vitam humanam & finem honeſtum aſſequendum dedit; attamen oper. dier. 1. prohibet diligere inimicos: ſed nobiliorem demonſtrat viam Moiſes; & vero prohibet vindictam Levit. 19. 17. 18. his verbis: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum, non quæras ultionem, nec memoreris injuriæ civium tuorum.*

Quarto, *Cæremoniæ Judaicæ erant ſanctæ.*

ILLÆ cæremoniæ erant ſanctæ, quæ ad Deum honorandum, & hominem ad vitam æternam pie & ſuaviter perducendum fuerunt ordinatæ; quæ nihil impurum, horrendumve, & quidquid aut ſuperſtitionem, aut crudelitatem ſapit, non habent: atqui ſic erant cæremoniæ Judaicæ: igitur erant ſanctæ: igitur ex hac etiam parte fides adhibenda eſt pro exiſtentia Dei nationi Judaicæ, quæ lex virtutis bonum ſpirat odorem, & in omnibus Deum omnium Creatorem colit & confitetur: probatur minor ex traditione. Abel obtulit Deo in ſacrificium quidquid in gregibus ſuis erat optimum: Henos cœpit honorare Deum cultu ſolemniori: Noe obtulit Deo poſt diluvium pro ſua & familiæ conſervatione in gratiarum actionem de volucribus quos habebat: Abraham etiam proprium offerre filium in holocauſtum paratus erat; ſed Deo jubente ſubſtituit filio Iſaac, arietem. Melchiſedech Rex Salem panem & vinum obtulit Deo in ſacrificium. Gens Judaica ſanctorum Patriarcharum æmula varia obtulit ſacrificia, quædam de frugibus terræ, quædam de pecoribus, nulla de hominibus, omnia tum ad honorandum Deum, tum in recognitionem ſupremi ejus Dominii, tum ad expianda peccata, tum ad gratias pro beneficiis acceptis rependendas, tum etiam ad nova bona juxta cujuslibet neceſſitatem accipienda, ut legitur in libris legalibus, præcipue vero in toto Levitici libro: igitur cæremoniæ Judaicæ erant ex inſtitutione & ex fine ſanctæ: ex inſtitutione quidem, quia emanabant a Deo; ex fine vero, quia licet ad perfectionem non conducerent, hanc tamen per Chriſtum expectandam lex prædicabat & docebat.

E contra vero Gentiles idolis mutis & dæmonibus & non Deo ſacrificabant, nedum pecora, ſed & filios & filias horrendis & ſuperſtitione plenis cæremoniis immolabant. Athenæus lib. 13. referente Neanthe Cyziceniensi in libris de Myſteriis, ſcribit, Epinænidem urbem Athenas per modum expiationis purgaſſe ab aliquo delicto contra Deos patrato, ſanguinis humani copioſa & crudeli effuſione. Diodorus Siculus lib. 14. enarrat Hamilcarem Carthaginienſium Ducem Saturno infantem Carthagine obtuliſſe in ſacrificium; mitto alia & ſimilia Paganorum ſacrificia horrenda & penitus abominabilia. Quis ergo rerum æſtimator æquiſſimus, non credet potius genti Judaicæ Deum viſibilium & inviſibilium Creatorem piis & honeſtis cæremoniis colenti & prædicanti, potius quam nationibus quæ Diis ligneis & lapideis, & æreis, & argenteis atque Dæmonibus, promiſcue pecora campi & filios horrendis ſuperſtitionibus immolabant? quorum quidem finis, teſte Apoſtolo, erat proprius, & in æternum interitus. Audiamus de hoc momento Tertullianum Apol. 1. pag. 9. & 10. "Hæc quo magis refutaverim
„ a vobis fieri oſtendam partim in aperto,
„ & partim in occulto, per quod forſi-
„ tan & de nobis credidiſtis. Infantes
„ penes Africam Saturno immolabantur
„ palam uſque ad Proconſulatum Tibe-

rii,

,, rii , qui ipſos ſacerdotes in eiſdem ar-
,, boribus templi ſui obumbratricibus ſce-
,, lerum , votivis crucibus expoſuit , te-
,, ſte militia patriæ noſtræ quæ id ipſum
,, munus illi Proconſuli functa eſt : ſed
,, & nunc in occulto perſeveratur hoc
,, ſacrum facinus . ,, pag. 10. pergit "
,, Quot vultis ex his in circumſtantibus ,
,, & in Chriſtianorum ſanguinem hianti-
,, bus , ex ipſis etiam vobis juſtiſſimis &
,, ſeveriſſimis in nos præſidibus apud con-
,, ſcientias pulſem , qui natos ſibi liberos
,, enecent ? ſiquidem & de genere necis
,, differt utique crudelius , in aqua ſpiri-
,, tum extorqueatis , aut frigori , aut fa-
,, mi & canibus exponitis : ferro enim
,, mori ætas quoque major optaverit , no-
,, bis vero homicidio ſemel interdicto ,
,, etiam conceptum utero , dum adhuc
,, ſanguis in hominem deliberatur , diſſol-
,, vere non licet ; homicidii feſtinatio eſt
,, prohibere naſci . ,,

Ibidem eandem proſequitur materiam cæremoniarumque Paganiſini abominationem ſic delineat : " De ſanguinis pabu-
,, lo & ejuſmodi tragicis ferculis legite :
,, nec ubi relatum ſit , eſt (apud Hero-
,, dotum , opinor) defuſum brachiis ſan-
,, guinem ex alterutro deguſtatum natio-
,, nes quaſdam fœderi comparaſſe . Ne-
,, ſcio quid & ſub Catilina tale deguſta-
,, tum eſt : Ajunt , & apud quoſdam Gen-
,, tiles Scytharum defunctum quemque a
,, ſuis comedi ; longe excurro . Hodie iſtic
,, Bellonæ ſacratos ſanguis de femore pro-
,, ſciſſo in palmulam exceptus eſui datus
,, ſignat : item illi , qui munere in are-
,, na noxiorum jugulatorum ſanguinem re-
,, centem avida ſiti comitiali morbo me-
,, dentes auferunt , ubi ſunt ? item illi
,, qui de arena ferinis obſoniis cœnant ?
,, Denique pagina octava horrenda Eleu-
ſinæ myſteria , & nefandum prorſus cultum audacter reprehendit : igitur a primo ad ultimum liquet religionem Judaicam in exiſtentia Dei aſtruenda , fide digniſſimam eſſe , quippe quæ Deum verum & veracem , ſanctum in lege & in omnibus operibus habeat auctorem .

QUARTUM ARGUMENTUM .

Deus eſt Creator cæli & terræ , quia ſic profitetur Religio Chriſtiana , & in hoc eſt fide digniſſima .

ILLA religio eſt fide digniſſima , quæ Legiſlatorem habet Hominem Deum , Hominem multis ante ejus nativitatem ſæculis prænuntiatum , Hominem opere & ſermone potentiſſimum , Hominem qui adduxit pacem ſempiternam , Hominem per quem gratia , & veritas facta eſt , cujus lex perfectionem & ſalutem confert , qui paſſione & morte traxit ad ſe omnia , qui victor mortis & peccati , vicit furentes in ſe & in ſuam religionem Tyrannos , qui denique reconciliavit ima ſummis : atqui talis eſt Religio Chriſtiana : igitur in omnibus fide digniſſima ; maxime cum unum Deum viſibilium & inviſibilium Creatorem colit & prædicat . Probatur minor quoad ſingula , & quidem breviter ; tum quia jam multa de motivis Religionis diximus ; tum quia in Tractatu de Incarnatione & de Eccleſia redibit quæſtio de eadem materia .

Primo quidem , Chriſtus eſt Deus . Hoc miracula ab ipſo patrata teſtantur : hoc ſigna quæ ipſo moriente facta ſunt : hoc parta ſuper omnes gentes infideles victoria : hoc idolorum ſilentium : hoc falſorum numinum templa diruta : hoc crux exaltata , & in fronte Regum refulgens : hoc Joſephi percelebre teſtimonium , qui de Chriſto ſcribens dicit , fuiſſe hominem mirabilem , ſi tamen , inquit libro 18. antiquit. cap. 4. purum hominem & non magis Deum dixerim . Euſebius lib. 1. Chronicon refert Tiberium Cæſarem certum Pilati epiſtolis factum , de his quæ circa Chriſtum actitata fuerant , tum tempore paſſionis , tum poſt mortem & reſurrectionem , propoſuiſſe Senatui , eum in numero Deorum apponere & adſcribere , quæ quidem propoſitio tametſi rejecta , præcepit tamen Imperator , ne quis in poſterum , aut ſuo nomine , aut auctoritate privata , Chriſtianos perſequi auderet .

Secundo , Chriſtus prænuntiatus fuit multis ſæculis ante ejus adventum . Noruut omnes vaticinium Jacob Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda , & Dux*

de

Digitized by Google

de femore ejus donec veniat qui mittendus eſt: norunt ſceptrum circa Chriſti tempora ablatum a Romanis, qui illud Herodi Aſcalonitæ, & poſtea Tetrarchis dederunt: norunt penitus ablatum per Veſpaſianum & Titum Romanos Imperatores. Joſephus ſcribit Titum tantam in obſidione Jeruſalem, hominum ſtragem conſpicientem exclamaſſe, hoc grande malum a Deo Chriſtianorum in vindictam promanare; cui quidem concinit Cornelius Tacitus; nam lib. 5. refert igneos exercitus viſos fuiſſe, portas Templi ultro ex ſeipſis apertas, & alia ſimilia apparuiſſe portenta ſtupenda, quæ gentis Judaicæ plenum ac conſummatum exitium haud dubie præludebant.

Tertio, Chriſtus fuit Propheta magnus, nam & abſcondita cordium pandebat: interitus & Jeruſalem deſolatio, ſicut prædixerat, evenit; vir ſane opere & ſermone potens, qui Diſcipulos ſibi adſcivit, quos & per omnem terram ad prædicandum miſit, ſermonem confirmantibus ſequentibus innumeris ſignis: quod ſane eo mirabilius apparuit, quo major erat rudium & ſimplicium hominum incapacitas & impotentia, quibus tamen & Philoſophia & aſtutia, & ferrum atque ignis, omniaque tormenta ceſſerunt. Quis talia aut fecit, aut potuit facere, niſi Deus fuiſſet cum eo? nam ſola Spiritus ſancti virtus linguas pauperum diſertas reddebat: ſola Chriſti veri Dei, cui cuncta obediunt, auctoritas communicata poterat & leproſos mundare, & cæcos illuminare, & mortuos evocare ad vitam.

Quantum ſit inter inanes Deos & Chriſtum diſcrimen, intelligite ex eo quod nulla ſit conventio inter lucem & tenebras. Minerva & Venus neutiquam Ægyptiis & Athenienſibus ſuam ſuaſerant divinitatem; ultro populi ſibi fabricaverant & compoſuerant idola: neque Eleuſina, neque Augures coegerant Romanos ſuis credere myſteriis. Magnates ut plurimum ſine delectu & prævio examine quandoque religionem recipiebant, quandoque etiam ad nutum abnuebant; ergo primum ordinante & ſic volente politica omnem abjecerunt religionem, deinde rerum ſtatu penitus immutato, unam prout paſſioni placebat receperunt. Quid plura? lepidæ, nec non & mere fabuloſæ ſunt gentium ſtupidæ divinitates. Juppiter Ammonius hirci caput præ ſe ferebat; augurum ſuperſtitio tanta erat, ut vel levis admodum muſculi ſtrepitus ad impediendam Conſulis electionem ſufficeret. Porro religionem Judaicam non populus, ſed Moiſes, lege ſancta, immo & divina invexit in mundum, quo fine? norunt omnes; videlicet ut mundaret Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum: igitur cum Chriſtus natus eſt, variis mundus detinebatur religionibus, nedum vanis ſed & peſſimis; quælibet natio ſuam longa traditione firmatam habere gloriabatur; & tamen Filius Dei factus homo iſta diſſolvit diaboli opera, profanas delevit religiones, ipſam Judaicam tametſi bonam, tanquam inutilem abrogavit; ad hoc magnum opus adſciti Diſcipuli, in nomine Chriſti ejiciebant dæmonia, linguis loquebantur novis, & ſi mortiferum quid biberent, eis profecto non nocuiſſe legimus.

Quid memorem pacem veram quam Dominus Jeſus ſuo attulit adventu, non ſolum natus eſt toto mundo ejus providentia in pace compoſito, verumetiam adduxit juſtitiam ſempiternam, mortem devicit ſapientia crucis; immo & Philoſophos, & Imperatores, & ipſos tortores ſuo ſubdidit Imperio: denique reconciliavit peccatores; delendo ſua ſatisfactione Chyrographum mortis. Unum annotes velim, pie lector, gratiam & veritatem per Jeſum Criſtum factam eſſe; veritatem quidem, quatenus illuminat omnem hominem venientem in mundum; gratiam vero, quia eam pro omnibus & ſingulis hominibus promeruit; unde, inquit Conc. Trid. ſi qui mortis Chriſti fructum non percipiunt, ſua culpa tanto defraudantur bono: tum quia etiam ejus novæ legis ſacramenta pauciora quidem ſunt, inquit Auguſtinus, veteris Teſtamenti ſacramentis, verum virtute & majora, & efficaciora; nam & gratiam digne ſuſcipientibus ex opere operato conferunt. Alterum etiam præ cæteris commendare juvat, nempe quod lex Chriſti, lex dulcis ſuper mel & favum ſit: teſtimonium Domini certo non ſolum figura & promiſſione, ſed revera & effectibus fidele, convertens vere animas, & ſapientiam præſtans parvulis. Enim vero.

ro non ſolum ptohibet vindictam, ſed & præcipit diligere inimicos, benefacere iis qui nos perſequuntur: ſic enim ſcriptum eſt Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benafacito his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Tertullianus hæc omnia de divinitate Chriſti argumenta variis in operibus & locis luculenter explanat.

Divinitas Chriſti ex nominibus Dei & punitione Judæorum qui illum crucifixerunt, celebratur.

SIC loquitur Tertullianus Apol. pag. 20. edit. Pariſ: " Verum neque de Chri-
„ ſto erubeſcimus, cum ſub nomine ejus
„ deputari & damnari juvat, neque de
„ Deo aliter præſumimus. Neceſſe eſt
„ igitur pauca de Chriſto, ut Deo.
„ Tantum Judæis erat apud Deum gra-
„ tia ob inſignem juſtitiam, & fidem
„ originalium auctorum, unde illis &
„ generis magnitudo, & regni ſublimi-
„ tas floruit, & tanta felicitas, ut Dei
„ vocibus, de promerendo Deo offerendo
„ præmonerentur. Sed quanto deliquerint,
„ fiduciæ Patrum inflati, devian-
„ tes ab diſciplina in profanum modum;
„ & ſi ipſi non confiterentur, probaret
„ exitus hodiernus ipſorum, diſperſi,
„ palabundi, & cœli & ſoli ſui extor-
„ res vagantur per orbem ſine homine,
„ ſine Deo Rege, quibus nec advena-
„ rum jure terram, patriam ſaltem ve-
„ ſtigio ſalutare conceditur. Cum hæc
„ illis ſanctæ voces præminarentur, eæ-
„ dem ſemper omnes ingerebant fore,
„ uti ſub extimis curriculis ſæculi, ex
„ omni jam gente & populo, & loco
„ cultores ſibi allegeret Deus multo fide-
„ liores, in quos gratiam conferret, ple-
„ niorem quidem ob diſciplinæ auctoris
„ capacitatem. „

Divinitas Chriſti ex doctrina, ex redemptione, ex generatione æterna effulget.

PERGIT Tertullianus pag. 21. " Hu-
„ jus igitur gratiæ diſciplinæ quæ arbi-
„ ter & magiſter, illuminator atque de-
„ ductor generis humani Filius Dei an-
„ nuntiabitur .... jam ediximus Deum
„ univerſitatem hanc mundi verbo & ra-
„ tione & virtute molitum. Apud ve-
„ ſtros quoque ſapientes, λόγον, ideſt ſer-
„ monem atque rationem conſtat artifi-
„ cem videri univerſitatis .... hunc ex
„ Deo prolatum didicimus & prolatione
„ generatum, & idcirco Filium Dei,
„ & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ:
„ nam & Deus ſpiritus; & cum radius
„ ex ſole porrigitur, portio ex ſumma,
„ ſed ſol erit in radio; quia ſolis eſt ra-
„ dius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed ex-
„ tenditur; ita de ſpiritu ſpiritus, & de
„ Deo Deus, ut lumen de lumine ac-
„ cenſum manet integra & indefecta ma-
„ teriæ matrix; & ſi plures inde traduces
„ qualitatem mutueris, ita & quod de Deo
„ profectum eſt, Deus eſt & Dei Filius,
„ & unus ambo: ita & de ſpiritu ſpiri-
„ tus, & de Deo Deus. Modulo alte-
„ rum non numero, gradu non ſtatu fe-
„ cit, & a materia non receſſit, ſed ex-
„ ceſſit. „ Subjungit teſtimonium Patris pro Filio pag. 538. lib. 4. contra Marcionem. " Vox inquit ſolita de cœlo, &
„ Patris novum teſtimonium ſuper Filio:
„ atque in ſecundo pſalmo, Filius meus
„ es tu: ego hodie genui te: de quo, &
„ per Iſaiam, quis Deum metuens, au-
„ diat vocem Filii ejus? itaque jam re-
„ præſentans eum hic eſt Filius meus,
„ utique ſubauditur, quem repromiſi. „

Divinitas Chriſti probatur ex Prophetis.

TERTULLIANUS ſua pro divinitate Chriſti ſic proſequitur argumenta, nec dimittit donec aut ſuadeat, aut ſaltem comprimat adverſarium, Apol. pag. 21.
" Iſte igitur Dei radius ut retro ſemper
„ prædicabatur, delapſus in Virginem
„ quandam, & in utero ejus caro figu-
„ ratus naſcitur homo Deo miſtus, caro
„ ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, af-
„ fatur, docet, operatur, & Chriſtus
„ eſt ..... ſciebant & Judæi venturum
„ eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus Prophe-
„ tæ loquebantur; nam & nunc adven-
„ tum ejus expectant, nec alia magis in-
„ ter nos & illos compulſatio eſt, quam
„ quod jam veniſſe non credunt: duobus
„ enim

Digitized by Google

„ enim adventibus ejus ſignificatis, primo qui jam expunctus eſt in humilitate „ conditionis humanæ, ſecundo in concludendo ſæculo imminet in ſublimitate divinitatis exertæ. „

Idem argumentum fuſius & expreſſius explanat Tertullianus lib. 5. p. 593. edit. Pariſ. 1734. adverſus Marcionem his verbis: “ Eſt & alius pſalmus ita incipiens, „ Deus judicium tuum Regi da, ideſt Chriſto regnaturo: & juſtitiam tuam filio Regis, ideſt populo Chriſti: filii „ enim ejus ſunt, qui in ipſo renaſcuntur: „ ſed & hic pſalmus Salomonis canere „ dicitur, quæ tamen ſoli competunt „ Chriſto docere non poterunt, etiam cætera non ad Salomonem, ſed ad Chriſtum pertinere. Deſcendit, inquit, „ tanquam imber ſuper vellus, & velut „ ſtillæ diſtillantes in terram placidum „ deſcenſum ejus & inſenſibilem deſcribens de cœlo in carnem: Salomon autem etſi deſcendit aliunde, non tamen „ ſicut imber, quia non de cœlo, ſed „ ſimpliciora quæque proponam. Dominabitur inquit a mari ad mare, & a „ flumine uſque ad terminos terræ: hoc „ ſoli datum eſt Chriſto. Cæterum Salomon uni & modicæ Judææ imperavit. „ Adorabunt illum omnes Reges, quem „ omnes, niſi Chriſtum? & ſervient ei „ omnes nationes: cui omnes, niſi Chriſto? ſit nomen ejus in ævum; cujus „ nomen in æternum, niſi Chriſti? ante ſolem manebit nomen ejus: ante ſolem enim ſermo Dei, ideſt Chriſtus; „ & benedicentur in illo univerſæ gentes: in Salomone nulla natio benedicitur; in Chriſto vero omnis. Quid „ nunc ſi & Deum eum Pſalmus iſte demouſtrat? & beatum eum dicent: quoniam benedictus Dominus Deus Iſraelis, qui facit mirabilia ſolus. Benedictum nomen gloriæ ejus, & replebitur univerſa terra gloria ejus. Contra „ Salomon, audeo dicere, etiam quam „ habuit in Deo gloriam, amiſit per mulierem in idololatriam uſque pertractus; „ itaque cum in medio pſalmo, illud quoque poſitum ſit, inimici ejus pulverem „ lingent; ſubjecti utique pedibus ipſius, „ ad illud pertinebit, propter hoc hunc „ pſalmum & intuli, & ad meram ſcientiam defendi, ut confirmaverim, & „ regni gloriam, & inimicorum ſubjectionem, ſecundum diſpoſitionem Creatoris conſecuturus, non alium credendum quam Creatoris. „

Divinitas Chriſti miraculis conſignatur.

ALIUD divinitatis Chriſti argumentum ex miraculis quæ tanquam ſigna veluti irrefragabilia dantur infidelibus, Tertullianus diſerte depromit in Apologetico, aitque pag. 25. “ Quem igitur Judæi ſolummodo hominem præſumpſerant de humilitate, ſequebatur uti „ magnum æſtimarent de poteſtate, cum „ ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos illuminaret, leproſos „ purgaret, paralyticos reſtringeret, „ mortuos denique verbo redderet vitæ, „ elementa ipſa famularet, compeſcens „ procellas & freta ingrediens, oſtendens ſe ſe λόγον Dei, ideſt verbum „ illud primordiale, primogenitum, virtute & ratione, comitatum & ſpiritu „ fultum. „

Idem argumentum urget p. 542. l. 4. adverſus Marcionem, probans Chriſtum nedum patraſſe miracula, ſed & quod nulli aut convenit, aut poteſt reperiri dedit hominibus qui credunt in illum eadem & majora faciendi poteſtatem. Jam audiamus Tertullianum. “ Quis nunc, „ inquit, dabit poteſtatem calcandi ſuper „ colubros & ſcorpios; utrumne omnium „ animalium Dominus, an nec unius lacertæ Deus? ſed bene quod Creator „ hanc poteſtatem etiam parvulis pueris per Iſaiam repromiſit, conjicere „ manum in cavernam aſpidum, & in „ cubile natorum aſpidum nec omnia „ lædi . . . . . denique & tempora promiſſionis congruere invenias, ſi quæ antecedunt, legas. Invaleſcite manus dimiſſæ, & genua reſoluta. Tunc patefient oculi cæcorum, & aures exaudient ſurdorum. Tunc ſaliet claudus „ ut cervus, & clara erit lingua mutorum. Igitur ubi medicinarum edidit beneficia, tunc & ſcorpios & ſerpentes „ Sanctis ſuis ſubdidit, ille ſcilicet qui „ hanc poteſtatem, ut aliis præſtaret, „ prior acceperat a Patre, & ſecundum „ ordinem prædicationis exhibuit. Quis „ dominus cœli invocabitur, qui non prius „ factor oſtenditur? “

Tot & tantis argumentis de divinitate Chri-

Digitized by Google

Chriſti convictus ipſe Tertullianus, exclamat & ſic pronuntiat Apol. p.24.22. & 23.
“ Dicimus &, palam dicimus, & vo-
„ bis torquentibus lacerati, & cruen-
„ ti vociferamur, Deum colimus per Chri-
„ ſtum, illum hominem putate, per eum
„ & in eo ſe ſe cognoſci vult Deus &
„ coli, ut Iudæis reſpondeamus, & ipſi
„ Deum per hominem Moiſen colere didi-
„ cerunt . . . Quærite ergo ſi vera eſt iſta
„ divinitas Chriſti; ſi ea eſt quæ cognita
„ ad bonum quis reformatur, ſequitur ut
„ falſa renuntietur quævis alia contraria
„ comperta. „

Poſtea ſic concludit Tertullianus Apol.
„ pag. 25. Dicant, & quis ille Chriſtus
„ cum ſua fabula? ſi homo communis con-
„ ditionis? ſi magnus? ſi poſt mortem de
„ ſepulchro a diſcipulis ſurreptus? ſi nunc
„ denique penes inferos? ſi non in cœlis
„ potius, & inde venturus cum totius
„ mundi motu, cum horrore orbis, cum
„ planctu omnium, ſed non Chriſtiano-
„ rum, ut Dei virtus, & Dei ſpiritus,
„ & ſermo, & ſapientia, & ratio, &
„ Dei Filius? quodcumque videtis, ri-
„ deant & illi vobiſcum: atqui omnis
„ hæc noſtra in illos dominatio, & po-
„ teſtas de nominatione Chriſti valet, &
„ de commemoratione eorum quæ ſibi a
„ Deo per arbitrum Chriſtum imminentia
„ expectant; Chriſtum timentes in Deo
„ & Deum in Chriſto. „

Divinitas J. C. ſanctitate legis commendatur.

TERTULLIANUS Religionem Chriſtianam fide digniſſimam ex Chriſti divinitate ejus auctoris, demonſtrat, ipſamque Legislatoris divinitatem argumentis omni exceptione majoribus celebrat, iſtud ultimum ex ſanctitate legis cæteris adjungit, ex quo iterum atque iterum Chriſti affulget divinitas, & veracitas omnium quæ profert & continet Evangelium, cui conſequenter credere æquum quiſque cordatus ducet, ſi attendat, Apol. p. 39. “
„ Nos ergo, inquit, ſoli innocentes, quid
„ mirum ſi neceſſe eſt? innocentiam a
„ Deo edocti & perfecte eam novimus,
„ ut a perfecto magiſtro revelatam, &
„ fideliter cuſtodimus, ut ab incontem-
„ ptibili deſpectore mandatam, vobis au-
„ tem humana æſtimatio innocentiam tra-
„ didit: humana item dominatio impera-
„ vit. Inde nec plenæ, nec adeo timen-
„ dæ eſtis diſciplinæ ad innocentiæ veri-
„ tatem, quanta eſt prudentia hominis
„ ad demonſtrandum quid vere bonum?
„ quanta auctoritas ad exigendum? Tam il-
„ la falli facilius, quam illa contemni.
„ Atque adeo quid plenius dictum eſt,
„ non occides, an vero ne iraſcaris qui-
„ dem? quid perfectius prohibere adulte-
„ rium, an etiam ab oculorum ſolitaria
„ concupiſcentia arcere? Quid eruditius
„ de maleficio, an & de maleloquio in-
„ terdicere? quid inſtructius injuriam non
„ permittere, an nec vicem injuriæ ſi-
„ nere? dum tamen ſciatis ipſas quoque
„ leges veſtras, quæ videntur ad innocen-
„ tiam pergere, de divina lege ut anti-
„ quiore formam mutuatas. „

Deinde ſanctitatem legum ex præmio pro obſervatoribus, ex pœna vero ſeveriſſima eaque æterna pro tranſgreſſoribus exaltat ibidem: “ Diximus jam de Moi-
„ ſes ætate, ſed quanta auctoris le-
„ gum humanarum, cum illas & eva-
„ dere homini contingat plerumque in ad-
„ miſſis deliteſcenti, & aliquando con-
„ temnere ex involuntate vel neceſſitate
„ delinquenti? Recogitate etiam pro
„ brevitate ſupplicis cujuslibet, non
„ tamen ultra mortem remanſuri. Sic
„ & Epicurus omnem cruciatum dolo-
„ remque depretiat, modicum quidem
„ contemptibilem pronuntiando, ma-
„ gnum vero nos qui ſub Deo omnium
„ ſpeculatore diſpungimur, quique ab eo
„ pœnam providemus merito ſoli innocen-
„ tiæ occurrimus, & pro ſcientiæ pleni-
„ tudine, & pro latebrarum difficultate,
„ & pro magnitudine cruciatus, non
„ diuturni, verum ſempiterni eum timen-
„ tes, quem timere decebit & ipſe qui
„ timentes judicat; Deum, non Procon-
„ ſulem timentes. „

Iterum atque iterum Tertullianus pag. 36. legis Chriſtianæ ſanctitatem, ex piis Chriſtianorum moribus celebrat, maxime in Apologetico. Sic alloquitur Provinciarum Imperii Romani Præſides & Gubernatores qui non ſine inſulſis calumniis Fidelium conventus, rebellionis vel etiam proditionis criminis inſimulabant.
“ In cujus perniciem quando convenimus?
„ hoc ſumus congregati, quod & diſper-
„ ſi; hoc univerſi quod & ſinguli, ne-
„ minem lædentes, neminem con-

tri-

Digitized by Google

,, triſtantes, cum probi, cum boni coeunt, ,, cum pii, cum caſti congregantur, non ,, eſt factio dicenda, ſed Curia. ,,

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT Inimici veritatis. Fruſtra petitur argumentum ex veteri lege ad probandam Dei exiſtentiam, & ex ejuſdem legis ſanctitate, & juſtitia, ſi ipſa lex non ſit bona: atqui lex vetus non cenſetur bona: primo quidem hoc ipſum non ſemel Scriptura prædicat, juxta illud Ezech. 2. 25. *Dedi eis præcepta non bona*, rurſus ad hunc ſenſum loquitur Apoſtolus dicens Hebr. 7. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Immo legem eſſe peccati cauſam conclamat Apoſt. his verbis Rom. 7. 9. *Sine lege enim peccatum mortuum erat*. Quinimmo nec deſunt inter Catholicos qui idipſum adaperte profiteantur, ut Janſenius l. 3. de gratia Dei cap. 4. 6. 7. 8. Sed maxime nono cujus hic eſt titulus: *Status veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitia & ſalutis, ſed potius peccati & mortis*.

Reſpondeo 1. Legem veterem eſſe bonam, immo & ſanctam cum Deum habeat auctorem, cum ejus cæremoniæ Deum cultu debito & religioſo colere doceant, quid plura? Mandata ejus, vita æterna, & ducunt ad felicitatem. Sic cenſet Tertullianus, ſic Marcioni inculcare fatagit, ſic Hæreticum ſuo perſtringit ſtylo cenſorio l. 2. pag. 468. edit. Pariſ. ann. 1634. " Quid enim, inquit, beatum hominem quam in lege Domini voluntas ,, ejus? & in lege Domini meditabitur ,, die ac nocte. Quam legem non duritia promulgavit auctoris, ſed ratio ſummæ veritatis, populi potius duritiam ,, edomantis, & rudem obſequio, fidem ,, operoſis officiis dedolentis: ut nihil de ,, arcanis attingam ſignificantis legis, ,, ſpiritalis ſcilicet & propheticæ, & in ,, omnibus pœnæ argumentis figuratæ: ,, ſufficit enim in præſenti, ſi ſimpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo ,, eam reprobare debeat, niſi cui non ,, placet Deo deſervire ad hoc beneficium, ,, non onus legis adjuvandum, etiam Prophetas eadem bonitas Dei ordinavit, ,, docentes Deo digna; auferre nequitias ,, de anima, diſcere benefacere, exquirere judicium, judicare pupillo, & ,, juſtificare viduam, diligere quæſtiones, ,, fugere improborum contractum, dimittere conflictam in integram, diſſipare ,, ſcripturam injuſtam, infringere panem ,, eſurienti, & tectum non habentem inducere in domum tuam, nudum ſi ,, videris, contegere, & domeſticos ,, ſeminis tui non deſpicere; compeſcere linguam a malo & labia ne loquantur dolum, declinare a malo & facere ,, bonum, quærere pacem & ſectari eam, ,, iraſci & non delinquere, ideſt, ,, in ira non perſeverare, ſive ſævire. Sed ubi? vide quam bonum ,, & quam jucundum habitare fratres in ,, unum, meditantes die ac nocte in lege Domini. ,, His & ſimilibus ſententiis probat Tertullianus legis Moſaicæ ſanctitatem, & Deum bonum habere auctorem.

Reſpondeo 2. negando illam legem carere bonitate, ad probationem diſtinguo. Deus non dedit Judæis præcepta bona, hoc eſt non tam perfecta, & omnibus numeris abſoluta, qualia ſunt Evangelica, concedo: hoc eſt mala, nego. Aliquid poteſt dici non bonum dupliciter, primo quidem per privationem maximæ perfectionis.; deinde vero per privationem omnis bonitatis, præcepta Judaica dicuntur non bona ſolum in primo ſenſu. Hoc ipſum denotat Apoſtolus dicens ea ad perfectionem neminem conducere, cujus ratio hæc eſt, ſi de Sacramentis loquamur, erant eodem teſte Apoſtolo, *vacua & egena elementa*, namque gratiam quidem dandam præfigurabant, eam vero non ex opere operato ſicut noſtra, ſed ex opere operantis per fidem in Chriſtum venturum conferebaut.

Ad aliam minoris negatæ probationem, diſtinguo. Lex inducebat in peccatum per accidens, & occaſionaliter, concecedo: per ſe, nego. Lex peccatum quidem quod craſſa mentis hebetudine ignorabatur, pandebat, non certe, ut in poſterum illud committerent, ſed potius ut vitarent Judæi: quod ſi contrarium voluerint homines, non ideo mala lex & proſcribenda, ſed malitia contundenda. Unde nemo abſque ſumma erga Deum injuria legem inducere in peccatum aut aſſerere, aut inſinuare valet. Sic reſpondet Tertullianus ad Marcionem talia auſu temerario rimantem, l. 5. adver-

verſus eum p. 462. " Quæ ergo dice-
,, mus? quia lex peccatum? abſit. Eru-
,, beſce Marcion: abſit, abominabitur
,, Apoſtolus criminationem legis; ſed ego
,, delictum non ſcio niſi per legem. O ſum-
,, mum ex hoc præconium legis, per
,, quam liquit delictum latere: non ergo
,, lex ſeduxit, ſed peccatum per præce-
,, pti occaſionem. Quid Deo imputas le-
,, gis, quod legi ejus Apoſtolus imputare
,, non audet? atqui & accumulat, lex
,, ſancta & præceptum ejus juſtum &
,, bonum, ſi totaliter veneratur legem
,, Creatoris quomodo ipſum deſtruat ne-
,, ſcio. ,, Cæterum Janſenius nedum au-
diendus, ſed & abjiciendus, quia proſcri-
pta ſunt ejus opera.

Rurſus inſtant. Illa lex bona non vide-
tur quæ cibos prohibet mundos, omnia
quippe animalia a Creatore benedicta di-
cuntur: atqui tamen lex prohibet carnes
quorumdam animalium: igitur non eſt
bona.

Reſpondeo diſtinguendo, ſi malo fine
prohibeat, concedo: ſin minus, nego.
Lex prohibet quidem quaſdam carnes,
ſed ad populi carnalis temperantiam, ne
gula peccet & offendat Deum ad ſen-
ſibilia ſeſe convertendo; unde cibi pro-
hibiti immundi pronuntiantur, non ſane
ratione ſui, ſed prævaricationis & cul-
pæ incurrendæ, ſi coutta præceptum
his uteretur Judæus: eo prope ſenſu
lignum vitæ erat immundum, hoc eſt
vetitum, cujus quidem eſus & Ada-
mum & ejus poſteros fœdavit, quomo-
do? niſi peccato per prævaricationem
inducto. Solutio eſt Tertulliani l. 2. ad-
verſus Marcionem pag. 467. ſic fatur.
,, Nihil amarius quam idipſum pati,
,, quod feceris aliis: & ſi lex aliquid ci-
,, bis detrahit, & immunda pronuntiat
,, animalia quæ aliquando benedicta ſunt,
,, conſilium exercendæ continentiæ intel-
,, lige, & frænos impoſitos illi gulæ agno-
,, ſce, quæ cum panem ederet Angelo-
,, rum, Cucumeres & Pepones Ægyptio-
,, rum deſiderabat. Agnoſce ſimul & co-
,, mitibus gulæ, libidini ſcilicet atque
,, luxuriæ proſpectum, quæ fere ventris
,, caſtigatione frigeſcunt. Manducaverat
,, enim populus, & biberat, & ſurrexe-
,, rat ludere; proinde ut & pecuniæ ardor
,, reſtingueretur ex parte qua devictus ne-
,, ceſſitate cauſatur, pretioſiorum ciborum
,, ambitio detracta eſt. Poſtremo, ut fa-
,, cilius homo ad jejunandum Deo forma-
,, retur, paucis & non glorioſis eſcis aſ-
,, ſuefactus, & nihil de lautioribus eſuri-
,, turus: reprehendendus ſane Creator quod
,, cibos potius populo ſuo abſtulit, quam
,, ingratioribus Marcioniſtis. ,,

Adhuc urgent. Lex vetus multa præci-
pit animalium ſacrificia quæ Paganiſmum
ſapiunt, cum Gentiles falſis numinibus ſi-
milia offerre conſueverint: ſed lex quæ in
immundam Paganorum religionem colli-
mare videtur non eſt bona, adeoque nec
magni Dei exiſtentiæ argumentum eſt;
ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Lex de anima-
libus præcipit ſacrificia ad Deum verum
cultu debito & religioſo colendum, con-
cedo: ad falſa numina veneranda, ne-
go. Deus eſt vitæ & mortis Domi-
nus, unde omnia ſua ſunt, quamobrem
offerre de animalibus ſacrificia in reco-
gnitionem ſupremi ejus Dominii, ſicut
pium, ita & juſtum eſt: at vero Genti-
les ſuperſtitioſe immolant falſis diis & non
Deo vero, unde vani ſunt, inquit Sapiens,
& inexcuſabiles. *Sap.* 13. Lex vero ve-
tus plurimum veneranda, quippe quæ ſa-
crificia præcipiat ad retrahendum ab ido-
lolatriæ abominationibus populum: audia-
mus Tertullianum qui ibidem pag. 467.
ſic pergit. " Sacrificiorum quoque onera
,, & operationum, & oblationum nego-
,, tioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat,
,, quaſi Deus talia niſi proprie deſideraverit,
,, qui tam manifeſte exclamat, quo mihi
,, multitudinem ſacrificiorum veſtrorum?
,, & quis exquiſivit iſta de manibus
,, veſtris? ſed illam Dei induſtriam
,, ſentiat, qua populum pronum iu ido-
,, lolatriam & tranſgreſſionem, ejuſmo-
,, di officiis religionis ſuæ voluit aſtrin-
,, gere, quibus ſuperſtitio ſæculi ageba-
,, tur, ut ab eo evocaret illos, ſibi ju-
,, bens fieri quaſi deſideranti, ne ſimu-
,, lacris faciendis delinqueret: ſed & in
,, ipſis commerciis vitæ & converſationis
,, humanæ domi ac foris ad uſque curam
,, vaſculorum omnifariam diſtiuxit, ut
,, iſtis legalibus diſciplinis occurrentibus
,, ubique, ne ullo momento vacarent a
,, Dei reſpectu. ,,

Reponunt iterum: Ipſe Deus abhorret
Judæorum ſacrificia juxta illud Pſal.
49. 13. *Nunquid manducabo carnes tauro-*

rum,

rum, aut ſanguinem hircorum potabo? v. 14. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*: igitur lex quæ animalium inſtituit ſacrificia, non eſt ſancta, nec ullum ex ea ad prohandam exiſtentiam Dei optimi, maximi, erui poteſt argumentum.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus abhorret & rejicit ſacrificia ſecundum idololatrarum mentem, Deum corporeum carnes manducantem putantes, concedo: quatenus ſunt oblationes ad recognoſcendum ſupremum ejus dominum, ſubdiſtinguo, abhorret ratione malæ diſpoſitionis offerentium, concedo: ratione ſui, nego. Deus eſt purus ſpiritus, unde nec cibos corporeos ſicut homo, ſumere indiget: igitur attendit ſolummodo ad ſervitium & famulatum; unde qui eum corde negat, eorum abjicit ſacrificia, quippe qui ore quidem confiteantur Dominum, factis vero negent, & hoc ſcelus nefandum Judæis non ſemel exprobrat Chriſtus juxta illud Matth. 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*. Omnes hi ſenſus in ipſa patent Scriptura pſalmo 49. 8. *Non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper*; quid ergo reprehendit? ſuperſtitionem, nunquid ait v. 13. *Manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo*; arguit malam offerentis diſpoſitionem verſu 16. *Peccatori dixit Deus; quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* verſu 17. *Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum*.

Reſpondet Tertullianus l. 2. adverſus Marcionem pag. 470. " Diximus de ſacri-
„ ficiorum rationali inſtitutione, avocan-
„ tis ſcilicet ab Idolis ad Deum officia
„ ea quæ ſi rurſus ejecerat dicens, quo
„ mihi multitudinem ſacrificiorum ve-
„ ſtrorum? hoc ipſum voluit intelligi;
„ quod non ſibi ea proprie exegiſſet;
„ non enim bibam, inquit, ſanguinem
„ taurorum; quia & alibi ait, Deus æter-
„ nus non eſuriet, nec ſitiet: nam ſi ad
„ oblationes Abel advertit, & holocauſta
„ Noe odoratus eſt libenter; quæ jucunditas
„ ſive viſcerum vervecinorum, ſive nito-
„ ris ardentium victimarum? ſed animus
„ ſimplex & Deum metuens offerentium
„ ea quæ a Deo habebant, & pabuli, &
„ ſuaris olentiæ gratia apud Deum deputa-
„ bitur, non quæ fiebant exigentis, ſed
„ illud propter quod fiebant, ob honorem
„ ſcilicet Dei. . . . dies Feſtos & veſtra
„ Sabbata odit anima mea: veſtra di-
„ cendo, quæ ſecundum libidinem ſu-
„ am, non ſecundum Religionem Dei
„ celebrando, ſua jam non Dei fecerunt. „

Objiciunt 2. Neque ex lege Evangelica recte probatur Deum exiſtere: & vero ex quo Evangelium fuit annuntiatum, multa maximaque viſa ſunt in mundo mala, hinc bella, hinc hominum per martyrium infinita prope ſtrages: hinc regni nedum Judaici, ſed & Imperii Romani ſubverſio, cum e contra mundus totus eſſet compoſitus in pace tempore Auguſti, florebant Romani, Barbaræ obmuteſcebant Nationes. Quid plura? a Chriſto nato infinitæ prope hæreſes, infinita ſchiſmata, regnum adverſus regnum, terræmotus, & fames, quæ quidem omnia mala & cohibere, & ne evenirent impedire univerſi orbis Dominus debebat; ſi detur optimus, ſi ſummus, ſi omnipotens Deus, ſuum quippe erat, ſi poteſtatem habet, ſervare ſubditos, ſervare bona & imperia, quis enim Rex fuit unquam qui in quantum poteſt a ſuo regno non avertat mala?

Reſpondeo negando, legem Evangelicam unius optimi & maximi Dei non probare exiſtentiam. Gratia quippe & veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt, gratiam autem & gloriam ſolus dabit Dominus, inquit Propheta: ad probationes dico martyrum ſtragem ex hominum prodiiſſe malitia: verum & ſanguis Sanctorum factus ſemen Chriſtianorum, Deum optimum exiſtere, ſtupendum quidem, ſed prorſus demirandum argumentum illud eſt; unde Tertullianus præſides idololatras Deum negantes ſic alloquitur Apol. 45. edit. Pariſ. 1634. " Sed hoc agite
„ boni præſides, meliores multo apud po-
„ pulum ſi illis Chriſtianos immolaveri-
„ tis, cruciate, torquete, damnate, atte-
„ rite nos. Probatio eſt enim innocentiæ
„ noſtræ iniquitas veſtra. Ideo nos hæc
„ pati Deus patitur: nam & proxime
„ ad Leonem damnando Chriſtianam,
„ potius quam ad Lenonem, confeſſi eſtis
„ labem pudicitiæ apud nos atrociorem
„ omni pœna & omni morte reputari.
„ Nec quicquam tamen proficit exquiſi-
„ tor quæque crudelitas veſtra, illece-

„ bra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, „ quoties metimur a vobis: ſemen eſt ſan„ guis Chriſtianorum. „ Quid plura? Deus ex malis ſumma & infinita prope bona facere voluit, nam & mundum profanum humilitate crucis devicit; Chriſtus ſua & Sanctorum paſſione principem tenebrarum ejecit foras, & multos ad vitam provexit æternam. Denique bella, fames, Imperiorum devaſtatio, & ſimilia ejuſmodi ſunt peccatorum pœnæ, quas quidem juſtus Judex non impedire, ſed imponere debet, maxime cum cuncta in ſuam cedant gloriam, immo & juſtis ac diligentibus Deum cooperentur per patientiam in bonum.

Reſpondeo 2. Ante Chriſtum natum ſimilia & multo majora in vindictam peccatorum eveniſſe mala. Quid dicam de diluvio quod omnem, octo exceptis animabus, delevit carnem? Quid de funeſto & terribili Sodomæ, Gomorrhæ, aliarumque civitatum excidio? Quid de calamitatibus Judæorum, qui iterum atque iterum in ſervitutem ducti, magna ex parte in captivitate perierunt? Simile argumentum urget Tertullianus contra Idololatras, qui vanam falſorum numinum ratione ſicut futili ita & prorſus abſurda inanium deorum religionem propugnare tentabant. Apol. p. 36. „ Oro „ vos, inquit, ante Tiberium, ideſt „ ante Chriſti adventum quantæ clades „ orbem & urbes ceciderunt? Legimus „ Hierannapen, & Delon, & Rhodon, „ & coinſulas multis cum millibus homi„ num peſſum abiiſſe. Memorat & Pla„ to majorem Aſiæ vel Africæ terram „ Atlantico mari ereptam, ſed & ma„ re Carinthium terræ motus ebibit... „ Ubi vero tunc non dicam deorum ve„ ſtrorum contemptores Chriſtiani; ſed „ ipſi dii veſtri cum totum orbem Cata„ clyſmus abolevit? vel ut Plato puta„ vit, campeſtre ſolummodo? Poſterio„ res enim illos clade diluvii conteſtantur „ ipſæ urbes, in quibus nati mortuique „ ſunt, etiam quas condiderunt, neque „ enim alias hodiernum manerent, niſi „ & ipſæ poſthumæ cladis illius. Non„ dum Judæum ab Ægypto examen Pa„ læſtina ſuſceperat, nec jam illic Chri„ ſtianæ Sectæ origo conſederat, cum „ regiones ad fines ejus Sodoma & Go„ morrhæ igneus imber exuſſit.

Reſpondeo 3. Mores Gentilium depravatos multa induxiſſe in mundum mala, quæ virtus Chriſtianorum temperavit; fruſtra igitur fauſtos exitus vanæ Idolorum religioni tribuunt Pagani: eſto quod quandoque felices fuerint in mundo Romani, ſed bonas actiones temporaneas, bonis utique temporalibus Deus compenſare voluit. Pergit Tertulianus ibidem pag. 37. ad objecta reſpondere. “ Si priſtinas clades comparemus, leviores nunc accidunt, ex quo Chri„ ſtianus a Deo orbis accepit. Ex eo enim „ & innocentia ſæculi iniquitates tem„ peravit, & deprecatores Dei eſſe cœ„ perunt; denique cum ab imbribus æſti„ va hyberna ſuſpendunt, & annus in „ cura eſt, vos quidem in balneis, & „ cauponis, & lupanaribus operantibus „ aquilitia Jovi immolatis; cœlum apud „ Capitolium quæritis, nubila de laquea„ ribus expectatis, averſi ab ipſo Deo „ & cœlo. Nos vero jejuniis aridi, „ & omni continentia impreſſi, ab omni „ vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere „ voluntates, invidia cœlum tundimus, „ & cum miſericordiam extorſerimus, „ Juppiter honoratur: Vos igitur impor„ tuni rebus humanis, vos rei publico„ rum incommodorum illices ſemper, „ apud quos Deus ſpernitur, ſtatuæ ado„ rantur.

Concludamus igitur totum hoc de exiſtentia Dei optimi maximi momentum mirandis iſtis Tertulliani verbis, immo & confeſſione. Apol. p. 18. edit. Pariſ. ann. 1634. „ Quod colimus, Deus unus „ eſt, qui totam molem iſtam cum om„ ni inſtrumento elementorum, corpo„ rum, ſpirituum, verbo quo juſſit, „ ratione qua diſpoſuit, virtute qua po„ tuit, de nihilo expreſſit in ornamen„ tum majeſtatis ſuæ. *Pergit*: Inviſibilis „ eſt, & ſi videatur incomprehenſibilis; „ & ſi per gratiam repræſentetur, inæ„ ſtimabilis; & ſi humanis ſenſibus æſti„ metur, ideo verus & tantus eſt. Cæ„ terum quod videri communiter, quod „ comprehendi, quod æſtimari poteſt, „ minus eſt, & oculis quibus occupatur, „ & manibus quibus contaminatur; & „ ſenſibus quibus invenitur. Quod vero „ immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt; hoc

eſt

Google

„ eſt quod Deum æſtimari facit, dum „ æſtimari non capit .... Ita eum vis „ magnitudinis & notum homini objicit „ & ignotum. " *Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt Creator omnium viſibilium & inviſibilium.

PRIMO, Quia & mundus, & diſciplinæ, & artes ortum habuerunt, ſicut enarrat Moiſes: ſic enim profitetur gens Judaica, ſic Chriſtiana, utraque cæteris nationibus fide digniſſima.

Secundo, Quia ut oſtenſum eſt ſupra, mundus neque a ſemetipſo; neque ab atomis, neque a materia eſt: hæc quippe tum diſtributive, tum collective initium habent ab alio qui his omnibus dominatur, & eſt ante ævum.

Tertio, Quia cauſam mundi eſſe ſumme & in immenſum ſpiritualem probat entium omnium circumſcriptio & limitatio.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD DIFFICULTATES.

PRIMO, Ultro concedimus unicam dari ſupremam ſubſtantiam, ſed plures ſunt creatæ.

Secundo, Tametſi ſubſtantia ſit per ſe ſubſiſtens, non ſequitur eam ab alia ſubſtantia infinita non dependere, ſed ſolum ab accidentibus quæ ipſi inhærent.

Tertio, Subſtantia etiam creata metaphyſice ſumpta poteſt dici improducibilis, nuſquam vero phyſice & in concreto ſeu in individuo ſpectata. Primo modo importat tantummodo enuntiationis veritatem, ut in iſta propoſitione, Homo eſt animal rationale; quæ quidem veritas eatenus dicitur æterna, quatenus ab æterno vera eſt hæc enuntiatio, Homo eſt animal rationale: at vero in ſecundo ſenſu dicit rem a parte rei & in ſe exiſtentem, quod certe nullum individuum habet ab æternitate, ſed tantummodo in tempore: & hoc a Deo optimo maximo.

Quarto, Incaſſum Manichæi adverſus legem veterem debacchantur; eſt enim bona, immo & ſancta, quippe quæ Deum ipſum habeat auctorem, præcepta contineat optima, unde imperfecta ſolum relative ad novam perfectiorem dicitur.

Quinto, Cæcutit utique Gentilis, dum Imperii Romani & clades, & ſubverſionem non abominationibus Paganorum, ſed Chriſtianis tribuunt; nam iſti & jejunio aridi, inquit Tertullianus, & morum puritate juſti, & pietate erga Deum conſpicui, tanquam multitudo ſapientum facti ſunt ſanitas orbis terrarum.

SECTIO TERTIA.

Convellitur Syſtema materiæ ſubtilioris, quam Pythagorici quintam vocant eſſentiam, cui ineſt potentia cuncta faciendi; & quam Indiarum Gentes maxime Sinarum quidam litterati bonitatem eſſentialem, gallice (le Lis) *appellant.*

DIXIMUS de materia concreta motu atomorum animata ad omnia tum facienda, tum componenda, ut volunt Epicurus & Spinoſa: oſtendimus inanem prorſus eſſe, & ad mundum faciendum penitus inertem: diximus etiam Pythagoram in hac materia alteram ſubtiliſſimam diſtinxiſſe, quam nuncupare voluit quintam eſſentiam, ſeu materiæ virtutem qua cuncta producantur, itaut ſit quid a materia concreta diſtinctum, quamvis materiæ ab æterno præexiſtenti coæva. Hanc materiam Epicurus contendit eſſe quaſi imperceptibilem & indiviſibilem; unde impræſentiarum ſermo eſt de illa ſubtiliſſima materia in ſe ſpectata; & quæritur quid ſit? & quid poſſit? ut hujus momenti reſolutione, quiſquis habeat illud quod clare & ſine replica confundat omnis generis Atheos, utinam & convertat. Denique notavimus ſupra, libros Pythagoræ aſportatos fuiſſe ad Ægyptios, ad Perſas, ad Chaldæos & Indos, & multum probabiliter ad Sinas. Fertur apud iſtos quoſdam profiteri religionem Mahumeticam, & agnoſcere Deum: Quoſdam & ferme omnes Idololatriæ inhærere: permultos vero eſſe Atheos, ut referunt relationes ſapientiſſimorum virorum, qui in iis vaſtiſſimis re-

gionibus, relicta patria, ſicut decet viros Sanctos & Apoſtolicos, Evangelium prædicarunt. Nou ſemel audivimus a reverendis Patribus Societatis Jeſu, plurimos eſſe in Sinarum Provinciis Atheos, quod & in eorum ſcriptis iterum atque iterum legimus. Similia audivimus ab aliis omni exceptione majoribus; ergo Syſtema Sinarum qui ex parte adhærent Pythagoræ, illud eſſe ſic referunt qui & in libris litteratorum Sinenſium legerunt, & a Mandarinis audierunt.

Primo, Sinenſis eſſentias rerum dicunt æternas, & a quocumque independentes; quas & explicant propoſitionibus æternæ veritatis, quales ſunt iſtæ: duo & duo ſunt quatuor: colendi ſunt parentes: homo eſt animal rationale, & ſimiles. Veritas, inquiunt, ejuſmodi propoſitionum eſt realis, & quidem independenter ab intellectu: nam etiamſi nullus de his cogitaret, verum eſſet ſemper dicere: duo & duo ſunt quatuor, & homo eſt animal rationale. Porro vocant veritatem eſſentiæ & propoſitionis bonitatem eſſentialem: alii quintam eſſentiam: alii materiam ſubtiliorem, immo ſubtiliſſimam a qua omnia, ipſa vero a nullo.

Secundo, Epicurei volunt ex motu illius materiæ infinitas advenire modificationes quibus omnia formantur; Indiarum vero gentes, ſaltem inter iſtos Paganos ſubtiliores, dicunt iſtam bonitatem neque eſſe materiam, neque tamen unquam a materia ſeparari, ſed ſimul cum materia cuncta producere, & eſſe in motu perpetuo: hinc iſtum mundum incepiſſe concedunt, ſed alterum fuiſſe priorem, ſicut & poſt iſtum finitum, futurum eſſe poſteriorem, & ſic infinitum tum a parte ante, tum a parte poſt reponunt, ita ut bonitas eſſentialis ſit ſemper in aliquo actu; & ideo omnipotentiam, juſtitiam & cætera Dei Attributa illi ineſſe non diffitentur. Modo etiam dicunt materiam eſſe ab æterno, & juxta eius diverſas modificationes diverſa entia coaleſcere, animam rationalem in morte quidem perire, non tamen quoad omnia; quia contendunt abire in ſubtiliorem materiam. Non agnoſcunt ſpiritus.

Tertio, Bonitatem eſſentialem dicunt non quidem per ſe ſubſiſtere, ſed eſſe ſubſiſtendi rationem: non eſſe intelligentem per ſe, ſed ratiocinandi principium; non eſſe regulam morum, ſed in ſe habere gubernandi normam.

Quarto, Concreta idem eſſe cum abſtractis, etiam in ſupremo Numine invincibiliter & mordicus negant. Quamobrem nolunt ſupremum Numen eſſe ſapientiam, bonitatem: ſed habere bonitatem, ſeu potius æſſe rationem cur res ſint bonæ, ſapientes, &c.

Quinto, Sanctitatem duplicem diſtinguunt; alteram interiorem eamque naturalem: alteram vero exteriorem, & quæ actus humanos componit, puta Regis comparative ad ſubditos: patris relative ad filios: Domini reſpectu ſervorum, & amici ad amicum reciproce. Primam conſtituunt in habituali unione cum bonitate eſſentiali, ſeu potius adhæſione, ita ut anima ad illam ſemper attenta, cum ea ſit veluti conglutinata: quæque ſanctitas bonis operibus accreſcit. Alteram vero in attentioue bonitatis eſſentialis cum ordine ad res exteruas; cui ſi debite illi inhæreant, recte vivunt & ſunt.

Sexto, Obſervandum eſt illud Syſtema collimare in Syſtema Epicuri in multis, & in pluribus etiam diſcrepare. Convenit in eo quod materiam ſemper & ab æterno in motu conſtituant Sinenſes; quod ex motu materiæ, ſeu ex bonitate eſſentiali quam ſpiritum mundi agnoſcunt, cuncta coaleſcant: quod bonitas illa eſſentialis ſit materialis quidem, ſed neque ipſa materia, neque forma, aliudve per quod ens determinatur. Diſcrepat vero in eo quod mundum hunc in tempore reponant, & eidem præſcribant finem; affingunt tamen ei æternitatem, non quidem permanentem, verum potius fluentem & ſucceſſivam multiplicatione tum muudi, tum rerum quæ mundum componunt, & conſtituunt.

Septimo, Ex his omnibus reſultat Atheos eſſe in multiplici differentia. Quidam ſunt intellectu Athei, illi ſcilicet qui negant Deum eſſe: quidam corde, qui ſolum paſſione victi, reclamante conſcientia dicunt inſipientes in corde ſuo: Non eſt Deus. Quidam partim mente, partim corde qui admittunt & agnoſcunt bonitatem quidem eſſentialem,

tan-

tanquam bonorum omnium principium; ſed & materia circumſcriptam, & a materia dependentem. Cui etiam bonitati tribuunt omnia Dei Attributa, ſed per dependentiam; ita tamen ut a cæteris abhorreant Atheis, non enim cuncta ex atomis ſtupidis coaleſcere credunt: ſed ex bonitate eſſentiali. Iſti utique cum Atheis quodammodo annumerantur, vel qui negant providentiam, vel qui Idola ſequuntur, & credunt Deum favere eorum ſuperſtitionibus.

Nullam hic movemus quæſtionem, an iſti Indi agnoſcant vere Deum Creatorem mundi, agnoſcendo bonitatem eſſentialem, vel non? An Regis & Imperatoris ſicut & regni Procerum religio ſita ſit in agnitione unius Dei, ut quidam viri docti ſcripſerunt? Certum eſt inter eos alios agnoſcere Deum, alios etiam eſſe Chriſtianos, alios Mahumetanos, multo plures Idololatras, & non paucos Atheos. Agimus dumtaxat de his qui Syſtemate ſuo non aliud agnoſcunt Numen quam bonitatem eſſentialem circumſcriptam & a materia dependentem. Quod quidem ſyſtema coincidere in ſyſtema Epicuri videtur, vel dicere etiam idem, niſi loco quintæ eſſentiæ Pythagoricæ, vel materiæ ſubtilioris Epicuri ſubſtituant bonitatem quam vocant eſſentialem, & cum materia cuncta facientem & producentem; quam quidem opinionem pertractare juvat pro quæſtionis de immortalitate animæ & exiſtentia Dei complemento; nam iſtud ſyſtema impugnat utrumque, cum & bonitatem eſſentialem non divinam, ſed confictam & materialem, animam vero rationalem mortalem eſſe contendant Sinenſes.

Syſtema iſtud quocumque modo ſumatur ſive pro atomis ſubtiliſſimis Epicuri, ſive pro quinta eſſentia Pythagoræ, ſive pro bonitate eſſentiali quam Sinarum Athei vocant bonitatem eſſentialem a materia dependentem, & gallice *le Lis*, refutatum manet ex his quæ jam diximus, tum contra atomos, tum contra Spinoſam: Enimvero nomine tenus & terminis videtur diſcrepare ab aliis ſyſtematibus, maxime cum bonitatem eſſentialem omnia cum materia facere præſcribat: cum Attributa Dei tribuat illi bonitati materia circumſcriptæ ſicut Spinoſa, cum ſicut iſte materiæ omnis agglomerationem vocet Deum, ita & Sinarum Doctores bonitatem materia coacervatam Numen appellent; igitur eædem redeunt probationes contra iſtud ſyſtema quas attulimus contra Epicuranum. Quia tamen ex modo procedendi apparet aliqua diverſitas, quam nonnulli omni exceptione majores exiſtimant non eſſe mediocrem, ad faciendum ſatis omnibus; & ne remaneat ullus tum circa exiſtentiam Dei, tum circa immortalitatem animæ rationalis ſcrupulus, ſyſtema iſtud poſtremum de ſubtiliori materia ſecundum Pythagoram; de bonitate vero eſſentiali in materia immerſa ſecundum Indos, refellimus, & quidem triplici medio. Primo quidem generalibus rationibus quibus conſtat nihil materiale habere efficaciam ſufficientem, tum ad mundum condendum, tum ad beatificandos homines. 2. Specialibus argumentis quibus probabitur Indiarum Doctores ſibi non conſtare, 3. Demonſtrando ſolum Deum eſſe bonitatem eſſentialem, animam vero rationalem & ſpiritualem & immortalem.

Cæterum, Sinarum ſyſtema de bonitate eſſentiali quale retulimus pro certiſſima Mandarinorum ſententia ad vitandum Hiſtoriagrophorum congreſſum & lites non abſolute damus, maxime cum hoc, aut parum, aut nihil prorſus conferat ad præſentem quæſtionem: ſed ſuppoſito quod ſit tale quale & audivimus a viris cordatis & delineavimus; illud ipſum ad ſtabiliendam Dei exiſtentiam totis viribus refellere, ſubvertere & convellere neceſſe eſt. Unde ſit.

CONCLUSIO.

Materia ſubtilior quam alii quintam eſſentiam, alii bonitatem eſſentialem, a materia ſenſibili & craſſa diſtinctam & imperceptibilem vocant, non eſt mundi creatrix, non ſanctitatis & beatitudinis hominum principium & cauſa.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Tanta efficacia non convenit materiæ etiam ſubtiliſſimæ & omni quod eſt immerſum in materia, & ab ea dependens.

Primo, Illud nequit eſſe rerum princi-

cipium quod eſt in potentia ad actum: atqui bonitas illa eſſentialis eſt in potentia ad actum: igitur nequit eſſe rerum principium. Major patet; quod enim eſt in potentia, neque ſemper in actu, neque ſeipſum poteſt reducere ad actum; ſi quidem debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu. Probatur igitur minor in qua eſt difficultas: quinta illa eſſentia, ſeu bonitas eſſentialis in ſenſu Sinarum Doctorum, non ſemper operatur, ſed tranſit a non operari ad operandum, puta quando producitur arbor. 2. Ipſe homo, *v. g.* non ſemper utique operatur: igitur nec bonitas eſſentialis, ſi quidem eſt materia homini incorporata: igitur ſicut ipſe homo tranſit a non operari ad operandum, tranſit & bonitas eſſentialis; & vero non operatur in homine, niſi & ipſe agat, niſi materia humana operetur. Igitur bonitas eſſentialis Sinica non eſt primum rerum principium; nec dicant bonitatem operari ſemper, ſi non in uno individuo, in altero agere: quia eo ipſo quo eſt bonitas prima & plena, etiam in quolibet individuo, ſemper debet actu operari, alias non erit bonitas eſſentialis, ſed ſolum participata & creata.

Secundo, Quod eſt a materia dependens tum in eſſe, tum in operari, non poteſt eſſe primum rerum principium: cuncta ſi quidem a prima cauſa moventur & dependent, ipſa vero a nullo dependet: ſed bonitas ſeu quinta eſſentia, dependet a materia; & ita quidem, ut ſine materia non habeat aut eſſe, aut operari, immo iners manet, & nihil eſt: igitur non eſt rerum omnium principium.

Tertio, Quod clauditur terminis, non eſt prima omnium creaturarum cauſa, enimvero cauſa prima debet eſſe univerſalis, & ad omnia ſeſe extendere debet: atqui quinta eſſentia Pythagorica & bonitas eſſentialis Indiæ, clauditur terminis, ſiquidem immerſa eſt in materia: igitur non eſt cauſa prima creaturarum. Nec mirum, quod clauditur terminis eſt alteri incommunicabile, cum igitur illa bonitas circumſcribatur ab uno individuo, nequit alteri ineſſe; quis enim dicet animam unam in corpore Petri concluſam, poſſe aliud ſimul informare corpus?

Quarto, Abſtractum ad materiam ordinatum non eſt cauſa rerum, ſed accidens: *v. g.* Bonitas in homine non eſt cauſa rerum, bene vero accidentalis perfectio quæ ipſa producitur: ſed bonitas eſſentialis a materia dependens eſt & abſtracta, quinimmo & accidens, accipiens eſſe, non dans; accidens inhærens, neque operans per ſe, ſed ſolum per ſubjectum; igitur bonitas eſſentialis non eſt cauſa rerum, ſed ipſa potius cauſatur.

Quinto, Bonitas eſſentialis non poteſt cuncta creare & producere, niſi ſit ens omnibus refertum perfectionibus, debet enim eſſe ſummum bonum, & per omnia ſeſe diffundere; atqui neque quinta eſſentia Pythagoræ, neque bonitas eſſentialis Sinarum eſt ens plenum & perfectiſſimum; igitur nec cauſa prima & rerum omnium creatrix: probatur minor. Illa bonitas ſecundum ſyſtema allatum, eſt a materia dependens, clauditur terminis & circumſcribitur: igitur non eſt ens perfectiſſimum bonitas eſſentialis Sinica; non enim eſt in infinitum ſui diffuſiva. 1. Quia quod clauditur terminis, ad unum terminatur & limitatur. 2. Nequidem extra ſe poteſt ſeſe diffundere, alias jam illud bonum non foret circumſcriptum & ſingulare, ſed univerſale. 3. Illa bonitas quæ ſupponitur ſe diffundere per omnia, vel eſt eadem quæ communicatur multis, vel diverſa: ſi eadem; jam quodlibet ens eſt creatum ſimul & increatum: creatum, quia producitur: increatum vero, quia eſt tota bonitas eſſentialis, quæ eſt tota ubique & in quolibet, namque ſecundum ſe eſt indiviſibilis: ſi dicas bonitatem eſſe diverſam in diverſis, jam eſt creata; quia diverſa, jam non eſt bonitas eſſentialis; quia limitata, eſt diviſa, aſſentialis vero illimitata & indiviſa manet.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Syſtema prædictum implicat contradictionem.

PRIMO, Illud implicat contradictionem quod admittit bonitatem eſſentialem, & non eſſentialem: bonitatem cauſam rerum, & non cauſam: bonitatem realem, & non realem: atque ſic ſe habet ſyſtema allatum; igitur implicat contradictionem. Probatur minor quoad ſingulas partes. 1. Bonitas illa ſuppo-

po-

Digitized by Google

ponitur eſſe eſſentialis, & tamen non eſt; quia nec eſt prima, cum ſit dependens; omne enim quod dependet, cauſam ſeipſo priorem habet, alias non penderet. 2. Vocatur principium omnium rerum, & tamen non eſt; quia non eſt univerſalis ſecundum ſe, quandoquidem non ſubſiſtit ſine materia, immo ipſa materia circumſcribitur & limitatur; nec eſt ullum inſtans in quo non ſit concreta & ſingularis, ſeu individuata. 3. Dicitur bonitas realis, & eſt bonitas mere metaphyſica & rationis; quippe quæ ſit ſolum bonitas eſſentiæ metaphyſicæ, quam vocant Philoſophi bonitatem propoſitionis; *v. g.* Duo & duo ſunt quatuor: homo eſt animal rationale, quæ quidem propoſitiones dicuntur æternæ veritatis, quod poteſt intelligi dupliciter. 1. Per ordinem ad Deum, in quo omnia vivunt, quatenus rerum omnium habet ideas, quæ ſunt ipſa eſſentia divina, quam Deus cognoſcit ab æterno eſſe infinitis modis ad extra participabilem. 2. Relative ad nos, in quantum concipimus mirabilem Dei eſſentiam tali vel tali modo participabilem. Prima bonitas eſt eſſentialis, & realis, nam eſt ipſa eſſentia divina ut participabilis, quæque de facto eſt participabilis independenter a conceptibus noſtris. Secunda vero bonitas, eſt bonitas propoſitionis & rationis, quam intellectus noſter concipit cum fundamento in re, ſcilicet in eſſentia divina ut participari poteſt a creaturis.

Verum res non ſic ſe habet in ſyſtemate prædicto. 1. Supponunt prædicti Philoſophi bonitatem eſſentialem eſſe a materia inſeparabilem: igitur non eſt realis niſi in concretione & in individuis: igitur ſecundum ſe eſt ens rationis; & ſic penitus ruit ſyſtema Sinarum. Jam vero cum bonitatem faciant a materia dependentem & quidem eſſentialiter, nulla ſunt principia, & nullæ propoſitiones æternæ veritatis; namque ſecundum modificationes materiæ, ſequuntur eſſentiæ: materia autem diverſas accipit modificationes: unde ſi vel atomi, vel materia ſubtilis, vel quinta eſſentia ſeu etiam bonitas eſſentialis ſuppoſititia motu ſuo partes in contrarium agat; jam duo & duo non erunt quatuor: homo non erit animal rationale; quia motus qui eſt eſſentialis materiæ, diverſimode ſe habet, adeoque mutat eſſentias, quandoquidem ipſe mutatur eſſentialiter. Denique ſuppoſito quod omnes & homines, & Angeli ceſſarent eſſe; hoc enim fieri poteſt, ita ut remanerent in mundo creaturæ dumtaxat inſenſibiles; nulla tunc foret bonitas eſſentialis, quia nullus foret intellectus qui faceret propoſitiones æternæ veritatis. Si reſpondeant illi Philoſophi, eſſet nihilominus bonitas, etiamſi omnes creaturæ annihilarentur: eſto, ſed jam agnoſcant Deum qui eſt ens a ſe & independens.

Secundo, Dicitur de illa bonitate eſſentiali ab ipſa mundum fuiſſe in tempore productum, ſed ante & alterum, & poſt iſtum alterum uſque in infinitum a parte ante fuiſſe. Item, mundum iſtum finem habiturum eſſe; verum bonitatem alium poſtea producturam eſſe, & poſt iſtum adhuc alterum uſque in infinitum a parte poſt: ſed hoc manifeſte implicat: igitur non poteſt admitti ejuſmodi ſyſtema. Probatur minor. 1. Sequitur materiam eſſe ab æterno, quod fieri non poteſt, ut ſupra probavimus contra Hermogenem. Dico ex hoc principio ſequi materiam eſſe ab æterno; quandoquidem ſupponunt Sinenſes bonitatem eſſentialem ab æterno, & hoc dependenter a materia. 2. Si dicant materiam deficere, deficiente mundo jam etiam deficiet bonitas eſſentialis; quia ſecundum ipſos, non poteſt ſine materia ſubſiſtere. 3. Bonitas eſſentialis juncta cum materia facit concretum, ſed omne concretum perit pereunte materia; alias mundus ſemper perſeveraret: perit igitur & bonitas. Præterea ſi bonitas eſſentialis remanet ſine materia, & independenter ab ea ſubſiſtit tanquam ens a ſe, & actus purus, jam eſt ipſe Deus. 4. Sequitur ex eodem principio bonitatem eſſentialem eſſe ſemper in actu: igitur debet eſſe a materia independens & ſupra materiam; & eſt Deus creator qui omnia quæcumque voluit fecit. Enimvero materia non poteſt eſſe ſemper in actu; tum quia eſt de ſe indifferens; tum quia eſt in potentia ad novas de die in diem formas recipiendas; tum quia pereunte mundo, omnis materia concreta peribit: unde ſi admittatur materia imperceptibilis

in

in qua ſubjectetur bonitas eſſentialis; jam materia iſta incipit habere quod non habebat, & immutare ſtatum, quia de materia ſenſibili fit materia imperceptibilis: concreta vero quæ periit, reproducitur & accipit eſſe; neutra igitur eſt ſemper in actu, adeoque neutra Deus. 5. Illa ipſa eſſentialis bonitas mutatur, nam novas accipit materias quibus incorporatur: rurſus amittit iſtas & alias recipit; igitur eatenus eſt in potentia, quatenus recipit quod non habebat.

Tertio. Non datur proceſſus in infinitum neque a parte ante, neque a parte poſt. A parte quidem ante; quia quo magis numeratur per detractionem multitudo, eo citius pervenitur ad unitatem: detrahe centum ex duobus hominum millibus, jam ſunt ſolum 1900. homines. Si detrahis mille, ſuperſunt 1000. & ſic ad primum pervenitur & quidem neceſſario; namque ſi homo generat hominem, generans debuit ab alio produci: igitur & illa bonitas eſſentialis; quandoquidem nunquam eſt a parte rei, niſi in materia concreta; materia autem concreta eſt ſingularis & habet eſſe ab alio: igitur & bonitas eſſentialis, quæ quidem ſequi debet ſortem materiæ in qua immergitur: ſicut forma ſeu anima leonis, quia dependet a materia, perit pereunte compoſito ex materia concreta: neque datur proceſſus in infinitum a poſteriori; ultro enim fatentur Magiſtri defendentes bonitatem eſſentialem, mundum diſſolvendum eſſe, & cuncta finem acceptura eſſe. Præterea bonitas illa ſemper eſt concreta & in materia immerſa, igitur ſingularis & finita: ſi finita, non poteſt producere in infinitum novos mundos; quia nulla cauſa operari poteſt ultra conatum & virtutem ſuam. Jam vero ſi ſit cauſa univerſalis, debet eſſe illimitata & ſupra terminos rerum, quarum eſt cauſa. Mare *v. g.* eſt cauſa fluminum, ſed profecto non clauditur terminis fluminum; ſed eſt quid eis ſuperius & in aqua & in extenſione; ſi dicant bonitatem eſſentialem ſubſiſtere ſecundum ſe in materia diſtincta a ſingularibus & concretione: jam igitur erit independens a materia concreta: ſi independens a materia concreta, profecto ab omni; nam nulla eſt materia a parte rei, niſi ſit concreta, niſi ſit actuata per illam bonitatem eſſentialem; & ſic ruit totum ſyſtema.

Quarto, Argumentum jam prælibatum iterum redit pro concluſione confirmanda. Bonitas eſſentialis vel eſt penitus eadem ut concreta, vel diverſa. Si eadem, haud dubium eſt, non eſſe principium rerum, quia ex omni parte dependens apparet: quod autem eſt dependens, recipit ab alio, alias non foret dependens. Si diverſa, talis eſt vel accidentaliter, vel ſubſtantialiter: ſi accidentaliter, non eſt cauſa rerum; quis enim ſanæ mentis dicet, accidens minimum ens atque debile, utpote inhærens, cuncta producere, etiam ſubſtantiam, & concreta? ſi ſubſtantia; igitur non dependet a materia, ſed eſt ens per ſe ſubſiſtens: quinimmo ens a ſe, & conſequenter Deus.

Quinto, Bonitas illa non ſolum eſt circumſcripta & in materia immerſa, verum etiam corruptibilis: ſed implicat rerum principium eſſe corruptibile, quod enim eſt corruptibile, deficit: ſi bonitas eſſentialis deficit & perit pereunte individuo; ubi eſt quando *v. g.* moritur homo? ſi nullibi, ergo eſt Deus qualem intelligimus. Si deſinit & perit, igitur bonitas eſſentialis non eſt: ſi tranſit ad aliud, igitur in inſtanti quo tranſit, non eſt in ſubjecto: ſi eſt per ſe ſubſiſtens & a ſe, eſt a materia independens: igitur eſt Deus.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Bonitas eſſentialis non eſt ratio ſubſiſtendi & gubernandi, ut explicant Indi.

SINARUM Doctores multa delineant in ſuo ſyſtemate quæ non probant: dicunt ergo & docent bonitatem eſſentialem eſſe rationem ſubſiſtendi, ratiocinandi & gubernandi. Sed allucinantur, nedum eſt hæc omnia, ſed implicat contradictionem eſſe, & probatur quoad primum.

Primo, Volunt Indi bonitatem eſſentialem eſſe cauſam ſubſiſtendi, ſed non per ſe ſubſiſtere: atqui hoc implicat contradictionem, & probatur. Vel iſta bonitas in concretione ſubſiſtens habet ſubſiſtere a materia, vel a ſe, vel a concreto. Non primum, quia ex eis materia

ria non ſubſiſtit, ſed hoc habet a bonitate eſſentiali: non habet utique a ſeipſa, quia ſupponunt non ſubſiſtere per ſe: ſed nec a concreto, cum concretum nihil aliud ſit quam bonitas eſſentialis & materia. Supereſt igitur concretum, quod eſt ens per ſe ſubſiſtens *v. g.* terra, habere eſſe per ſe ſubſiſtens a bonitate eſſentiali, quæ quidem eſt per ſe ſubſiſtens extra concretum & materiam, quæ eſt a ſe & actus purus, neque circumſcriptus, neque corruptibilis & defectibilis, & eſt Deus optimus maximus.

Secundo, Volunt Indi bonitatem eſſentialem eſſe rationem intelligendi, ſed non intelligere: atqui hoc implicat contradictionem propter rationem mox allatam: a quo enim erit intellectus, cum nec a bonitate eſſentiali emanabit, nec a materia? neutra enim ipſis teſtibus habet intelligentiam: nec a concreto, cum ipſum non habeat intelligendi vim, aut a bonitate aſſentiali, aut a materia. Supereſt igitur, cum non detur effectus ſine cauſa, concretum habere intelligentiam a cauſa, quæ ſit ſupra bonitatem eſſentialem circumſcriptam & ſupra materiam, quæque ſit ipſa veritas & intelligentia, & eſt Deus; & ſic Mandarini litterati ſyſtemate ſuo quaſi manu ducunt nos (quamvis forſan ſine intentione) ad cognitionem unius Dei; quandoquidem eo ipſo quo ponunt bonitatem eſſentialem concretam quæ non ſit actus purus & ens actu per ſe aut a ſe ſubſiſtens, non recedunt a creatura, & tenentur agnoſcere Creatorem; poſito enim eorum principio, debent agnoſcere aliam bonitatem eſſentialem ſupra creatam, bonitatem quæ ſit ipſa veritas. Rurſus ergone qui omnia etiam diſparata ordinat ad finem, non erit ſapiens? ergone qui intellectum dat parvulis, erit ſtupidus? ergone lumen indeficiens ſecundum ſe, tenebris coopertum erit? Revera quidem, nam ſi bonitas eſſentialis ſuprema non eſt per ſe ſubſiſtens & per ſe intelligens, ſecundum ſe ſumpta, infirma eſt; quid dico? infirma, prorſus ſtolida & cæca. Rurſus hæc opinio aſſimilatur opinioni Epicureorum, qui perceptiones quidem objectorum admittunt, ſed non percipiendi facultatem. Ita quoque ratiocinantur Sinenſes: ſed contra, ſi non detur intelligendi & percipiendi facultas, lapis æque ac animal poteſt videre: pecora campi poſſunt intelligere ſicut homines; quia in ſyſtemate Sinarum neque ad intelligendum, neque ad percipiendum requiritur facultas. Cæcus poterit eadem ratione videre: ſi dicant deficere in eo organum: ergo datur præter objecti perceptionem, percipiendi facultas. Præterea homo mortuus deberet percipere objecta, quatenus adhuc remanet in ipſo organum, immo & bonitas eſſentialis quæ in corporis materia, & in ipſo corpore perſeverat. Quod tamen nullus ſanæ mentis admittet: igitur Indi non ſibi conſtant in ſuo ſyſtemate. Sed agnoſcant quod quærunt, nempe Deum: non eum faciant materialem, non corruptibilem, non limitatum, ſed confiteantur immenſum, incircumſcriptum: abnuant contradictionem. Volunt bonitatem ſupremam, volunt eſſentialem, volunt cunctorum Dominam: deſinant ergo eam concludere in materia, circumſcribere terminis corporis; deſinant corruptibilem, cæcam & ſtupidam prædicare.

Tertio, Contendunt Sinenſes bonitatem eſſentialem eſſe vivendi & gubernandi normam, ſed ipſam neque prudentiam eſſe, neque ſapientiam, neque ſanctitatem. Redit idem argumentum contra eos. Vel igitur nullus eſt ſapiens, nullus providus, nullus ſanctus; ſi ens ſupremum non eſt ſapientia, providentia, ſanctitas; quia ſi qui ſint providi & ſancti, non habent in ſyſtemate Indorum, providentiam & ſanctitatem a bonitate eſſentiali ſecundum ſe ſpectata: nam ſecundum eos, neque eſt providentia, neque ſanctitas: non a materia; namque ex eis ipſa totum habet ab alio: non a bonitate juncta materiæ, gratis enim hoc dicitur, cum bonitas eſſentialis non poſſit dare providentiam & ſanctitatem materiæ & concreto quam non habet. Et tamen conſtat eſſe providentiam, conſtat quoſdam homines ordinate & honeſte vivere. Igitur neceſſario agnoſcenda eſt bonitas divina a materia independens, e cujus ſinu cuncta bona procedant.

Confirmatur: Indi dicunt bonitatem eſſentialem eſſe rationem ſubſiſtendi, intelligendi, gubernandi: ſed neque ſubſiſtere, neque intelligere, neque guberna-

nare: quia ſubſiſtentiam, intelligentiam, gubernationem credunt accidentia, quæ quidem in ſupremo Numine admitti non debent: Et vero abſtracta ubique diſtinguunt a concretis; hinc bonitatem diſtinguunt ab eo qui bonus eſt, non enim eſt bonitas; nam cum aliquis dicitur bonus, per hoc intelligitur homo habens bonitatem, & perfectionem accidentalem: atqui in ſupremo Numine & in prima cauſa non reperiuntur ejuſmodi perfectiones limitatæ. Igitur ruit fundamentum Indorum: probatur multipliciter 1. Bonitas eſſentialis vel eſt accidens vel ſubſtantia: ſi accidens, non eſt ratio & cauſa rerum: namque accidens ſequitur ad ſubſtantiam, illam ſupponit, ipſi inhærent tanquam infirmum ens & debiliſſimum; unde non eſt ejus cauſa & principium. Si vero ſubſtantia, igitur ens per ſe ſubſiſtens eſt a materia independens, adeoque Deus. 2. Verum eſt concreta & abſtracta diſtingui in creatis, & unum non eſſe aliud; ſed judicium profecto diverſum eſſe debet de Ente ſupremo, cui plura debemus tribuere quam poſſumus intelligere: ſin minus, erit creatura ſicut nos: unde ejus plenitudo, quam ipſi Sinenſes litterati tenentur admittere, arguit ipſius ineffabilitatem & incomprehenſibilitatem: ineffabilitas vero & incomprehenſibilitas denotant Deum omnia habere, quinimmo omnia eſſe. Ergo habet prudentiam & eſt prudentia: habet ſapientiam & eſt ſapientia. Cæcutit igitur ratio humana in his, & in ſtatera doloſa ponderat divinitatem, dum ponderat judicando ſicut de creaturis, quæ nec ſunt eſſe, nec vivere, ſed habent eſſe, vivere: habent ſapientiam, & non ſunt ſapientia.

Eja igitur age, & cogita Deum ſapientem, veracem, providentem: quinimmo cogita ipſam eſſe ſapientiam, ipſam veritatem, ipſam providentiam, quia eſt ens omnibus refertum perfectionibus: ſi autem non foret, *v. g.* Sapientia, eſſet in potentia ad ſapientiam, ad juſtitiam, unde non eſſet Deus, quia non eſſet actus purus & ens perfectiſſimum. D. Bernardus, ſerm. 80. pag. 810. in Cantica mirum in modum hæc explicat:
“ Nulla, inquit, forma eſt id, cuius eſt
„ forma. Eſt autem magnitudo forma a-
„ nimæ: nec enim ideo non forma,
„ quia inſeparabilis eſt illi. Hoc ſiquidem
„ ſunt ſubſtantiales differentiæ omnes,
„ hoc non modo proprie propria, ſed
„ & propria quædam, hoc etiam aliæ
„ innumerabiles formæ. Non igitur ſua
„ magnitudo anima, non magis quam
„ ſua nigredo corvus, quam ſuus can-
„ dor nix; quam ſua riſibilitas ſeu ra-
„ tionalitas homo. Cum tamen nec cor-
„ vum ſine nigredine, nec ſine candore
„ nivem, nec hominem qui non riſibi-
„ lis ſit & rationalis nunquam reperies.
„ Ita & anima & animæ magnitudo,
„ etſi inſeparabiles, diverſæ tamen ab
„ invicem ſunt. Quomodo non diver-
„ ſæ, cum hæc in ſubjecto, illa ſubje-
„ ctum & ſubſtantia ſit? Sola ſumma &
„ increata natura, quæ eſt Trinitas Deus
„ hanc ſibi vindicat meram ſingularem-
„ que ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, ut non
„ aliud & aliud, non alibi quoque &
„ alibi, ſed ne modo quidem & modo
„ inveniatur in ea. Nempe in ſemet
„ manens quod habet, eſt: & quod eſt,
„ ſemper & uno modo eſt. In ea & mul-
„ ta unum, & diverſa in idem redi-
„ guntur, ut nec numeroſitate rerum ſu-
„ mat pluralitatem, nec alterationem de
„ varietate ſentiat. Loca omnia conti-
„ net, & quæque ſuis ordinat locis, nuſ-
„ quam contenta locorum. Tempora ſub
„ ea tranſeunt, non ei; futura non ex-
„ pectat, præterita non recogitat, præ-
„ ſentia non experitur .... ſi Deus non
„ eſt, quid eſt? Aut enim Deus eſt, aut
„ aliquid quod non eſt Deus, aut nihil.
„ Equidem non das Deum eſſe, ſed ne
„ nihilum quidem, ut opinor dabis quam
„ uſque adeo neceſſariam Deo eſſe fate-
„ ris, ut non modo abſque ea Deus eſ-
„ ſe non poſſit, ſed ea ſit. Quod ſi ali-
„ quid eſt quod non eſt Deus, aut mi-
„ nor erit Deo, aut major, aut par: at
„ quomodo minor, qua Deus eſt? Re-
„ ſtat ut aut majorem fatearis aut pa-
„ rem; ſed ſi major, ipſa eſt ſummum
„ bonum, non Deus. Si par, duo ſunt
„ ſumma bona, non unum .... Jam de
„ magnitudine, bonitate, juſtitia, ſapien-
„ tiaque, idem per omnia quod de divi-
„ nitate ſentimus: unum in Deo ſunt, &
„ cum Deo. Nec enim aliunde bonus quam
„ unde magnus: nec aliunde juſtus aut ſa-
„ piens, quam unde magnus & bonus:
„ nec aliunde denique ſimul hæc omnia

eſt,

„ eſt, quam unde Deus; & hoc quoque „ non niſi ſeipſo. „

Audiant Sinenſes Dionyſium quondam Philoſophum & percelebrem Theologum. Concedit quidem Deum non eſſe ſapientiam qualem ſcilicet concipimus & imaginamur, non bonitatem, non miſericordiam „ ſed multo plura & his omnibus ſupereminere: Et vero Deus ſapientia noſtris finitis concluſa conceptionibus doctior eſt, omni bonitate melior, ipſa manſuetior miſericordia, omnes quippe perfectiones creatas in immenſum excedit. Ergo bonitas eſt Deus, ſed infinita: ſapientia, ſed ineffabilis: miſericordia, ſed cogitatu incomprehenſibilis: Bene igitur Angelus Scholæ pronuntiat abſtracta & concreta in Deo idem eſſe: Et vero, ſi bonitas non foret Deus, nec utique Deus ſupremum foret Numen, aliqua careret perfectione; quinimmo, modo ſapientiam, modo bonitatem, aliamve virtutem a materia emendicaret, & opus haberet, eo prope modo quo bonitas eſſentialis Sinica eadem emendicare tenetur; quippe quæ a materia & in eſſe & in operari hic & nunc dependeat.

Rurſus dictum eſt neminem dare quod non habet. Quis diceret, cogitaretve Indiarum Doctores iſtud negare principium ab omnibus Nationibus, non dicam receptum, ſed datum? At faciendum eſt ſatis & reſpondendum his qui dicunt cauſas univerſales producere effectus, quos in ſe non præcontinent. Sol & arbor, inquiunt, generant arborem; quis tamen affirmabit ſolem eſſe arborem? Cauſæ quidem particulares præcontinent effectus, ſic equus producens equum, eſt ipſe equus, & conſequenter virtualiter præcontinent equum: ſed non ſic de cauſis æquivocis & analogis. Quis ergo (inquiunt) negare poteſt bonitatem eſſentialem producere rationem ſubſiſtendi, intelligendi & gubernandi, licet ipſa nec ſit ſubſiſtens, nec regens & gubernans?

Verum facilis eſt ad hanc objectionem reſponſio; quamvis enim cauſæ univerſales quandoque non præcontineant effectum formaliter, præcontinent tamen eminenter, ideſt, præcontinent modo ſuperiori & ſemotis omnibus imperfectionibus; ergo duplicis generis perfectiones diſtinguendæ ſunt; quædam dicuntur perfectiones ſimpliciter ſimplices, & nullis admixtæ imperfectionibus, qualis eſt ſapientia, bonitas; & hæ tribuuntur ſupremo Numini formaliter, ipſarum donatur nominibus, eaſque præcontinet formaliter, ita tamen ut non ſint in ipſo accidentia, ſic bonitas eſt Deus: nam eo ipſo quo illa eſt divina & ſupremi Numinis ſapientia, eſt ipſemet Deus, alias Deo non conveniret, quia neque divina foret, neque infinita. Aliæ ſunt perfectiones quæ dicuntur ſimpliciter ſimplices ſecundum quid, *v. g.* ratio; & hæc non eſt in Deo formaliter, quia involvit in ſuo primario conceptu imperfectionem; importat enim diſcurſum, ſed eſt in Deo eminenter. Deus videt omnia in ſe & in cauſis, & hoc ſine diſcurſu; ergone non eſt ſciens? quinimmo omnia novit, etiam antequam fiant. Ad exempla deſcendamus: Ignis non eſt calidus dumtaxat ut lignum calefactum, ſed magis: ſol non eſt lucidus ut luna, ſed multo lucidior: Homo non diſcurrit ut canis perſequens prædam, ſed eminentius; nam & confert media cum fine. Igitur cauſæ univerſales & ſuperiores præcontinent eminenter effectus; ideſt faciunt quidquid operantur cauſæ particulares, & multo plura. Ignis non eſt, ut ita dicam, ſolum calidus, verum veluti ipſe calor, ſol veluti ipſum lumen: igitur præcontinent effectus, ſed eminenter: nam ut diſerte diſcurrit Dionyſius, quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunata ſunt in ſuperioribus. Igitur Deus, ſupremum Numen, non ſolum eſt ſapiens & habet ſapientiam, ſed eſt ipſa ſapientia: non ſolum eſt bonus & habet bonitatem, ſed eſt ipſa bonitas.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Bonitas eſſentialis immerſa in materia non eſt ſanctitatis principium & ultimus finis beatificans.

P R I M O, Quod imperfectum eſt, non eſt ſanctitatis principium & origo, nam per ſanctitatem intelligimus perfectionem omnibus numeris abſolutam: atqui bonitas eſſentialis conjuncta materiæ eſt imperfecta: cum & a materia dependeat, & materiæ inclinationes habeat,,

Digitized by Google

beat, & eſt corruptibilis, & finita ſaltem in concreto; nam ſequitur conditiones materiæ quæ eſt corruptibilis & circumſcripta: igitur non eſt ſanctitatis principium.

Secundo, Homines eſſe ſanctos, eſt eſſe ſupra terram, & ſupra paſſiones elevatos: atqui non ſunt tales a bonitate eſſentiali; licet enim ſit homini coæva ſecundum Sinenſes Doctores, & a conceptione ipſi inhærens, attamen pronus eſt homo ab adoleſcentia in malum: ignorantia eſt in intellectu, malitia in voluntate, concupiſcentia in appetitu concupiſcibili: porro ſi bonitas eſſentialis foret innata, ſi & naturalis eſſet ſanctitas, homo ex nativitate non foret pronus in malum: caro non concupiſceret adverſus ſpiritum, ſaltem in iis adoleſcentibus qui nondum propria voluntate peccaverunt.

Tertio, Bonitas eſſentialis vel eſt regula neceſſaria, vel libera: ſi neceſſaria & ex impetu, igitur eſt ſerva: quia homini ut carceri alligatur. Si inquam regula neceſſaria, nullus homo peccare debet, ſed ex neceſſitate eſt ſanctus propter bonitatem eſſentialem ſibi ipſi coævam, immo bonis inſudare operibus non opus eſt: nec mirum, velit, nolit, bonitas eſſentialis omnium & ſingularum actionum erit nedum generale, ſed & ſpeciale principium. Quid plura adjiciam? & peccata, & vitia aliique plurimi defectus quibus homo & ex infirmitate, & etiam ex malitia ſubjicitur, in bonitatem ſibi innatam refundi debent. Jam vero ſi dicant Doctores Sinenſes bonitatem eſſentialem præſentem quidem eſſe ſingulis hominibus, ſed libere & quia vult: dico magnum eſſe pro ea ſupplicium & tormentum concludi ut ſervam & ancillam veluti in carcere in homine, qui illam, ut ita dicam, peccando in faciem cædit, ſed libere adeſſe non poteſt, quia dependet a materia: igitur nulla in homine libertas, nulla vitæ cura & ſollicitudo, nullæ quoque deberent eſſe infirmitates: dices-ne bonitatem eſſentialem eas in vindictam permittere, ſed peccavit-ne cæcus a nativitate, ut foret cæcus? Præterea actiones ſunt ſuppoſitorum: ſi bonitas eſſentialis facit omnia concreta, debet quoque impedire omnes defectus; immo & peccata, alias erit cauſa criminum: ſed hoc eſt abſurdum pro bonitate eſſentiali, ergo, &c.

Quarto, Sanctitas conſiſtit in mortificatione paſſionum, ſita potiſſimum eſt in elevatione mentis ad cœlum. Sed eo ipſo quo bonitas eſſentialis eſt in materia, omnia ſapiunt terram, nec cœlum aut quidquam ſimile reſpicere poteſt homo, quia totus & radicaliter materialis eſſet: igitur illa bonitas ſanctitatem non parit.

Quinto, Neque bonitas illa eſſentialis eſt norma vivendi. 1. Quia inclinationes ſolum dat terrenas, utpote ipſa materialis & terrena, ſaltem eſt immerſa in materia a qua dependet; homo tamen ad alia longe ſublimiora tendit.

2. Sanctitas non poteſt eſſe naturalis, tum quia ſanctitas reſpicit ſupremum Numen omnem naturæ ordinem tranſcendens, tum quia homo eſt corruptus, & niſi a ſuperiori virtute adjuvetur, proprio & innato pondere vergit ad malum, unde Apoſt. dicit Eph. 23. *Eramus natura filii iræ*.

3. Homo opus habet religione elevata: ratio eſt quia eſt perpetua in eo lucta. Paſſio & caro concupiſcunt adverſus ſpiritum, homo pronus ab adoleſcentia ad malum reputat ſuperbiam animi magnitudinem, & vindictam quid juſtum & neceſſarium; ſpiritus e contra diverſa penitus concludit, at verſus terram flante paſſione dejicitur, attractus & illectus reclamante conſcientia, judicat tandem perverſe tum de fine, tum de mediis ad finem ultimum conducentibus, credit bonum eſſe malum, & rejicit, juxta illud Job. 24. 17. de peccatoribus: *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis*. Quis ergo componet pacem? niſi lex natura corrupta multo ſuperior dicat: Non furaberis, non occides, non mœchaberis; hæc igitur lex gratiæ a Chriſto Deo optimo maximo repetenda eſt.

Sexto, Bonitas concreta neque eſt principium beatitudinis, neque ipſa beatitudo; non principium quidem; alias cum illa bonitas ſit immerſa in materia, beatitudo tota foret materialis; ſiquidem inclinatio ſequitur naturam: hinc eſca & potus & aliæ carnis deliciæ, ne dicam ſpurcitiæ, forent de eſſentia beatitudinis; immo & quo plures eſſent cibi, & im-

impudicitiæ, eo major eſſet beatitudo; cum tamen (ad experientiam appello) eſca & potus non ſint de eſſentia beatitudinis; quinimmo, nauſeat anima ſuper cibo, & nedum placent epulæ, ſi nimia fuerit abundantia; ſed diſplicent, ſuffocant & opprimunt naturam. Nec utique bonitas illa eſſentialis eſt beatitudo, etiamſi cum pondere & menſura quiſque rebus ſenſibilibus utatur, quia dato quocumque bono ſenſibili, immo & inſenſibili creato, ultra progreditur deſiderium, non quieſcit appetitus, non voluntas, non natura: honores inhiat novos homo: poſt divitias multas, novas deſiderat: poſt delicias quærit abundantiores; igitur bonitas eſſentialis excogitata ab Indiarum Philoſophis neque eſt beatitudinis principium, quia tendit ad materiam a qua prorſus dependet: neque eſt finis, quia ipſa eſt materialis, utpote concreta. Cæterum dato quocumque bono ſenſibili creato, conſtat ultra tendere appetitum, qui certe cum non ſit fruſtraneus, dicendum eſt beatitudinem eſſe ſupra bonitatem in materia concretam: ſed magis & quidem millies, unde bene dixit Apoſt. 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit qua præparavit Deus diligentibus ſe*. Ergo Deus ſolus, non bonitas eſſentialis Sinica eſt beatitudo; ergo datur Deus optimus maximus.

Mitto alias rationes, infinita quippe abſurda ſequuntur ex ſyſtemate Indorum. 1. Sequitur bonitatem, cui tribuunt omnipotentiam, juſtitiam, ſapientiam, cæteraſque perfectiones, fore immenſam, infinitam, incircumſcriptam, & tamen non infinitam; immenſam quidem, ut ſupponitur ab Indis; unitam vero & limitatam, quia circumſcribitur, & ita includitur in uno individuo, ut quod eſt in uno, non ſit in altero. 2. Sequitur bonitatem eſſentialem eſſe ſemper in individuo, nec ab ipſo ſeparari; igitur ſicut anima patitur quando patitur corpus, & fit mutuus tum doloris, tum lætitiæ refluxus, ita & in bonitatem eſſentialem fiet; & ſic bonitas eſſentialis, quam ſupremi Numinis nomine celebrant, erit patibilis, mortalis, & ut diximus, corruptibilis. 3. Sequetur utique bonitatem eſſentialem, ſubjectam eſſe mutationi, cæteriſque naturæ infirmitatibus; quod abſit dicere de ſupremo Numine: igitur in ſolo Deo agnoſcenda eſt illa bonitas eſſentialis & beatitudo.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Probatur a conglobatis Deum, qualem cogitamus nos Chriſtiani & agnoſcimus, ſolum eſſe agnoſcendum.

PRIMO, Quia idea Dei eſt ingenita, ipſum, inquiunt Patres, naturæ voce erumpente invocamus: ſed iſta idea eſt a materia independens; neque enim illam accipimus a creaturis ſenſibilibus, independenter quippe a phantaſmatibus cogitamus Deum, neque a creaturis inſenſibilibus eam accepimus; tum quia illa idea prior eſt in nobis omni ſpecie creaturæ; non enim ex impetu & motibus primo-primis advocamus creaturam ad auxilium noſtrum in periculis: tum quia concipimus Deum tanquam quid ſupra omnem creaturam: concipimus immenſum, illimitatum, omnipotentem; igitur non eſt bonitas eſſentialis in materia concreta.

Secundo, Concipimus infinitum, & hoc utique independenter a materia: concipimus in numero unitatem; ſcimus duo & duo eſſe quatuor, & hoc in infinitum poſſe multiplicari. Concipimus infinitum in perfectionibus, dato enim homine ſapiente, intelligimus poſſe in infinitum creſcere in ipſo ſapientiam: ſcimus virtutem poſſe ſemper augeri; ſed concipiendo Deum concipimus ens ſimpliciter infinitum, nullis terminis ſive quantitatis & materiæ, ſive generis & differentiæ concluſum: igitur non eſt bonitas eſſentialis concreta, ſed a materia immunis; ſed bonitas ſuprema a qua omnia, ipſa vero a nullo dependens; ſed omnium domina.

Tertio, Sinenſes ponunt bonitatem eſſentialem eſſe animam mundi & cujuslibet creaturæ, quam opinionem a Platonicis mutuati ſunt: ſed hoc eſt error; igitur evaneſcit bonitas eſſentialis Sinica: probatur minor. Si bonitas illa foret anima mundi & cujuslibet ſpiritus viventis, vel eſſet univerſalis, vel particularis & ſingularis. Si eſt univerſalis, non poteſt concludi in individuo: ſi ſingula-

gularis, non eſt bonitas eſsentialis, ſed participata: jam iſta bonitas erit in tot diviſa partes, quot ſunt entia; & ſic poterit augeri ex ortu rerum, minui vero ex earumdem interitu, unde non ſolum dependens erit, ſed admodum imperfecta. Verum dicant Sinenſes, ſi velint, ſe in hoc agnoſcere puram creaturam: ſi vero Numen volunt perfectius bonitate illa creata, ſicut tenentur agnoſcere, jam Deum optimum maximum a materia independentem agnoſcant & confiteantur.

Quarto, Omnis bonitas concreta eſt contingens & arbitraria: igitur neque Deus, neque bonitas eſſentialis eſſe poteſt. Nam per bonitatem eſſentialem intelligere debent Indiarum gentes ens omnibus abſolutum numeris, & omnibus completum perfectionibus, talis enim eſt ſupremi Numinis conceptus: probatur igitur antecedens. Cœlum eſt bonitas concreta, ſed quia eſt cœlum, quare eſt terra? Sol eſt lumen veluti immenſum, ſed cur oculus, nunquid ſine oculo poſſet eſſe ſol? Terra germinat herbam virentem, ſed cur pecora & animalia ſunt? igitur illa bonitas concreta non neceſſario exiſtit. Si ita eſt, ſuperiorem habet a quo procedit, quique voluit illam concedere; & eſt Deus optimus maximus a materia independens, Deus immortalis, infinitus, incircumſcriptus.

Quinto, Mundus creatus eſt, & initium habuit, fuitque tempus in quo non erat, ut probatum eſt ſupra; ſed ſi ætatem habet majorem ea quæ notatur a Moiſe, ut fingunt Sinenſes, cur monumenta Artium, Scientiarum, Regum, Imperiorum demonſtrant non eſſe ante ſeptem annorum millia? Jam vero fuit tempus in quo non erat mundus, erat tamen ipſis teſtibus bonitas eſſentialis; igitur erat in ſemetipſa & per ſe ſubſiſtens independenter a materia, & eſt Deus noſter, nec eſt alius præter eum; & vero quis dicet bonitatem ſupremam a materia dependere? ſi ita eſt, ſunt duo, nempe bonitas & materia. Si duo, neutrum eſt ſumma bonitas, quia illa duo accipiunt mutuo aliquid a ſe invicem, & perficiuntur; quod autem perficitur, accipit ab alio; illud vero a quo accipit, eſt in ſe perfectiſſimum, & a nullo perfici poteſt. Igitur Sinenſes tenentur ab Atheiſmo ſuo implicante contradictionem deflectere, & agnoſcere Deum optimum maximum, viſibilium & inviſibilium Creatorem, cui obedire & parere equum & juſtiſſimum eſt; maxime quia illum cognoſcere & amare eſt beatitudo; juxta illud Chriſti Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut te ſolum Deum cognoſcant, & filium quem miſiſti.*

Plura non adjiciam hic ad probandam animæ noſtræ immortalitatem; ſiquidem hanc quæſtionem ſuſcipimus infra contra Epicurum ſpecialiter pertractandam, tum quia ſi ſemel agnoſcant Sinenſes Deum optimum a materia independentem, ſine mora & pari facilitate cognoſcent animam rationalem poſſe eſſe, & de facto eſſe immortalem, cum ſæpius independenter a materia operetur. Immo audiant experientiam quam habent magiſtram: concipiunt unitatem independenter a phantaſmatibus; ſimili prope modo concipiunt duo & duo eſſe quatuor; eſſentias rerum ſine materia intelligunt; igitur anima eſt immaterialis, quippe quæ independenter a materia operetur. Jam vero ſi anima eſt immortalis, a fortiori bonitas eſſentialis, quam dominari omnibus & omnium rerum eſſe ſubſiſtendi rationem ultro fatentur. Inſuper ſpiritum & animam rationalem poſt mortem reſolvi in materiam ſubtiliorem contendunt, ſed dicunt & non probant; ſi enim anima operatur independenter a phantaſmatibus, haud dubie non perit cum corpore. Jam vero plura ſunt in rebus quæ non apparent. Homo videtur, ſed ſecreta cordis non ideo cognoſcuntur: igitur male ſiſtunt Sinenſes in materia quæ vel videtur, vel tangitur. Non ergo judicandum de animæ natura per ordinem ad ea ſolum quæ ſub ſenſus cadunt. Et cum experientia conſtet hominem plura concipere independenter a phantaſmatibus, ejus immortalitatis & ſpiritualitatis ſignum in hoc habent & probationem.

Idem argumentum redit pro exiſtentia Dei. Agnoſcunt mundum creatum & factum a bonitate eſſentiali: igitur datur principium & cauſa efficiens rerum: igitur bonitas eſſentialis ſecundum ſe activa eſt independenter a materia Rurſus iſta bonitas eſt rerum omnium cauſa: igitur & omnibus referta perfectionibus;

Digitized by Google

bus; & eſt Deus optimus maximus, infinitus & incircumſcriptus. Bonitatem eſſentialem ubique diffuſam & effuſam prædicant; hinc lapides & animalia adorant ut ſigna demonſtrativa bonitatis: adorant, quia credunt ibi ineſſe bonitatis virtutem & germen. Errant ſane exiſtimando divinum eſſe artefacto ſimile: aſcendant ad cor altum, cogitent ſummum bonum omnia replere, ipſum vero nec locorum concludi terminis, nec materiæ coarctari partibus: & profecto exaltabitur Deus; eum exiſtere ſcient, utinam & confiteantur, utinam ament, utinam ſerviant & adorent; vident cœlum, mundum optime concinnatum & ordinatum intuentur: verum ultra ſuperficiem latet aliquid: cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus, eum & eſſe, & vivere, & omnibus dominari creaturis annuntiat firmamentum. Fertur eoſdem Sinarum Doctores credere & admittere quaſdam ſympathiæ relationes inter proximos & parentes; qua de cauſa filii fundunt orationes & preces quas ad mortuos pro cultu dirigunt, libant parentibus & ſacrificia offerunt; quibus quidem mediis materiam ſubtilem, in quam animam patris vel matris abiiſſe ſtatuunt, ad ſe advocare & veluti ſibi præſentes ſiſtere autumant. Profecto decipiuntur, ſed relicta futili & inani prorſus materia, Deum cogitent bonorum omnium auctorem, juſtorum remuneratorem, vindicem & peccati ultorem ſeverum, tunc concipient animam rationalem eſſe immortalem, æternis quidem addicendam ſuppliciis, ſi in peccato perſeverent; e contra vero æternis præmiandam bonis, ſi Deum confitentes illi ſoli ſerviant.

Solvuntur objectiones Atheorum Indiarum contra exiſtentiam Dei optimi maximi.

OBJICIUNT: Datur ens perfectiſſimum, ſed illud eſt bonitas effuſa in mundo & in qualibet mundi parte: igitur non eſt aliud Numen quærendum præter iſtam bonitatem: probatur minor 1. Mundus eſt ens omnibus numeris abſolutum, quod vocatur natura, quæ motu perpetuo rerum parit ortum & interitum, ita ut corruptio unius ſit generatio alterius. 2. Iſta bonitas eſt ubique, & in quolibet ente; ſiquidem in tantum ens aliquod eſt, in quantum eſt bonum, namque ens & bonum convertuntur. 3. Bonitas illa eſt incorruptibilis, & nunquam deficit; enimvero quando animal aliquod moritur, forma abit in materiam ſubtiliorem, ipſa vero materia nunquam eſt ſine forma, adeoque ſine bonitate, una quippe deficiente forma, ſuccedit altera: unde & ipſi Peripatetici materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem eſſe docent. 4. Omnes perfectiones relucent in natura; ordo in elementis, providentia in formicis, intelligentia quædam in apibus, induſtria in avibus tum ad nidificandum, tum ad pullos ſuos nutriendos. Hinc natura dicitur ſapiens, providens: igitur, inquiunt, non eſt alius Deus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Datur ens perfectiſſimum, & eſt Deus, concedo: & eſt mundus, ſubdiſtinguo: eſt ens perfectiſſimum in ſuo genere, concedo: eſt ens perfectiſſimum ita ut non detur aliud perfectius, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ens perfectiſſimum eſt ens a ſe, & independens, ens ſpirituale & intelligens, quod cuncta regit. Enimvero ordinatio eſt opus intellectus, & non materiæ; unde bonitas immerſa in materia non eſt ens perfectiſſimum, cum detur aliud perfectius, nempe ſpirituale & independens: nemo enim non videt. 1. Dari ens ſpirituale a corporali penitus diſtinctum. Anima noſtra *v. g.* cogitat: ſed non cogitat materia. 2. Anima noſtra concipit independenter a phantaſmatibus, nuſquam vero quod eſt materiale ſic intelligit. 3. Anima agit libere, ſed quod eſt materiale mere agitur. 4. Anima modo unum operatur, modo oppoſitum; quod autem eſt pure materiale, ſemper eſt ad unum determinatum. 5. Anima non ſatiatur cujuslibet boni materialis poſſeſſione: igitur eſt ſpiritualis: igitur datur ens mere ſpirituale; illud autem quod nulli ſubjicitur defectui, quod eſt a ſe, quod & omnibus gaudet perfectionibus, eſt Deus. Cæterum aliquid poteſt dici perfectiſſimum dupliciter. 1. In ſuo genere, quando ſcilicet omnia naturæ ſuæ requiſita habet. 2. Quando eſt infinite perfectum. Mundus eſt primo dumtaxat modo ens perfectiſſimum, ſed

ſed non ſecundo, tum quia eſt terminis concluſus, tum quia alius perfectior fieri poteſt, & continuis ſubſternitur viciſſitudinibus: at vero Deus in æternum manet, nihil acquirit, nihil poteſt deperdere, eſt omnia.

Ad primum patet reſponſio. Immo eo ipſo quo mundus in ſuis veteraſcit partibus, e defectum per corruptionem & alterationem patitur, jam non eſt ens perfectiſſimum, jam datur aliud perfectius.

Ad ſecundum diſtinguo. Bonitas participata eſt ubique, & per illimitationem, nego: bonitas vere eſſentialis & ſuprema, ſubdiſtinguo: eſt ubique ut principium & cauſa efficiens omnium, concedo: ut forma circumſcripta & coarctata, quam plurimi Indi bonitatem eſſentialem vocant, nego. Allucinantur profecto, formam enim compoſiti ſumunt pro bonitate ſuprema, quia vero quodlibet compoſitum conſtat materia & forma, hinc deluſi bonitatem participatam & creatam pro Creatore habent. Natura humana eſt in omnibus hominibus; uno moriente, alter naſcitur; ergo natura humana eſt ſummum bonum, cui omnia ſupremi Numinis attributa debentur? veſana prorſus conſequentia.

Ad tertium, nego abſolute bonitatem materiæ alligatam eſſe incorruptibilem, quandoquidem eſt ſubjectum & alterationum corporis, & defectuum animæ. Præterea cum ſit bonitas concreta in materia, ſoluto compoſito ſolvitur; proindeque poteſt annihilari. Quod autem materia ſubſit diverſis formis, arguit bonitatem non eſſe fixam & conſtantem, ſed variari pro variis diſpoſitionibus. Qualis bonitas eſſentialis, quæ ut luna mutatur? Numen ſupremum idem ſemper manet, nec viciſſitudinis obumbrationem experitur, immo nec pati poteſt.

Ad quartum diſtinguo, & illæ perfectiones quæ relucent in creaturis ſunt finitæ, & ſunt a Deo optimo maximo, qui majores & multo præſtantiores habet, concedo: & majores non habet, nego. Bonitas eſſentialis ſecundum Indos non eſt intelligens; Quiſnam igitur intellectus illam crediderit eſſe ſupremam?

Inſtant: Si bonitas materiæ alligata non foret cauſa rerum & ſupremum Numen, maxime quia eſt coarctata, & ſuos non præcontinet effectus: atqui illæ rationes non ponderant; & probatur quoad primum. Mare intra quoſdam limites coarctatur, & tamen omnium & fontium & fluminum eſt origo; immo flumina intrant in mare, & mare non redundat: quod arguit ibi ineſſe, & latere bonitatem quandam eſſentialem, quæ nedum mari præeſt, ſed & toti mundo: quoad ſecundum vero. Lapis emittit ignem, ſi noncutitur, & tamen non præhabet ignem. Enſis ictus cauſat dolorem, nec tamen ferrum doloris eſt capax: quomodo igitur illum præcontinent? ergo, &c.

Reſpondeo præter rationes allatas eſſe ulteriores, quibus ſupra probavimus bonitatem illam materialem non eſſe ſupremum Numen; inſuper nego minorem. Ad primum exemplum dico illud claudicare, quia ipſum mare eſt intra loci terminos coarctatum, unde e ſinu ſuo effundendo aquas nihil producit: ſed ſolum ad aliquas terræ partes ſeſe extendit. Quod autem non redundet, dum flumina intrant in ipſum, ea eſt ratio, quia pauca pro nihilo computantur; quid enim flumina reſpectu totius maris? 2. Dum redeunt fluminum aquæ ad mare, aliæ effluunt ab ipſo intra terræ canales, unde nec minuitur cum emittit aquas, quia redeuntes occupant locum ab iſtis derelictum, nec redundat cum flumina immerguntur in ipſum, quia eſt perpetuus aliarum aquarum effluxus.

Ad alia exempla dico cauſam efficientem univocam ſuum præhabere ſemper formaliter effectum: ſicut ignis cauſans ignitionem, præhabet illam: cauſam vero æquivocam aut analogam præhabere ſolum virtualiter, & hoc ſufficere. Nunc vero ſi ſermo peculiaris inſtituatur de lapide, dico præcontinere virtualiter ignem, quia virtutes quatuor Elementorum reperiuntur in concretis; unde ex actione & reactione unum cæteris dominatur & ſe prodit. Quoad enſem, reſpondeo non producere per ſe dolorem, ſed per accidens. Per ſe enſis habet ſolum dividere partes: quando ſcindit aut lignum aut cadaver, nullum producit dolorem: igitur dolor non producitur per enſem, ſed ſequitur ad diviſionem partium, quia ſoluta conjunctione ſpiritus vitales ceſſant nutrire & fovere partes; nam & illuc tranſmeare deſinunt.

Ob-

Objiciunt 2. Idea Dei qualem concipimus implicat contradictionem: igitur non eſt admittenda, ſed altera excogitanda: probatur antecedens. Dicimus Deum immotum omnia movere; ſunt aliæ ſimiles locutiones, *v.g.* quod omnem repleat locum Deus, & tamen non ſit in loco: quod iraſcatur, & tamen ſemper quietus permaneat: quod omnibus provideat, & cura ſit illi de omnibus, etiam de pullis corvorum invocantibus eum; & tamen nec anxius, nec diſtractus evadat, quæ quidem omnia, ut conſideranti patebit, repugnant; quomodo enim fieri poteſt aliquem immotum permanere, & tamen cuncta movere & agere? aliquem replere locum & non eſſe in loco? aliquem habere curam de omnibus, etiam de viliſſimis creaturis, & tamen nec turbari, nec diſtrahi?

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem dico Deum immotum omnia movere, quia cum motus fiat, vel acquirendo aliquid, vel deperdendo, manifeſtum eſt Deum non moveri, quandoquidem omnem perfectionem etiam poſſibilem continet: Igitur ex hac parte moveri nequit: Sed nec aliquid deperdere poteſt, ſiquidem non ſolum plenitudinem perfectionum habet, verum etiam eſt ipſa perfectio, eſt ipſa veritas, ipſa ſapientia; igitur nihil deperdit aut poteſt deperdere. Et tamen eatenus omnia movet, quatenus omnes Creaturæ habent eſſe, vivere, & operari ab ipſo. Igitur immotus omnia movet, omnia operatur, ſed non movetur, niſi motus improprie ſumatur, & prout idem eſt ac operatio. Similiter dicimus Deum eſſe ubique, quia ubique operatur; agens autem cenſetur præſens eſſe, ubi aliquam habet operationem, nec tamen Deus dicitur concludi in locis, namque eſt ſuper omnia loca & extra. Mare, *v.g.* eſt in omnibus fluminibus quæ ab ipſo promanant, non tamen eis concluditur, quia eſt quid majus quam flumina. Sic Sol illuminat totam Galliam: Ergone terminis Galliæ comprehenditur? minime. Denique ira dicitur de Deo ſolum metaphorice, & ratione juſtitiæ. Sicut pater iratus privat filium hæreditate, ita juſtus Judex punit & flagellat Peccatores. Unde dicitur iraſci: Sed profecto, inquit Auguſtinus, Deus non iraſcitur ut homo & per paſſionem.

Objiciunt denique. Nativitas & educatio prævenit mentem in favorem religionis in qua quiſquis enutritur: igitur quia parentes dicunt infantibus Deum exiſtere, ipſi credunt. Sed non inde ſequitur hoc verum eſſe.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Natura & educatio prævenit mentem ut credat Deum eſſe, & hoc probat de facto Deum exiſtere, concedo; & hoc non probat, nego. Etiam natura prævenit nos pro hoc momento; ſiquidem adveniente periculo, ex impetu vocamus Deum in auxilium, hac erumpente ex impetu voce, *Deus meus*: Cæterum qui aliquam vult amplecti religionem, poteſt quidem tum blanditiis, tum educatione præveniri per parentes: ſed minime circa exiſtentiam Dei, niſi ad melius & perfectius: nempe ut labore & induſtria notitiam de Deo majorem habeat.

Concludamus igitur contra Epicurum omnia non coaleſcere ex atomis, quia nullam de ſe virtutem habent atomi: mundum non eſſe a ſeipſo, quia incepit, & creatus eſt. Concludamus animam rationalem eſſe immortalem, quia libera eſt & ſpiritualis; immo multa cognoſcit, atque intelligit independenter a materia & phantaſmatibus. Concludamus contra Indos bonitatem eſſentialem, qualem excogitant, eſſe ab alio, quia eſt dependens a materia. Vel ſi velint ſummum eſſe bonum, ſpolient eam materia & defectibus, & in ea Deum agnoſcant. Igitur datur Deus optimus & maximus, ſolus Creator viſibilium & inviſibilium, ſolus Sanctus, ſolus Omnipotens, ſolus Bonum ſupremum, ſolus finis rerum omnium ultimus, ſolus Beatitudo & vita æterna.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Materia ſubtilis Pythagorica ſeu bonitas eſſentialis Sinica, non eſt mundi creatrix.

Primo, Quia ipſa dependet a materia concreta & a compoſito, quo quidem ſublato, nihil eſt.

Secundo, Quia talis bonitas eſt finita, quippe quæ claudatur terminis & ipſa producatur, cum producitur compoſitum; eſt enim pars ex qua illud coaleſcit.

Tertio, Quia ejuſmodi bonitas nec infinita, nec omnipotens eſt; non infinita.

L 2 qui-

quidem, nam ipſis teſtibus Mandariuis, extra mundum ſeſe non extendit: mundum autem eſſe phyſice finitum, & intra certos terminos concluſum, nemo mathematicus non videt.

SYNOPSIS RESPONSIONUM

Ad ea quæ proponuntur in contrarium.

Primo, Non negamus dari bonitatem eſſentialem & ſupremam, ſed eam eſſe Deum, qui eſt ſuper omnia, propugnamus.

Secundo, Neque negamus bonitatem eſſentialem in rebus inveniri; aſt ſolum reperitur per participationem: igitur bonitas eſſentialis non eſt quodlibet individuum, ſed bonitas participata.

Tertio, Non ſola nativitatis educatio ſeu primigenia rerum notio, ſed ipſa ratio docet & inculcat bonitatem eſſentialem concretam eſſe fictitiam & commentum; implicat enim bonitatem eſſe concretam ſeu terminis concluſam, & ſimul eſſentialem.

Ex his omnibus liquet Deum unum eſſe & exiſtere, cum ſolum eſſe rerum omnium Creatorem: hoc probat omnis generis ratio, hoc ipſa mundi novitas, qua quidem conſtat mundum non eſſe a ſeipſo, verum potius a Deo optimo maximo, ut non ſemel ſupra oſtenſum eſt adverſus Atheos.

Incaſſum aliqui poſſunt reponere nullum poſſe pro iſto momento ex novitate mundi argumentum eruere; maxime vero cum cuncta ſint nova reſpectu Americanorum; quos tamen extitiſſe, antequam artes apud eos extiterint, experientia compertum eſt. Idem non abſimili ratione dici poteſt de tempore quo & ſcientiæ & artes apud Græcos & Ægyptios floruerunt; omnes qui pe Hiſtoriographi & ipſa Scriptura Sacra indigitant homines & conſequenter mundum ante hæc omnia extitiſſe. Eadem objectio, eademque inſtantia de hominibus ante diluvium fit & proponitur; namque artes & ſcientias floruiſſe apud filios Adam, ipſe enarrat Moyſes: jam vero quis probare poſſet Adam fuiſſe omnium hominum parentem: ipſum vero a Deo eo procreatum tempore, quo mundus incepit?

Reſpondeo 1. Nos exiſtentiam Dei optimi maximi non ex ſola mundi novitate repetere, ſed & a luculentiſſimis rationibus, quibus conſtat dari unam primam cauſam a qua fluxerunt omnia. Impoſſibile eſſe mundum exiſtere a ſeipſo, cum in eo perpetua ſit inter entia & potentialitas ad eſſe, & dependentia ab uno primo qui immotus omnia moveat.

Reſpondeo 2. Ipſam creaturarum dependentiam mundi novitatem arguere. Addo ſcientias & artes, quæ gradatim apud homines pervenere, iterato argumento indigitare ejuſdem mundi novitatem, ſicut & Moyſis ſyſtematis de mundi creatione veritatem. Et vero ſi mundus ab æterno fuiſſet tum apud Americanos, tum apud Græcos & Ægyptios, profecto perſeveraſſent & ſcientiæ & artes apud homines, qui ſunt hujuſce ſpectabilis mundi partes eminentiores: attamen contrarium legitur de his omnibus: igitur novitas ſcientiarum & artium arguit utique mundi novitatem: apud Americanos quidem quos fuiſſe Ægyptiis & Græcis homines poſteriores ex omnibus hiſtoriis conſtat: apud cæteros vero, cum poſt diluvium, nonniſi ſucceſſive ſcientias & artes iſti excoluerint. Quid plura? ſi mundus foret ab æterno, numquid ſeipſum propria veluti manu diluvio ſcilicet ſeſe extinxiſſet, nemo enim cordatus dixerit ſupremum aliquod numen & ens, proprio niſu & conatu perire, ut reſurrectione ſuam reſumeret vitam: quod enim emoritur, & alternata productione reviviſcit, jam non Deus ipſe nec ens independens eſt: ſed unum alterum propria ſua extinctione, a quo ſit, indigitat, & illud eſt ſolus Deus optimus maximus. Igitur novitas rerum ante & poſt diluvium probat veritatem ſyſtematis de creatione mundi a Moyſe expoſiti, & mundum non eſſe a ſeipſo, & Deum optimum, cui laus omnis & gloria debetur, exiſtere.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA

De unitate Dei contra Idololatras Manichæos alioſque Hæreticos, duo prima admittentes principia.

INNUMERÆ difficultates & quæſtiones ortæ ſunt Paganorum, immo & Hæreticorum, conjuratione facta adverſus unitatem Dei optimi maximi. Et vero inter Gentiles multi inanem & vanam prorſus admiſere Deorum pluralitatem. Non pauci ad præſentem uſque diem in vaſtiſſimis Japoniæ & Sinarum Imperiis illam propugnant: atque inter Chriſtianos Valentinus triginta Æonas veluti totidem Deos confixit, ut refert S. Aug. l. de Hær. c. 11. Manichæi duo prima ſtatuebant rerum principia. Sed contra illos ait Apoſtolus 2. Cor. 8. 4. (*nullus eſt Deus, niſi unus.*)

Dogma de unitate Dei quatuor argumentis ſtatuitur adverſus negantes.

PRIMO. Rationibus Scripturæ Sacræ & Patrum.

Secundo. Auctoritate Miraculorum.

Tertio. Auctoritate Sibyllarum, Philoſophorum & Poetarum.

Quarto. Ipſa ratione.

Verum operæ pretium eſt ante omnia texere Hiſtoriam Criticam tum Idololatrarum, tum Marcioniſtarum, Manichæorum & aliorum qui duo prima conſtituerunt rerum principia; quippe qui etiam unitatem Dei inficientur.

HISTORIA CRITICA IDOLOLATRIÆ, SEU POLYTHEISMI ORTUS.

IDOLOLATRIA a Verbo Græco εἴδωλον dicta, eo quod homines opera ipſorum hominum tanquam vera numina adoraverint, ortum habet ab hebetudine mentis, tum corruptione peccati originalis, tum iteratis enormibus peccatis parta; dum enim caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſi victus carni ſervit, ipſe fit veluti caro, juxta illud, *Gen.* 6. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum quia caro eſt*, & iterum alia ſcriptura, *Rom.* 1. *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.*

Spiritus Sanctus qui effugit fictum, in variis Scripturæ locis loquitur de Idolis, quæ tanquam Deos adoraverunt homines, de natura Idolorum, de effectibus idololatriæ, cujus finis interitus & perditio: hinc vani prorſus & inexcuſabiles, qui Paganos aut idola aut falſa numina & creaturas voluiſſe negant; namque divinitatem in Idolis concludi credebant Gentiles. Propheta regius Pſal. 113. de Idolis ſic loquitur: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient; nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt: pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.*

Ergo homines, ut omnia quæ idololatriam ſpectant delineare ſatagamus, aſtra tanquam vera numina colere cœperunt. Ita ſentit Rabbi Moyſes Maymonis filius. Et hoc colligitur ex capite 4. & 17. Deut. ex 31. Jobi. Poſtea creſcente vanitate, & invaleſcente conſuetudine, Reges in numero Deorum adſcribentes populi, eos utique adoraverunt ſub no-

nomine alicujus ſideris, ſi Phœnicii Ilum, ut refert Sanchionaton, ſub ſpecie ſtellæ quæ Saturnus vocatur, tanquam Deum inſani & habuerunt & coluerunt. Eo poſtea devenit mentis cæcitas, ut ipſa animalia, quæ alicujus aſtri vel figuram vel virtutem aliquam præ ſe ferebant; ut numina habere voluerint. Teſte Macrobio ſub nomine Apis divinitati Solis conſecratus, etiam ut numen habitus ſimul & adoratus eſt. Ælian. ejuſmodi animalium abominabilem religionem tribuit Ægyptiis, qui quidem decurſu temporum, horrenda utique reptilium genera, puta Serpentium & Draconum inter Deos annumerare non erubuerunt. Voſſius ſcribit heroes propter præclara egregiaque facta, inter quos eminet Hercules, divinis donatos fuiſſe honoribus. Igitur falſorum apud Ægyptios numinum fucata religio a ſiderum veneratione duxit exordium: huic deinde ſucceſſit Idolorum ſuperſtitio, quæ quia apud Paganos crevit in peius & invaluit, dicta eſt per antonomaſiam Gentilium religio.

Homines antiquitus duo admiſiſſe principia, alterum bonorum, alterum vero malorum conſtat. Hanc opinionem ſequutos fuiſſe Ægyptios tempore Moyſis, non levis in Scriptura Sacra ſuſpicio eſt. Et vero Magi Pharaonis ope dæmonis quædam portenta patrarunt; verum cum eis prævaleret Propheta Domini: (*Dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei eſt hic.*) Geneſ. 8. 19. Quidquid ſit, quingentos ante Chriſtum natum annos, non pauci fucatam hanc duorum primorum principiorum ſententiam oſculabantur, ut graviſſimi Auctores aſſerunt, ſed præ omnibus in nova lege Manichæi. De cultu aſtrorum meminit Scriptura, Deut. 17. his verbis: *ut vadant*, ſcilicet Iſraelitæ, *& ſerviant Diis alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem militiam Cœli, quæ non præcepi.* Thare & poſt ipſum Laban ſervierunt Idolis, poſt ipſos vero Iſraelitæ. Ita habetur de primo, Joſue 24. 2. de ſecundo, Gen. 31. 19. de cæteris, Joſue 14. & 15. & 24.

Belus cenſetur ſecundum quoſdam Idolorum & idololatriæ auctor; mortuo enim ejus filio, quam ardenti proſequebatur amore, ut eum præſentem ſibi, ad ſublevandum tantiſper dolorem redderet, ſtatuam in ejus erexit honorem, quam & votis & ſacrificiis a ſervis ſuis & domeſticis coli voluit, ita ut nullam & gratiam, nullumque beneficium ab eo niſi reclamarent filium, concederet. Salomon Sap. 14. hominis illius qui filio mortuo iſtos inſtituit honores tacito ejus nomine meminit. Religio Idolorum ſecundum Herodotum Belo antiquior eſt.

Clemens Alexandrinus dicit inter homines qui idola colere cœperunt, eos fuiſſe qui idola propriis fabricata manibus, pro numine trabem ligneam habebant, deinde columnam lapideam; ſed accedente artium exercitio, idola ſpeciem humanam præ ſe ferentia effinxiſſe commemorat.

Progreſſus Idololatriæ.

Mos tandem Idola colendi invaluit in mundo, ita ut idola fabricarent homines, non ſolum ex ligno vel lapide, verum etiam ex omni metallorum materia, etiam ex argento & auro. Hoc ipſum patet ex Iſraelitis, qui edocti ab Ægyptiis, arte fuſoria vitulum conflatilem effinxerunt, quem & pro Deo habebant, dicentes: *Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Tunc loca publica, tunc luci, tunc templa & alia ejuſmodi, idolorum neſando cultui conſecrata ſunt, de quibus multus eſt ſermo in Sacris ſcripturis. Tunc nobiles & plebeii tum ſacrificiis, tum votis & oblationibus falſa palam venerati ſunt numina, immo & privatim in domibus, in quibus eorum vel depictas imagines, vel ſculptas ſtatuas habebant, & aſſervabant; ita ut idola etiam peregrinantes & adoranda & colenda ſecum deferrent: Quod quidem colligitur ex his quæ Actuum decimo nono capite ſcribuntur de Demetrio, qui commovit populum adverſus Paulum, eo quod inanem magnæ Dianæ Epheſiorum cultum, cujus figuras & argenteas & aureas non ſine magno lucro, artifex ille fabricabat, abrogaſſet.

Vanitas Idolorum decurſu temporum ita prævaluit, ut miratus ſit mundus ſe totum eſſe cultui Idolorum deditum, Scriptura ſubdit cultui dæmoniorum; quippe qui ore ſtatuarum Junonis, Fortunæ,

tunæ, Memnonis, Apollinis oracula redderent, ut omnes, ſi fieri poſſet, inducerentur in errorem. Ita referunt Valerius Maximus, Philoſtratus, Lactantius & alii.

Salomon fuſe deſcribit in libro Sapientiæ progreſſum religionis idolorum, effectus funeſtos & exitioſum finem, maxime capite decimo-tertio & decimo-quarto. Sic autem loquitur in primo: *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendens agnoverunt quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt . . . . Infelices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ. Aut ſi quis artifex faber de ſylva lignum rectum ſecuerit, & hujus docte eradat omnem corticem, & arte ſua uſus, diligenter fabricet vas utile in converſationem vitæ, reliquiis autem ejus operis ad præparationem eſcæ abutatur: & reliquum horum, quod ad multos uſus facit, lignum curvum & verticibus plenum ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam quæ in illo eſt, perliniens: & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne forte cadat, proſpiciens illi, ſciens quoniam non poteſt adjuvare ſe: imago enim eſt, & opus eſt illi adjutorium. Et de ſubſtantia ſua, & de filiis ſuis & de nuptiis votum faciens inquirit . . . . Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt: & pro ſanitate quidem infirmum deprecatur & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus eſt inutilis.*

Proſequitur ſapiens c. 14. *Iterum alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante ſe, fragilius lignum invocat . . . . propter hoc & in idolis nationum non erit reſpectus, quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ eſt. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum: ſupervacuitas enim hominum adinvenit in orbem terrarum, & ideo brevis illorum finis eſt inventus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta, & hos quo in palam homines honorare non poterant, propter quod longe eſſent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præſentem colerent ſua ſollicitudine. Provexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens placere illi, qui ſe aſſumpſit, elaboravit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æſtimaverunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt. Et non ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam cuſtodiunt.*

Interitus ſeu proſcriptio.

Maximus Tyrius, Salluſtio philoſophus & alii permulti agnoverunt idolorum ſtupidam vanitatem. Quin-immo primi Romani ſpatio centum ſeptuaginta circiter annorum colebant in templis ſuprema numina, ſed abſque figuris & ſtatuis: Populus tamen ad idola reverſus, Jovem cum fulmine in manu dextra, Martem cum galea in capite, manu vero

tenente lanceam repræſentabat . Verum adveniente Chriſto ſiluit oraculum Apollinis , ſiluerunt & Ægyptiorum mendaces ſpiritus ; puero Jeſu ibi commorante, immo concuſſa ſunt & ſubverſa idola . Ita referunt Athanaſius, Euſebius, Sozomenus & alii quamplures hiſtorici ſacri.

Eodem anno quo Petrus primo ſedem fixit Romæ, ſcilicet , quadrageſimo quinto : Claudius Imperator multa numinum feſta abrogavit, multaque reſcidit ſacrificia . Crevit idolorum contemptus ſecundo Eccleſiæ ſæculo. Lampridius ſcribit Alexandrum Severum toto regni decurſu vix quinque ſe libras argenti pro idolorum cultu dediſſe. Iſtius ſucceſſor Maximinus non ſolum donaria & munera nulla protulit, quin potius ſtatuas Deorum & aureas & argenteas & æreas , vaſa quoque & alia templorum utenſilia pro fabricanda moneta auferri voluit. Sic refert Herodianus.

Apoſtoli prædicatione , & Martyres miraculis & idola & eorumdem religionem ſtupente & demirante mundo univerſo ſubverterunt, ut legitur in Actibus Sanctorum . Quod cœptum Deo adjuvante fuerat, complevit ſuis edictis Conſtantinus Magnus, præcipiens ut idola in toto ſuo imperio abſque mora de medio tollerentur. Conſtantius novis edictis & legibus ſe oppoſuit Idolorum cultui. Julianus quidem in odium Chriſti eum reſtituit , ſed reſtitutum ex parte evertit Theodoſius magnus, Junior penitus abſtulit : ita ut in extremis Aſiæ regionibus & in America paucis ab hinc tantum ſæculis agnita remanſerit Idolorum ſuperſtitio , ſed opera Miſſionariorum ex parte deleta, Deo adjuvante, finem habebit. Quia vero multi ſunt tum in Japoniæ inſulis, tum in Sinarum vaſtis regionibus idololatræ, ad gloriam & exaltationem religionis unius ſummi & veri Dei, diſcurrendum , explicandum & exponendum eſt, quod de ineffabili ejuſdem Dei unitate atque ſimplicitate & credere , & ſcire quiſque debet.

HISTORIA CRITICA

Marcioniſtarum, Manichæorum , aliorumque Hæreticorum qui duos Deos , ſeu duo admiſerunt principia , alterum rerum inviſibilium, viſibilium vero alterum.

ORTUS.

MARCION primus occurrit. Natione, fuit Ponticus ; ſecta , Philoſophus Stoicus : Synope quæ eſt ad Pontum-Euxinum natus ex patre, qui ſoluto matrimonio, Epiſcopus fieri meruit . Ab eo pie educatus Marcion , impie tamen & ſcandaloſe vixit ; primum carni , deinde vanitati indulſit . Ergo Virginem Deo conſecratam defloravit , qua de cauſa a proprio patre excommunicatus , Romam fugit ut a vinculis cenſuræ ſolveretur ; verum ſpe fruſtratus ibi circa annum 155. hæreſis ſuæ virus effundere cœpit , multoſque ita pervertit, ut ipſi occurrens Polycarpus, illum ſic effatus ſit, *Cognoſco te primogenitum diaboli*.

Tertullianus l. 1. contra Marcionem , eundem his depingit coloribus . *Edit. Par.* 1634. *pag.* 431. " Nihil tam barbarum ac triſte apud Pontum, quam quod illic Marcion natus eſt, Scytha tetrior, Hamaxobio inſtabilior , Maſſageta inhumanior, Amazona audacior , nubilo obſcurior, hyeme frigidior , gelu fragilior , iſtro fallacior , caucaſo abruptior : Quid ni ? peues quem verus Prometheus Deus omnipotens blaſphemiis lancinatur ; jam & beſtiis illius barbarie importunior Marcion . Quis enim tam caſtrator carnis caſtor , quam qui nuptias abſtulit ? Quis tam comeſor mus ponticus, quam qui Evangelia corroſit ? næ tu , Euxine , probabiliorem feram Philoſophis ediſti , quam Chriſtianis. Nam illa canicula Diogenes, hominem invenire cupiebat , lucernam meridie circumferens : Marcion Deum quem invenerat , extincto lumine fidei ſuæ amiſit . Duos Ponticus Deos affert , tanquam duas ſymplegadas naufragii ſui . Quem negare non potuit, ideſt , creatorem , ideſt , noſtrum; & quem probare non poterit, ideſt ſuum: paſſus infelix hujus præſumptionis inſtinctum , de ſimplici ca-

„ pi-

„ pſtulo Dominicæ pronuntiationis, in
„ homines non in Deos diſponentis exem-
„ pla illa bonæ & malæ arboris, quod
„ neque bona malos, neque mala bonos
„ proferat fructus: ideſt, neque mens vel
„ fides bona, malas edat operas, neque
„ mala bonas. Languens enim quod &
„ nunc multi, & maxime hæretici, cir-
„ ca mali quæſtionem: unde malum? &
„ obtuſis ſenſibus ipſa enormitate curioſi-
„ tatis, inveniens Creatorem pronun-
„ tiantem, Ego ſum qui condo mala;
„ quanto ipſum præſumpſerat mali au-
„ ctorem, & ex aliis argumentis quæ
„ ita perſuadent perverſo cuique, tanto
„ in Creatorem interpretatus malam ar-
„ borem malos fructus condentem, ſcili-
„ cet mala, alium Deum præſumpſit
„ eſſe debere in partem bonæ arboris
„ bonos fructus. Et ita in Chriſto qua-
„ ſi aliam inveniens diſpoſitionem, ſo-
„ lius & puræ benignitatis, ut diverſæ
„ a Creatore, facile novam & hoſpitam
„ argumentatus eſt divinitatem in Chri-
„ ſto ſuo revelatam, modicoque exinde
„ fermento totam fidei maſſam hæretico
„ acore decepit.

Progreſſus.

Marcion Cerdonem tanquam magiſtrum audiens, varios hinc inde diſſeminavit errores.

Primo. Duos admiſit Deos: alterum bonum a quo bona procedebant; alterum vero malum a quo malatum culpæ, tum pœnæ, cæterique defectus etiam naturales. Ita Irenæus, l. 1. c. 29. Tert. l. 1. contra Marc. c. 21.

Secundo. Marcion duos utique Chriſtos confingebat, quorum alter Tiberii tempore apparuerat; alter vero qui reſtitueret regnum Judaicum ſpe futurus quia promiſſus. Ita Tert. l. 4. contra Marcionem, c. 6.

Tertio. Negavit Chriſtum veram aſſumpſiſſe carnem. Tert. l. 3. c. 8. contra eundem.

Quarto. Marcion etiam negavit corporum reſurrectionem, animam ſolam ſalute & beatitudine donari volens. Irenæus l. 1. c. 29. Epiphanius hær. 42.

Quinto. Animarum in varia corpora tranſmigrationes propugnabat. Ita Epiphanius ibidem.

Sexto. Cain, Dathan, Eſau, Abiron, Sodomitas, cæteroſque populos quibus Deus Judæorum ignotus fuit, quantumvis impios & ſceleratos ſalvari, ſecus vero Patriarchas, Prophetas, & alios juſtos qui hunc pie coluerant Deum, confidebat. Ex Theodoreto l. 1. adverſus hæreſes, c. 24.

Septimo. Vetus Teſtamentum tanquam a malo Deo inſtitutum repudiabat, novum vero ſecundum phantaſiam mutilabat, quippe qui ſolum Lucæ Evangelium, & truncatas Pauli epiſtolas admitteret. Epiphanius ibidem. Tertullianus l. 1. contra Marcionem c. 19.

Octavo. Verbis Evangelicis non baptizabat Marcion. Errore deceptus Cyprianus credidit Stephanum primum ratum habuiſſe Marcionis baptiſma, eo quod a quacumque hæreſi redeuntes recipi ſtatuiſſet, ſed ſupponebat ſummus Pontifex illius baptiſmum verbis Evangelicis confectum fuiſſe & abſolutum, nec partes utique Marcionis in hoc puncto propugnabat. Auguſtinus cum l. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas ait: *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum*; propoſitio enim eſt tantum hypothetica; verum quod Marcion corruperit formam baptiſmi dicit Theodoretus Ep. 146. ad Monachos Conſtantinopolitanos, aſſerens ſeipſum plures Marcioniſtas ad ſanctum regenerationis lavacrum perduxiſſe.

Nono. Tertium baptiſma ad emundationem carnis & turpium peccatorum admittere non erubuit. Epiphanius hær. 46.

Decimo. Quinimmo putavit eos in fide Chriſti inſtructos, ſed morte præventos poſſe ſalvari, baptizando aliquem in gratiam ipſorum. Chryſoſt. hom. 40. in 1. ad Corinth. Epiphanius in Anaceph.

Undecimo. Marcioniſtæ aliqui in Creatoris odium, & quod carnem tanquam ab eo productam abominarentur, ſe martyrio, ut eam in ſe perderent, ſponte obtulerunt. Clemens Alexand. l. 4. Strom.

Duodecimo. Eadem de cauſa, nempe in Creatoris odium voluit Marcion ut ſui jejunarent die ſabbati, ne Judæorum Dei, qui ſeptimo die ab omni opere quod pa-

patrarat, quievit, ritum imitarentur. Epiphanius.

Decimo-tertio. Animatorum uſum Marcioniſtæ damnabant. Theodoretus.

Decimo-quarto. Marcion prohibebat nuptias, indignum reputans carnem a Creatore acceptam propagari. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 29. Epiphanius.

De Lucaniſtis, Catanis, Archonticis.

LUCANISTÆ Marcioni affines & tempore & doctrina Lucianum, & ſecundum multos, Lucanum pro magiſtro habuerunt. Ille Cerdonis, ſed præcipue Marcionis veſtigiis inhærens, tria principia, ſeu tres principatus eſſe docuit, Patrem ſcilicet, Filium Deum Chriſtianorum, & Spiritum Sanctum Deum Gentilium. Qua de cauſa Origenes hominem qui divinitatem dividebat, Lucianum vocavit. Tertullianus de præſcript. 2. Verbum, non Dei ſed Davidis filium ex muliere natum volebat. 3. Duos deos, unum juſtum, alterum vero injuſtum, a quibus bona & mala procederent, conſtituebat. 4. Vetus Teſtamentum non admittebat, nec Epiſtolam ad Hebræos, hinc & de filio Dei male ſentiebat. Tertullianus ſcripſit contra iſtum hæreſiarcham in lib. de præſcr.

Cajani, ſeu Cainani ſic dicti quod Cain fratricidam colerent, iſtum juſtum, Abelem vero tanquam imbecillem habebant, & ideo merito occiſum. Deliria Marcionis circa Core, Dathan, Abiron & ſimiles impios defendebant, ut refert Epiphanius, hæreſ. 38. Judam ut divinum quemdam hominem, qui prodendo Chriſtum hominum ſaluti providiſſet, celebrabant; hinc & de illius proditoris affinitate gloriabantur. Ita referunt Auguſtinus lib. 1. de hær. cap. 18. Epiphanius hær. 38. Inſuper legem veterem ejuſque auctorem, inquit Philaſtrius, blaſphemabant, & fidem ſolam ſine baptiſmo ad ſalutem ſufficere autumabant. Tertullianus lib. de baptiſmo c. 13.

Archontici anno circiter 160. de ſchola Cerdonis & Marcionis prodiere. Mundi creationem non Deo, ſed Archangelis tribuebant, & ideo dicti Archontici; qui quidem error ſerpere cœpit per Palæſtinæ regionem, deinde in Armenia altas jecit radices. Redemptionem in ſola cognitione Dei reponebant. Sacramenta abnuebant; Deum factorem Cœli calumniabantur, eumque in Cœlo magnam exercuiſſe tyrannidem, ex qua diabolus ortus, qui poſtea Cain & Abel genuerat, effingebant. Improperabant veteri Teſtamento, & novum in pravos detorquebant ſenſus. Baronius ann. 176. Epiphanius hæreſ. 40. Denique animæ ſolius & non corporum reſurrectionem, teſtante Auguſtino hær. 20. propugnabant.

De Mane & Manichæis.

In apertum erupit incendium Marcionis hæreſis per Manem, qui iſtius errorem hæres, etiam addidit novos quibus infecti nobiles & plebeii, indocti & ipſi docti, immo & Sacerdotes atque Epiſcopi magnas duorum ſæculorum ſpatio in Eccleſia movere tragœdias.

Scytianus Saracenus, & Buddas ejus famulus, qui & Terebinthus a multis appellatus, Empedoclis & Pythagoræ diſcipuli, deinde Manetis magiſtri extitere anno circiter 274. Duo principia ſibi contraria admittebant, alterum bonum, alterum vero malum, ut refert Cyrillus Catech. 6. Buddas ſe e virgine natum, in ſignum futuræ ſublimitatis & excellentiæ, proclamabant: ut videre eſt apud Socratem lib. 1. cap. 17. Quatuor librorum a Scytiano compoſitorum conſtitutus hæres, dixit theſaurum veræ religionis omniumque myſterium ſe poſſidere. Primus inſcriptus erat de myſteriis, ſecundus de Evangelio, tertius de theſauro, quartus de lapidibus.

Manes paulo poſt alternata vice hæres librorum factus peſtiferæ ſuæ hæreſeos, non ſine magna animarum clade virus paſſim tum apud Arabes, tum in Africa effudit. Natione, Perſa; conditione, divitis cujuſdam viduæ mancipium, poſtea ejuſdem adoptatus in filium, Paracletum ſe eſſe jactitans, ad Chriſti exemplum duodecim aſſumpſit diſcipulos, quibus ſingulis ſingula Apoſtolorum nomina impoſuit, qui ab ipſo hinc inde miſſi, animas plurimas diabolica fraude deceperunt, ex quibus poſtea ſecta quæ ab Oriente in Occidentem ſparſa nedum Meſopotamiam, Africam, ſed & Italiam, immo & Gallias veneno ſuo infecit.

Ma-

Manichaeorum errores.

Praecipuus, inter omnes error ex quo promanarunt caeteri, fuit quod duo rerum admitterent principia, unum quidem boni, nempe totius naturae ſpiritualis, animarum & legis novae ſub Chriſto auctorem; ſecundum vero mali, ſcilicet & rerum ſenſibilium & legis antiquae factorem. Auguſtinus lib. de haer. cap. 46. Epiphanius haer. 66. Theodoretus lib. 1. haer. Fab. c. 26.

Secundo. Duas in homine eſſe animas volebat Manes, alteram bonam, quae parti praeeſſet ſuperiori, ſcilicet intellectuali; alteram malam, quae corpori & parti inferiori praeſideret, quaeque omnia operaretur peccata; hinc illam a principe tenebrarum ortam dicebat. Auguſtinus lib. de duabus animabus contra Manich. c. 1.

Tertio. Filium Dei dicebat partem Patris ſubſtantiae quae in carne apparuerat. Hilarius. L. 6. de Trin.

Quarto. Chriſtum veram aſſumpſiſſe carnem negabat, cum caro ex ejus ſententia ſit de ſe mala, cujus nec habendae, nec utique colendae eſſent imagines & reliquiae. Taraſius. Conſt. in ſecunda Synodo Nicaena.

Quinto. Manes utique docebat Deum veteris Teſtamenti eſſe omnium inventorem malorum; quinimmo, & malum qui Ægyptios ſpoliaverat, Amorrhaeos ejecerat, Gerſaeos afflixerat, innumeraque alia attulerat mala. Epiphanius haer. 76.

Sexto. Animas poſuit eſſe Deo coaeternas, & ſubire corpora, nedum hominum, ſed & brutorum animantium. Epiphanius haer. 66.

Septimo. Concupiſcentiam non ex protoparentis peccato, ſed ex qualitatum agentium & reagentium contrarietate ortum ducere exiſtimabat, ita ut homo ab ea liberetur, dum purgatur ab humorum faece. Auguſtinus haer. 46.

Octavo. Euchariſtiam ex pane confici prohibebat, quippe qui malus & malo Deo originem haberet. Prateolus.

Nono. Liberum hominis arbitrium tollens, vitam fato quodam ineluctabili gubernari aſſerebat. Hieronymus in proemio dialogi adverſus Pelagianos.

Decimo. Baptiſmum aquae nemini ad ſalutem proficere praedicabat; eo tamen utebatur, forſan ad emundationem carnis, non ſpiritus. Immo fidei neceſſitatem impugnabat, exiſtimans rationem ſufficere ad cognoſcenda myſteria. Auguſtinus de haer. & lib. de utilitate credendi ad Honoratum.

Undecimo. Docebat quemlibet in ſuo religionis exercitio ſalvari, putans Chriſtianos, Judaeos & Haereticos unum quid eſſe; quia unum & eundem agnoſcebant & profitebantur Deum. Epiphanius haeret. 66.

Duodecimo. Reſurrectionem ſolius animae agnoſcebant Manichaei, indignum reſurrectione reputantes omne quod eſt materiale. Theodoretus l. de haer. Fab.

Decimo-tertio. Jeſum ſolem materialem putabant eſſe, propter illam Matthaei ſententiam, *Ego ſum lux mundi*; quam quidem in pravum detorquebant ſenſum. Hoc ducti errore Solem adorabant, ad quem durante die verſa facie convertebantur, nocte vero Lunam colebant. Auguſtinus l. 14. contra Fauſtum.

Decimo-quarto. Ab omni juramento, etiam interpellante judice abſtinebant.

Decimo-quinto. Generationem execrabantur & impediebant nuptias, quamvis mulieribus uterentur, quia carnem utpote vitiatam non eſſe propagandam affirmabant. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum c. 29.

Decimo-ſexto. Denique promiſſionem Paracleti a Chriſto promiſſi, in Manete adimpletam ſtulte credebant. Auguſtinus l. de haer.

Manichaeorum mores.

PRIMO, Obſervandum eſt duos fuiſſe in ſecta Manichaeorum ordines, unum ſcilicet electorum, alterum vero auditorum. Auditores carnem manducabant; uxores, ſi vellent habebant, & a[illegible] colebant, ſed ante electos qui ab iſtis abſtinebant, genua flectebant; ut eis ſive Epiſcopi, ſive Presbyteri & Diaconi aut etiam ſimplices Laici manus imponerent. Ita colligitur ex Auguſtino Epiſt. 74. ad Deuterium Epiſcopum. Jam vero inter electos duodecim erant praecipui velut Apoſtoli, quibus decimus-tertius tan-

Digitized by Google

tanquam omnium magiſter præſidebat. Habebant 72. Epiſcopos qui a magiſtris eligebantur. Habebant & presbyteros atque Diaconos qui ab Epiſcopis iſtis ordinabantur. Aug. l. de hæreſ.

Secundo, Nefas putabant electi metere ſegetes, arbores cædere, nubere, &c. Iſta vero ad indulgentiam auditoribus concedebant. Aug. ibidem.

Tertio, Jejunabant die Dominica in odium Creatoris viſibilium, qui ſeptimo die requieverat. Aug. Epiſt. 64.

Quarto, Orabant ad Solem converſi. Idem Epiſt. 74.

Quinto, Euchariſtiæ materiam præparabant in re ſupra modum abominabili. Aug. l. de moribus Manich. cap. 19. & 20.

Sexto, Tria ſignacula habebant, ſcilicet oris, manum & ſinus, quibus ſe puriſſimos & ſanctiſſimos eſſe prædicabant; ad oris ſignaculum pertinebat, quod ab omni blaſphemia & vino abſtinerent; ad manuum ſignum, quod nulli darent offenſionem, ita ut & jam ab animalium cæde & a ſtirpium laceratione temperaret; ad ſinus ſignaculum, quod caſtitatem coleret, & non nuberent. Aug. l. de moribus Manich. c. 10. & ſequentibus.

Septimo, Licitum erat apud eos erogare pauperibus argentum & aurum, minime vero panem vel cibum cujuſcunque generis, ne ab eis pateretur divina ſubſtantia, quam cibis commixtam eſſe ſomniabant. Aug. l. 15. contra Fauſtum. c. 7. & l. 4. Confeſſ. c. 10.

A Manete numeroſa Hereticorum colluvies proceſſit; ad Manichæos ſiquidem ſpectant Audiani, Apocritæ, Brachitæ, Dricarcitæ, Taſcodrogitæ, Theſſalitæ & Tetraditæ, qui omnes in uno dogmate cum Agnoitis conveniunt, tenentes hominis animam, aut Dei ſubſtantiam eſſe, aut ex ejus ſubſtantia promanaſſe. Epiphanius l. 2. adverſus hær.

Baronius ad annum Chriſti 289. meminit quorumdam hæreticorum, quos Abſtinentes vocat, qui ex familia Manetis prodierunt, quorum errores in Gallia & Hiſpania non modicum graſſari apparuere; in primis cibos tanquam a diabolo productos damnabant, Spiritum Sanctum creaturam dicebant, etiam impugnabant nuptias. Ita Philaſtrius & Prateolus.

Interitus ſeu preſcriptio.

MARCION animam agens Sacramentum Pœnitentiæ contritus petiit, ſed morte præventus extra Eccleſiam defunctus eſt, ut colligitur ex Tertulliano l. de præſcr. Marcioniſtarum errores refutavit idem Tertullianus libris quinque contra Marcionem: ante Tertullianum Juſtinus Martyr teſte Irenæo l. 4. adverſus, hær. c. 14. Item Irenæus l. 5. Poſtea Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſ. Euſebius l. 5. hiſt. cap. 13. Theodoretus l. 1. hær. Fab. & alii tum veteres tum recentiores.

Manes in arte dæmonum confidens, regi Perſarum promiſit quod orationibus ejus filio reſtitueret ſanitatem, ſed ipſe deluſus, puer mortuus eſt: tunc pater furens Manetem comprehendi juſſit, nec multo poſt lata ſententia toto corpore excoriato, beſtiis devorandum tradidit. Multi inter Patres celeberrimi contra Manichæos ſcripſerunt, ſcilicet Archelaus Caſtharorum in Meſopotamia Epiſcopus, Titus Boſtrenſis. Diodorus Cilicus, Serapion Themvis Epiſcopus, S. Athanaſius, Georgius Laodicenus, Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Emiſſenus, Apollinaris Laodicenus, & multo plures quos Epiphanius refert hær. 66.

Verum inter omnes præfulget Auguſtinus, qui Manichæorum ſuperſtitione novem annis detentus, myſteria ſectæ prænoſcens, felicius quoque præ cæteris illos debellavit, & quidem variis & eruditiſſimis tractatibus.

1. *Librum* de moribus Eccleſiæ Catholicæ, & alterum de moribus Manichæorum adverſus eos compoſuit.

2. *Tres* libros de libero arbitrio.

3. *Librum* duplicem de Geneſi ad litteram

4. *Librum* de vera religione.

5. *Librum* de utilitate credendi ad Honoratum.

6. *Librum* de duabus animabus.

7. *Librum* contra Fortunatum Manichæum duas diſputationes continentem.

8. *Librum* contra Adimantum Manichæi diſcipulum, quos omnes libros conſcripſit ante Epiſcopatum.

9. Crea-

Digitized by Google

9. *Creatus* Epiſcopus eoſdem hæreticos inſectatus eſt. Scripſit librum contra Epiſtolam Manichæi quam vocat, fundamenti.

10. *Libros* triginta tres contra Fauſtum Manichæorum Epiſcopum.

11. *Anno* 6. Conſulatus Honorii Auguſti contra Felicem Manichæum in Eccleſia Hipponenſi præſente populo biduo diſputavit Auguſtinus, victus Felix, ſuos ejuravit errores: idem Auguſtinus in duobus libris, quorum tituli: De actis cum Felice Manichæo, refert atque deſcribit diſputationes.

12. *Scripſit* adhuc contra Manichæos librum de natura boni.

13. *Librum* contra Secundum Manichæorum auditorem.

14. *Duos* libros contra adverſarium Legis & Prophetarum.

Manichæos inſectati ſunt ſummi Pontifices tum decretis tum concionibus, ut S. Leo: inſectati ſunt & principes, edictis. Valentinianus conſtitutionem edidit ad Albinum præfectum directam, qua eos publico crimine teneri declaravit, militare prohibuit, teſtandi & comparandæ pariter cujuſcumque hæreditatis ademit poteſtatem. Pater Alexander ſect. 3. art. 9. §. 4.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ex traditione ab Adam uſque ad nos conſtet eſſe unicum Deum.

CONCLUSIO.

Eſt unus Deus Creator viſibilium omnium & inviſibilium.

Probatur primo, ex traditione veteris Teſtamenti.

LEGITUR Geneſeos 1. v. 1. *Creavit Deus Cœlum & terram.* v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* cap. 8. v. 1. *Recordatus autem Deus Noe.* cap. 9. v. 1. *Benedixit Deus Noe.* cap. 12. *Dixit autem Dominus ad Abraham* cap. 28. v. 12. *Jacob, viditque in ſomnis ſcalam Angeloſque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi, Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui.* Ubique eſt ſermo de Deo uno & Domino. Igitur datur unus Deus.

Moyſes eamdem proſequitur veritatem, nam Exodi 4. v. 4. & 5. habetur: *Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam ejus: extendit & tenuit, verſaque eſt in virgam, ut credant*, inquit, *quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum ſuorum.* cap. 8. v. 1. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, ingredere ad Pharaonem.* cap. 13. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum.* In reliquis libris legalibus unus Dominus ſemper loquitur ad Moyſen: ipſe vero Unicum ſemper prædicat populo ſuo Deum, ſed maxime Deuteronomii 6. v. 4. *Audi Iſrael, Dominus noſter unus eſt.* Ibidem cap. 32. v. 39. Deus ipſe ſic loquitur ad populum: *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit Deus præter me.* Nihil clarius expreſſiuſve aut dici aut proponi pro veritate poteſt: quæ quidem omnes auctoritates nedum apud Chriſtianos, verum etiam apud Paganos ponderare debent.; Moyſes namque, ut refert Euſebius in l. de præparat. Evang. inter ſcriptores primus fuit, quinimmo & Philoſophi & Poetæ Pagani multa ex libris Moyſis hauſerunt.

Eadem traditio confirmatur ex cæteris veteris Teſtamenti libris. Joſue 1. v. 1. legitur: *Et factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Joſue.* Judicum 1. v. 7. *Poſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum .... dixitque Dominus.* 1. Regum cap. 1. v. 3. *Aſcendebat vir ille de civitate ſua ſtatutis diebus, ut adoraret & ſacrificaret Domino exercituum in Silo.* Primo Eſdræ cap. 1. v. 2. *Omnia regna*, inquit Cyrus, *dedit mihi Dominus Cœli.* Judith. 10. v. 1. *Factum eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad Dominum.* Job. 1. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Pſalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Ubique unus Dominus & adhuc Pſalm. 17. verſ. 32. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum?* Pſalm. 22. verſ. 19. *Tu ſolus altiſſimus in omni terra.* Proverb. verſ. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Iſaiæ 1. verſ. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini.* Ibidem cap. 6. v. 2. & 3. *Seraphim ſtabant ſuper il-*

Digitized by Google

lud .... clamabunt alter ad alterum & dicebant : Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus exercituum , plena eſt omnis terra gloria ejus . Jerem. 1. verſ. 4. *Factum eſt verbum Domini ad me dicens* , Ezech. 1. v. 1. *Vidi viſiones Dei* . Daniel. 1. v. 2. *Tradidit Dominus in manu ejus Joachim Regem Juda* . 1. Machab. 2. v. 22. *Non eſt nobis utile relinquere legem & juſtitias Dei* . Ubique ſemper unus Deus prædicatur, tum a Moyſe legislatore, tum a prophetis. Igitur eſt unus Deus.

Probatur unitas Dei ex punitione Idololatrarum.

PRIMA fuit eorum qui adoraverunt vitulum conflatilem , & ceciderunt gladio Levitarum, jubente Moyſe , numero quaſi viginti tria millia hominum , ut patet Eoxd. 32. v. 28.

Secunda : iterum filii Iſrael ad idololatriam rediere & ſervierunt Baalim , ideo tradidit eos Dominus in manus Regum nationum , a quibus vehementer afflicti ſunt : ſed reſipiſcentes , per Othoniel , Aod & Sangar liberantur . Ita refertur lib. Judicum cap. 2. & 3. Similes caſtigationes propter idololatriam deſcribuntur in reliquo libro, ſed maxime in libris Regum . l. 1. cap. 7. Hortatur Samuel populum ut idola relinquat ; & projectis Baalim & Aſtaroth , Deus benedixit populo , eique victoriam ſuper Philiſtiim conceſſit , & captæ urbes reſtitutæ ſunt . v. 3. *Ait autem Samuel ad univerſam domum Iſrael , dicens : Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum , auferte Deos alienos de medio veſtri , Baalim & Aſtaroth* . verſ. 14. *Liberavitque Iſrael de manu Philiſtinorum* . 3. Regum 22. Rex Achab periit in bello propter ſuam idololatriam . 4. Regum 1. Ochozias ægrotans , mittit ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon ſuper ægritudine ſua : propter hoc ſcelus moritur , cap. 9. Jehu mandat Dominus ut deleat domum Achab propter idololatriam . In una & eadem die Joram cum Ochozia Rege Juda occidit Jehu ; Jezabel per feneſtram ipſius juſſu projecta eſt , & alliſa ad pavimentum animam exhalavit , canes vero ejus comederunt cadaver.

Maxima omnium punitio eſt translatio Iſrael in captivitatem apud Aſſyrios per Salamanazar , qui poſuit eos in Hala & in Habor juxta fluvium Gozan , & hoc propter idololatriam , ut fuſe enarrat auctor canonicus 4. Reg. 17. in hoc terribili exitio decem Tribus miſeriis calamitatibuſque obrutæ magna ex parte perierunt.

Altera propter idem ſcelus vindicta , eſt translatio Judæ cum rege Sedecia in Babylonem , ubi annorum ſeptuaginta duræ captivitatis ſpatio oppreſſi ſunt : his omnibus accedit humiliatio prorſus ſtupenda Nabuchodonoſoris , qui cum numinis ad inſtar adorari vellet , ad paſcendum herbam cum beſtiis agri , non ſine Dei ultoris terribili miraculo dejectus eſt . Dan. 4. Quid dicam , referamve de ejus filio ſupra modum impio Balthaſſare ? Hic dum falſa laudat numina , Omnipotentis manus in eum mortis ſententiam in pariete deſcribit . Dan. 5. Jam venio ad ſceleſtiſſimum regem Antiochum , qui cultus divini extinctor , ſacrique profanator templi luit peccatorum pœnas graviſſimas ; diriſſimis enim torpens viſcerum doloribus , læțiferumque emittens fœtorem , Deum quidem unum palam confeſſus orabat ille ſceleſtus , a quo miſericordiam non erat conſecuturus ; hinc & nefandam in infernum evomuit animam. 2. Mach. 9.

His omnibus adjicitur infelix exitus regis Agrippæ, qui dum ſe tanquam Deum haberi & proclamari ſinit, ſubito percuſſus ab Angelo , dolore viſcerum vermibus undequaque ſcatentium , quinque vix elapſis diebus obiit. Joſeph. lib. 20. Annal. c. 7.

Probatur unitas Dei ex traditione Novi Teſtamenti.

PRIMO, Marci 12. v. 29. *Primum omnium mandatum eſt : audi Iſrael , Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.*

Secundo, Joannis 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum Deum verum.* 3. Epheſ. 4. v. 5. *Unus Dominus , una fides , unum baptiſma . Unus Deus & Pater omnium , qui eſt ſuper omnes , & per omnia , & in omnibus nobis* , 4. Actuum 17. v. 23. & 24. *Præteriens enim* , inquit Paulus Athenienſibus , *& videns ſimulacra veſtra , inveni & Aram in qua ſcriptum erat , ignoto Deo . Quod ergo ignorantes colitis , hoc & ego annuntio vobis . Deus qui fecit mun-*

dum

dum & omnia quæ in eo ſunt : hic cœli & terra, cum ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpiraionem, & omnia, v. 28. & 29. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus : ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt : ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidis ſculpturæ artis & cogitationis hominis, divinum eſſe ſimile*. Quibus verbis Apoſtolus propriis confodit telis idololatras ; probat enim ipſorum Poetarum teſtimonio unum eſſe Deum, ſimulacra vero Gentium eſſe inania.

Idem patet ex Patribus, quorum auctoritate probavimus ideam unius Dei eſſe nobis innatam, unde ex hoc argumento liquet unum eſſe Deum. Et vero Athenagoras, Juſtinus, Arnobius, Lactantius, opera integra conſcripſere ad probandam unitatem Dei contra Gentiles. Juvat aliquorum hic celebrare & afferre ſententias, maxime ad revincendos Manichæos.

Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 3. ſic loquitur, *Deus ſi non unus eſt, non eſt*. Athanaſius contra Maniehæos eumdem tenet ſermonem. *Deos*, inquit, *multos admittere idem eſt ac nullum agnoſcere*. Idem docent Auguſtinus lib. de doctrina chriſtiana. cap. 7. Gregorius Nyſſenus in prologo libri catecheſeos. Anſelmus in monologio cap. 3. D. Thom. lib. 1. contra Gentes. c. 42. Idem probant & definiunt Concilia : nempe Antiochenum primum, Nicænum primum in Symbolo his verbis : *Credo in unum Deum*. Conſtantinopolitanum primum : & hoc ipſum tenuit perpetua tum veteris, tum novæ legis fides, hoc tandem ſanguis Martyrum millies pro tanta veritate effuſus.

Probatur unitas Dei ex punitione & infelici interitu Tyrannorum, qui Martyrum unicum eſſe Deum propugnantium ſanguinem effuderunt.

PRIMO occurrit ablatio Imperii Romani, & translatio ad Græcos per exterminium Imperatorum, qui Eccleſiam Chriſti immani, & exquiſito tormentorum apparatu cruciaverant, eoquod Chriſtiani nollent adorare idola. Ita refertur in omnibus Martyrologiis, & Actis Sanctorum.

Secundo loco venit crudelis ſupra modum Nero, qui poſt violentam ſuper Chriſtianos manum, & multorum millium ſtragem, tandem ipſe omnibus crudelior, ſeipſum per juſtum Dei judicium manu cruenta annos 32. ſolum natum occidit. Ita refert Suetonius in vita Neronis. Auguſtinus l. 20. de Civit. Dei c. 19.

Tertio loco ponimus ferocem Diocletianum, qui indigne ferens ſanguinem Martyrum quos necabat, ſemen Chriſtianorum factum eſſe, abdicavit imperium, & tædio ac mærore confectus obiit in ſolitudine. Ita Euſebius, l. 8.

Quarto loco enumeramus Trajanum, qui multis deſtructis & necatis Chriſtianis, ipſe, ut fertur, veneno infectus obiit. Ita Baronius ad annum 117.

Quinto loco violentus Maximinus eſt, qui effuſo Sanctorum ſanguine a propriis militibus cum filio, truncato capite, migravit e vita ; cujus cadaver ad beſtias projectum luit pœnas tantæ crudelitati & idololatriæ debitas.

Sexto loco adeſt Licinius, qui in crudelitate nulli ſecundus multa Chriſtianorum millia, eo quod Deos inanes irriderent, interfecit : ſed vidit Dominus, & non tacuit. Suſcitavit contra illum Conſtantinum Magnum, qui fractum multis præliis Licinium, tandem ſtrangulari juſſit. Ita Baronius, ad annum 325. Socrates l. 1. Sozomenus l. 2.

Omiſſis aliis, ne fuſior ſit ſermo, ultimo loco venit terribilis & ſacrilegus Julianus Apoſtata, qui ſupra reliquos ſæviens, adhuc ſpirans minarum in Chriſtianos quos exterminare decreverat, felle & amaritudine plenus, ſubito percuſſus in prælio, victus obiit, Chriſto Deo uno de idolis & idololatria triumphante : ſic referunt Theodoretus, Socrates & Baronius ad annum Chriſti 363.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIUNT 1. Veritatis inimici. Geneſ. 1. v. 26. habetur. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Vox, *Faciamus*, & vocabulum, *noſtram*, denotant pluralitatem. ergo de facto ſunt plures Dii.

Re-

Reſpondeo diſtinguendo. Iſta verba denotant pluralitatem perſonarum, concedo; cum enim actiones ad extra communes ſint omnibus ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis, ideo plurali numero utitur Scriptura: denotant pluralitatem Deorum, nego; habetur enim in ſingulari. v. 25. *Vidit Deus quod eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Porro nomen Deus eſt ſubſtantiale; unde cum ponatur in ſingulari, non multiplicatur eſſentia. Et inde collige unum eſſe Deum.

Reſpondeo 2. Aliter diſtinguendo, vox *Faciamus* & vocabulum, *noſtram*, denotant ſolum auctoritatem, concedo: ſic Reges & Domini ad magnificentiam loquuntur in plurali, dicendo, *Faciamus*: & denotat pluralitatem Deorum, nego.

Inſtant, Exodi 7. v. 1. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*. Igitur ſunt plures Dii, nedum perſonaliter ſed & eſſentialiter diſtincti; quandoquidem Moyſes conſtituitur ut Deus diſtinctus a Deo Cæli.

Reſpondeo diſtinguendo. Conſtituitur Moyſes Deus Pharaonis, ideſt, Dominus; concedo: Deus ſimpliciter, nego; cum enim conſtituatur, non erat antea, ideoque minime Deus. Cæterum illum ſolum conſtituit Deus Dominum, ut virtute ex alto roboratus, Pharaonem non pertimeſceret. Eo prope modo Deus conſtituit Prophetam Jeremiam Dominum Regum terræ, ſic enim habetur c. 1. v. 7. 8. & 9. *Dixit Dominus ad me... Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego ſum, &* v. 10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*.

Urgent. Pſal. 81. v. 1. habetur: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum*. Igitur ex propheta de facto ſunt multi Dii: probatur conſequentia: qui ſtat in medio ad judicandum cum aſſeſſoribus eſt, ejuſdem naturæ & ſpeciei cum eis: atqui Deus ſtat in medio Deorum ad judicandum. Legitur enim: *In medio dijudicat*. Igitur alii Dii ſunt ejuſdem naturæ cum illo.

Reſpondeo diſtinquendo. Deus ſtat in ſynagoga Deorum, ideſt, electorum quos aſſumit ut judices, concedo: in ſynagoga Deorum ſibi æqualium, nego Apoſtolus dicit; *neſcitis quoniam judicabitis & Angelos?* Et in hoc ſenſu Deus dicitur ſtare in ſynagoga Deorum, quia electi ſunt veluti ipſius aſſeſſores, ut judicet orbem terrarum in æquitate.

Reſpondeo 2. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, ideſt, judicum terræ, ut ipſe eos judicet & probet, an recte adminiſtraverint juſtitiam, concedo: in medio Deorum qui eamdem cum illo habeant potentiam & naturam, nego. Propheta loquitur in primo ſenſu, unde addit, *in medio autem Deos dijudicat*: profecto ſi judicantur, non ſunt Dii, ſed Deo in infinitum inferiores. Hunc ſenſum exhibent Scripturæ multis in locis: Enimvero Pſal. 74. v. 2. habetur: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Et Pſ. 2. v. 9. & 10. *Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram*. Item Sapient. v. 6. *Cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis...... Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet*. Igitur Principes & Judices terræ ſunt Vicarii Dei optimi; omnis quippe poteſtas a Deo eſt, inquit Apoſtolus: ſunt Vicarii, ideſt, legum cuſtodes, Deus autem in medio eorum ſtat, ut videat, ſi rectum ab eis egrediatur judicium.

Reſpondeo 3. diſting. Dicuntur Miniſtri per denominationem, ſeu quoad nomen, concedo: Dii per proprietatem, nego. Aliquis poteſt dici Deus dupliciter; quoad denominationem, deinde vero per proprietatem. Eſſe Deum quoad denominationem, eſt Dei inſigniri nomine propter aliquam cum Deo ſummo magno ſimilitudinem: eo ſenſu Moyſes dicitur in ſcripturis Deus Pharaonis propter ſuam in iſtum regem poteſtatem: juſtus, propter gratiæ participationem: Angelus, dum in perſona Dei loquitur. Eſſe Deum per proprietatem, eſt eſſe a ſe, eſſe actum purum, immenſum, æternum, quod uni ſoli competit; quia datur unicum ſummum magnum. Solutio eſt Tertulliani l. 1. contra Marcionem pag. 434. Hæreticum ſic alloquitur. " Agnoſcens
" divinitatem, negaſti diverſitatem. Ten-
" tabis ad hæc de numine Dei concute-
" re retractatum, ut paſſivo & in alios
" quoque permiſſo; quia ſcriptum ſit,
" Deus Deorum ſtetit in Eccleſia Deo-
rum:

„ rum : in medio autem Deos dijudica-
„ bit. Et ego dixi, vos Dii eſtis; nec
„ tamen idcirco eis competat poſſeſſio
„ ſummi magni, quia Dei cognominen-
„ tur; ita nec Creatori. Reſpondeo &
„ ſtulto qui nec hoc recogitaverit, ne
„ tantumdem & in Deum Marcionis poſ-
„ ſit retorqueri, ut & illum Deum dictum
„ nec ideo tamen ſummum magnum pro-
„ batum, ſicut nec Angeli, nec homi-
„ nes Creatoris. Si communio nominum
„ conditionibus præjudicat, quanti ne-
„ quam ſervi Regum nominibus inſul-
„ tant, Alexandri, & Darii, & Holo-
„ fernis, nec tamen ideo Regibus, id
„ quod ſunt detrahetur? Nam & ipſa ido-
„ la gentium, Dei vulgo, ſed Deus ne-
„ mo ea re qua Deus dicitur. Ita ego
„ non nomini Dei, nec ſono, nec notæ
„ nominis hujus, ſummum magnum in
„ Creatore defendo, ſed ipſi ſubſtantiæ
„ cui nomen contingit. Hanc inveniens
„ ſolam innatam, infectam, ſolam æter-
„ nam, & univerſitatis conditricem;
„ non nomini ſed ſtatui; nec appellatio-
„ ni, ſed conditioni ejus ſummum ma-
„ gnum & adſcribo & vindico. „

Inſtant Matth. 19. v. 28. habetur: *Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ ſedebitis & vos judicantes duodecim tribus Iſrael*: Igitur ſunt multi in Cœlo Dii, Deo ſummo in judicando coæquales, adeoque & in ſubſiſtendo, unde & veri Dii.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, electi judicabunt ut præcones annuntiantes ſupremi judicis ſententiam, tum quia vita Sanctorum qui legem ſervaverunt, eſt tacita reproborum condemnatio, concedo; judicabunt ſententiam propria poteſtate pronuntiantes, nego. Solus Chriſtus ſic pronuntiabit & ut Deus, & ut homo: tanquam Deus quidem, ei enim, utpote omnium Domino competit judicare vivos & mortuos: tanquam utique homo Theandricus, hoc eſt, unitus verbo divino a quo accipit judicandi poteſtatem; igitur reduplicative ut homo non habebit judicandi poteſtatem niſi dependenter a Deo. Juxta illud Joannis 5. v. 26. & 27. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt*. Cæterum non plures judices, ſed ſolus filius Dei judicabit tanquam judex ſupremus; juxta illud Matth. 25. *Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua .... Tunc dicet Rex iis qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*.

Inſiſtunt: atqui alii Judicabunt ut judices ſupremi: & probatur, qui ſunt Dii ſicut Chriſtus, erunt judices ſupremi: atqui ita erunt: ergo judicabunt ut judices ſupremi, & conſequenter ſunt multi Dii abſolute. Probatur minor in qua eſt difficultas. Pſal. 81 v. 6. habetur: *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes*: ergo, &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum, ad primam probationem, nego minorem: ad ſecundam, diſtinguo; multi juſti ſunt Dii per participationem, concedo: ſubſtantialiter & hypoſtatice ſicut Chriſtus, nego. Juſti per gratiam ſanctificantem divinam participant naturam: juxta illud 2. Petr. 1. 4. *Per quem*, ſcilicet Chriſtum, *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. Et iterum alia ſcriptura, Joan. 1. v. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Si per Chriſti merita ſunt Dii, certe non ſunt ſicut ipſe ſubſtantialiter, unde Joannes ibidem v. 14. ſubdit: *Verbum caro factum eſt*. Quibus verbis ſecernit Chriſti divinitatem ab ea quæ juſtis tribuitur per participationem.

Iterum urgent: Chriſtus ſuam probat divinitatem Judæis per locum mox adducendum. Sic enim Joan. 10. v. 35. eis loquitur: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi Dii eſtis? Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis: quia blaſphemat*. Quod quidem argumentum non probaret Judæis Chriſtum eſſe Deum, ſi locus David in probationem Divinitatis adductus, intelligeretur de Diis per participationem, ſequeretur enim ex hoc quod Chriſtus utique eſſet ſolum Deus per participationem, & tamen ſe dicebat Deum, propter quod Judæi volebant illum lapidare.

Reſpondeo diſtinguendo. Chriſtus ſuam probat divinitatem auctoritate David argumentando ad hominem, & hoc a mi-

a minori ad majus concedo: per argumentum a priori, nego. Judæi improperabant Chriſto eoquod ſe diceret Deum, dicebantque eum in hoc blaſphemare, Sic enim habetur ibidem v. 33. *De bono opere*, inquiunt Judæi Chriſto, *non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Duplici argumento propellit calumniam Chriſtus. 1. Arguendo ad hominem, & retorquendo argumentum. Quare dicitis quia blaſphemo me faciendo & dicendo Deum, cum ſecundum legem veſtram, etiam juſti dicantur Dii? Si enim ſic nominantur, a fortiori ille dicitur Deus qui miſſus eſt a Patre æterno in mundum. 2. Suam probat auctoritate miraculorum divinitatem. v. 27. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*. v. 28. *Si autem facio: & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*.

Reponunt. Ergo manet ex hoc ipſo plures eſſe Deos. Probatur ſequela. Chriſtus eſt Deus, immo & Spiritus Sanctus, juxta illud Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Igitur ſunt plures Dii: Confirmatur 1. Corinth. 8. v. 5. *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra: ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi:* Igitur ex Apoſtolo ſunt vere Dii multi.

Reſpondeo, negando ſequelam; ad probationem diſtinguo; Chriſtus eſt Deus verus, ſed a Patre indiſtinctus, concedo; diſtinctus, ſubdiſtinguo: perſonaliter, concedo; eſſentialiter, nego. Vox Deus eſt nomen ſubſtantiale ſignificans eſſentiam; unde, cum ſit unica eſſentia in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, utique unus Deus eſt, juxta illud Chriſti, Joan. 10. v. 28. *Pater in Me eſt, & Ego in Patre*. Et iterum alia Scriptura, ibidem v. 31. *Ego & Pater unum ſumus*. Idem dicendum de Spiritu Sancto. Sunt igitur tres Perſonæ, ſed non tres Dii.

Ad confirmationem, diſtinguo; & loquitur Apoſtolus ſecundum opinionem idololatrarum quos ipſe confutat, concedo; in alio ſenſu, nego: nam v. 4. immediate ante, dicit: *De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo; & quod nullus eſt Deus, niſi unus*. Et v. 5. *Nam etſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo, ſive in terra*. Quidam enim hæretici colebant Angelos ut Deos, juxta illud: *Siquidem ſunt Dii multi, & Domini multi*. v. 6. *nobis tamen unus Deus*.

Rurſus inſtant: Qui dicuntur Dii in Scriptura, & filii Excelſi, ſunt unum cum Deo, ſicut Chriſtus unus eſt cum Patre ſuo; ſed illi ſunt natura diſtincti a Deo, ut omnes conveniunt: igitur Chriſtus & Pater Cœleſtis ſunt multi Dii eſſentialiter diſtincti. Probatur major 1. ex Joan. c. 17. v. 22. & 23. ubi Chriſtus ſic loquitur: *Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis; ut ſint unum, ſicut & Nos unum ſumus*. 2. ex Apoſt. 1. Corinth. 8. v. 6. *Unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum*.

Reſpondeo, diſtinguendo. Sunt unum cum Deo, ſicut Chriſtus, quoad aliquid, concedo; ſimpliciter omnimode, nego. In cap. 17. Joan. loquitur Chriſtus de ſua humanitate ſanctificata per gratiam, quæ Patris fecit in omnibus voluntatem, & fuit unum cum Deo per unionem conformitatis: loquitur, inquam, Chriſtus de ſe ut homine; unde v. 3. dicit Patri: *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*. V. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt:* Poſtea rogat pro eis, maxime pro Diſcipulis, ut fortes ſint, & perſeverantes in fide, ut ſint Deo per gratiam ſemper conjuncti; unde ſequitur v. 19. 20. 21. 22. & 23. *Ego ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate: non pro eis rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt, per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater, in me, & ego in te, ut & ipſi in Nobis unum ſint; ut credat mundus, quia tu me miſiſti: & Ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & Nos unum ſumus*. At vero c. 10. loquitur ſolum de ſe, ut Deus eſt; & dicit v. 31. *Ego & Pater unum ſumus*. Unde propter hoc Judæi volebant illum lapidare, quia ſe faciebat Deum ſimpliciter; alias nequidem cogitaſſent ei improperare.

Inſtant. Saltem tres ſunt Dii in Trinitate: ergo, &c.

Probatur antecedens. Eo modo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum ſunt, quo Spiritus, aqua & ſanguis; nam 1.

Joan.

Joan. v. 7. habetur: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Similiter & v. 8. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra; ſpiritus, aqua & ſanguis; & hi tres unum ſunt.* Sed ſpiritus, aqua & ſanguis diſtinguuntur eſſentialiter: igitur & Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus; alias comparatio non foret juſta: igitur ſunt plures Dii.

Reſpondeo. Eodem modo, diſtinguendo, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, magis unum ſunt, quam aqua, ſanguis & ſpiritus inter ſe unum ſunt, concedo; & non ſunt magis unum, nego: Voces, ſpiritus, aqua &. ſanguis aſſumuntur a Beato Joanne ſolum ut figura creata, ad explicandum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium. Sic explicat illum verſum octavum Aug. L. contra Maximinum hæreticum Arianum, c. 22. Figura autem & imago non idem eſt cum veritate. Aug. in libro de Civ. Dei, iterum illud explicat myſterium per fontem, in quo tria diſtinguit; nempe ipſum fontem, aquam, & aquæ motum ſeu curſum; & tamen iſta tria unum ſunt, inquit: Sic ipſe Chriſtus Parabolis myſteria Regni cœlorum exponit. Terrena autem, quantumvis unum ad invicem, nunquam ad unitatem eſſentialem, qualis eſt in Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, accedere poſſunt.

Opponunt adhuc. Regimen mundi non minus admittit plures Deos, quam myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis plures perſonas; ergo ſi bene admittuntur tres perſonæ pro iſto, bene & pro illo poſſunt admitti plures Dii. Confirmatur. In regimine Imperii ſæpius admiſſi ſunt Collegæ; immo impræſentiarum quidam Miniſtri ſunt pro re militari, quidam pro toga: igitur a ſimili poteſt admitti unus Creator & Gubernator & Creator viſibilium.

Reſpondeo, negando paritatem. Unus enim Deus ſufficit ad regimen mundi; ſi enim plures admitterentur, contrariam haberent mentem & voluntatem, quatenus eſſent in perfectionibus inæquales; unde inferior nunquam attingeret ad lumen, & ad ſapientiam Supremi, & conſequenter ad ejus in regendo voluntatem; ſicque perverteretur ordo univerſi: ſi vero admitterentur omnino æquales, jam non plures, ſed unus eſſent Deus; unde repugnat manifeſte pluralitas.

Ad confirmationem, nego etiam paritatem. Homines quippe ſunt limitati, unde ſe ſolis non poſſunt regere unum aut alterum imperium; at vero puſillum & magnum fecit Dominus, & ſcit abſque labore, quid in homine, quid in cæteris creaturis agendum & ordinandum; unde regit quietus, immotus omnia movet, ut dicit Sapientia. Proverb. 8. v. 30. & 31. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum.*

Tertullianus eandem ſolvit objectionem libro 1. adverſus Marcionem pag. 433. & ſic reſpondet: " Apud nos vis rationis „ iſtius ipſo termino plures Deos credi „ non ſinit, quod nec duos illa regula „ unum Deum ſiſtens, qua Deum id eſſe „ oporteat, cui nihil adæquetur, ut ſummo magno: Unicum autem ſit, cui nihil adæquetur. Jam nunc duo ſumma „ magna, duo paria, cui operæ pretio, „ cui emolumento deputarentur? Quid „ interfuit numeri, cum duo paria non „ differant uno? una enim res eſt, „ quæ eadem in duobus eſt. Etiamſi plura eſſent paria, tantumdem omnia „ unum fuiſſent, nulla inter ſe differendo, qua paria. Porro, ſi neutrum ex „ duobus altero diſtat, jam ut ambo ſumma magna, qua Dei ambo, neutrum „ plus altero præſtat, nullam rationem „ numeri ſui oſtendunt, præſtantiam non habente. „

Rurſus eandem dirimit difficultatem ibidem. " Jam ergo, ſi huic argumentationi locus dabitur, quid prohibet, non „ dico & tertium & quartum Deum inducere, verum tot jam numero, quot „ & gentium Reges. De Deo agitur, „ cujus hoc principaliter proprium eſt, „ nullius exempli capere comparationem. Hoc natura ipſa, ſi non aliquis Iſaias, vel ipſe per Iſaiam Deus „ concionabitur, cui me ſimilabitis. Divinis forſitan comparabuntur humana: „ Deo non ita. Aliud enim Deus, aliud „ quæ Dei. Denique qui exemplo uteris „ Regis, quaſi ſummi magni, vide ne jam „ non poſſis eo uti: Rex enim, etſi ſummum magnum eſt in ſuo ſolio uſque ad

K 2. „ Deum,

,, Deum , tamen infra Deum : compara-
,, tus autem ad Deum excidet jam de
,, ſummo magno translatio in Deum ; hoc
,, ſi ita, quomodo uteris hujus rei exem-
,, plo ad Dei comparationem ? Quid nunc,
,, ſi nec inter Reges plurifarium videri
,, poteſt ſummum magnum ? ſed unicum
,, & ſingulare apud eum ſcilicet , qui
,, Rex Regum ob ſummitatem magnitudi-
,, nis , & ſubjectionem cæterum gra-
,, duum , quaſi culmen dominationis exci-
,, pitur . . . Jam nunc duo ſumma magna,
,, duo paria , cui operæ pretio , cui emo-
,, lumento deputabitur ? Quid interfuit
,, numeris , cum duo paria non differant
,, uno? ,, Ratio Tertulliani eo innititur principio , quod Deus ſit ſummum magnum ; duo autem ſimul eſſe ſumma magna profecto implicat . Et vero ubi duo , jam unum non eſt totum , adeoque nec ſummum magnum , quandoquidem numerus inducit perfectionum & diviſionem & vacuitatem ; vel ſi duo omnino paria ſupponantur , jam non duo , ſed unum ſummum magnum , quia ubi æqualitas omnimoda, ibi certe eadem entitative res eſt : Suum ulteriori ratione confirmat effatum idem Doctor , dicens adſcitos ad univerſi regimen tanquam Deos , uni Supremo ſubjici neceſſe eſſe , adeoque per inferioritatem a Divinitate deficere ; uni , inquam , ſubjicerentur , quoniam unus requiritur Supremus , qui ſuos mittat miniſtros , & placita ad bonum regimen ſignificet ; & ſic cæteri Supremo inferiores eſſet , quippe qui ſubditi, adeoque non Dii .

Inſtant . Juſtinus in Dialogo cum Triphone, vocat Filium Dei , miniſtrum Patris Æterni ; ſimili modo vocat & Tertullianus , l. contra Praxeam , c. 12. Igitur Filius Dei eſt Collega , immo miniſter Patris in gubernatione mundi : igitur poſſunt admitti plures Dii , quorum unus ſit ſuperior , & tamen omnes vere Dii , ſicut Filius , licet Miniſter Patris , eſt tamen verus Deus .

Reſpondeo 1. Filium eſſe conſubſtantialem Patri ; unde Pater & Filius ſunt unus Deus : nec Filius dicitur proprie miniſter Patris , non enim procedit ab eo , ut a cauſa & per dependentiam , ſed ſolum improprie, in quantum miſſus ab eo , ipſum manifeſtavit hominibus .

Reſpondeo 2. diſtinquendo : Filius , ut incarnatus , eſt miniſter Patris , concedo ; unde ſecundum hoc dicitur minor Patre , nec eſt inconveniens ut illi ſerviat , ſicut cæteræ creaturæ : nam Deus utitur quidem miniſtris ad gubernandum mundum & Eccleſiam , ſed ad magnificentiam , & non per indigentiam , ſuntque ipſi inferiores , & non Dii ; illos enim creat , juxta illud Pſal. 103. v. 5. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus , & Miniſtros tuos ignem urentem* . Filius Dei ſecundum ſe miniſter eſt Patris , nego , & eſt ſenſus Patrum .

SOLVUNNTUR OBJECTIONES

Manichæorum qui duo admittebant prima principia , ſeu duos Deos , alterum malum rerum viſibilium Conditorem , alterum bonum , Legis Evangelicæ Factorem , & beatæ vitæ largitorem .

Olim execrandus Manes , Manichæorum nefandus Princeps , duo induxit principia , bonum unum , alterum malum ; ideſt , Deum unum bonum , bonorum omnium Auctorem , Deum vero malum rerum viſibilium Conditorem : hic ergo , ut refert Theodoretus l. 1. Hær. fab. duos ingenitos & æternos eſſe dixit , utique creaturas omnes ſublunares eſſe malas , nec Deum bonum illarum artificem dici poſſe affirmavit . Illius deliria , fabulas , ineptaſque nugas luculenter repreſſit Auguſtinus libro ſecundo contra Manichæos , capite vigeſimo-octavo , ubi etiam objectiones refert & ſolvit . Ante ipſum Tertullianus l. 2. adverſus Marcionem , eandem adimplevit provinciam . Quoniam vero unitatem Dei inficiantur illi Hæretici , eorum placita hic texere ſimul & refellere neceſſe eſt .

Objiciunt Manichæi : Deus optimum non eſt hominis conditor ; igitur alter : illeque malus . Probant antecedens . Creator fecit hominem peccabilem , immo & in peccatum colapſurum ſciebat : Sed implicat Deum bonum , optimum & maximum condere creaturam quam peccatum commiſſuram eſſe certo ſciebat : igitur Deus optimus non eſt hominis Creator .

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem diſtinguo . Et Deus prævidebat ex hominis lapſu multa bona eventura , concedo ; & neſciebat , nego . Porro ad ſummum pertinet Proviſorem

ſuam

ſuam manifeſtare & bonitatem & potentiam, bona pro malis rependendo: ipſe enim remedium hoſtis unde læſerat ſubinſerre nec ignarus nec impotens fuit. Sic reſpondet Auguſtinus: " Quia, *in-*
„ *quit*, & de peccante multa bona facere
„ poterat, ordinans eum ſecundum mo-
„ deramen juſtitiæ ſuæ, & quia nihil obe-
„ rat Deo peccatum ejus; ſive non pec-
„ caret, mors nulla eſſet; ſive quia pec-
„ cavit, alii mortales de ejus peccato cor-
„ riguntur: nihil enim ſic revocat homi-
„ nes a peccato, quemadmodum imminen-
„ tis mortis cogitatio. „

Inſtant. Tametſi Deus fecerit hominem, ut non peccaret, attamen peccavit, & a ſuo aberravit Auctore: ſed Deus, ſi bonus & potens, hoc ipſum præpedire debebat; bonum quippe eſt ſui diffuſivum, maxime, ſi calleat potentiam qua contrarios quoſcumque ſuæ bonitatis impetus frangere poſſit; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus fecit hominem, ut non peccaret, ita tamen, quod ſi vellet, poſſet deficere ad ſuæ libertatis oſtenſionem, concedo; ita fecit, ut eſſet ad unum determinatus, nego. Voluit Deus hominem eſſe juris ſui, ſuorumque actuum dominum, & per hoc Creatoris a quo proceſſit, perfectam exprimit ſimilitudinem: Quod igitur ſit liber, gloria & honor ſummus affulget in Conditore; quod vero deficiat, culpa eſt creaturæ. Solutio eſt Tertulliani, qui l. 2. adverſus Marcionem, pag. 457. Edit. Pariſ. 1634. ad objectionem ſic reſpondet:
" Oportebat Deum cognoſci; bonum uti-
„ que & rationabile oportebat aliquid eſ-
„ ſe, quod Deum agnoſceret: quid tam
„ dignum proſpici poſſet, quam imago
„ Dei & ſimilitudo? & hoc bonum ſine
„ dubio & rationale.. Oportebat igitur
„ imaginem & ſimilitudinem liberi arbi-
„ trii, & ſuæ poteſtatis inſtitui, in qua
„ hoc ipſum imago & ſimilitudo Dei de-
„ putaretur; arbitrii ſcilicet libertas &
„ poteſtas, in quam rem ea ſubſtantia ho-
„ mini accommodata eſt, quæ hujus ſtatus
„ eſſet, adflatus Dei; utique liberi, &
„ ſuæ poteſtatis. „ Auguſtinus ibidem pau-
„ cis, ſed efficaciſſimis verbis ſolvit argumentum, dicens: *Sic enim factus eſt homo, ut ſi noluiſſet, non peccaret*,

Rurſus inſtant. Si Deus viſibilium creator eſſet bonus, non admiſiſſet ad mulierem diabolum, qui illam inducendo in peccatum, perdidit, ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Et Deus ea intentione, illoque ſcopo diabolum admiſit ad mulierem, ut ejus probaret obedientiam, & meriti materiam conſtitueret, concedo: admiſit ea ſolum cauſa, ut ejus prævaricatione totum perderet genus humanum, nego. *Deus*, inquit Divus Jacobus, *intentator malorum eſt*, unde non perdere, ſed virtutem mulieris probare voluit, ut daretur locus & liberati exercendæ, & merito vitæ æternæ comparandæ. Audiendus eſt pro hoc momento Tertullianus qui ibidem occurrit difficultati, pag. 458: " Tota ergo libertas ar-
„ bitrii in utramque partem conceſſa eſt
„ illi, ut ſui dominus homo conſtanter
„ occurreret, & bono ſponte ſervando,
„ & malo ſponte vitando, quoniam &
„ alias poſitum hominem ſub Judicio Dei
„ oportebat juſtum illud efficere de arbi-
„ trii ſuis meritis, liberi ſcilicet. Cæte-
„ rum, nec boni nec mali merces jure
„ penſaretur ei qui aut bonus aut malus
„ neceſſitate fuiſſet inventus, non volun-
„ tate. In hoc & lex conſtituta eſt, non
„ excludens, ſed probans libertatem de
„ obſequio præſtando, vel tranſgreſſione
„ ſponte committenda; ita in utrumque
„ exitum libertas patuit. „ Auguſtinus ibidem facit ſatis inſtantiæ Manichæorum; loquens enim de Eva ſubdit: *immo ipſa ad ſe diabolum non admitteret, ſic enim facta eſt, ut ſi noluiſſet, non admitteret*.

Inſtant adhuc. Admittere diabolum ad mulierem, eſt illam facere malam, ſi quidem hoc fuit ipſi cauſa ruinæ & peccati; ſed ejuſmodi opus a Deo optimo non eſt; igitur præter Deum bonum, alter eſt mali conditor & auctor.

Reſpondeo diſting. Admittere diabolum ad mulierem, eſt opus malum, ſi peccatum ſub pœna mortis non prohibeatur, bonum vero præcipiatur, concedo; ſi diabolus admittitur, & Deus prohibeat malum ſub pœna mortis incurrendæ, bonum vero & obedientiam præcipiat, nego. Mulier eſt opus bonum quippe quæ ſit ad imaginem Dei; diabolus vero admiſſus eſt ad exercitationem tantum & probationem, unde ſi Eva peccavit, eſt per accidens, neque defectu Creatoris, qui condens naturam, etiam ad bonum operandum, elargitus eſt gratiam. Tertullianus egregiam hanc tra-

tradit ſolutionem ibidem pag. 464. *Quis, ait, beni auctor, niſi qui & exactor? Proinde quis mali extraneus, niſi qui & inimicus? Quis inimicus, niſi qui & expugnator? Quis expugnator, niſi qui & punitor? ſi totus Deus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt*. Subſcribit Auguſtinus ibidem: *Hoc eſt dicere, non fieret bonum: quia & ipſa utique (mulier) aliquid bonum eſt, & tantum bonum, ut Apoſtolus eam gloriam viri eſſe dicat, & omnia ex Deo*.

Inſiſtunt. Angelus malus abſque tentatione peccavit: igitur ordinante Deo: igitur Deus eſt auctor mali. Probatur conſequentia. Angelus non potuit abſque concurſu Dei agere; igitur actio ejus mala in Creatorem refundenda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo. Abſque tentatione externa peccavit Satan, concedo; abſque tentatione interna, nego. Forinſecus quidem nuſquam tentatus eſt, Deus quippe intentator malorum eſt; verum intrinſecus fuit, non quidem aut a concupiſcentia, aut a paſſione aliqua, cum utraque careret, nam & in juſtitia originali, & gratia conditus fuerat; unde non a Deo, ſed a ſeipſo malus factus eſt. Ad probationem diſtinguo. Deus concurrit ad actionem malam, ut ens eſt, concedo; ut mala eſt, nego. Duo ſunt in actu peccaminoſo diſtinguenda, materiale ſcilicet & formale: materiale eſt actus vitalis & quid phyſicum, igitur bonum; ens enim & bonum convertuntur, inquit B. Thomas, unde ex eodem S. Doctore, peccatum ut ens, eſt a Deo, quia bonum: formale, eſt privatio & deformitas ad regulas morum; ſub iſto reſpectu ſane non eſt a Deo; quippe quod ut ſic non habeat cauſam efficientem, ait Angelus ſcholæ, ſed tantum deficientem. Solutio eſt Tertulliani qui ibidrm pag. 458. ſic loquitur: *Unde igitur malitia mendacii & fallaciæ in homines, & infamiæ in Deum? a Deo utique non, qui & Angelum ex forma operum bonorum inſtituit bonum*.

Auguſtinus ſuum addit ſolutioni datæ calculum ibidem. " Et iterum dicunt,
,, quis fecit diabolum? ſeipſe; non enim
,, natura, ſed peccando diabolus factus
,, eſt. Vel ipſum, ajunt, non faceret
,, Deus, ſi eum peccaturum eſſe ſciebat,
,, immo quare non faceret, cum per
,, ſuam juſtitiam & providentiam, multos de malitia diaboli corrigat? An
,, forte non audiſtis Apoſtolum Paulum
,, dicentem: *Quos tradidi ſatanæ, ut di-*
,, *ſcant non blaſphemare* .... ergo, in-
,, quiunt, bonus eſt diabolus, quia uti-
,, lis eſt; immo malus, in quantum dia-
,, bolus eſt: ſed bonus & omnipotens
,, Deus eſt, qui etiam de malitia ejus
,, multa juſta & bona operatur: non
,, enim diabolo imputatur niſi voluntas
,, ſua, qua conatur facere male, non
,, providentia quæ de illo bene fa-
,, cit. ,,

Quod autem peccatum non ſit a Deo, niſi quatenus ens & materialiter, non in uno loco declarat ſanctus ille Doctor; quippe qui perpetuo & dicat & propugnet malum ut malum non habere cauſam efficientem, ſed deficientem. Hoc ipſum iterum inculcat hic ibidem Manichæis; ſcribit enim omne ens quidem utpote bonum a Deo promanare, nuſquam vero privationes & mala: pergit igitur, & ſic revincit Hæreticos unitatem Dei debellantes: " Nos dicimus nullum ma-
,, lum eſſe naturale, ſed omnes naturas
,, bonas eſſe, & ipſum Deum ſummam
,, eſſe naturam: cæteras ex ipſo eſſe na-
,, turas, & omnes bonas in quantum
,, ſunt, quoniam fecit Deus omnia bona
,, valde, ſed dictinctionis gradibus or-
,, dinata, ut ſit aliud alio melius, at-
,, que ita omni genere bonorum uni-
,, verſitas iſta compleatur, quæ quibuſ-
,, dam perfectis, quibuſdam imperfectis
,, tota perfecta eſt, quam Deus effector,
,, conditorque ejus juſto moderamine ad-
,, miniſtrare non ceſſat, qui omnia bona
,, facit voluntate, nihil mali patitur ne-
,, ceſſitate. ,,

Perſiſtunt. Ipſe Creator per Prophetas dicit: *Ego Dominus, & non eſt alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum ego Dominus*, Iſ. 45. 7. Et Amos 3. 6. ſic intonat: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Igitur duo Dii; unus malus, & malorum auctor; alter bonus, & bonorum omnium ſons & origo.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt mali pœnæ auctor & cauſa, concedo; mali culpæ, nego. Pœna eſt bonum: ſummæ ſiquidem congruit juſtitiæ juſtis caſtigationibus compeſcere peccatores; unde nedum in hoc malus, ſed potius & per-

perfectiſſimus & ſanctiſſimus. Eo prope modo hanc ſolvit inanium hominum difficultatem Tertullianus ibidem pag. 464. his verbis: " Nos autem adhibita diſtinctione utriuſque formæ, ſeparatis malis delicti & malis ſupplicii, malis culpæ & malis pœnæ, ſuum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati & culpæ, diabolum: malorum vero ſupplicii & pœnæ, Deum creatorem; ut illa pars malitiæ deputetur, iſta juſtitiæ mala condentis Judicia adverſus mala delicti: De his ergo Creator profitetur. malis quæ congruunt Judici, quæ quidem mala ſunt, quibus rependuntur: cæterum, ſuo nomine bona, qua juſta & bonorum deſenſoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna".

Urgent. Summam ſapit ſeveritatem, peccatum, quod momentanee delectat, æternis iiſque graviſſimis punire ſuppliciis: igitur tametſi Deus foret auctor mali dumtaxat pœnæ, non bonus ſed ſeveriſſimus dicendus, & conſequenter alius a Deo, qui eſt Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis..

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Hoc ſapit ſeveritatem juſtam, concedo; excedentem, nego antecedens & conſequentiam: immo in hoc ſumma relucet ſapientia & juſtitia, cum Deus abſque ulla perſonarum acceptatione, & abſque delectu, dat unicuique ſecundum opera, vel de præmiis iis qui bona egerunt, vel de pœnis iis qui mala. Neque vero contra juſtitiam eſt peccatum mortale pœnis punire æternis, quandoquidem offenſa eſt moraliter, propter Divinam Majeſtatem læſam, infinita; & ideo pœna non excedit delictum. Nec in hoc jura bonitatis ullo modo ſupplicium lædit, ex quo patet ad eumdem pertinere Creatorem, & juſtitiam & bonitatem; maxime vero, cum Deus omnibus, nulla excepta, refertus ſit perfectionibus; & ipſam ſpectet bonitatem contrarium ſibi, quale eſt peccatum, ſuppliciis propellere. Has omnes rationes egregie explanat Tertullianus ibidem pag. 464. " Quis boni auctor, niſi qui & exactor . . . . Quis expugnator, niſi qui & punitor? ſi totus Deus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt. Sic denique omnipotens, qui & juvandi & lædendi potens. Minus eſt tantummodo prodeſſe, de ejuſmodi quâ fiducia bonum ſperem, ſi hoc ſolum poteſt? Quomodo innocentiæ mercedem ſecter, ſi non & innocentiæ ſpectem? Diffidam neceſſe eſt, nec alteram partem remuneretur, utramque non valuit, uſque adeo juſtitia etiam plenitudo eſt Divinitatis ipſius exhibens Deum perfectum & Patrem & Dominum: ſeu Patrem, clementia; Dominum diſciplina; Patrem, poteſtate blanda Numinum; Dominum, ſevera; Patrem diligendum pie; Dominum timendum neceſſarie; diligendum, quia malit miſericordiam, quam ſacrificium; & timendum, quia nolit peccatum; diligendum quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem; & timendum, quia nolit peccatores ſui jam non pœnitentes: ideo Lex utrumque definit: Diligens Deum & timebis Deum. Aliud obſecutori propoſuit, aliud exhorbitatori. Ad omnia tibi occurrit Deus idem percutiens, ſed & ſanans, mortificans, ſed & vivificans; condens mala, ſed & pacem faciens.

Objiciunt 2. Ille non eſt bonus qui eſt auctor Legis malæ; atqui Creator viſibilium, eſt auctor Legis malæ, ſcilicet veteris, ergo, &c. Probatur minor. Ezechielis 2. 25. habetur: *Ego dedi eis præcepta non bona*. Ergo, &c.

Reſpondeo jam factum eſſe ſatis ſupra objectioni. Ad abundantiam juris;

Reſpondeo 2. negando minorem quoad ſecundam partem, videlicet Legem veterem eſſe malam, ſiquidem teſte Propheta, eſt Lex immaculata, convertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis: tum quia multa habebat ſacrificia, quibus homines Deum tanquam Creaturæ ſupremum agnoſcebant Dominum. Hinc & ipſe Deus ait populo pſal. 49. v. 9. *Non in ſacrificiis tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper*. Tum quia etiam Chriſtum præludebat Redemptorem, juxta illud 1. Cor. 10. 7. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*. Cæterum Apoſtolus Rom. 10. 4. 5. Deum optimum Legis veteris Auctorem eſſe teſtatur.

Ad probationem diſtinguo: Præcepta Legis Moſaicæ non erant bona, hoc eſt, non dabant gratiam, ſed ſolummodo

per Chriſtum dandam ſignificabant, concedo: unde Joan. 1. v. 17. habetur: *Lex per Moiſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Non erant bona abſolute, nego. Numquid non erat illud præceptum Deuteronomii 9. v. 4. & 5. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Solutio eſt Divi Thomæ, hic articulo 10.

Inſtant. Illa Lex non erat bona, quæ erat occaſio peccati: atqui ſic erat Lex vetus; & probatur ex Paulo, qui Romanorum 7. v. 8. & 9. ait: *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam; ſine Lege enim peccatum mortuum erat*.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Lex vetus erat occaſio peccati per accidens, concedo; per ſe, & ex natura ſua, nego. Immo optima, & teſtimonium Domini fidele convertens animas. Et vero omnis terra corruperat viam ſuam, unde neceſſaria fuit Lex, quæ peccati & turpitudinem, & finem malum atque perditionem, ad deterrendos homines a flagitio edoceret. In hoc ſolum ſenſu operabatur peccatum, in quantum homines per eam inſtructi non habebant amplius excuſationes in peccatis, uude ibidem Apoſt. v. 7. dicit: *Quid ergo dicemus, Lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per Legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret: non concupiſces*. In eodem ſenſu explicatur illud Romanorum 5. v. 20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum*.

Iterum inſtant. Lex vetus erat mortifera, igitur nullo modo bona. Probatur antecedens 2. Cor. 3. 6. de illa ſic loquitur Apoſtolus: *Littera enim occidit*. Ergo erat mortifera.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo: Littera materialiter ſumpta occidit, concedo; formaliter ſpectata, nego. Cum Lex eſſet Chriſti figura, debebant Judæi illam explicare ſemper per ordinem ad Chriſtum, a quo & ſpiritum vitæ, & gratiam per fidem accipiebant: ſin minus occidebat; ideſt, mortui manebant in peccatis; unde ibidem Apoſtolus ſubjungit: *Spiritus autem vivificat*.

Inſiſtunt. Lex non vacabat culpa: igitur vere & in ſe erat mala. Probatur antecedens Hebræorum 5. v. 7. & 8. Apoſtolus ait novum Teſtamentum neceſſarium fuiſſe, quia vetus non vacabat culpa: *Nam ſi illud prius culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Lex non vacabat culpa, ideſt, non erat perfecta, concedo; ideſt, mala erat, nego. Data eſt enim per Angelos in monte Sinai, ad erudiendum populum in juſtificationibus Dei. Tria quippe generis præcepta continebat, eaque optima, immo & ſanctiſſima; alia ſcilicet moralia, quibus bonum præcipiebat, malum vero prohibebat; alia judicialia, quibus dignas pro prævaricatoribus pœnas adſcribebat; alia denique cæremonialia, quibus debitum Deo cultum indagabat. Hæc eſt genuina Apoſtoli mens, namque Heb. 7. 19. dicit: *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex*.

Urgent. Omnia opera Dei optimi ſunt perfecta: ergo cum Lex non eſſet perfecta, utique tribui Deo bono non debet.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Lex vetus non erat perfecta per defectum negativum, concedo; per poſitivum, nego. Defectus poſitivus eſt peccatum, vel aliquid ad malum inclinans; negativus eſt privatio perfectionis non debitæ: Lex Moſaica non erat imperfecta primo modo, quandoquidem operari bonum, & declinare a malo præcipiebat; ſed ſecundo tantummodo, quatenus Legis novæ non habebat perfectionem: Sacramenta ipſius, inquit Concilium Florentinum, ſignificabant ſolum gratiam; noſtra vero & ſignificant & continent, & digne ſuſcipientibus conferunt: Eſto igitur Lex vetus in ſe perfecta; ſed comparatione ad novam, imperfecta: hoc eſt, minus perfecta: opera autem Dei non ſunt æqualis perfectionis, ut ſublimitas ſit ſolius Creatoris, & appareat ipſius ſapientia, quæ ſingulis dat ad menſuram, diſtribuens quod vult, & prout vult.

Perſiſtunt. Lex vetus permittit mala: igitur eſt imperfecta per defectum poſitivum. Probatur antecedens. Permittit 1. odium inimicorum, juxta illud Matthæi 5. v. 43. *Audiſtis*, inquit Chriſtus Judæis, *quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum*. 2. Deuteronomii 21. 19. Uxorum pluralitatem. 3. ibi-

ibidem cap: 24. v. 1. Eiſdem libellum repudii dare. 4. ibidem cap. 23. v. 19. Uſuras circa alienigenas: Sed hæc omnia ſunt mala: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Lex vetus permittit mala, ut quædam bona ſunt, concedo; reduplicative ut mala, nego. Ad primum, nego Legem veterem permittere odium, nam Levitici 19. verſ. 18. habetur: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. Ad Matthæi teſtimonium dico Chriſtum redarguere falſam traditionem quorumdam Rabinorum, qui inferebant male ex hoc quod Deus præciperet amare amicos, licitum eſſe odio habere inimicos; unde ibidem v. 44. *Ego autem dico vobis*, inquit Chriſtus, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*.

Ad pluralitatem uxorum, reſpondent Sancti Doctores Deum hoc permiſiſſe ad propagationem generis humani promptiorem; Judæi enim ſæpiſſime a variis Regibus captivi facti, magna ex parte peribant: porro eo ipſo quo Deus, qui eſt omnium Dominus, permittit aliquid, jam non eſt malum.

Ad tertium diſtinguo. Et utique Deus permiſit Judæis dare libellum repudii uxoribus, ne uxorem odio vel ira occiderent, concedo; Lex ſine auctoritate Dei optimi hæc faciebat, nego. Igitur propter bonum permiſit repudium Moiſes; permiſit quippe ad vitandum majus malum, unde Chriſtus Matth. 19. 8., dixit Judæis: *Moiſes ad duritiam cordis veſtri permiſit, &c.*

Ad quartum diſtinguo. Uſuras permittebat Lex reſpectu alienigenarum, & in foro externo, ne graviora evenirent mala, concedo; in foro interno, nego. Non deſunt Theologi qui credant permiſſas fuiſſe uſuras cum illis tantummodo alienigenis, qui vel Judæorum debitores, ut Ægyptii, vel terræ Chanaan Abrahamo, ab ipſo Deo datæ & conceſſæ detentores erant: igitur Judæi habebant jus ad eorum hæreditates & bona, unde magis ſua quam aliena uſuris percipiebant.

Idem proportionali modo dicendum eſt de aliis nationibus, quibus famulati fuerant Hebræi, qui cum ab ipſis, aut nihil, aut ſaltem modicum pro labore acceperant, reliqua debita aliis modis potuerunt accipere.

Reſpondeo 2. ad argumentum ex uſuris depromptum, Moiſen non permiſiſſe uſuras Judæis, neque reſpectu fratrum, neque etiam reſpectu alienigenarum: ſi uſura ſumatur ſtricte pro lucro ex mutuo, abſque alio titulo proveniente, ſed tantummodo ut latiſſime ſumitur, nimirum pro mercium venditione, majori pretio, maxime, cum pretium non actu exhibetur dum merces dantur, ſed ad tempus quoddam præfixum ſolvitur; quod quidem licitum eſſe nemo non novit: triplex enim a Theologis diſtinguitur pretium licitum, videlicet infimum, medium & ſupremum; ita tamen, ut iſtud non excedat juſtitiæ leges, quibus merces cum aliquo lucro vendi permittitur; cautum enim erat a Domino, ut non Judæi fœnerarent cum fratribus ſuis ad uſuram, hoc eſt, ut ab eis lucrum ſupremum pro mercibus non exigerent, etiamſi ad tempus ſolutio differretur, bene vero ab alienigenis.

Quod autem uſura in iſto prorſus ſenſu a Moiſe ſumatur, patet ex multiplici Scripturæ loco, Deut. 33. ſic loquitur Propheta Legislator: *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno; fratri autem tuo abſque uſura, id quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus*. Luce clarius apparet, ibi mentionem non fieri de uſura ſtricte ſumpta, quæ eſt lucrum ex pecunia mutuata proveniens, & hoc ſupra ſortem: quandoquidem loquitur Moiſes de frugibus, aliiſque rebus ad vitam vel fovendam vel reparandam neceſſariis.

Rurſus ibidem cap. 28., inter benedictiones populo conceſſas, numerat Moiſes dare ad uſuram alienigenis, quod certe intelligi non poteſt de uſura ſtricte ſumpta, quippe quæ ſit contra Jus & naturale & divinum: *Si autem*, inquit ad populum, *audieris vocem Domini tui, ut facias, atque cuſtodias omnia mandata ejus .... venientque ſuper te univerſæ benedictiones iſtæ .... Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro .... Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore ſuo, benedicetque cunctis operibus manuum tuarum, & fœnerabis gentibus multis: & ipſe a nullo fœnus accipies*, hoc eſt, ita eris dives, ut in futurum potueris merces vendere alienigenis, & lucrum inde recipere optimum;

Quod

Quod ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui .... advena .... ipſe fænerabit tibi, & tu non fænerabis ei : ideſt, omnibus bonis ſpoliatus, merces ab alienigenis ſupremo pretio accipere cogeris.

Jam diſtinguo, in forma, Moiſes permiſit uſuram late ſumptam, concedo; ſtricte uſurpatam, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſtat ex Traditione ad Adam uſque ad nos, unicum eſſe Deum.

Primo. Quia in Pentateucho, & in cæteris veteris Teſtamenti libris ſermo habetur de uno tantum Deo, maxime Deut. 6. 4. *Dudi Iſrael, Dominus noſter unus eſt.*

Secundo. Idem patet ex punitione populi, qui non ſemel propter idololatriæ ſcelus, in captivitatem duram traditus eſt.

Tertio. Eandem confirmat veritatem novum Teſtamentum, præſertim vero Marci 12. 29. *Primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*. Unde Tertullianus ait lib. 1. contra Marc. cap. 3. *Deus, ſi non unus eſt, non eſt.*

SYNOPSIS SOLUTIONUM

PRO OBJECTIONIBUS.

Primo. Verum eſt Deum in creatione loqui in plurali diceudo : *Faciamus hominem ad imaginem noſtram* : Sed hoc tantummodo ad deſignandam vel Majeſtatem Creatoris, vel ad ſummum perſonarum pluritatem.

Secundo. Non ſemel in Scriptura ſacra mentio fit de pluralitate Deorum; ſed obſerves, velim, benevole Lector, Scripturam loqui modo de falſis Gentilium Numinibus, modo etiam de Juſtis qui quandoque dicuntur & Filii Dei, immo & Dii, ſed per participationem.

Tertio. In iiſdem ſacris Scripturis ſermo habetur de Deo, qui multorum malorum auctor eſt, & de Deo qui omnium bonorum eſt & cauſa & principium; ſed & hoc non arguit plures eſſe in Sanctiſſimi Trinitate Deos, idem enim Deus mala poſitiva ad juſtam vindictam infligit peccatoribus, mala vero culpæ, quæ videntur in mundo, graſſari permittit, ſed eorum non poteſt eſſe principium.

Quarto. Lex vetus quandoque mala dicitur; ſed ſic intellige, hoc eſt, minus perfecta, nova ſiquidem & ſanctior, & etiam multo efficacior, unde illa comparatione ad iſtam imperfecta vocatur; attamen in ſe ſancta fuit : igitur a Deo optimo eam eſſe nihil vetat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum conſtet auctoritate Miraculorum, unicum eſſe Deum?

DEBELLAVIMUS & refutavimus idololatras auctoritate Scripturæ, ſed quia non agnoſcunt eam, contra eos agimus auctoritate triplici quam recuſare nequeunt. Primo quidem auctoritate miraculorum, quæ certe maxime convincit etiam pertinaciores & obduratos. Secundo auctoritate inter Gentiles doctiſſimorum, & etiam Sibyllarum. Tertio ipſa ratione. De primo momento impræſentiarum agimus.

CONCLUSIO.

Ex multis miraculis in utroque Teſtamento patratis conſtat, unicum eſſe Deum.

Miracula Veteris Teſtamenti, Unitatem Dei indigitantia.

Moiſes multa ſigna fecit ad gloriam Dei Iſrael; coegit idololatram Regem confiteri Dominum, & populum relaxare, ut ſacrificaret in deſerto: modo virgam Aaron convertit in colubrum, & aquas in ſanguinem, ut habetur Exod. 7.: modo produxit ranarum, deinde cyniphum, poſtea muſcarum infinitam prope multitudinem, ut habetur Exod. 8.: modo peſtem in jumentis, plagam viſcerum & grandinis, ut habetur Exod. 9: modo locuſtas, quarum non erat numerus, & denſiſſimas tenebras, ut habetur Exod. 10: modo primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus, Angelo vindice, peremit; ut ſciret Rex, quoniam unus eſt Deus ſuper omnes Deos inanes & conflatiles, ut habetur Exod. 12. Quibus portentis com-

commotus tyrannus, dimiſit populum, ut legitur verſu 31. ejuſdem capitis: *Vocaviſque Pharao Moiſe & Aaron, nocte, ait, Surgite & egredimini a populo meo, vos & filii Iſrael: ite, immolate Domino, ſicut dicitis*. Non dicit Domino veſtro, ſed Domino, agnoſcens quod unus ſolus ſit Deus & Dominus.

Sed & cum populus perveniſſet in Mara, nec aquas præ amaritudine earum bibere poſſet, Moiſe ad Dominum clamante, aquæ in dulcedinem verſæ ſunt, Exod. 15. Sic ipſo adhuc orante, cœli diſtillaverunt manna in deſerto Sinai, Exod. 16. Sic percutiens petram, eduxit aquas, Exod. 17. Ut his omnibus ſciret Iſrael, quoniam non eſt alius Deus præter Dominum.

Joſuee Duce, Iſrael ſiccatum miraculo Jordanem tranſiit; ita Joſ. 3., poſt varios ſeptem dierum circuitus coram arca fœderis ruunt muri urbis Jericho, captaque civitas funditus deletur, ut inde diſcat populus ad idololatriam pronus, unicum eſſe Deum, ut legitur Joſ. 6. *Sitque civitas hac anathema, & omnia quæ in ea ſunt, Domino*.

Gedeon jubente Domino, cum trecentis ſolum viris, Madianitarum exercitum, licet prægrandem penitus ſubvertit, ſic enim habetur Jud. 7. v. 7. *Ait Dominus in trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian*. His prodigiis Iſraelitarum fides in unicum Deum confirmabatur, unde illum, Dominum exercituum, & fortem in prælio appellabant.

David adhuc adoleſcens prævaluit in funda & lapide adverſus Philiſtæum Gigantem, qui laudans Deos ſuos, exprobrabat Deo viventi. Lib. 1. Reg. 17. v. 45. *Irruens enim in eum, dixit: Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael*.

Elias quinquagenarium Principem miſſum ad ſe per Ochoziam Regem idololatram qui Belzebub conſuluerat ſuper ægritudine ſua, igne e cœlo delapſo, occidit; ut ſciret Rex quod unus ſit Deus, in quo ſolo debet homo ponere ſpem ſuam; ſic enim refertur lib. 4. Reg. cap. 1. v. 10. *Reſpondenſque Elias dixit quinquagenario, ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos*.

Eliſæus Naaman Principem Regis Syriæ, mundavit a lepra, præcipiendo in nomine Dei Iſrael, ut ſepties ſe lavaret in Jordane, qui poſtea, relicto idolorum cultu, confeſſus eſt unum Deum. Lib. 4. Reg. cap. 5.

Cyrus, licet idololatra, cœlitus tamen inſpiratus, reſtitutis vaſis domus Domini, Templum ad honorem unius veri Dei reædificari conceſſit, populumque Iſraeliticum a captivitate relaxavit. Lib. 1. Eſdræ, cap. 1.

Darius Decretum Cyri pro reædificatione Templi veri Dei, non ſine novo miraculo, executioni juſſit mandari, & ſumptus ad id neceſſarios ſuppeditavit. Ibid. cap. 6.

Artaxerſes Longimanus licentiam fecit Judæis iterum reſtaurandæ Jeruſalem, pacificeque colendi Deum cœli. Lib. 2. Eſdræ, cap. 2.

Judith a Domino confortata abſcidit Holofernis caput, qui inique Deum Hebræorum ſpreverat, hocque inſigni facto, mulier fortis in nomine Domini patriam ſuam liberavit. Judith cap. 5.

Eſther ſupplici prece, ſollicitato Deo, apud Aſſuerum gratiam inveniens, in caput ſuperbientis Aman, qui gentem ſuam delere ſtatuerat, ſupplicium convertit. Eſther cap. 7.

Daniel varia refert miracula, quibus ipſi Imperatores idololatræ adſtricti ſunt unum agnoſcere Deum omnipotentem.

Primum miraculum fuit in fornace Babylonica, in quam tres pueri ſtatuam Nabucodonoſoris adorare renuentes, ligatis manibus pedibuſque, vivi miſſi ſunt, quos Deus incolumes ſervavit, mirante Rege, qui ait: *Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Miſach & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſervos ſuos, qui crediderunt in eum. Et verbum Regis mutaverunt, & tradiderunt corpora ſua, ne ſervirent & adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo. A me ergo poſitum eſt hoc Decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach & Abdenago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur, neque enim eſt alius Deus qui poſſit ita ſalvare*. Dan. cap. 3.

Secundo eſt reſpectu ipſiuſmet Danielis, qui invidia idololatrarum in lacum

cum leonum miſſus, eo quod ſtatutis diebus Dominum coluerat; inde illæſus exivit, ejus vero accuſatores in lacum projecti, ſtatim leonum dentibus dilaniantur, quo perſpecto miraculo; Darins Deo Iſrael, quem ſolum omnipotentem fatetur, publicam tribuit laudem; ſic enim habetur cap. 6. *Tunc Darius Rex ſcripſit univerſis populis, tribubus & linguis, habitantibus in univerſa terra. Pax vobis multiplicetur: A me conſtitutum eſt Decretum, ut in univerſo Imperio & Regno meo, tremiſcant & paveant Deum Danielis, ipſe eſt enim Deus vivens & æternus in ſæcula, & Regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum; ipſe liberator atque ſalvator, faciens ſigna & mirabilia in cælo & in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum.* Simile etiam miraculum ad ejuſdem rei probationem, legitur in capite 14. Danielis.

Machabæi varias contra impium Antiochum ſolius Dei ope, victorias miraculoſe reportaverunt; Judas enim Machabæus Nicanorem devicit, interfectis de ejus exercitu, una cum Timotheo & Bacchide, pluſquam 29000. hominum, ita ut Nicanor ſolus effugiens prædicaret Judæos Deum habere protectorem. Ita lib. 2. Mach. 8. v. 36. *Et qui promiſerat Romanis ſe tributum reſtituere de captivitate Jeroſolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Judæos, & ob ipſum invulnerabiles eſſe, eo quod ſequerentur Leges ab ipſo conſtitutas.* Quas Leges, niſi quia tuebantur fidem unius Dei contra pluritatem inanium Deorum quos Rex cum ſuis colebat?

Antiochus perſecutorum omnium crudeliſſimus, Machabæorum Fratrum, una cum matre, in odium Religionis unius veri Dei ſanguine atrociter effuſo, divina perſequente juſtitia, intolerabilibus viſcerum doloribus exagitatus, & vermibus ſcatens, horridum fœtorem undequaque emittens, inutili prece Deum, quem contempſit, invocat, nam, ait Scriptura lib. 2. Mach. 9. 12. *Cum nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire; orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*: igitur liquet ex his tot tantiſque miraculis nnum eſſe Deum.

Divus Auguſtinus idem urget argumentum contra Atheos, magnalia a Deo in veteri Teſtamento compedioſe recenſet lib. 21. de Civ. c. 8. Non injucundum erit verba hic ejuſdem S. Doctoris ſubtexere, quibus probat miraculo omnium maximo Deum Leges naturæ, a creatione licet affixas, nonunquam ad nutum immutare, ut ſciant gentes, quoniam ipſe eſt Deus, nec alius præter eum; audiatur igitur Auguſtinus qui ſic loquitur pag. 628. Edit. nov. “Quid tam ratis le-
,, gibus fixiſque firmatum? Et tamen quan-
,, do ille voluit, qui ſummo regit impe-
,, rio ac poteſtate quod condidit, ſtella
,, præ cæteris magnitudine atque ſplen-
,, dore notiſſima, colorem, magnitudi-
,, nem, figuram, & quod eſt mirabilius, ſui
,, curſus ordinem legemque mutavit. Tur-
,, bavit profecto tunc, ſi ulli jam fuerunt
,, canones Aſtrologorum, quos velut ine-
,, narrabili computatione de præteritis ac
,, futuris aſtrorum motibus conſcriptos
,, habent, quos canones ſequendo, auſi
,, ſunt dicere hoc quod de Lucifero con-
,, tigit, nec antea nec poſtea contigiſſe.
,, Nos autem in divinis Libris legimus
,, etiam ſolem ipſum & ſtetiſſe, cum
,, hoc a Domino Deo petiviſſet vir ſan-
,, ctus Jeſus-Nave, donec cœptum præ-
,, lium victoria terminaret; & retror-
,, ſum rediiſſe, ut Regi Ezechiæ quin-
,, decim anni ad vivendum additi, hoc
,, etiam prodigio promiſſioni Dei ſignifi-
,, carentur adjuncto: ſed iſta quoque mi-
,, racula, quæ meritis ſunt conceſſa San-
,, ctorum, quando credunt iſti facta, ma-
,, gicis artibus tribuunt; unde illud eſt
,, quod ſuperius commemoravi dixiſſe Vir-
,, gilinm ſiſtere aquam fluviis, & ver-
,, tere ſidera retro. Nam & fluvium ſte-
,, tiſſe ſuperius, inferiuſque fluxiſſe, cum
,, populus Dei, ductore ſupra memorato
,, Jeſu-Nave, viam carperet, & Elia
,, Propheta tranſeunte, ac poſtea Diſci-
,, pulo ejus Eliſæo, id eſſe factum in ſa-
,, cris Litteris legimus; & retro verſum
,, fuiſſe maximum ſidus, regnante Ezechia,
,, modo commemoravimus.

Quoniam vero increduli, ut notavit Auguſtinus, miraculis virtute gratiæ patratis fidem adhibere renuunt, tria alia momenta, ſed mira ordinis quidem naturalis, quæ præ omnium oculis ſunt, recenſet S. Doctor, ut Deum negare erubeſcant, Primum petit ex vultus diſſimi-

litudi-

ſitudine, quæ non ſine miraculo quodam ſtupendo, in ſingulis conſpicitur hominibus. Alterum eſt de infelici & maledicta terra Sodomorum, quorum Urbes ab initio amœnitate jucundiſſimæ, nunc exuſtione & putredine omnibus exoſæ ſunt. Tertium de jugi fœcunditate terræ, quæ & herbam virentem & lignum pomiferum, & lætas ſegetes liberaliter ad uſum hominum jumentorumque proferre non deſinit; quod ſaoe, tametſi continuum, non ceſſat eſſe prodigium: igitur ubique & miracula & portenta Dei optimi exiſtentiam mirum in modum indigitant.

De primo ibidem ſic loquitur Auguſtinus, & incredulos increpat pag. 618. Edit. novæ: " Cur non ergo de notitia ,, naturarum caliginem ſibi faciant infi,, deles, quaſi non poſſit in aliqua re di,, vinitus fieri aliud, quam in ejus natu,, ra per humanam ſuam experientiam co,, gnoverunt, quamvis & ipſa quæ in re,, rum natura omnibus nota ſunt, non mi,, nus mira ſint; eſſentque ſtupenda con,, ſiderantibus cunctis, ſi ſolerent homi,, nes mirari mira niſi rara. Quis enim, ,, conſulta ratione, non videat in homi,, num innumerabili numeroſitate, & tan,, ta naturæ ſimilitudine, valde mirabi,, liter ſic habere ſingulos ſingulas fa,, cies, ut niſi inter ſe ſimiles eſſent, ,, non deſcernerentur ſpecies eorum ab ,, animalibus cæteris? & rurſus, niſi in,, ter ſe diſſimiles eſſent, non diſcerne,, rentur ſinguli ab hominibus cæteris? ,, Quos ergo ſimiles confitemur, eoſdem ,, diſſimiles invenimus; ſed mirabilior eſt ,, conſideratio diſſimilitudinis, quoniam ,, ſimilitudinem juſtius videtur exponere ,, natura communis: Et tamen, quoniam ,, quæ ſunt rara, ipſa ſunt mira, multo ,, amplius admiramur quando duos ita ſi,, miles reperimus, ut in iis diſcernendis ,, aut ſemper, aut frequenter eremus. ,,

De ſecundo pag. 619. ſic proſequitur: " ,, Terra Sodomorum non fuit utique ut ,, nunc eſt, ſed jacebat ſimili cæteris fa,, cie, eademque vel etiam uberiore fœ,, cunditate pollebat; nam Dei Paradiſo ,, in divinis Eloquiis comparata eſt: Hæc ,, poſtquam tacta de Cœlo eſt, ſicut il,, lorum quoque adteſtatur Hiſtoria, & ,, nunc ab eis qui veniunt ad loca illa ,, conſpicitur, prodigioſa fuligine horro,, ri eſt, & poma ejus interiorem favil,, lam mendaci ſuperficie maturitatis in,, cludunt. Ecce non erat talis, & talis ,, eſt: ecce a Conditore naturarum natu,, ra ejus in hanc fœdiſſimam diverſita,, tem mirabili mutatione converſa eſt; ,, & quod poſt tam longum accidit tem,, pus, tam longo tempore perſeverat. ,, Sicut ergo non fuit impoſſibile Deo, ,, quas voluit inſtituere, ſic ei non eſt ,, impoſſibile, in quidquid voluerit, mu,, tare naturas. ,,

De tertio momento multa profert idem ſanctus Doctor tract. 24. in Joannem; explicans enim miraculoſam panis hordeacei multiplicationem pro alendis turbis ſic effatur: " Miracula quæ fecit Domi,, nus noſter Jeſus-Chriſtus, ſunt quidem ,, divina opera, & ad intelligendum Deum ,, de viſibilibus admonent humanam men,, tem: quia enim ille non eſt talis ſub,, ſtantia quæ videri oculis poſſit, & mi,, racula ejus, quibus totum mundum re,, git, univerſamque creaturam admini,, ſtrat, aſſiduitate viluerunt; ita ut pæ,, ne nemo dignetur attendere opera Dei ,, mira & ſtupenda in quolibet ſeminis ,, grano .... Majus enim miraculum eſt ,, gubernatio totius mundi, quam ſatura,, tio quinque millium hominum de quin,, que panibus: & tamen hoc nemo mi,, ratur. Illud mirantur homines, non ,, quia majus eſt, ſed quia rarum eſt: ,, Quis enim & nunc paſcit univerſum ,, mundum, niſi ille qui de paucis granis ,, ſegetes creat? ..... habent enim, ſi ,, intelligantur, linguam ſuam. ,, Igitur ex Auguſtino cuncta annuntiant & exiſteutiam & gloriam Dei: igitur vere inſipiens eſt qui dicit in corde ſuo: Non eſt Deus.

Miracula Novi Teſtamenti, ad gloriam unius Dei facta.

Chriſtus ipſe fuit inter omnia miracula maximum, quippe qui natus ex B B. Virgine, omnibus benefaciendo pertranſierit: modo cæcos illuminabat: modo leproſos mundabat: Quæ quidem omnia ſigna atque portenta patrabat, ut unum hominibus manifeſtaret Deum, ſic enim habetur Joannes 17., verſ. 3. *Hæc eſt*, inquit Chriſtus, *vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*. Ibidem v. 6.:

PaDigitized by Google

Pater .... manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo .. Ibidem v. 4.: *Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*. Poſtea concludit v. 25. & 26. his verbis: *Pater juſte, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi; & ii cognoverunt quia tu me miſiſti; & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis*..

Stephanus a Judæis comprehenſus, eo quod prædicaret Chriſtum eſſe Deum, ſtans in medio Doctorum, fuſum habuit ſermonem de pacto Dei cum Abraham, probans Deum unum eſſe, Chriſtum vero ipſi conſubſtantialem agnoſcendum; tunc, ut enarrat Scriptura, aperti ſunt cœli, & ipſe Stephanus vidit Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei; ſic enim habetur Actuum 7. v. 55.: *Cum autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris Dei*.. Idem percelebris Levita multa ſigna fecit & prodigia ad probandum unitatem Dei, & Chriſti cum Patre conſubſtantialitatem, ut legitur ibidem cap. 6. v. 8.: *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna multa in populo*.

Petrus tot & tanta pro eadem veritate comprobanda faciebat, ut ipſius umbra ad morbos ſanandos etiam ſufficeret, juxta illud Actuum 5., v. 15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis*. Quid dicam de cæteris Apoſtolis qui Gentilibus duo iſta fidei puncta, ſcilicet Unitatem Dei, & Chriſti Divinitatem, atque cum Patre conſubſtantialitatem ſequentibus ſignis prædicabant & confirmabant? Ibidem enim habetur v. 12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe*.

Martyres utique infinita prope miracula ad illa momenta defendenda coram idololatris patrarunt, ut eos ad Chriſti fidem, & unius Dei confeſſionem tandem aliquando perducerent.. Revera quidem quot vexatos a dæmonibus liberarunt? quot deſperata ſanitate curaverunt? quot e mortuis ad vitam precibus & meritis evocavere? & ut omnia paucis complectar, ſapientia Philoſophorum paupertate & ſimplicitate Piſcatorum devicta fuit; furor Tyrannorum ceſſit patientiæ unum evangelizantium Deum; Crux in fronte Regum, inquit Auguſt. ſubverſis idolorum templis, rutilat; miratus eſt orbis idololatra ſe eſſe Chriſtianum, & unius Dei cultorem. Sanguis Martyrum, o miraculum miraculorum! fuit, inquit Tertullianus, ſemen Chriſtianorum. Quot Martyres, tot miracula & prodigia, ſeu tot voces conclamantes: Unus Deus eſt: Auferte hinc indola: Projicite poſt tergum Deos alienos.

Hæc omnia breviter explanat S. Cyprianus in epiſtola ad Martyres & Confeſſores: “ Quibus ego vos laudibus prædicem fortiſſimi Martyres? robur pe-
„ ctoris veſtri, & perſeverantiam fidei;
„ toleraſtis uſque ad conſummationem glo-
„ riæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſi-
„ ſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſuppli-
„ cia ceſſerunt; finem doloribus, quem
„ tormenta non dabant, coronæ dede-
„ runt.. Laniena gravior diu perſevera-
„ vit, non ut ſtantem fidem dejiceret,
„ ſed ut homines Dei ad Deum velocius
„ mitteret.. Vidit admirans præſentium
„ multitudo cœleſte certamen, certamen
„ Dei, certamen ſpiritale, prælium Chri-
„ ſti: ſtetiſſe ſervos ejus voce libera,
„ mente incorrupta, virtute divina, te-
„ lis quidem ſæcularibus nudos, ſed ar-
„ mis fidei ardentis armatos. Steterunt
„ torti torquentibus fortiores; & pulſan-
„ tes ac laniantes ungulas, pulſata ac la-
„ niata membra vicerunt.. Inexpugnabi-
„ lem fidem ſuperare non potuit ſæviens
„ diu plaga repetita, quamvis, rupta com-
„ page viſcerum, torquerentur in ſervis
„ Dei, jam non membra, ſed vulnera.
„ Fluebat ſanguis qui incendium perſecu-
„ tionis extingueret, qui flammas & ignes
„ gehennæ glorioſo cruore ſopiret..

Igitur eſt unus Deus: tot miracula & ſtupenda prodigia hanc confirmarunt veritatem: teſtimonium ex inimicis pluries, ex ore ipſorum Regum idololatrarum & tyrannorum ad hoc habemus: & fides Chriſti qui eſt unius filius Dei viventis per totum orbem diffuſa, mirum in modum prædicat..

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIUNT idololatræ. Miracula pa-

patrata ſunt multa a magis Pharaonis pro cultu falſorum Numinum ; nam & produxere ſerpentes, ſicut unum produxerat Moiſes, convertendo virgam Aaron in colubrum, ut habetur Exod. 7. igitur miracula non opponuntur pluralitati Numinum.

Reſpondeo diſtinguendo. Miracula falſa patrata ſunt a magis Pharaonis, concedo : vera, nego. Enimvero adduxerunt ope & arte dæmonum ſerpentes coram Pharaone, ſed non produxerunt, ſicut fecit Moiſes; vel etiam dici poteſt, faſcinatis & illuſis ſpectantium oculis, apparuiſſe ſerpentes. Ad omnipotentem quippe ſolum pertinet convertere unam ſubſtantiam in alteram : Porro Moiſes virtute Dei omnipotentis inſtructus miraculoſe verum potuit producere colubrum ; ſed non idem dicendum de magorum operatione. Cæterum, prævaluit ſerpens a Moiſe productus, & cæteros devoravit ; quod certe fuit magnum argumentum Deum cœli dominari dæmonibus, nec eſſe alium præter ſe Deum. Ita habetur ibid. v. 12.

Inſtant. Atqui magi Pharaonis vera patravere miracula in teſtimonium plurium Deorum, ergo, &c. Probatur ſubſumptum. Convertere unam ſubſtantiam in alteram, eſt verum miraculum ; ſed magi & malefici Pharaonis converterunt aquas fluminum in ſanguinem, ut ibid. c. 7. habetur : igitur fecerunt vera miracula ; cum enim hæc feciſſet ſigna Moiſes ſuper aquas fluminum & paludum, additur v. 22. *Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis*.

Reſp. nego ſubſ. ad prob. diſt. Fecerunt ſimiliter apparenter, adhibendo colorem aquis, quod fit naturaliter, concedo ; quis enim colorem non addat aquæ projiciendo ligna vel aliquod minerale, ut artifices quotidie faciunt ? quis etiam corpus corruptum projiciendo in aquas, etiam ipſas corrumpere non valeat ? Sic feciſſe Pharaonis magos, nemo, ſi attendat, diffitebitur. Aquas per veram ſubſtantiæ immutationem converterunt in ſanguinem, ſicut fecerat Moiſes, nego. Virtus quippe divina ad tantum prærequiritur miraculum. Verum non unum illud, ſed alia permulta ſigna patravit Legiſlator mirabilis, quæ incantatores nequidem adumbrare potuerunt. Unde prævaluit auctoritas Dei viventis ſuper idololatras, maxime ſuper Pharaonem, qui cum exercitu ſepultus eſt in mari rubro : aquæ enim a dextris & a ſiniſtris ſteterunt ſtupendo miraculo, ut filii Iſrael ſicco veſtigio tranſirent mare ; ipſe vero aquæ fluentes ſicut prius, ſuis operuerunt fluctibus & Pharaonem & ejus exercitum.

Reſpondeo 2. Potuiſſe magos, Deo permittente, facere aliqua miracula ad majorem ſui nominis exaltationem, nempe ut a Moiſe ſervo ſuo vincerentur, & ipſe major agnoſceretur omnium Dominus. Sic permiſit Balaam prædicere Meſſiam, qui utique ut populo Iſraelitico malediceret, miſſus, quamvis quodammodo invitus, mutata deſuper voluntate benedixit, Num. 22. Addo magos non potuiſſe interpretari ſomnium Pharaonis, ut legitur Geneſ. c. 41. nec utique ſomnium Nabuchodonoſor, ut legitur Daniel. cap. 4. quod quidem validiſſimum eſt argumentum, magos non habuiſſe virtutem patrandi vera miracula.

Objiciunt 2. Stephanus fecit ſigna & prodigia magna in populo ; per manus Apoſtolorum utique fiebant, ut dictum eſt : Sed hæc non probant unitatem Dei, quandoquidem ſimilia Anti-Chriſtus facturus eſt, ut in errorem, inquit Apoſtolus, ſi fieri poteſt, inducat etiam electos. Ita enim habetur 2. Theſſal. 2. v. 9. De antichriſto : *cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute & ſignis & prodigiis*. Igitur miracula non probant unitatem Dei.

Reſpondeo diſtinguendo. Antichriſtus faciet ſigna, ſed non miracula vera, ſicut fecerunt Stephanus, & Apoſtoli, concedo ; ſigna vera & miracula, nego. Tria diſtinguenda ſunt, prodigium, mirum, & miraculum ; prodigium ſeu portentum, eſt quod raro evenit, & eſt inſolitum, ut cum mare evomit globulos igneos. Mirum illud eſt, quod ſuperat rudiorum captum & mentem, ut cum aliquis brevi tempore multas acquirit ſcientias, quas & pari facilitate reducit ad praxim. Miraculum eſt, quando aliquid fit per immutationem ſubſtantiæ, ut cum ignis contra naturam non urit : ſic in fornace non læſit ſanctos Pueros. Omne quod eſt naturaliter factibile, faciet ope dæmonum antichriſtus, ſed non immutando

Digitized by Google

tando naturam; adeoque nullum verum miraculum: quia tamen hæc erunt inſolita, in errorem inducet multos. Ita ait Apoſtolus, qui ibidem ſubjungit: *In omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, iis qui pereunt*. Herodotus lib. 5., mentionem facit de falſis miraculis patratis Athenis a mimis, qui ſuper carbones ardentes deambulabant: refert utique magos ſeduxiſſe plurimos. Teſte Athenæo lib. 1. cap. 16., ſapientes irridebant illos qui fidem aliquam adhibebant mimis: ii, teſte Varone, oleo vel aliquo alio medicamento, plantam pedum urgebant, ita ut ſine offendiculo, ignem calcarent & premerent; ab ipſis igitur paganis habemus magos phantaſtica patraſſe miracula.

Objiciunt 3. Prophetia magnum dicitur donum, non enim ſine miraculo ventura aliquis prædicere poteſt: atqui tale donum apparuit utique in malis, nempe in Balaam falſo-propheta, ut legitur Num. 23. verſ. 9. & 10. In Saule, ut refertur primo Regum 10. In ipſo impio Caipha, ut legitur Joann. 11.: igitur nullum poteſt erui & ex miraculis & ex ſignis, ad probandam Dei unitatem argumentum. Confirmatur. Dæmonia reddebant oracula quibus utique futura nonnumquam prænuntiabant: igitur Prophetiæ ad confirmationem unitatis Dei, aut nihil, aut modicum inſerviunt.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Prophetiæ donum fuit in malis ad veritatis argumentum, concedo; ad falſitatem, nego. Dracones enim & abyſſi benedicunt Domino; ipſi dæmones, ut in Evangelio legitur, confitentur Chriſtuum: Balaam vir nequam prophetat quidem, ſed ad benedictionem populi Iſraelitici, cui tamen maledicere volebat: Saul etiam inter Prophetas, ad oſtenſionem potentiæ Dei qui utitur creaturis abſque indigentia, ad quod vult, & quomodo vult: Caiphas utique prophetat, Joann. 11. 50. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. In hoc quoque veritas magis probatur, cum etiam impii laudem Deo dicere, ejuſque magnitudinem confiteri teneantur: aſt uſque nunc non eſt auditum aliquem vera patraſſe miracula pro errore & mendacio comprobando. Ad confirmationem dico, fallacia fuiſſe Gentilium & oracula & augures. Plutarchus de oraculorum defectibus, refert, Lyſandrum Lacedæmoniorum Ducem voluiſſe pecunia corrumpere Delphicum oraculum, ut ſibi faveret, & fauſta pro eo prædiceret. Diodorus Siculus lib. 15., ſcribit oracula fuiſſe apud multos in fabulam. Herodotus l. 6. aſſerit Cræſum ingemuiſſe, & obmurmuraſſe, eo quod ab oraculo Delphico non ſemel fuiſſet illuſus, quamvis ejus templum multis decoraſſet muneribus. Nonnulli referunt Gentiles habuiſſe viros potentes, qui mortuos ad vitam evocaret volebant; ſed hoc veriſimile non apparet: enimvero, ſi illi tantam habuiſſent auctoritatem, cur ſectatores non habuerunt?

Opponunt 4. Miraculum eſt argumentum extrinſecum rei, unde nihil probat; quandoquidem erectio paralytici & claudicantis, verbi gratia, nullam habent connexionem cum unitate Dei: igitur non poteſt hoc argumento probari neque a priori, neque a poſteriori unitas Dei: tum quia hoc eſt petere principium; ſiquidem idololatræ nullum agnoſcunt verum miraculum a nobis laudatum: nullas quippe recipiunt Scripturas: immo Gentiles arti magicæ Martyrum miracula tribuere non ſemel auſi ſunt.

Reſpondeo diſtinguendo. Miraculum eſt argumentum extrinſecum, & illative ſuadens virum probum & prudentem, concedo; & non ſuadens ullo modo, nego. Miraculum quidem de ſe naturalem non habet reſpectu noſtri cum Divinitate connexionem, maxime, cum ſit ſupra captum humanum; quomodo enim ſine fide cognoſci poteſt, lutum, quo linivit oculos cæci nati Chriſtus, habere connexionem cum viſione & cum Divinitate? Si tamen homo ſenſatus conſideret non dari viribus naturæ a privatione regreſſum ad habitum; cæcum a nativitate non poſſe ſola ope humana viſum recuperare; lutum de ſe nullam habere ad hoc virtutem amicam, ſed potius contrariam, inferet hominem talia ſigna patrantem, eſſe pluſquam hominem: jam vero ſi dicatur illi Thaumaturgum hanc a Deo uno habere poteſtatem, inferet eſſe de facto unum Deum, cui omnia obediunt; unde & ſi quidam ex cæcitate voluntaria irrideant, lux enim quandoque ex indiſpoſitione ſubjecti, tametſi ſuum emittat fulgorem, contra naturam obcæcat; eo pro-

Digitized by Google

prope modo lux Chriſti perfidos obcæcavit Judæos, juxta illud Joan. 1, 6: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt . . .* . v. 10. *mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*. Si, inquam, quidam irrideant miracula, non tamen ſenſati & ſapientes. Enimvero inter Gentiles doctiſſimi, & admodum probi, legendo Prophetias, vel etiam Martyrum miracula in teſtimonium pro unitate Dei patrata ponderantes, afflante Spiritu Sancto, obediebant fidei: ſic enim ratiocinatos fuiſſe fertur, qui tot & tam ſtupenda patrant in nomine Dei ſui; oportet Deum eſſe unum & verum: ſic humiliatus Nabuchodonoſor raciocinatus eſt: ſic Darius videns Danielem inter leones incolumem: Igitur miraculum eſt argumentum ex quo Gentiles poſſunt, ſi gratiam interiorem audiant, inferre eſſe unum Deum.

Inſtant, Gentiles per miracula ad fidem converſi, ad idololatriam rediere, ut Julianus apoſtata, qui tamen ſciebat miracula Chriſtianorum: igitur etiam illative miracula non probant Dei uuitatem.

Reſpondeo diſtinguendo. Redierunt ad idololatriam, gratiæ interiori quæ nulli deeſt, reſiſtendo, & rationem ſapientiæ rejiciendo, concedo; redierunt, quia miracula non ſunt argumenta Divinitatis, nego. Licet impii peccata committant, etiam contra naturam, non ſequitur rationem non dicere: Innocentem non occides: tametſi Julianus attendens ad ſpiritum erroris, ad idololatriam redierit, non ſequitur miracula non eſſe unitatis Dei ſigna magna & argumenta.

Juvat totam hanc materiam claudere variis ſententiis Divi Auguſtini, qui inimicorum fidei tela ſic propellit, l. 10. de Civ. Dei, c. 8. & 17. ,, An vero dicet aliquis, iſta falſa eſſe miracula, nec ,, fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta? ,, Quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus ne- ,, gat omnino ullis litteris eſſe creden- ,, dum, poteſt etiam dicere nec Deos ul- ,, los curare mortalia: non enim aliter ſe ,, colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabi- ,, lium operum effectibus, quorum & Hi- ,, ſtoria Gentium teſtis eſt, quarum Dii ,, ſe ſe oſtentare mirabiles, potiuſquam ,, utiles oſtendere potuerint .... Porro ,, autem, ſi multorum Deorum cultores, ,, qualeſcumque Deos ſuos eſſe arbitrentur, ,, ab eis facta eſſe miracula, vel civilium ,, rerum hiſtoriæ, vel libris magicis, ſi- ,, ve quod honeſtius putant, Theurgicis ,, credunt: quid cauſæ eſt cur illis litte- ,, ris nolint credere, iſta facta eſſe, qui- ,, bus tanto major debetur fides, quanto ,, ſuper omnes eſt magnus, cui uni ſoli ,, ſacrificandum eſse præcipiunt? ,, Fuſius eandem pertractat materiam ibidem c. 16. oſtendendo ficta eſse inanium Deo- ,, rum miracula, Dei vero Optimi, Maximi, veriſſima; qui quot producit entia, tot patrat, & operatur prodigia.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſtat ex miraculis unum eſſe Deum.

Primo. Ex miraculis veteris Teſtamenti, multa fecit Moiſes pro hoc momento coram Pharaone ut habetur Exod. 8, 9, 10 & 11, & prævaluit David in funda & lapide adverſus Philiſtæum gigantem, in nomine unius Dei viventis.

Secundo. Chriſtus multa utique patravit miracula ad probandam ſuam cum Patre unitatem unde Joan. 7. ait: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*.

Tertio. Plura etiam fecere Martyres ad propugnandam unitatem Dei contra idololatras, ut in eorum legitur Actibus.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

Primo. Concedimus quidem magos Pharaonis quædam feciſſe ſigna, ſed ope dæmonum, & incantationibus; unde in errorem inducebant homines: ſigna vero Moiſis in veritatem, quia erant vera miracula.

Secundo. Antichriſtus, ut habetur 2. Theſs. 2. ſigna utique faciet; aſt non miracula; unde non eodem modo ratiocinandum eſt de miraculis, quæ quamvis ſint quid extrinſecum reſpectu hominum, ſuadent tamen cordatos, & inducunt in veritatem.

Tertio. Non negamus Prophetiam quandoque datam fuiſse malis & perverſis hominibus; ſed ut teſtimonium fidei haberemus ex inimicis noſtris; omnia quippe ſerviunt, & cedunt in gloriam Dei.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum conſtet ex Sibyllis, & ex auctoritate doctiſſimorum inter Gentiles, eſſe unum Deum?

C O N C L U S I O.

Conſtat ex Sibyllis, & inter Gentiles doctiſſimis, eſſe unum Deum.

Probatur ex multis momentis.

THEOPHILUS, qui ſextus poſt Petrum Antiochenam rexit Eccleſiam, l. 2. ad Otholicum de una Sibylla ſic loquitur " Cæterum Prophetæ illi, quorum
,, mentio facta eſt, fuere in populo Iſrae-
,, litico illiterati, paſtores & idiotæ: ve-
,, rum etiam Sibylla Græcorum, & reli-
,, quarum gentium Prophetiſſa, in prin-
,, cipio ſuæ Prophetiæ, invehitur in mor-
,, talium genus, dicens. ,,

Viri mortales, & carnes nihil exiſtentes, quomodo ſtatim
Exaltamini, vitæ finem non inſpicientes,
Nec contremiſcitis, nec timetis Deum inſpectorem veſtri?
Unus Deus, qui ſolus regnat, magnitudinem excedens, & increatus,
Omnipotens, inviſibilis, videns ipſe ſolus omnia.

Clemens Alexandrinus etiam extollit illam Græcorum Sibyllam, & dicit unum prædicaſſe Deum, l. 6. Stromatum p. 136 "
,, Quomodo, inquit, Deus Judæos ſalvos
,, eſſe voluit, dans eis Prophetas, ita etiam
,, Græcorum ſpectatiſſimos, propriæ ſuæ
,, linguæ exercitatos, prout poterant ca-
,, pere Dei beneficentiam, a vulgo ſecre-
,, vit. Prætor Petri prædicationem, de-
,, claravit Paulus Apoſtolus, dicens: Li-
,, bros quoque Græcos ſumite: Agnoſcite
,, Sibyllam, quomodo unum Deum ſigni-
,, ficet, & ea quæ ſint futura. ,,

Origenes l. 7, contra Celſum, pag. 516, illam defendit contra iſtum Philoſophum, qui dicebat Chriſtianos multa inſeruiſſe in ipſius verſibus: ſic igitur Celſum revincit. " Neſcio quid ei venit in mentem,
,, ut cenſeret Sibyllam a nobis, potiuſquam
,, Jeſum, appellandam fuiſſe Dei filiam,
,, aſſeverans nos multa ejus verſibus inſe-
,, ruiſſe maledica, non tamen indicans quæ
,, ſint illa quæ inſeruimus: indicaſſet au-
,, tem, ſi antiqua habuiſſet incorruptiora
,, exemplaria, in quibus non reperiantur,
,, quæ putat a nobis interpolata, quod ta-
,, men non fecit.

Lactantius Firmianus l. 1, c. 6, recenſitis ſingularum Sibyllarum nominibus, ſic lo-
" quitur: Omnes igitur hæ Sibyllæ unum
,, Deum prædicant, maxime tamen Ery-
,, thræa ſuffragatur. " Conſtantius Auguſtus orat. ad ſanct. cœtum, apud Euſebium c. 18. aſſerit illam multa mira de Deo annuntiaſſe: ejus acroſtichi 34. hunc refert verſus:

Unus & æternus Deus hic ſervator & idem.

Celeberrimus eſt Divi Auguſtini pro hoc momento teſtimonium: nam ſanctus Doctor, Doctiſſimorum tum inter paganos, tum inter Patres, ſuffultus auctoritate, & refert Sibyllarum carmina, & oſtendit non falſæ, ſed veræ ſolum Divinitati applicari poſſe. Variis in locis hanc tractat materiam, ſed potiſſimum & ex profeſſo, l. 18. de Civit. Dei, c. 13. ubi tria abſolvit, primo quid de numero Sibyllarum, deinde de carminibus, tandem de eorum genuitate, quam quidem auctoritate Lactantii comprobat.

De primo ſic loquitur: " Eodem tempore
,, nonnulli. Sibyllam Erythræam vatici-
,, natam ferunt. Sibyllas autem Varro tra-
,, didit plures fuiſſe, non unam. Hoc ſa-
,, ne Erythræa Sibylla quædam de Chriſto
,, manifeſta conſcripſit; quod etiam nos
,, prius in Latina lingua verſibus male lati-
,, nis & non ſtantibus legimus, per ne-
,, ſcio cujuſdam interpretis imperitiam,
,, ſicut poſt cognovimus: nam vir clariſ-
,, ſimus Flavianus, qui etiam proconſul
,, fuit, homo facillimæ facundiæ, mul-
,, tæque doctrinæ, cum de Chriſto collo-
,, queremur, græcum nobis codicem pro-
,, tulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Ery-
,, thrææ, ubi oſtendit quodam loco in ca-
,, pitibus verſuum ordinem litterarum ita
,, ſe habentem, ut hæc in eo verba lege-
,, rentur: *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ*,
,, quod eſt latine: Jeſus-Chriſtus Dei fi-
,, lius Salvator. Hi autem verſus, quorum
,, primæ litteræ iſtum ſenſum quem di-
,, ximus reddunt, ſicut eos quidam latinis
,, & ſtantibus verſibus eſt interpretatus,
,, hoc continent. "

De

Digitized by Google

De ſecundo, ſic ſcribit, referendo verſus ſecundum numerales Græcorum litteras:

Ι Judicii ſignum tellus ſudore madeſcet.
Η E Cœlo Rex adveniet per ſæcla fu-
(turus:
Σ Scilicet in carne præſens, ut judicet
(orbem.
Ο Unde Deum cernent incredulus atque
(fidelis.
Υ Celſum cum Sanctis, ævi jam termi-
(no in ipſo.
Σ Sic animæ cum carne aderunt, quas
(judicet ipſe.
Χ Cum jacet incultus denſis in vepribus
(orbis.
Ρ Rejicient ſimulacra viri, cunctam
(quoque gazam:
Ε Exuret terras ignis, pontumque po-
(lumque.
Ι Inquirens tetri portas effringet Averni.
Σ Sanctorum ſed enim cunctæ lux libe-
(ra carni
Τ Tradetur, pontes æternum flamma
(cremabit:
Ο Occultos actus retegens, tunc quiſque
(loquetur
Σ Secreta, atque Deus reſerabit pectora
(luci.
Θ Tunc erit & luctus, ſtridebunt denti-
(bus omnes.
Ε Eripitur ſolis jubar, & thorus interit
(aſtris.
Ο Volvetur cœlum, lunaris ſplendor
(obibit.
Υ Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Υ Non erit in rebus hominum ſublime
(vel altum.
Ι Jam æquantur campis montes, & cæ-
(rula ponti.
Ο Omnia ceſſabunt, tellus confracta pe-
(ribit.
Σ Sic pariter fontes torrentur, flumina-
(que igni:
Σ Sed tuba tum ſonitum triſtem dimit-
(tet ab alto
Ω Orbe gemens facinus miſerum, va-
(rioſque labores.
Τ Tartareumque chaos monſtrabit terra
(dehiſcens.
Η Et coram hic Domino Reges ſiſten-
(tur ad unum;
Ρ Reſidet e cœlis ignisque & ſulphu-
(ris amnis.

Ibi profecto ſanctus Doctor perſtringit eos qui vel carmina Sibyllarum ſuppoſititia credunt, vel de falſis Gentilium Numinibus intelligi debere autumant. Sic proſequitur n. 2. pag. 506. " Hæc autem Sibylla, ſive Erythræa, ſive ut quidam magis credunt Cumæa, ita nihil habet in toto carmine ſuo, cujus exigua iſta particula eſt quod ad Deorum falſorum, ſive fictorum cultum, pertineat; quinimmo ita etiam contra eos & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad civitatem Dei. "

Poſtea ad hujus rei confirmationem, verba Lactantii ſubtexit. " Inſerit, inquit, etiam Lactantius operi ſuo quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus; ſed quæ ipſe ſingillatim poſuit, ego arbitratus ſum conjuncta eſſe ponenda, tanquam unum ſit prolixum, quæ ille plura commemoravit, & brevia. "

" In manus iniquas, *inquit*, infidelium poſtea veniet; dabunt autem Deo alapas manibus inceſtis; & impurato ore expuent venenatos ſputus; dabit vero ad verbera ſimpliciter ſanctum dorſum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum, vel unde venit, ut inferis loquatur, & corona ſpinea coronetur: ad cibum autem & fel, & ad ſitim acetum dederunt: inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam: ipſa enim inſipiens tuum Deum non intellexiſti, ludentem mortalium mentibus, ſed & ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti: Templi vero velum ſcindetur, & medio in die nox erit tenebroſa nimis in tribus horis, & morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto: & tunc ab inferis regreſſus, ad lucem veniet primus reſurrectionis principio revocatus oſtenſo. "

Ex his liquet Sibyllas & Deum unum, & Deum incarnatum agnoviſſe, & multa de utroque momento vaticiniis præluſiſſe, quarum quidem teſtimonium omni exceptione dignum eſt, cum earum opera & a prophanis, & a primorum ſæculorum Patribus celebrentur; immo ſanctus Auguſtinus iſtas Virgines ad Civitatem ſanctam Jeruſalem pertinere, vix ac ne vix quidem aſſerere non dubitat: igitur *Philoſophi, Poetæ & Oratores unum agnovere Deum.*

Orpheus hæc, inter alia, de Dei cecinit. *Unicus eſt per ſe exiſtens, qui cuncta creavit.*

Sophocles. Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus,

Qui cœlum & amplum condidit terra globum.

Juſtinus in cohortatione ad Græcos, & l. de Monarchia. *Euſebius* l. 13. de præparatione, illos verſus citant. Verſum primum Euſebius in Chronologia Gregorii, pag. 13. alios duos in medium profert.

Clemens Alexandrinus in Protr. pag. 35. hæc de Pythagora ſcribit & refert.

Deus quidem eſt unus, is autem non eſt, ut quidam exiſtimant, extra mundum, ſed in ipſo totus.

Plato in Timæo, Deum unum ac ſupremum prædicat, ita etiam refert Euſebius l. 11. de præp. pag. 311.

Ariſtoteles apud Athenagoram idem dicit.

Virgilium Minutius citat Æneid. 6. " „ Quid Mantuanus Maro? nonne apertius & proximius, verius, principio, „ *ait*, cœlum & terras & cætera mundi membra, ſpiritus intus alit, & inſuſa mens agitat? unde hominum pecudumque genus, & quidquid aliud animalium. „ Idem alio loco mentem iſtam & ſpiritum Deum nominat. Hæc enim Virgilii verba ſunt:

. . . . Deum namque ire per omnes.
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Maximus Tyrius Oratione prima, eandem refert ſententiam: „ Unus eſt, *inquit*, Deus, omnium Rex & Parens.

Porphyrius l. apud Cyrillum contra Julianum, idem confirmat & dicit: igitur ex antiquis Philoſophis & Poetis, conſtat unum eſſe Deum. Eandem profitetur veritatem Cicero in libris de natura Deorum, in quibus non modicum inſinuat Deum diverſis gaudere nominibus, ſecundum diverſa ejus opera; unde eo propemodo inquit, quo Oceanus dicitur Germanicus, dum alluit plagas Germaniæ; Gallicus vero, cum Galliæ: ita pariter ſupremum Numen, Jovis ſibi vindicat nomen cum cœlo præeſt; Neptuni vero, cum aquis, &c. . . . . Sed unum eſſe ubique Deum contendit Orator; ergo, &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. contra auctoritatem Sibyllarum. Libri Sibyllini non ſunt genuini; igitur nihil ex eis concludi poteſt. Probatur antecedens. Illi Libri apparuere, ut non pauci viri eruditi exiſtimant, ſecundo ſolum ſæculo: certe ſi Libri Sibyllini haberent auctores ante ipſum Chriſtum natum, juris facti fuiſſent publici: ergo, &c.

Reſpondeo 1. negando Libros Sibyllarum non eſſe genuinos, ſiquidem a primorum ſæculorum Patribus, non ſemel citantur ad fidem contra Gentiles impugnantes defendendam. Ad probationem, nego apparuiſſe ſecundo ſolum circiter ſæculo, quandoquidem Virgilius Ecloga quarta mentionem facit de Cumæa, & mira de puero Jeſu, quamvis ſub alio nomine, dicit & cantat his verſibus:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro ſæculorum naſcitur ordo:
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo naſcenti Puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo, &c.

Tacitus l. 6. Annalium, etiam meminit Sibyllæ Erythrææ: loquitur utique Suetonius de Sibyllarum carminibus.

Auguſtinus eidem ſuffragatur veritati l. 18. de Civ. Dei, c. 46. & 47. præcipue vero c. 23. ubi ſic habet: " Vir clariſſimus Flavianus qui etiam Proconſul fuit, „ homo facillimæ facundiæ, multæque „ doctrinæ, cum de Chriſto ut loqueremur, græcum nobis codicem protulit, „ carmina eſſe dicens Sibyllæ Erythrææ, „ ubi oſtendit quodam loco in capitibus

„ ver-

„ verſum ordinem. „ Idem refert 27. verſus talis Sibyllæ. Profecto Patres ante Auguſtinum, ut Theophilus, Clemens Alexandrinus, Origenes alias oculatiſſimi, & ipſe Auguſtinus qui egregium laudat codicem; majori ſane pro hoc momento fide digni ſunt, quam noſtræ ætatis Cenſores, qui longius a primis diſtantes ſæculis, veritatem non ita ſicut vetuſti Patres indagare queunt. Enimvero Origenes qui tertio florebat ſæculo; de actitatis in ſecundo ſæc. certam profecto habebat ſcientiam; ipſe tamen Libros Sibyllinos auctoris talis ſæculi fœtum eſſe nuſquam dixit, quinimmo contrarium ex profeſſo propugnat.

Inſtabis. Illa Sibyllarum carmina non ſunt genuina quæ non potuerunt venire ad nos; atqui carmina Sibyllarum non potuerunt ad nos uſque pervenire: ergo, &c. . . . . . Probatur minor: a Cæſare Auguſto, teſte Suetonio, illa carmina duobus ferulis auratis condita ſunt ſub Apollinis Palatini baſi: igitur non potuerunt venire ad nos. Confirmatur. Libri Sibyllyni Sullæ temporibus, cremato Capitolio, Olympiade 153. Scipione & Norbano Conſulibus, ab Urbe condita anno 671. combuſti ſunt: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Carmina ſolius Sibyllæ Cumææ obſerata ſunt, concedo; cætera omnia, nego. Ita Lactantius l. 1. de falſa Religione, capite 6. poſtquam enim decem Sibyllarum nomina & patriam retulit, ſubdit: “ Harum omnium „ Sibyllarum carmina & feruntur, & ha„ bentur, nec ea ab ullo, niſi quindecim „ viris inſpici fas eſt, & ſunt ſingularum „ ſinguli Libri, qui quia Sibyllæ nomine „ inſcribuntur, unius eſſe creduntur, „ ſuntque confuſi, nec diſcerni, ac ſuum „ cuique aſſignari poteſt, præter Ery„ thrææ, quæ & nomen ſuum carmini „ verum inſeruit, & Erythræam ſe no„ minatam iri prælocuta eſt, cum eſſet „ orta Babyloniæ.

Reſpondeo 2. diſt. Et illa carmina fuerunt nota tum Ciceroni, tum Virgilio, aliiſque viris probis, quorum ope venire potuerunt ad cognitionem Chriſtianorum, concedo: immo licet incluſa eſſent, Imperator ad nutum poterat legere iſta oracula, ſicut & quindecim viri quibus fas erat introſpicere, & non fuerunt nota, nego. Cicero l. 2. de Divinatione numeris 17. & 112. de Sibyllis, ſic loquitur: „ Sibyllæ verſus obſervamus, quos illa fu„ rens fudiſſe dicitur, quorum interpres „ nuper falſa quædam hominum fama, di„ cturus in Senatu putabatur, eum, quem „ revera Regem habebamus, appellandum „ quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe velle„ mus. . . . Non eſt autem illud carmen „ furentis, cum ipſum Poema declarat; „ eſt enim magis artis & diligentiæ, „ quam incitationis & motus. Deinde „ vero refert quomodo Sibylla ſua con„ nectit carmina; ſic etiam a codice Flaviano accepiſſe teſtatur B. Auguſtinus. Revera quidem carmina per ordinem digeſta, tanquam Erythrææ fœtus ſecundum litteras Græcorum numerales in codice prædicto habebantur, & ſic legiſſe teſtatur S. Doctor: igitur omnia conſociantur pro verſuum Sibyllinorum veracitate & genuitate, quandoquidem eadem refert carmina B. Auguſtinus, de quibus mentionem facit Cicero, qui nedum ante Chriſti tempora florebat, ſed & ſecreta Senatus Romani de rebus Religionem ſpectantibus, præ cæteris noverat.

Reſpondeo ad confirmationem diſtinguendo: Et carmina poſt Capitolii exuſtionem recuperata ſunt, concedo; & non recuperata fuere, nego. Hoc ipſum patet ex Auctoribus profanis quos modo laudavimus; namque, reſtituto Capitolio, miſſi ſunt Erythras ex Senatus conſulto Legati, qui illas Sibyllarum ſententias colligerent. Hoc ipſum ſcribit Lactantius l. 4. c. 6. “ Feneſtella, inquit, diligentiſſimus Scri„ ptor de quindecim viris dicens, ait, „ reſtituto Capitolio, retuliſſe ad Sena„ tum Curionem Conſulem, ut Legati „ Erythras mitterentur, qui carmina Si„ byllæ conquiſita Romam deportarent. „ Quinimmo aliis etiam in regionibus iſta carmina conquiſita ſunt, & Romam delata fuiſſe, non obſcure declarat Tacitus l. 6. Annal. ibi enim ſic ſcribit. “ Re„ latum inde ad Patres a Quintiliano „ Tribuno plebis, de Libro Sibyllæ, „ quem Caninius Gallus a quindecim vi„ ris recipi inter cæteros ejuſdem vatis, „ & ea de re Senatus-conſultum expoſtu„ laverat . . . . Quod a majoribus quo„ que decretum erat poſt exuſtum ſo„ ciali bello Capitolium quæſitis Samo„ nilio, Erythris per Africam etiam ac Sici„ liam,

,, liam , & Italicas Colonias carminibus
,, Sibyllæ, ſeu una , ſeu plures fuere ,
,, datoque Sacerdotibus negotio , quan-
,, tum humana ope potuiſſent , vere di-
,, ſcernere . ,,

Urgebis. Cicero nedum aſtruit auctorita-
tem carminum Sibyllinorum , ſed potius
eam adaperte impugnat , & quidem tri-
bus mediis. Primo, quia eorum interpres
falſa innixus hominum fama , ejuſmodi
verſus juris fecit publici . Sic loquitur
ibidem Orator : " Sibyllæ verſus obſerva-
,, mus, quos illa furens fudiſſe dicitur ,
,, quorum interpres nuper falſa quædam
,, hominum fama , dicturus in Senatu
,, putabatur , eum quem revera Regem
,, habebamus , appellandum quoque eſſe
,, Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus . Hoc ,
,, ſi eſt in Libris, in quem hominem, &
,, in quod tempus eſt? callide enim , qui
,, illa compoſuit, perfecit, ut quod adhi-
,, buit etiam latebram obſcuritatis , ut
,, iidem verſus alias in aliam rem poſſe
,, accommodari viderentur ,, : igitur car-
mina rejicit, quippe quæ ex falſo rumore tri-
buantur Sibyllæ, & callide ambiguo ſer-
mone varios ſubeunte ad decipiendum ſen-
ſus concinnata . Secundum medium quo
utitur ad impugnandam verſuum Sibylli-
norum veracitatem illud eſt , quia non
Prophetiſſæ, quam furentem vocat ; non
incitationis , ſed potius artis & diligen-
tiæ fœtum , illa dicit carmina . Pergit
ergo, & ſic loquitur : " Non eſſe autem
,, illud carmen furentis, cum ipſum Poe-
,, ma declarat; eſt enim magis artis, &
,, diligentiæ, quam incitationis & mo-
,, tus; tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur,
,, cum deinceps ex primi verſus litteris
,, aliquid connectitur , ut in quibuſdam
,, Ennianis quæ Ennius fecit : id certe
,, magis eſt attenti animi , quam furen-
,, tis; atque in Sibyllinis ex primo verſu
,, cujuſque Sententiæ primis litteris illius
,, ſententiæ carmen omne prætexitur .
,, Hoc Scriptoris eſt non furentis , adhi-
,, bentis diligentiam non inſani. ,, Con-
cludit ſemper Cicero carmen non eſſe Si-
byllæ, ſed alicuius callidi & ſubtiliſſimi
Auctoris . 3. Aſſerit verſus in Archivis
depoſitos fuiſſe , ne legerentur , illoſque
tanquam fabulas, quibus nulla debetur fi-
des, haberi . Sic proſequitur : " Quamo-
,, brem Sibyllam quidem ſepoſitam, con-
,, ditam habemus , ut id quod proditum
,, eſt a majoribus, injuſſu Senatus, ne le-
,, gantur quidem Libri .... Num igitur
,, me cogis etiam fabulis credere ? quæ
,, delectationis habeant , quantum voles ,
,, verbis, ſententiis, numeris, cantibus ad-
,, juventur : auctoritatem quidem nullam
,, debemus , nec fidem commentitiis re-
,, bus adjungere . ,, Igitur auctoritas Cice-
ronis gratis aſſertur pro genuitate Librorum
Sibyllinorum, cum potius eos fortiter de-
bellet & impugnet .

Reſpondeo diſtinguendo . Cicero impugnat
auctoritatem Librorum Sibyllinorum quoad
auctorem & contenta in eis , concedo ;
quoad exiſtentiam & veracitatem , nego .
Tria potiſſimum conſideranda veniunt in
Libris Sibyllinis ; videlicet auctor , con-
tentum & exiſtentia ſeu veracitas ; pri-
mum & ſecundum impugnat Cicero ,
primum quidem , non credit auctorem
Prophetiſſam , ſed quid mirum, cum ve-
ræ Religionis erat expers , cujus rei ar-
gumentum duplex in ejus verbis apparet?
1. Quia Prophetiſſam furentem vocat ,
deinde vero quia erat paganus & idolola-
tra ; ignorabat ſane Scriptores Canonicos
propria quandoque uti ſcientia , ut verſi-
bus ſententias a Spiritu Sancto infuſas ex-
planarent ; unde ad id quod eſt artis , &
non incitationis potiſſimum attendit . Se-
cundum vero utique plurimum impugnat ;
ſcilicet Regem naſciturum a Sibyllis præ-
dictum ; Regem univerſi haberi debere ,
ut ſalvi eſſemus ; nullum quippe præter
Cæſarem ſciebat & agnoſcebat ; at ter-
tium non impugnat : conſtat enim &
verſus Sibyllinos, cujuſcumque auctoris eſ-
ſent , eum agnoviſſe, & in Archivis aſ-
ſervatos comperiſſe ; quod ſufficit nobis ,
ut oſtendamus Libros Sibyllinos non eſſe
auctoris viventis ſecundo ſæculo fœtum
& opus .

Ad primam probationem diſtinguo . Ci-
cero aſſerit falſo rumore verſus Sibyllinos
circumferri in mundo , eo quod Regem
Deum nolebat credere , quod ut commen-
tum habebat , concedo ; & ex hoc conclu-
ditur Libros Sibyllinos nullos fuiſſe , ne-
go . Immo, cum eos impugnaverit Cice-
ro, argumentum eſt ejus extitiſſe tempo-
ribus, cujuſcumque auctoris ſint .

Ad ſecundam probationem diſtinguo .
Cicero Libros Sibyllinos dicit non furen-
tis & incitationis , ſed artis & diligentiæ
eſſe, quia ignorans myſteria Dei , ſolam
de-

demirabatur in ordine carminum artem, non ſententias, concedo; & ex hoc ſequitur nullum fuiſſe Sibyllæ carmen, nego. Immo contrarium apparet.

Ad tertiam probat. dico illum rejicere verſus & prohibitos proclamare, quia doctrinam falſis Romanorum Numinibus adverſam continebant: " Quamobrem, ,, *inquit*, Sibyllam quidem ſepoſitam & ,, conditam habeamus, ut id quod pro- ,, ditum eſt a majoribus, injuſſu Senatus ,, ne legantur quidem Libri, valeantque ,, ad deponendas potius, quam ad ſuſci- ,, piendas Religiones .... nec Mar- ,, tiis Vatibus, nec Apollinis opertis ,, credendum exiſtimo. ,, Cicero teſtatur ſe non credere Vatibus & Prophetis: ergo, &c.

Opponet 2. Illa carmina ſunt a Chriſtianis conficta, in quibus Sibyllæ clarius ipſis Prophetis loquuntur de myſteriis, & maxime de Incarnatione & effectibus ipſius, de Judicio ſupremo: atqui Sibyllæ clarius ipſis Prophetis loquuntur de iis; quod videtur inconveniens, quandoquidem conſtat, & eſt de fide, Deum locutum fuiſſe Prophetis; minime vero Sibyllis, juxta illud Pſalmi. 147. v. 8. & 9. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni Nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*: ergo, &c.

Reſpondet Origenes l. 7. contra Celſum Philoſophum paganum, pag. 516. ubi illum ſic revincit, eo quod talem inferret Chriſtianis calumniam: " Neſcio quid ,, ei venit in mentem: ut cenſeret Si- ,, byllam a nobis, potiuſquam Jeſum, ap- ,, pellandam fuiſſe Dei filiam, aſſeve- ,, rans nos multa in ejus verſibus inſe- ,, ruiſſe maledica, non tamen indicans ,, quæ ſint illa quæ inſeruimus; indicaſ- ,, ſet autem, ſi antiqua habuiſſet incor- ,, ruptiora exemplaria, in quibus non re- ,, periantur quæ putat a nobis interpo- ,, lata, quod tamen non fecit. ,,

Reſpondet Lactantius Firmianus l. 4. de vera ſapientia c. 15. eodem modo his qui dicunt Chriſtianos addidiſſe Sibyllarum verſibus, ea quæ noſtra ſpectant myſteria: " His teſtimoniis quidam revicti ,, ſolent eo confugere, ut ajunt, non eſ- ,, ſe illa carmina Sibyllina, ſed a noſtris ,, ficta atque compoſita, quod profecto non ,, putabit, qui Ciceronem, Varronemque ,, legerit, alioſque Veteres qui Erythræam ,, Sibyllam, cæteraſque commemorant, ,, ex quorum libris iſta exempla proferi- ,, mus, qui auctores obierunt, antequam ,, Chriſtus ſecundum carnem naſcere- ,, tur. ,, Vides, Doctiſſime Lector, quomodo Lactantius teſtes appellat auctores ante Chriſtum pro oraculis Sibyllarum: Non ſunt igitur carmina Sibyllina conficta a Chriſtianis.

Reſpondet idem Conſtantinus Auguſtus, oratione ad Sanctorum cœtum, c. 19. & addit: " Verum de ejus rei veritate ,, ſatis conſtat, quippe noſtri homines ,, tempora adeo accurate, & magno ſtu- ,, dio collegerunt, ut nemo poſſit ſuſpi- ,, cari hoc Poema poſt Chriſti in terras ,, deſcenſum editum fuiſſe: atque illi ,, propterea mendacii perſpicue convin- ,, cuntur, qui iſta carmina non olim a ,, Sibylla condita fuiſſe prædicant: per- ,, ſpicuum eſt enim Ciceronem iſtud Poe- ,, ma cum forte perlegiſſet, in latinum ,, convertiſſe ſermonem, ſuiſque ſcriptis ,, attexuiſſe, quem ab Antonio rerum ,, ſumma potito interfectum eſſe conſtat: ,, Antonium autem ab Auguſto, qui an- ,, nos 56. regnavit, ſuperatum: Auguſto ,, autem ſucceſſiſſe Tiberium, cujus tem- ,, poribus, Servatoris adventus mundo il- ,, luxit. ,, Divus Auguſtinus iſtam rejicit calumniam l. 18. de Civ. c. 46. dicendo hoſtes Religionis poſſe ſimiliter improperare Prophetis, & aſſerere ea quæ eorum deſcribuntur in Libris, utique fuiſſe a Chriſtianis conficta.

Juvat ſancti Doctoris recenſere verba: ,, Cum Scripturis noſtris non credunt ,, (Judæi) complentur in eis ſuæ, quas ,, cæci legunt, niſi forte quis dixerit il- ,, las Prophetias Chriſtianos finxiſſe de ,, Chriſto, quæ Sibyllæ nomine vel alio- ,, rum proferuntur, ſi quæ ſunt, quæ ,, non pertinent ad populum Judæorum, ,, Nobis quidem illæ ſufficiunt, quæ de ,, noſtrorum inimicorum codicibus profe- ,, runtur, quos agnoſcimus propter hoc ,, teſtimonium, quod nobis inviti perhi- ,, bent eoſdem codices habendo atque ſer- ,, vando, per omnes gentes etiam ipſos ,, eſſe diſperſos, quaquaverſum Chri- ,, ſti Eccleſia dilatatur. Nam Prophetia ,, in Pſalmis quos etiam legunt, de hac ,, re præmiſſa eſt, ubi ſcriptum eſt: *Deus* ,, *meus, miſericordia ejus præveniet me. Deus*

,, *meus, demonſtravit mihi in inimicis meis ; ne occideris eos , ne quando obliviſcantur legem tuam : Diſperge eos in virtute tua* . Demonſtravit ergo Deus Eccleſiæ , in ejus inimicis Judæis gratiam miſericordiæ ſuæ , quoniam , ſicut dicit Apoſtolus : *Delictum illorum , ſalus gentibus* . Et ideo non eos occidit , ideſt , non in eis perdidit quod ſunt Judæi , quamvis a Romanis fuerint devicti & oppreſſi , ne obliti legem Dei , ad hoc, de quo agimus ; teſtimonium nihil valerent ; parum fuit ut diceret : Ne occideris eos , ne quando obliviſcantur legem tuam , niſi etiam adderet : Diſperge eos , quoniam ſi cum iſto teſtimonio Scripturarum , in ſua tantummodo terra , non ubique eſſent , profecto Eccleſia , quæ ubique eſt , eos Prophetiarum , quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt , teſtes in omnibus gentibus habere non poſſet . ,, Auguſtinus revincit eos qui Sibyllarum Prophetias a Chriſtianis confictas aſſerunt ; revincit & Judæos noſtras abjicientes Scripturas , & iſtud momentum duplici complet argumento : primo quidem , replicando Scripturas novi teſtamenti eſſe Prophetiarum adimpletionem : ſecundo , quia Scripturæ ſunt per omnes gentes diſperſæ ; unde abſque negotio quiſque corditus poteſt . videre Chriſtum in eis & prænuntiatum & præfiguratum . Iiſdem rationibus Sibyllarum Prophetiæ genuinæ admodum probantur , tum quia ad Chriſtum pertinent , & in eo complentur , tum quia iſtarum Virginum carmina præ omnium antiquorum oculis fuiſſe conſtat ; & nedum apud Chriſtianos nota , ſed ante ipſum Chriſtianiſmum , apud paganos , immo apud Romanos omnium Gentilium & ſagaciſſimos, & ſapientiſſimos.

Jam reſp. in forma , negando majorem , & minorem argumenti ; majorem, quoad i d quod dicitur carmina Sibyllarum de myſteriis eſſe Chriſtianorum commenta : minorem vero , ſiquidem falſum eſt Sibyllas clarius locutas fuiſſe de Incarnatione , quam ipſi Prophetæ de eadem ſcripſerunt : Enimvero clare prænuntiat Chriſti adventum Jacob , ut legitur Geneſeos 49. v. 12. *Non auferetur Sceptrum de Juda , & Dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus eſt , & ipſe erit expectatio gentium* . Clare utique ejuſdem Meſſiæ conceptio annuntiatur Iſajæ 7. v. 14: *Ecce* , inquit Propheta , *Virgo concipiet & pariet filium , & vocabitur nomen ejus Emmanuel* . Ejus etiam prænuntiat miracula , cap. 35. , v. 5. : *Tunc aperientur oculi cæcorum* , &c. Item & ejus paſſionem c. 53. , v. 4. : *Nos reputavimus eum tanquam leproſum* . Eandem deſcribit Jeremias , & quidem ita clare , ut veluti teſtis oculator appareat . Similiter & David Pſalm. 21 , v. 19: *Diviſerunt ſibi* , inquit in perſona Chriſti , *veſtimenta mea , & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* . Sed , dato & non conceſſo , Sibyllas clarius ipſis Prophetis locutas fuiſſe de myſteriis , quid foret mirum ? cum Prophetiæ donum potuerit illis concedere Deus ad inſtructionem Gentilium , nimirum , ut fidem oraculis Prophetarum ſuorum , qui a ſæculo fuerant , adhiberent ; & vero Spiritus Sanctus , ubi vult ſpirat . Locutus eſt per Balaam & Saul peccatores , immo & clare de Chriſti morte futura per impium Caipham ; quidni igitur & per Virgines Sibyllas clare loqueretur , ut apud Gentiles ſuæ miſericordiæ præluderet myſteria ?

Reſpondeo ad confirmationem diſtinguendo . Non fecit taliter omni nationi quoad omnia , concedo ; quoad aliquid , nego . Judæi habuerunt legem a Deo , & magnam Prophetarum pro longo tempore multitudinem : hinc dictus populus acquiſitionis & electus , cum quo Deus inierat fœdus ; hinc Dominus a Patriarchis viſus eſt ; hinc apparuit Prophetis quibus omnia aperuit myſteria ; hinc & natus ex illis , immo etiam inter Judæos aſſumpſit Apoſtolos , quibus datum eſt noſcere myſteria Dei : non ſic Gentilibus , niſi ſecundum quid , quia Philoſophi adumbrarunt ſolummodo , inquiunt Patres , Evangelium , agnoſcendo Deum eſſe : Sibyllæ vero fuerunt pro eis , quod Prophetæ pro Judæis ; & ſic omnia concordant .

Inſtabis . Illa Sibyllarum carmina ſunt conficta , in quibus multa inaudita , & etiam contradictoria leguntur ; non enim fas eſt credere perſonas a Deo inſpiratas talia ſcripſiſſe : atqui ſic ſunt , & probatur 1. Omnes Patres conveniunt , ut Juſtinus Martyr in cohortatione ad Græcos , Euſebius Cæſarienſis lib. 10. de Præparatione Evangelica , cap. 9. , Lactantius l. de vera ſapientia c. 5 , Aug. l. 18. de Civ. Dei ,

Digitized by Google

Dei, c. 38., Tertullianus Apologia 19., neminem ſcripſiſſe ante Moiſen; quippe qui inter Scriptores tam ſacros quam profanos primus ſit, attamen auctor Libri tertii Sibyllæ ſe dicit Moiſe antiquiorem, ipſius enim nativitatem & egreſſum Iſrael de Ægypto prædixit his verſibus:

Cum vero Ægyptum linquet, deſertaque vadet
Per loca biſſena populus de prole creatus,
Sub Ducibus miſſus divinitus, biſque columna
Ignita, per iter noctis gradietur opaca;
Per totumque diem nebula, peremnte columna:
Huic populo Ductor dabitur, Vir magnus ab illo,
Moiſes quem inventum propter Regina paludem
Suſtulit, & nati nutritum nomine dixit.

Præterea Hieronymus l. contra Jovinianum, teſtatur Sibyllas dono Prophetiæ donatas fuiſſe propter virginitatem; & tamen ſcortum ſe fuiſſe aſſerit, quæ Librum quartum ſcripſiſſe creditur.

...... Nam quæ ſcelera ante patravi.
Prudens & ſtudio peccandi perdita feci.
Mille mihi lecti, connubia mille fuerunt.
Jureque jurando quoſvis perjura ligavi.

Mitto alia quæ non conveniunt Sibyllis, verbi gratia, verſus Cæſarum tempora Libros apparuiſſe probabile eſt, ſaltem illarum Sibyllarum quas laudant Patres; attamen Erythræa ſub finem Libri tertii, dicit ſe nurum Noe.

Si quidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir ſolus probus exuperavit
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta ſilvis:
Ejus ego nurus, ejus item de ſanguine nata.

Cæterum ex Patribus, Sibyllas fuiſſe Gentilium filias conſtat.

Reſpondeo diſtinguendo. Contradictoria & inaudita leguntur permixta a Gentilibus aut Judæis in odium Religionis, concedo; a Chriſtianis, nego. Duo igitur diſtinguenda ſunt in Libris Sibyllinis; alterum quod ſpectat Unitatem Dei, Trinitatem & Incarnationem, quæ adoptantur a Patribus; alterum vero quod ſpectat diluvium, genealogiam, & alia ejuſmodi, de quibus ſancti Patres ſilent; primam partem, tam ſcilicet quæ laudatur a ſanctis Eccleſiæ Patribus, genuinam credimus & incorruptam. Secundam vero minime, quam quidem fortaſſis aut a Gentilibus, aut a Judæis adinventam & fœdatam in odium Religionis, & ad deprimendam Sibyllarum auctoritatem fuiſſe ſatis conſtat; præſertim vero, cum poſt Capitolii exuſtionem, mandatum ſit Sacerdotibus Gentilium, ut refert Tacitus de quo ſupra, vera a falſis ſecernere: igitur ipſi Romani credebant adulteratos verſus; ſed quod non fuerint in iis quæ Dei ſpectant Unitatem, Trinitatem & Incarnationem, tenent Lactantius, Origenes, Auguſtinus.

Objicies 3. Si Libri Sibyllini tantæ ſunt auctoritatis, etiam quoad partem myſteriorum, Sibyllæ ipſæ ſunt Propheteſſæ: atqui hoc non poteſt dici; alias Libri quoad partem, quæ noſtra reſpicit myſteria, & futurum Judicium, forent Scripturæ canonica: igitur non debent tanti fieri, ſed abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo 1. Libros Sibyllinos eſſe magnæ auctoritatis, quoad patrem quæ noſtra ſpectat myſteria, cum pro illo laudentur momento, tum a ſanctis Patribus, tum ab auctoribus profanis; unde quod ſint Libri Sibyllini canonici, vel non, parum refert pro Gentilibus qui non admittunt Scripturas: ſed quod ſint a fuis citati & a noſtris plurimum intereſt, nam ipſo facto convincunt Gentiles de cæcitate, & malitia, ſi, tanta aſtante ſuarum auctoritate Virginum, nolint audire & credere myſteria, & de illis edoceri renuant. Habemus in hoc contra idololatras teſtimonium ex inimicis noſtris pro unitate Dei.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Sibyllæ ſunt Propheteſſæ prophanæ, concedo; ſacræ & Canonicæ, nego. Licet Libri Sibyllini non ſint Canonici, ſunt tamen magni ponderis, cum a Patribus primorum ſæculorum non ſemel laudentur, unde propius accedunt ad Scripturas Canonicas; quandoquidem, inquiunt Patres, Deus vo-

voluit per Sibyllinas Virgines, inſtruere Gentiles de Religione, ut gradatim diſponerentur ad fidem, ſicut inſtruxit & docuit Hæbræos per Prophetas.

Repones. Si Sibyllæ tot mira de Religione ſcripſerunt, dicendum eſt habuiſſe fidem, & quidem explicitam de myſteriis, quippe quæ de eis clare loquantur, fuiſſe utique juſtas, immo & ſanctas; ſed nullibi hoc legitur, ergo, &c.... Confirmatur. Sequeretur Sibyllas fuiſſe ante ipſum Chriſtianiſmum Chriſtianas: igitur earum Libri non debent admitti, ſed potius conficti reputari.

Reſpondeo 1. donum Prophetiæ poſſe dari poſtanis ad Eccleſiæ utilitatem, ſicut conceſſum eſt peſſimis hominibus de quibus ſupra.

Reſpondeo 2. Prophetas non ſemper cognoſcere quæ dicunt, quandoquidem moventur a Spiritu Sancto, ad utilitatem aliorum; unde Eliſæus dicebat de Sunamite, ut refertur 4. Reg. 4. v. 7. *Anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me*. Potuerunt igitur Sibyllæ multa proferre inſtinctu Spiritu Sancti qui illarum utebatur lingua ad edocendos Gentiles de myſteriis, abſque eo quod habuerint fidem explicitam de his quæ prænuntiabant. Eas autem non habuiſſe fidem explicitam de Chriſto patet, quia cum nondum eſſet Chriſtus natus, non potuerunt ejus profiteri Religionem; at vero cognoviſſe Dei & Exiſtentiam & Unitatem, probabile eſt, quandoquidem hæc duo momenta lumine naturali cognoſci poſſunt. De cæteris myſteriis majus eſt dubium, cum ipſi Judæi fidem tantum implicitam de Trinitate & Incarnatione, ſi majores nempe Patriarchas & Prophetas excipiamus, haberent, ut teſtatur Divus Thomas.

Reſpondeo 3. probabile eſſe Sibyllas fuiſſe Deo gratas, & ad ſanctam Civitatem pertinere: ita colligitur ex Auguſtino lib. 18. de Civ. cap. 47., ubi ex profeſſo docet in toto capite ante Chriſti tempora multos præter Judæos potuiſſe pertinere ad Civitatem ſanctam Jeruſalem, quandoquidem ipſo teſte potuerunt habere fidem explicitam in Deum, & implicitam in Chriſtum; profecto alludit ad Sibyllas, cujus auctoritatem laudaverat in capite præcedenti, & in probationem affert ſanctum Job, qui licet de Idumæa, & conſequenter nec Judæus, nec proſelytus eſſet, ſed omnino extraneus, juſtus tamen & ſanctus erat, colens ac timens Deum. Sic autem loquitur ſanctus Doctor cap. 47.: " Quapropter quiſquis alienigena, ideſt, non ex Iſrael proſelytus, " nec ab illo populo in canonem ſacrarum " Litterarum receptus, legitur aliquid " prophetaſſe de Chriſto, ſi in noſtram " notitiam venit aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari poteſt, non " quo neceſſarius ſit, etiam ſi deſit, ſed " quia non incongrue creditur fuiſſe & " in aliis gentibus homines, quibus hoc " myſterium revelatum eſt, & qui hoc " etiam prædicere impulſi ſunt, ſive participes ejuſdem gratiæ fuerint, ſive expertes, ſed per malos Angelos docti " ſunt, quos etiam præſentem Chriſtum, " quem Judæi non agnoſcebant, ſcimus " fuiſſe confeſſos..... Divinitus autem " proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc " uno ſciremus etiam per alias gentes eſſe " potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, " eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Jeruſalem." Quibus verbis non leviter inculcat Auguſtinus Sibyllas habuiſſe fidem tum de Trinitate, tum de " Dominica Incarnatione..

Objicies 5. contra auctoritatem Philoſophorum & auctorum Gentilium, 1. Licet iſti unum eſſe Deum ſcripſerint, non tamen in eum credebant, ſed colebant idola 2.. Multi ex Gentilibus ad fidem converſi, ad idololatriam redière. 3. Multo plures ſunt Idololatræ, quam cæteri unum agnoſcentes Deum. Et vero quot idololatræ in Imperio Japonæ, in Regno Sinarum vaſtiſſimo, & alibi; ſed hæc omnia probant levioris eſſe ponderis Philoſophorum & Gentilium pro Unitate Dei auctoritatem: igitur nihil ex eorum auctoritate concludi poteſt pro unitate Dei veri.

Reſpondeo ad primum diſtinguendo. Et qui inter Gentiles ſcripſerunt pro unitate Dei, eandem ex malitia abnuerunt, concedo; & non ex malitia, nego. Unde de illis dicit Apoſtolus Rom. 5. v. 2: *Cognoverunt Deum, non ſicut Deum glorificaverunt... Propter quod tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam... in reprobum ſenſum*..

Ad ſecundum diſtinguo ſimiliter. Propria malitia & cordis corruptione ad idolola-

Digitized by Google

lolatriam redire, concedo; defectu cognitionis, nego. Signatum quippe eſt cuilibet lumen unius Dei, & ingenita idea, ut ſupra oſtenſum eſt; unde non dantur Infideles negative reſpectu exiſtentiæ & unitatis Dei; ſumma igitur delicti eſt, inquiunt Patres, non colere & adorare quem ignorare non valent.

Ad tertium diſtinguo. Et illi Idololatræ, ſi ad cor redire velint, & Creatoris meditari magnalia, cognoſcent unicum eſſe Deum, concedo; & non cognoſcent, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſtat ex Oraculis Sibyllarum unicum dari Deum.

Primo. Quia ipſi paganorum auctores & de eis loquuntur, & multis eaſdem celebrant laudibus, ut Virgilius, Cicero, & alii.

Secundo. Similiter & primorum ſæculorum Patres, ut Lactantius, Origenes, Auguſtinus.

Tertio. Quia Hieronymus aſſerit eas in præmium Virginitatis, Prophetiæ dono donatas fuiſſe; unde valet & ponderat pro unitate Dei confirmanda earum teſtimonium.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

PRO OBJECTIONIBUS.

Primo. Non veriſimile apparet Libros Sibyllinos fuiſſe Chriſtianorum ſecundi ſæculi fœtum, cum hoc impugnet manifeſte Origenes l. 1. contra Celſum.

Secundo. Non diffitemur Libros Sibyllinos fuiſſe vel a paganis vel ab hæreticis defloratos in iis maxime quæ ſpectant mores, ſed non in iis quæ ad Unitatem Dei & ejus Incarnationem pertinent; unde teſtimonium Sibyllarum non evacuatur pro iſtis momentis.

Tertio. Tametſi Libri Sibyllini non ſint Canonici, valent tamen ad paganorum infidelitatem perſtringendam, quid ni & ad eorum converſionem?

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ex ratione conſtet unicum eſſe Deum?

SANCTI Patres & Eccleſiæ Doctores varias afferunt rationes quibus luce clarius probant contra Idololatras, unicum eſſe Deum. Præcipuas hic ad defenſionem fidei afferre juvat.

Prima petitur ex imbecillitate plurium Deorum; nam de facto ſi plures ſint, utique & imbecilles eſſe conſtat, repugnat autem Divinitati imbecilitas: hæc ratio eſt Lactantii, qui in prima Inſtitutionum c. 3. ſic loquitur: „ Quid enim „ multis opus eſt ad mundi regimen ſu- „ ſtinendum, niſi forte arbitremur, ſi „ plures ſint, minus habere ſingulos ner- „ vorum atque virium, quod quidem fa- „ ciunt ii qui eſſe multos volunt, quia ne- „ ceſſe eſt imbeciles eſſe, ſiquidem ſin- „ guli ſine auxilio reliquorum, tantæ „ molis gubernaculum ſuſtinere non poſ- „ ſunt. Deus autem qui eſt æterna mens, „ ex omni utique parte perfectæ, con- „ ſummatæque virtutis eſt; quod ſi verum „ eſt, unus ſit neceſſe eſt: poteſtas enim „ vel virtus abſoluta retinet ſuam prop- „ priam firmitatem; ſi plures partiantur „ orbem, minus virium ſinguli habebunt, „ cum infra præſcriptam portionem ſeſe „ quiſque contineat. „

Secunda ſic exponitur: Natura Dei utpote perfectiſſima, petit & exigit unum eſſe Deum: hæc ratio eſt Tertulliani l. 1. adverſus Marc. pag. 431. & 432. Sic ſcribit, ſic intonat: „ Quantum humana con- „ ditio de Deo definire poteſt, id definio „ quod & omnium conſcientia agnoſcet, „ Deum ſummum eſſe magnum, in æter- „ nitate conſtitutum, innatum, infectum, „ ſine initio, ſine fine; hunc enim ſtatum „ æternitati cenſendum, quæ ſummum „ magnum Deum efficiat, dum hoc eſt in „ Deo ipſa atque ita, & cætera ut ſit „ Deus ſummum magnum forma & ra- „ tione, & vi & poteſtate. Cum de iſto „ conveniat apud omnes, nemo enim ne- „ gabit Deum ſummum magnum quid eſ- „ ſe, niſi qui poterit Deum, imum mo- „ dicum quid e contrario pronuntiare, ut „ Deum nempe auferendo quod Dei eſt; „ quæ erit jam conditio ipſius ſummi ma- „ gni, nempe ut nihil illi adæquetur, id- eſt,

Digitized by Google

„ eſt, ut non ſit aliud ſummum magnum, „ quia ſi fuerit, adæquabitur; & ſi adæquabitur, non erit jam ſummum magnum, everſa conditione, & ut ita „ dixerim lege, quæ ſummo magno nihil „ ſinit adæquari: ergo unicum ſit neceſſe „ eſt, quod fuerit ſummum magnum: ergo non aliter erit quam per quod habet „ eſſe, & id unicum omnino. Proinde „ Deus, cum ſummum magnum ſit, recte veritas noſtra pronuntiavit; Deus, „ ſi non unus eſt, non eſt. Non quaſi dubitemus eſſe Deum, dicendo, ſi non „ unus, non eſt; ſed quia confidimus eſſe, id eum definiamus eſſe quod ſi non „ eſt, Deus non eſt, ſummum ſcilicet magnum: porro ſummum magnum unicum „ ſit neceſſe eſt: ergo & Deus unicus erit. Non aliter Deus, niſi ſummum magnum; nec aliter ſummum magnum, „ niſi parem non habens: nec aliter parem non habens, niſi unicus fuerit: certe quemcumque alium Deum induxeris, „ non alia poteris eum forma tueri Deum, „ quam ut & illi proprium Divinitatis adſcripſeris. Sicut æternum, ita & ſummum magnum: duo ergo ſumma magna „ quomodo conſiſtent, cum hoc ſit ſummum „ magnum par non habere? par autem „ non habere cum uni competat, in duobus eſſe nullo modo poſſit. „

Tertia affertur ab Athanaſio lib. contra gentes, pag. 32., ubi probat ordinem univerſi unum exigere Deum. " Ordo ipſe diſpoſitionis, *inquit*, & rerum omnium conſentiens harmonia, non plures, ſed unum rectorem ipſius ac ducem eſſe Dei verbum oſtendit; non enim, ſi plures eſſent rerum creatarum „ principes, ſervaretur ejuſmodi univerſitatis ordo; ſed omnia confuſa rurſus „ ac perturbata forent, cum unuſquiſque „ omnia ad ſuum arbitrium traheret, & „ cum altero depugnaret.... Nam in his „ qui pari ſunt poteſtate prædita, nihil „ eſt quod excellat, & præſtantius ſit. „ Quippe ſi, nolente altero, exiſtit alterum, æqualis eſt amborum tum vis, „ tum imbecillitas: vis quidem æqualis, „ quatenus in eo quod exiſtunt ambo, voluntatem ſuam vincunt mutuo; imbecillitas vero par erit utriuſque, quod „ invitis ipſis, ac præter eorum voluntatem res accidunt; ſiquidem eſt bonus, renitente malo, & malus, nolente bono.... Quinam porro duo eſſe „ omnino poſſunt invicem contraria, aut „ quid eſt quo illa ſeparentur, ut diſtincta conſiſtant? fieri enim non poteſt ut „ ſimul exiſtant, eo quod ſeſe mutuo extinguendi vim habent; ſed neque alterum eſſe in altero poteſt, quod inſociabilis ac diſſimilis natura habet illorum; „ itaque tertium erit, quod illa dirimit, „ ipſumque Deus. „ Ibidem dicit, quod ſicut navis a multis ſimul gubernata, curſum rectum non tenet, neque cithara, ſi a multis pulſetur, concentum edit; ita ſi mundus a multis gubernetur, quia erunt diverſi motus, eo quod ſuum unuſquiſque habebit.

Sic ex Athanaſio non poſſunt eſſe plures Dii, tum quia non eſſet ordo in gubernatione mundi, tum quia iſti Dii eſſent contrarii, & ſeſe mutuo deſtruerent, tum etiam quia nihil moveretur; enimvero ſe mutuo impedirent in operatione agentes.

Quarta petitur ex ſumma ſimplicitate quæ Divinitati eſſentialiter competit, & multiplicationem non patitur. Hæc ratio eſt Boetii, qui lib. de Trinitate ſic loquitur: " Deus a Deo nullo differt, nec vel „ accidentalibus vel ſubſtantialibus differentiis in ſubjecto poſitis diſtat. Ubi vero nulla eſt differentia, nulla eſt omnino pluralitas, quare nec numerus: igitur unitas tantum. „

Quinta deſumitur ex plenitudine perfectionum quæ divino competit enti, & eſt Gregorii Nyſſeni, in prologo Libri Catechetici. " Nam ſi bonum & juſtum, & „ ſapiens, & potens uno modo dicatur, incorruptum item & æternum, „ ac pia omnis cogitatio eodem modo affirmetur, omni penitus ſublata differentia: Deorum quoque multitudo ex dogmate neceſſario tollitur, cum quæ eſt „ per omnia, ut ita dicam, identitas, „ ad id quod unum eſt, fidem redigat. „

Sexta deducitur ex neceſſitate unius entis ſupremi a quo ſint omnia, & eſt Divi Anſelmi in Monologio c. 3. ſic loquentis: " Omne namque quod eſt; aut per aliquid „ eſt, aut per nihil; ſed nihil eſt per nihil, & ſi eſt per aliquid, illud aliquid „ vel eſt multiplex, vel unum; ſi ſunt „ plura, debent referri ad unum per quod „ ſunt, alias eſſent plura per ſe: eſt igitur vis a qua ſunt. „

Septi-

Septima ex infinitate perfectionum quæ competit enti ſupremo, eruitur, & eſt Divi Thomæ 1. parte, q. 7. a. 3. “Deus comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi: ſi ergo eſſent plures Dii, oporteret eos differre; aliquid ergo conveniret uni quod non alteri, & ſic ille in quo eſſet privatio, non eſſet ſimpliciter perfectus, ſi autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet: impoſſibile eſt ergo eſſe plures Deos; unde & antiqui Philoſophi, quaſi ab ipſa coacti veritate ponentes principium infinitum, poſuerunt tantum unum principium.”

Octava in impoſſibilitate cultus pluribus Diis exhibendi fundatur: namque ſi plures eſſent Dii, neque colendi forent; atqui abſurdum conſequens; ergo & antecedens. Probatur major ex Tertulliano, qui l. 1. adverſus Marcionem, pag. 433. ſic habet: “Numerus autem Divinitatis ſumma ratione conſtare debet, vel quoniam cultura ejus in anceps deduceretur: ecce enim duos intuens Deos tam pares quam ſumma magna, quid facerem ſi ambos colerem? vererer ne abundantia officii, ſuperſtitio potius quam religio exiſtimaretur, quia duos tantum pares, & in altero ambos poſſem in uno demereri; hoc ipſum teſtimonio præſtans parilitati & unitati eorum, dum alterum in altero venerarer, dum in uno mihi duo ſunt, ſi alterum colerem; æque recogitarem, ne ſuffundere viderer numeri vanitatem, ſine differentia ſupervacuis; hoc eſt, tutius cenſerem neutrum colendum, quam alterum cum ſcrupulo colendum, aut ambos vane.

Nona ex cognitione innata unius tantum Dei optimi maximi eruitur: Omnes etiam barbari & idiotæ agnoſcunt Deum eſſe; nullus quippe niſi ſtultus & inſipiens dicit in corde ſuo: non eſt Deus; ſed cuncti, nullo excepto, voce erumpente naturæ, unicum prædicant, unicum ad auxilium in periculis imminentibus vocant: igitur non multiplex, ſed unus eſt Deus. Probatur minor ex Tertulliano, qui ibidem ait pag. 436. “De ignoto inſtat altercatio: poteſt enim & non eſſe; quia ſi eſſet, notus fuiſſet. Quod ergo quæritur quandiu ignoratur, incertum eſt quandiu quæritur, & poteſt non eſſe. Habes Deum certum qua notum, & incertum qua ignotum. Rurſus pag. 437. “A primordio rerum conditor earum cum ipſis pariter compertus eſt, ipſis ad hoc prolatis, ut Deus cognoſceretur... Deum eſto ſi tamen norunt, etiam tantam idololatriæ dominationem obumbrante; ſeorſum tamen illum quaſi proprio nomine Deum perhibent & Deum Deorum, & ſi Deus dederit, & quod Deo placet, Deo & commendo. Vide an noverint quem omnia poſſe teſtantur; nec hoc ullis Moiſi Libris debent. Ante anima, quam Prophetiæ; animæ enim a primordio conſcientia Dei dos eſt: eadem nec alia, & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis.”

Ex refutatione pluralitatis inanium Gentilitatis Deorum.

Tertullianus hanc Provinciam omnibus nedum Chriſtianis, ſed & ipſorum paganorum proceribus demirantibus optime adimplevit, cujus quidem rationes ad Fidelium tum conſolationem tum inſtructionem, hic texere neceſſe eſt.

Prima ſic exponitur: Nomine Dei intelligimus ens a ſe & independens, maxime ab hominibus; atqui cæteri Gentilium Dii, uno excepto Deo noſtro cœli & terræ Domino, dependent ab hominibus: igitur nullus eſt alius Deus præter Deum vivum & noſtrum. “Ut de Origene, *inquit Tertullianus, Apol. pag. 6. Edit Pariſ. ann.* 1624. aliquid retractemus ejuſmodi Legum, vetus erat Decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi a Senatu probatus. Scit M. Æmilius de Deo ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit.”

Rurſus pag. 7. “Etiam circa ipſos Deos veſtros quæ proſpecte decreverant patres veſtri, iidem vos obſequentiſſimi reſcidiſtis Liberum patrem cum myſteriis ſuis Conſules Senatus auctoritate, non modo urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt. Serapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, ideſt, Curia Deorum pulſos, Piſo & Gabinius Coſſ.

non

,, non utique Chriſtiani ; everſis etiam
,, aris eorum , abdicaverunt turpium &
,, otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibeu-
,, tes. His vero reſtitutis, ſummam Ma-
,, jeſtatem contuliſtis.

Et iterum pag. 14. " Deos aſcia pungi-
,, tis, ſi non placet , e numero Deorum
,, expungitis: uſu pereunt & deſinunt Dii
,, veſtri: Imperatores quos vidiſtis, in nu-
,, mero Deorum ponitis: quod canibus re-
,, ſervatis, Diis offertis: eoſdem miſeros
,, vulnerabiles prædicatis. ,,

Secunda. Nomine Dei, intelligendum eſt ens ab omni labe purum ; non hominem , ſed hominis Creatorem & Dominum: atqui tales nuſquam fuere Dii gentium , immo facinoroſi , & inter homines ut plurimum ſceleratiſſimos ſors illorum eſt : igitur non eſt alius Deus præter Deum noſtrum optimum, maximum.
" Proinde , *ait Tertullianus pag.* 11., in-
,, ceſti qui magis, quam quos ipſe Juppi-
,, ter docuit ? Perſas cum ſuis matribus
,, miſceri Cteſias refert. *Ibidem pag.* 12.,
,, Saturnum itaque quantum Litteræ do-
,, cent , neque Diodorus Græcus , aut
,, Thallus , neque Craſſius Severus aut Cor-
,, nelius Nepos , neque ullus Commen-
,, tator , ejuſmodi antiquitatum , aliud
,, quam hominem promulgaverunt . Si
,, quantum rerum argumenta nuſquam in-
,, venio fideliora , quam apud ipſam Ita-
,, liam , in qua Saturnus , poſt multas ex-
,, peditiones, poſtque Attica hoſpitia con-
,, ſedit, exceptus ab Jano, vel Jaue, ut
,, Salii volunt , mons quem incoluerat ,
,, Saturnus dictus; civitas quam depalave-
,, rat, Saturnia uſque nunc eſt. Tota de-
,, nique Italia poſt Oenotriam , Saturnia
,, cognominabatur . Ab ipſo primum ta-
,, bulæ & imagine ſignatus numus, & in-
,, de ærario præſidet . Tamen ſi homo Sa-
,, turnus, utique ab homine ; & quia ab
,, homine, non utique de cœlo. ,,

Tertia. Nomine Dei concipimus ens omnipotens , & omni ita refertum perfectione , ut nullius indigeat : atqui Dii gentium non ita; nam indigent fere omnium: quid dicam? ſibi invident , & ad invicem parant inſidias; inter eos & congreſſus , & bella & prælia : igitur non ſunt Dii niſi mendaces . Hanc egregiam rationem non ſemel delineat Tertul. Sic ſcribit pag. 12. & 13: " Igitur , ſi eſt qui
,, faciat Deos, revertor ad cauſas exami-
,, nandas faciendorum ex hominibus Deo-
,, rum , nec ullus invenio , niſi ſi mini-
,, ſteria & auxilia officiis divinis deſide-
,, ravit ille magnus Deus. Primo, indi-
,, gnum eſt ut alicujus operæ indigeret ,
,, & quidem mortui, cum dignius ab ini-
,, tio Deum aliquem feciſſet, qui mortui
,, erat operam deſideraturus. ,,

Rurſus pag. 14.: " Sed converſus ad Lit-
,, teras veſtras , quibus Informamini ad
,, prudentiam & liberalia officia , quanta
,, invenio ludicra? Deos inter ſe propter
,, Trojanos & Achivos , ut Gladiatorum
,, paria , congreſſos depugnaſſe: Venerem
,, humana ſagitta ſauciatam : Martem tre-
,, decim menſibus in vinculis pæne con-
,, ſumptum : Jovem , ne eandem vim a
,, cæteris cœlitibus experietur, opera cu-
,, juſdam monſtri liberatum. ,,

Quarta. Nomine Dei agnoſcimus ens perfectiſſimum , a quo omnia , per quem omnia , in quo omnia , ita ut nihil indigeat , ſive ad ſui vel mundi conſervationem , ſive ad univerſi regimen: atqui talis eſt Deus noſter; ſic aſſerit, ſic docet Tertull. ibid. Apol. pag. 13: ergo, &c.
" Totum enim , *inquit*, hoc mundi cor-
,, pus, ſive innatum & infectum, ſecun-
,, dum Pythagoram , ſive natum & fa-
,, ctum , ſecundum Platonem , ſemel uti-
,, que in iſta conſtructione diſpoſitum &
,, inſtructum & ordinatum, cum omni ra-
,, tionis gubernaculo inventum eſt , im-
,, perfectum non potuit eſſe quod perficit
,, omnia .... *Pergit*. Vani erunt homi-
,, nes, niſi certi ſint a primordio, & plu-
,, vias de cœlo ruiſſe, & ſidera radiaſſe,
,, & lumina floruiſſe, & tonitrua mugiſ-
,, ſe, & ipſum Jovem quæ in manu ejus
,, ponitis, fulmina timuiſſe; item omnem
,, frugem ante Liberum & Cererem & Mi-
,, nervam , immo ante illum aliquem prin-
,, cipem hominem de terra exuberaſſe, quia
,, nihil continendo & ſuſtinendo homini
,, proſpectum poſt hominem potuit inferri.
,, Denique inveniſſe dicuntur neceſſaria
,, iſta viæ non inſtituiſſe: quod autem in-
,, venitur, fuit; & quod fuit , non ejus
,, deputabitur qui invenit; ſed ejus qui in-
,, ſtituit ; erat enim antequam invenire-
,, tur. Cæterum, ſi propterea Liber Deus,
,, quod vitem demonſtravit , male cum
,, Lucullo actum eſt , qui primus Ceraſa
,, ex Ponto Italiæ promulgavit, quod non
,, eſt propterea conſecratus, ut novæ fru-
,, gis

,, gis auctor, quia inventor & oſtenſor ;
,, quamobrem ſi ab initio & inſtructa, &
,, certis exercendorum officiorum ſuorum
,, rationibus diſpenſata univerſitas conſtitit:
,, vacat ex hac parte cauſa allegandæ hu-
,, manitatis in Divinitatem, quia quas illi
,, ſtationes & poteſtates diſtribuitis, tam
,, fuerunt ab initio, quam & fuiſſent,
,, etiamſi Deos iſtos non creaſſetis. ,,

Quinta ſic procedit. Nomine Dei intelligitur ens replens omnia, & ubique præſens, maxime in ſupremo cœlo, ubi glorificatur in conſilio Sanctorum ſuorum ; ſed ſolus Deus noſter habitat in cœlis, ibi Dii gentium non ſunt collocandi, cum ipſi pagani multos Diis ſuis probiores in infernum detrudi velint : igitur Deus unus eſt. Minorem quoad utramque partem probat Tertullianus Apol. pag. 13., primam quidem iis verbis : " Sed conver-
,, timini, *ait*, ad cauſam aliam reſpon-
,, dentes collationem Divinitatis merito-
,, rum remunerandorum fuiſſe rationem,
,, & hinc conceditis, opinor, illum Deum
,, deificum juſtitia præcellere, qui nec
,, temere nec indigne, nec prodige tan-
,, tum præmium diſpenſavit. Volo igi-
,, tur merita recenſere. An ejuſmodi ſint
,, ut illos in cœlum extulerint, & non
,, potius in imum tartarum merſerint,
,, quem carcerem pœnarum infernarum,
,, cum vultis, affirmatis ; illuc enim ab-
,, ſtrudi ſolent impii, quique in parentes
,, & in ſorores inceſti & maritarum adul-
,, teri, & Virginum raptores, & pue-
,, rorum contaminatores, & qui ſæviunt,
,, & qui occidunt, & qui furantur, &
,, qui decipiunt, & quicumque ſimiles ſunt
,, alicujus Dei veſtri, quem neminem in-
,, tegrum a crimine aut vitio probare po-
,, teritis, niſi hominem negaveritis. At
,, quin ut illos homines fuiſſe non poſſitis
,, negare, etiam iſtæ notæ accedunt, quæ
,, nec Deos poſtea factos credi permit-
,, tunt, ſi enim talibus vos puniendis præ-
,, ſidetis, ſi commercium, colloquium,
,, convictum malorum & turpium probi
,, quique reſpuitis, horum autem pares,
,, Deus ille Majeſtatis ſuæ conſortio ad-
,, ſcivit, quid ergo damnatis quorum Col-
,, legas adoratis ? ſuggillatio eſt in cœlo
,, veſtra juſtitia. Deos facite criminoſiſſi-
,, mos quoſque ut placeatis Diis veſtris.
,, Illorum eſt honor, conſecratio coæqua-
,, lium. ,,

Jam vero quod multos Diis ſuis probiores in infernum detrudant Gentiles, ibidem aſſerit Tertullianus, ſic enim proſequitur : " Ut omittam hujus indignita-
,, tis retractum, probi & integri, & bo-
,, ni fuerint, quot tamen potiores viros
,, apud inferos reliquiſtis ? . . Quis ex Diis
,, veſtris gravior Catone ? juſtior & mili-
,, tatior Scipione ? Quis ſublimior Pompe-
,, io ? felicior Sylla ? copioſior Craſſo ? elo-
,, quentior Tullio ? quanto dignius iſtos
,, Deos ille aſſumendos expectaſſet ? præ-
,, ſcius utique potiorum properabit, opi-
,, nor, & cœlum clauſit, & nunc utique
,, melioribus apud inferos muſſitantibus
,, erubeſcit. ,,

Sexta. Pluralitas Deorum eſt mere fabuloſa : igitur nullo modo admittenda. Probatur antecedens triplici momento : Primo quidem, quia in iſto ſyſtemate nulla affulget veritas : Secundo, quia ipſi Gentiles & Idololatræ parvi ſua faciunt Numina, immo ut plurimum eos aſpernari non dubitant : Tertio, quia cultu admodum vano ſuos colunt Deos, quinimmo Imperatores ſuos multo plus, quam ipſa Numina, timent & venerantur.

De primo ſic loquitur Tertullianus ibidem p. 14. " Quantum igitur de Diis ve-
,, ſtris nomina ſolummodo video quorun-
,, dam veterum mortuorum, & fabulas
,, audio, & ſacra de fabulis recognoſco ;
,, quantum autem de ſimulacris ipſis nihil
,, aliud deprehendo, quam materias ſo-
,, rores eſſe vaſculorum inſtrumentorum-
,, que communium, vel ex iiſdem vaſcu-
,, lis & inſtrumentis, quaſi fatum conſe-
,, cratione mutantes licentia artis trans-
,, figuratione, & quidem contumelioſe,
,, & in ipſo opere ſacrilege, ut revera
,, nobis, maxime qui propter Deos ipſos
,, plectimur, ſolatium pœnarum eſſe poſ-
,, ſit, quod eadem & ipſi patiuntur ut
,, fiant . . . . . ungulis deraditis latera
,, Chriſtianorum, & in Deos veſtros per
,, omnia membra validius incumbunt A-
,, ſciæ, & Runcinæ & Robinæ . . . . .
,, in metalla damnamur ; inde cenſentur
,, Dii veſtri. ,,

De ſecondo, p. 14. " Qui quos præſu-
,, mitis eſſe, negligitis ; quos timetis,
,, deſtruitis ; quos etiam vindicatis, illu-
,, ditis : recognoſcite ſi mentior. Primo,
,, quia cum alii alios colitis, utique quos
,, non colitis, offenditis : prælatio alte-

,, rius

„ rius ſine alterius contumelia, non po-
„ teſt procedere, quia nec electio ſine
„ reprobatione. „

De tertio p. 15. “ Volo & ritus veſtros
„ recenſere, non dico quales ſitis in ſa-
„ crificando cum enecta & tabidoſa, &
„ ſcabioſa quæque mactatis, cum de opi-
„ mis & integris ſupervacua quæque trun-
„ catis, capitula & ungulas quæ domi quo-
„ que pueris vel canibus deſtinaſſetis; cum
„ de decima Herculis, nec tertiam par-
„ tem in aram ejus imponitis. „

De quarto denique pag. 29. “ Ventum
„ eſt igitur ad ſecundum titulum læſæ au-
„ guſtioris Majeſtatis, ſiquidem majori for-
„ midine & callidiore timiditate Cæſa-
„ rem obſervatis, quam ipſum de Olym-
„ po Jovem. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objiciunt 1. Adverſarii, qui tot admittunt Deos, quot ſunt in Deo perſonæ: Ratio dicit eſſe plures Deos, igitur non eſt unicus Deus. Probatur antecedens. Ratio dicit dari unum ſupremum ens, illudque ſpirituale & cognoſcitivum, adeoque habens & intellectum & voluntatem: igitur dicit eſſe non unum dumtaxat, ſed plures Deos. Probatur conſequentiam. Ratio concipit illud ens ſupremum eſſe intelligens, ſimiliter & volens adeoque producere & ſuæ intellectionis terminum nempe verbum, & ſuæ voluntatis impulſum, videlicet amorem ſubſiſtentem ſeu Spiritum Sanctum: igitur ratio plures eſſe Deos adumbrat & ſuadet, quandoquidem termini intellectus & voluntatis Dei, utique Dii eſſe cenſentur.

Reſpondeo negando rationem dicere plures eſſe Deos, quinimmo dicit eſſe unicum. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ad aliam probationem diſtinguo antecedens: Et non intelligit ratio illud verbum illumque amorem eſſe Deos, concedo; & intelligit, nego. Ratio concipit unum eſſe Deum, ſed cum concipiat divina ad modum rerum creatarum, non capit Verbum & amorem eſſe ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, cum principio a quo utrumque procedit.

Inſtant. Ratio & mens Philoſophi concipit illud ens infinitum, intelligere & amare infinite, adeoque producere terminos ſibi proportionatos & infinitos, & quidem ſubſtantialiter; ſi enim illa conciperet ut accidentia, jam non conciperet ut Verbum & amorem Dei infiniti: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Ratio naturalis hoc intelligit confuſe, concedo; explicite, ſubdiſtinguo, quoad exiſtentiam Dei, concedo; quoad quidditatem, nego. Cognoſcimus naturaliter, & hoc per effectus creatos, Deum eſſe, ſed non quoad quid eſt, & ipſius perſonas. Ratio quidem cognoſcit clare dari Deum, cognoſcit eſſe ens intelligens & volens infinite; ſed pendula manet circa Trinitatem, quandoquidem tres unum eſſe non capit.

Inſiſtunt. Certe ratio naturalis dicit ens ſupremum infinite ſpirituale & intelligens producere terminum intellectionis infinitum, ſicut & amoris, ſed non dicit eſſe conſubſtantiales illos terminos, & tamen dicit eſſe infinitos: igitur dicit eſſe plures Deos, quia eſſentialiter dicit diſtinctos ejuſmodi terminos.

Reſpondeo rationem nullam poſſe de hoc formare judicium, quia non cognoſcit Deum quoad quid eſt, niſi accedat fides in ſupplementum. Fides quidem cognoſcit eſſe terminos infinitos, ſed & conſubſtantiales, adeoque eſſe unum Deum.

Perſiſtes. Sunt tres perſonæ in Divinis; ergo & tres Dii. Probatur conſequentia. Quælibet perſona eſt Deus; ergo, &c.

Reſpondeo negando conſequentiam, ad probationem diſtinguo: quælibet perſona eſt Deus indiſtinctus ab alia, concedo; diſtinctus, nego.

Iterum inſtabis. Perſonæ ſunt ab invicem diſtinctæ: igitur ſi quælibet eſt Deus, erunt tres Dii.

Reſpondeo diſtinguendo. Perſonæ ſunt ab invicem diſtinctæ ſecundum eſſe ad & relativum, concedo; ſecundum eſſe abſolutum, nego. Duo ſunt potiſſimum in perſonis divinis diſtinguenda; eſſe in & quod eſt abſolutum, quod eſt ens a ſe & divinum; deinde eſſe ad & quod eſt relativum. Si perſonæ primo modo ſpectentur, profecto non diſtinguuntur realiter, quandoquidem illud abſolutum eſt ipſa eſſentia divina quæ eadem eſt, & manet in omnibus. At vero ſi ſecundum alium conſiderentur reſpectum, ſane diſtinguuntur.

tur. Cum igitur unica ſit in Deo ſubſtantia, eſt utique unicus Deus. Etvero vox, *Deus*, eſt nomen ſubſtantiæ & naturæ, inquit Divus Thomas, quod certe non multiplicatur, niſi multiplicata eſſentia ſeu natura: unde tres quidem prædicantur perſonæ, unicus vero dicitur Deus.

Urgebis de novo. Perſona eſt ſpiritualis naturæ individua ſubſtantia; ergo cum quælibet perſona divina ſit individua ſubſtantia, ſequitur tres eſſe in Trinitate natura diſtinctos Deos.

Reſpondeo diſtinguendo. Perſona eſt individua ſubſtantia in concreto, concedo; in abſtracto, nego. Illa definitio, Perſona eſt individua ſubſtantia, includit naturam & ſuppoſitum; cum autem natura ſit eadem in tribus perſonis, iſtæ non tres, ſed unicus Deus ſunt.

Adhuc inſtabis. Abſtracta & concreta in divinis ſunt idem; ergo ſi perſonæ diſtinguuntur in abſtracto, diſtinguentur & in concreto, adeoque erunt tres Dii.

Reſpondeo diſtinguendo. Abſtracta & concreta in Divinis, ſunt idem ſecundum eſſentiam & ſecundum abſolutum, concedo; ſunt idem ſecundum relativum, nego. Etvero eo ipſo quo adunantur in eadem natura, eſt unicus Deus.

Rurſus inſtabis. Perſonæ divinæ in abſtracto, non ſunt quid negativum: Paternitas, verbi gratia, eſt perfectio realis & infinita; ſed plures ſunt ejuſmodi in Divinis perfectiones: ergo cum ſint diſtinctæ, ſunt utique plures diſtinctæ entitates, adeoque & plures Dii.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Paternitas eſt perfectio realis indiſtincta a natura, concedo; diſtincta, ſubdiſtinguo: virtualiter & per mentem, concedo, realiter & a parte rei, nego. Perſonæ non diſtinguuntur realiter a natura; unde non ſunt tres entitates diſtinctæ, ſed unica: & ſic unicus Deus eſt.

Inſtabis denique. Una perſona non eſt altera: igitur, cum quælibet ſit Deus, erunt tot Dii, quot ſunt Perſonæ.

Reſpondeo diſtinguendo. Una perſona non eſt altera ſecundum eſſe ad, ſeu relativum & in abſtracto, concedo: perſonæ enim ſic ſpectatæ ſunt mutui reſpectus ſeſe ab invicem excludentes. Una perſona non eſt altera ſecundum eſſe in & abſolutum ſeu in concreto, nego. Quam quidem veritatem declarat Chriſtus Dominus Joan. 10, 30, his verbis: *Ego & Pater unum ſumus*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſtat & ratione unicum eſſe Deum.

Primo. Quia non datur majus & minus in Divinitate; profecto daretur ſi plures eſſent Dii: quædam quippe perfectiones forent in uno, quæ non reperirentur in altero.

Secundo. Quia pluralitas Deorum, teſte Tertulliano, nullitas eſt Deorum.

Tertio. Ordo univerſi ad unum confluens concentum, unumque finem, unicum eſſe Deum conclamat.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Primo. Sunt quidem tres in Sanctiſſima Trinitate perſonæ, ſed unicus Deus, quia unica eſt omnibus perſonis natura & eſſentia.

Secundo. Licet Deus habeat in gubernatione mundi Miniſtros, iſti tamen non ſunt Dii.

Tertio. Regimen Imperii inter homines Collegas ejuſdem cum Imperatore auctoritatis exigit, quandoquidem incertæ ſunt mortalium providentiæ; aſt non ſic ſane Dei Providentia, quæ quidem in ſui diſpoſitione non fallitur, attingens omnia a fine ad finem fortiter, & diſponens ſuaviter, igitur unus eſt Deus.

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA
DE
ESSENTIA ET CONSTITUTIVO DEI,

Contra Anthropomorphitas.

ANTHROPOMORPHITÆ 4. ſæculo graviter erraverunt circa naturam Dei aſſignandam, exiſtimantes Deum eſſe corporeum, habere figuram, brachia, & alias corporis humani affectiones; ſed contra quod dicitur Joan. 9, v. 24. *Spiritus eſt Deus.*

Hoc dogma fidei quatuor probatur momentis; & Deus ſpiritualis, atque purus ſpiritus conclamatur.

Primo. Quia eſt ens a ſe.

Secundo. Quia eſt ab omni materia etiam metaphyſica abſolutus.

Tertio. Quia eſt ens indiviſibile in ſe & a ſuis attributis realiter indiſtinctum.

Quarto. Quia eſt ens ſimpliciſſimum, nullam habens in ſe compoſitionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus ſit formaliter ens a ſe.

CERTUM eſt omnia quæ in Deo diſtinguimus, ſive naturam, ſive perſonas, ſive etiam proprietates & perfectiones eſſe Deum, fides quippe docet & Patrem eſſe Deum ſicut Filium & Spiritum Sanctum; item & bonitatem Dei eſſe Deum, &c.... unde ſi loquamur de conſtitutivo reali, Deus eſt omnium perfectionum cumulus, ſed quæſtio præſens eſt de conſtitutivo metaphyſico, & quæritur quænam ratio ex omnibus quas in Deo diſtinguimus, concipiatur ut radix & fons cæterarum omnium perfectionum, ita ut ſecundum noſtrum concipiendi modum, ſit natura & principium a quo cętera fluant, pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Deus eſt formaliter & eſſentialiter ens a ſe, ita ut ipſius naturæ conſtitutivum ſit ratio entis a ſe.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

DEUS Exod. 3, v. 14, Moiſi ſic loquitur: *Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos.* Notandum eſt Deum reſpondere Moiſi, qui ab ipſo petierat, quis eſſet, ut reſponderet & filiis Iſrael & Pharaoni ad probandam ſuam Miſſionem: igitur Deus eſt ens a ſe formaliter: igitur ratio entis a ſe, eſt naturæ divinæ conſtitutivum metaphyſicum; alias videtur, quod illam reſponſione præcedenti non expreſſiſſet Deus, nec utique appareret reſponſio directa, quod abſit dicere, ad quæſtionem per Moiſen factam Exod. 3, v. 13, his verbis: *Ait Moiſes ad Deum, ecce ego vadam ad filios Iſrael, & dicam eis, Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos: ſi dixerint mihi, quod eſt nomen ejus? Quid dicam eis?*

Se-

Digitized by Google

Secundo, *ex Patribus locum Exodi interpretantibus*.

Dionyſius in l. de divinis nominibus, eſſentiam ſic deſcribit divinam, dicens: " Ipſum per ſe eſſe, antiquius eſt ipſa per ſe vita. " igitur eſſe, prius eſt intelligere quod eſt vivere, ſeu vita Dei, adeoque primum eſt & principale quod concipitur in Deo.

Athanaſius alter teſtis eſt, nam Ep. de Synodis ait " Non aliud quidpiam, ſed ipſam ſimplicem, beatam & incomprehenſibilem ejus qui eſt, eſſentiam intelligimus: " igitur Deus eſt formaliter & eſſentialiter ens a ſe.

Hilarius eidem veritati ſuffragatur l. 1. de Trin. n. 5. explicans verba Exod. " Admiratus ſum, *inquit*, tam abſolutam ſignificationem quæ naturæ divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur; non enim aliquid magis proprium Deo, quam eſſe intelligitur.

Ambroſius eadem ponderans verba in Pſal. 4., ait: " Cognoſcens mentem ejus Deus, non reſpondet nomen, ſed negotium, hoc eſt, rem expreſſe, non appellationem, dicens, *Ego ſum, qui ſum*, quia nihil tam proprium Dei, quam ſemper eſſe. "

Auguſtinus in Pſal. 134. egregie probat concluſionem. " Non dixit Dominus ſic: Dices filiis Iſrael, qui eſt omnipotens, juſtus, miſericors, miſit me ad vos; ſed, ſublatis aliis nominibus, ipſum eſſe vocari voluit, tanquam hoc ſit proprium nomen ejus eſſentiam ſignificans." Igitur ens a ſe conſtitutivum Dei metaphyſicum eſt.

D. Bernardus l. 5. de conſid. c. 6. miro prorſus modo, eandem Dei eſſentiam deſcribit his verbis: " Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, eſt nempe hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe: ſi & centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe; ſi ea dixeris, nihil addidiſti; ſi non dixeris, nihil minuiſti.

D. Thomas inſiſtens Patrum veſtigiis, 1. p. q. 13. art. 11. hæc D. Damaſceni verba laudat: " Principalius omnibus quæ de Deo dicuntur, nominibus eſt, qui eſt. " Ex qua ſententia ſanctus Doctor infert & concludit qui eſt, eſſe nomen Deo maxime proprium: igitur cenſet conſtitutivum Dei in eſſe a ſe potiſſimum conſiſtere; unde q. 14. in proœmio ſic loquitur. " Poſt conſiderationem eorum quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de iis quæ pertinent ad operationem ejus. " Explicans vero quid ſit in Deo operatio, aſſerit unam eſſe immanentem, & eſſe intelligere & velle; alteram vero tranſeuntem, & illam eſſe qua Deus agit ad extra: igitur, cum in quæſtione decima-tertia tractet de eſſe, cenſet conſequenter pertinere formaliter ad naturam Dei, ejuſque conſtitutivum, intelligere vero tantum ad operationem: ergo conſtitutivum eſt eſſe a ſe, & non intelligere. Revera quidem prius eſt eſſe, quam operari.

Tertio, *ex multiplici ratione*.

Prima. Illud eſt eſſentia Dei formaliter, quod eſt illi maxime proprium; nam eſſentiale eſt id quod convenit uni & non alteri: atqui eſſe ex Patribus, eſt Deo maxime proprium; illi ſoli convenit, & id omne quod eſt in Deo, ut ſapientia, bonitas fluit ab eſſe a ſe: igitur eſſe a ſe, eſt formaliter eſſentia Dei, & hoc expreſſe dicit Auguſtinus.

Secunda ſic exponitur. Nomen explicat rei naturam; ſed Deus de nomine ſuo a Moiſe quæſitus, ait: *Ego ſum qui ſum*, illud nomen, inquit D. Thomas hic, quæſt. 13. art. 11. principaliter Deo convenit, quia illi ſoli convenit, quia dicit univerſalitatem & illimitationem, quia ſignificat in præſenti eſſe: igitur eſſe a ſe, eſt id quod concipitur ut Dei eſſentia: tum quia cætera Dei attributa non ſunt quid primum in eo, ſed potius eſſe a ſe, a quo velut a fonte primigenio profluere dicuntur.

Tertia ratio non minus urget. Illud concipitur ut ratio eſſentialis, & naturæ divinæ conſtitutiva, quod ſummam arguit in Deo perfectionem; ſed eſſe a ſe, ſummam arguit in Deo perfectionem: Deus enim, per hoc quod ſit ens a ſe, non dicitur ſolum habere omnia, ſed eſſe omnia; unde Bernard. ſermone 80. in Cant. de Deo, dicit: *In ſemet manens, quod habet eſt*. Idem Anſelmus & alii

Patres conclamant : igitur formaliter & eſſentialiter Deus eſt ens a ſe.

Quarta. Quod eſt primum in re, & radix cæterorum, eſt eſſentia formaliter: atqui eſſe a ſe in Deo, eſt primum & radix cæterorum : primum quidem, prius enim eſt concipere Deum eſſe ſecundum ſe, quam eſſe bonum, omnipotentem; cæterorum vero radix, nam ex hoc quod ſit ens a ſe, ſequitur & fluit eum eſſe primum mobile, primam cauſam, ens neceſſarium & independens, ſumme bonum, ſupremum omnium proviſorem, æternum, infinitum, omnipotentem; ens enim a ſe hæc omnia involvit: ergo ens a ſe eſt conſtitutivum metaphyſicum naturæ Dei.

Quinta & ultima: idem eſt diſtinctivum & conſtitutivum; ſed Deus per eſſe a ſe diſtinguitur, & a creaturis, & a propriis perfectionibus: igitur eſſe a ſe, eſt Dei eſſentia. Probatur minor. Deum diſerre a creaturis per eſſe a ſe liquido conſtat, differre vero a ſuis propriis perfectionibus oſtenditur 1. Non differt per cumulum perfectionum, cum hoc totum Deum dicat. 2. Non per infinitatem, iſta enim eſt ſolum modus imbibitus in omnibus Dei perfectionibus; natura autem dicit formaliter eſſe ſubſiſtens. 3. Neque per intelligere, namque ex D. Thoma dicit operationem quæ ſupponit naturam: per hoc quod ſit ens a ſe: ergo eſſe a ſe, eſt eſſentia Dei.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. Divus Thomas hic dicit nomen, Deus, eſſe Deo proprium: igitur eſſe a ſe, non eſt nomen Dei proprium, adeoque non eſt eſſentia.

Reſpondeo diſtinguendo. Nomen, *Deus*, eſt nomen Dei proprium ſecundario, concedo: ſic etiam omnipotens, & infinitus; primario, & maxime proprie, ſubdiſtinguo; reſpectu creaturarum, concedo; reſpectu propriarum perfectionum, nego. Ens autem a ſe concipitur ut ratio eſſentialis, non ſolum reſpectu creaturarum quæ habent eſſe per dependentiam ab illo ente ſupremo, ut eſt a ſe, ſed etiam reſpectu propriorum attributorum, quæ concipiuntur fluere per ſimplicem emanationem ab illo ente ut eſt a ſe; enimvero ens a ſe neque fluit, neque ab alio fluere concipitur; unde etiam ad intra apprehenditur ut radix cæterorum quæ ſunt in Deo; adeoque ut conſtitutivum metaphyſicum. Licet autem nomen, *Deus*, dicat ens ſupremum, non tamen explicite, ſed ſolum implicite, adeoque non concipitur explicite ut radix cæterorum & natura, & ſic non eſt nomen maxime proprium.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Et vox, *Deus*, ſignificat ens a ſe, & idem eſt cum illo, concedo: & non eſt idem, nego. Quod ſit idem patet, quandoquidem paſſim in Libris legalibus Deus ipſe ſe nominat Deum Abraham, Deum Iſaac & Jacob; cui ſubſcribit D. Thomas hic q. 13. art. 8. dicit enim nomen illud, *Deus*, principium operationis ſignificare.

Inſtabis. Ens a ſe, eſt quid indeterminatum & vagum; ſed ens vagum non eſt eſſentia Dei: ergo nec ens a ſe.

Reſpondeo diſtinguendo. Ens a ſe aliquid eſt indeterminatum, ſi ſumatur in abſtracto, concedo, in concreto, nego. Ens a ſe poteſt conſiderari in abſtracto, & ut dicit aſſeitatem ſolum; & in concreto, ut dicit ens ſubſiſtens a ſe. Primo quidem modo non eſt eſſentia Dei, ſed modus imbibitus in omnibus Dei perfectionibus; nam ſapientia divina eſt a ſe, bonitas divina eſt a ſe; bene vero ſecundo modo; ut enim afficit ens, eſt radix cæterorum, quandoquidem cæteræ Dei perfectiones non ſunt a ſe, niſi quatenus ſunt idem realiter cum Deo, ſeu ente a ſe.

Ad id vero quod dicitur ens a ſe, dicere aliquid indeterminatum,

Reſpondeo diſtinguendo. Per plenitudinem & abundantiam, quia omnia habet, & nullis clauditur terminis, concedo; indeterminatum vage & per indigentiam alicujus boni & perfectionis, nego. Solutio eſt D. Thomæ, qui hic quæſt. 13. art. 4. ſic habet: " Cum eſſe Dei ſit
„ ipſa ejus eſſentia, & hoc nulli alio con-
„ veniat, manifeſtum eſt, quod inter alia
„ nomina, hoc maxime proprie nominat
„ Deum . . . . . Quanto aliqua nomina
„ ſunt minus determinata & magis com-
„ munia & abſoluta, tanto magis pro-
„ prie dicuntur de Deo a nobis; unde &
„ Damaſcenus dicit quod principalius om-
„ nibus quæ de Deo dicuntur nominibus, eſt
„ qui eſt; totum enim in ſeipſo comprehen-

dens,

Digitized by Google

„ dens, velut quoddam pelagus ſubſtan- „ tiæ infinitum & indeterminatum; quo- „ libet enim alio nomine determinatur „ aliquis modus ſubſtantiæ rei; ſed hoc „ nomen, qui eſt, nullum modum eſſen- „ di determinat, ſed ſe habet indeter- „ minate ad omnes, & ideo nominat ip- „ ſum pelagus ſubſtantiæ infinitum. „

Rurſus inſtabis. Ens a ſe, eſt quid commune cæteris Dei perfectionibus: ergo non eſt eſſentiæ conſtitutivum; namque quod eſt commune, non diſtinguit. Confirmatur. Infinitas eſt quid commune perfectionibus Dei, non tamen concipitur ut eſſentia: igitur nec ens a ſe propter eandem rationem; & revera in omnibus ſupremi Numinis perfectionibus reperitur, ſiquidem quælibet Dei perfectio eſt ens a ſe.

Reſpondeo diſtinguendo, Ens a ſe, eſt quid commune entitative, quia omne quod eſt in Deo, Deus eſt, ut definivit Concilium Rhemenſe ſub Eugenio III. concedo; eſt quid commune formaliter, ſubdiſtinguo: implicite, concedo; explicite, nego. Etvero conceptus ſapientiæ, ut ſic non dicit eſſe a ſe, ſed ſolum conceptus ſapientiæ, ut eſt divina, quod quidem eſſe a ſe, eatenus in omnibus invenitur perfectionibus, quatenus omnia in Deo identificantur, & ſunt una & eadem entitas.

Reſpondeo, ad confirmationem negando paritatem; nam infinitas eſt quid commune ſolum, ut modus conſequens ad eſſe a ſe, & ut excludit omnem terminum, atque omnem in Deo limitationem; ſed ens a ſe eſt commune ut radix & principium a quo cuncta promanant attributa.

Inſiſtes. Ens ut dicit cumulum perfectionum, magis explicat naturam Dei: ergo ens a ſe non eſt eſſentia, ſed ens ſub conceptu omnium perfectionum.

Reſpondeo diſtinguendo. Magis explicat deſcriptive & extenſive, concedo; magis intenſive & formaliter, nego. Conſtitutivum formale debet importare radicem cæterorum, quod ſoli enti a ſe profecto convenit; enimvero infinitas & cumulus perfectionum nihil determinant: ſed ens a ſe & eſt illimitatum, & per modum radicis cæterorum. Deus non habet quidem cauſam, attamen ens a ſe apprehenditur ut principium a quo attributa promanant; & ideo dicitur conſtitutivum naturæ divinæ metaphyſicum.

Iterum inſtabis. Deus magis cognoſcitur per quid non eſt, inquit D. Thomas poſt Dionyſium quam per quid eſt: igitur infinitas perfectionum multo melius Deum exprimit, quandoquidem omnem abnegat perfectionibus terminum; hinc D. Bernardus ſerm. 80. in Cant. dicit Deum non habere ſapientiam, ſed ipſam eſſe ſapientiam.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus magis cognoſcitur per quid non eſt reſpectu noſtri & per accidens, concedo: quoad ſe, nego. Cum intellectus creatus non queat Deum comprehendere, illum multis conceptibus ſibi exhibere conatur, qui conatus cum adhuc ſit impar tantæ eſſentiæ concipiendæ, tunc tenetur creatura fateri Deum non eſſe illud omne quod concipit, ſed aliquid multo majus, adeoque eum neque eſſe ſapientiam, neque bonitatem, eo modo quo ſibi effingit, ſiquidem omnis creaturæ conceptus finitus eſt; tenetur, inquam, fateri eum Salomone ſapientiorem, Davide meliorem, ſanctiorem Angelis, utpote qui ſit ſuper omnem & ſapientiam & bonitatem, & ſanctitatem creatam. Intellectus autem noſter, ſi infinitus eſſet, unico conceptu Dei nomen, ſicuti eſt, efformaret. Ita olim Deus quærenti Prophetæ quod eſſet nomen ejus, illico repoſuit: *Ego ſum, qui ſum*. Solutio eſt D. Thomæ, qui hic q. 13. art. 1. ſic loquitur: “ Cum Deus in hac vita ſecundum quod „ in ſe eſt, a nobis minime cognoſcatur, „ ſed ſecundum quod principium omnium „ eminentiſſimum eſt, aliquibus nomini- „ bus hoc ſignificantibus nominari poteſt: „ nullum autem eſt nomen divinam eſſen- „ tiam adæquate repræſentans Deo ab „ hominibus impoſitum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Eorum qui ponunt conſtitutivum Dei in intelligere per eſſentiam.

Objicies. Quod eſt eſſentiale, eſt conſtitutivum rei: atqui intelligere per eſſentiam, eſt eſſentiale Deo: igitur & conſtitutivum Dei. Major patet. Probatur minor ex D. Thoma, qui hic 1. parte, quæſt. 14. art. 4. ſic fatur: “ Intelligere non di-

ſtinguitur ab ipſa ejus eſſentia. ,, Ibidem ſequitur: " Quod ipſum intelligere ſit ejus eſſentia ,, ergo &c.

Reſpondeo 1. D. Thomam loqui ibi de operatione, quandoquidem in hac quæſt. agit ſolum de operatione Dei; dicit enim in prooemio quæſtionis. " Poſt conſiderationem eorum quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent; reſtat conſiderandum de iis quæ pertinent ad operationem ejus. ,,

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Quod eſt eſſentiale ut radix cæterorum, eſt conſtitutivum, concedo; quod eſt eſſentiale ſolum identice, & ut vox, eſſentiale, opponitur accidenti, nego: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ad probationem, dico D. Thomam loqui ſolum in ſecundo ſenſu; ibi enim probare intendit ex profeſſo, intelligere in Deo, non eſſe accidens, ſicut eſt in nobis; quia, inquit, actus Dei foret in potentia, ſicut & intellectus divinus ad intelligere eſſentiale: & ſic Deus non eſſet actus purus. Porro intelligere eſſentiale illud eſt quo Deus, ut præintelligitur perſonis ſe ipſum cognoſcit: intelligere vero notionale illud cenſetur quo Pater producit ſuum Verbum. Deus nequidem virtualiter diſtinguitur a primo intelligere, niſi ſecundum noſtrum concipiendi modum, & propter debilitatem intellectus humani, qui concipiendo divina per analogiam ad creata, illa diſtinguit; unde propter tantam identitatem, D. Thomas dicit illud intelligere eſſe eſſentiale, & ipſam eſſentiam. Natura autem Dei diſtinguitur quidem virtualiter ab intelligere notionali: attamen re eſt idem, nec eſt in potentia ad illud; unde quocunque modo manet verum dictum D. Thomæ.

D. Thomas ſe ipſum explicat ibidem his verbis: " Neceſſe eſt dicere, quod ,, intelligere Dei eſt ejus ſubſtantia; nam ,, ſi intelligere Dei ſit aliud quam ejus ſubſtantia, oporteret quod aliquid aliud ,, eſſet actus & perfectio ſubſtantiæ divinæ, ad quod ſe haberet ſubſtantia ,, divina, ſicut potentia ad actum quod ,, eſt omnino impoſſibile.. Patet ex omnibus præmiſſis, quod in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur & intelligere, ſunt unum & ,, idem. ,,

Inſtabis. Divus Thomas ibidem diſtinguit intelligere eſſentiale a notionali, in eo quod ſit de eſſentia: ergo eſt de illa formaliter: ergo eſt conſtitutivum.

Reſpondeo diſtinguendo. Divus Thomas diſtinguit intelligere eſſentiale a notionali, quia eſt de eſſentia terminative & objective, concedo; quia eſt formaliter & ut radix cæterorum, nego. Intelligere primum reſpicit eſſentiam ſecundum ſe, & ut objectum ad quod terminatur; unde eſt in linea eſſentiæ, & ideo D. Thomas dicit quod intelligere, intellectus, intelligens, ſunt unum & idem etiam virtualiter, at vero intelligere notionale terminatur ad perſonam, & virtualiter ab ipſa natura diſtinguitur.

Repones. Intelligere notionale eſt etiam idem realiter cum natura, immo eſt eſſentiale ut vox, *eſſentiale*, opponitur accidenti, & tamen non dicitur a D. Thoma de eſſentia ſicut primum intelligere: igitur intelligere quo Deus ſe ipſum cognoſcit, ut præintelligitur perſonis, eſt formaliter de eſſentia.

Reſpondeo diſtinguendo. Et intelligere notionale non pertinet ad lineam naturæ, non enim illam habet pro objecto, concedo; & eſt in linea naturæ, nego. Intelligere eſſentiale idem dicitur cum eſſentia, cum illam habeat pro objecto immediato: unde magis ad illam ſpectat quam intelligere notionale, quod fluit ab intellectu, ut a potentia formaliter operativa.

Inſiſtes. Quod eſt in linea eſſentiæ, & ab illa non diſtinguitur, eſt ipſa eſſentia: ſed ex Divo Thoma, intelligere eſſentiale eſt in linea eſſentiæ, & ab illa non diſtinguitur: immo eſt unum & idem cum illa: ergo ſequitur quod ſit formaliter eſſentia.

Reſpondeo diſtinguendo. Quod eſt in linea eſſentiæ ut primum & radix cæterorum eſt ipſa eſſentia, concedo; quod eſt ſolum ut quid ad eſſentiam conſequens, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Prius eſt Deum eſſe, quam ſe intelligere & cognoſcere ſecundum noſtrum concipiendi modum; unde intelligere etiam eſſentiale concipitur ut quid ad Deum & ad ipſius naturam conſequens; quinimmo etiam ab ea diſtinguitur diſtinctione aliqua rationis; non enim eodem conceptu concipimus Deum eſſe, & Deum ſe intelligere: ſed diverſis conceptibus, quorum unus ex alio eruitur.

Per-

Perſiſtes. Deus eſt formaliter actus puriſſimus, ſed intelligere per eſſentiam eſt actus puriſſimus; ad illud quippe ſolummodo formaliter pertinet explicare actum puriſſimum: igitur eſt conſtitutivum. Confirmatur. Ens a ſe non dicit actum purum, ſed ens in potentia ad actum: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt formaliter actus puriſſimus, ideſt, ens plenum habens actu omnes perfectiones poſſibiles, concedo; eſt actus puriſſimus, ut actus dicit operationem, ſubdiſtinguo: ſecundario, concedo: primario & eſſentialiter, nego. Actus purus ſumitur dupliciter: 1. Pro ente quod habet omnes perfectiones poſſibiles, tum in ratione entis a ſe ſubſiſtentis, tum in ratione cauſæ a qua ſunt omnia; hoc autem Deo competit ratione entis a ſe: ex eo enim quod ſit ens a ſe, eſt omnia & a quo omnia; eſt in actu omnium perfectionum, in actu omuium intelligibilium & amabilium: alio modo actus purus dicitur illud quod ſemper agit, & nunquam eſt in potentia ad agendum; ſic etiam Deus eſt actus purus, cum ſit omnia, ſed prius concipitur eſſe a ſe quam operari. Quod autem eſt natura alicujus rei, concipitur ut principium operationis, ſic eſt ens a ſe, & ideo ſolum conſtitutivum.

Reſpondeo, ad confirmationem diſtinguendo. Ens a ſe concipitur in potentia ad aliquam perfectionem, nego: ex ratione enim ſua eſſentiali dicit omnem perfectionem, alias non eſſet ens a ſe. Concipitur in potentia ad operationem, ſubdiſtinguo: ideſt, prius concipitur quam operatio, concedo: quod enim eſt eſſentia, debet prius concipi, quia eſt principium; concipitur in potentia, ita ut ſit aliud primum principium ſupra ſe, nego. Immo eo ipſo quo eſt ens a ſe, omnia perfectionum flumina, inquit Bernard. fluere concipiuntur ab illo immenſo & mirabili virtutum pelago.

Rurſus inſtabis. Vox, a ſe, extrahit intelligere e linea operationis: ergo non eſt operatio, ſed eſſentia.

Reſpondeo diſtinguendo. Extrahit e linea operationis creatæ quæ eſt limitata & dependens a principio, concedo; habet enim ab aſeitate, quod ſit operatio divina & infinita. Extrahit e linea operationis ut ſic, nego. Quamvis in Deo omnia ſint Deus, quædam tamen concipiuntur ut perfectiones, quædam ut operationes, & ad hoc ſufficit diſtinctio virtualis inter eſſentiam & attributa. Qua quidem diſtinctione poſita, concinne illa omnia diſtinguimus, ſicuti, poſita diſtinctione reali in creatis, diſtinguimus naturam creatam ab ejus perfectionibus: aſſeitas autem non impedit quin diſtinguamus naturam divinam ab attributis; alias cum inveniatur ubique & imbibatur in ſapientia, in bonitate & cæteris attributis, etiam bonitas, verbi gratia, foret eſſentia Dei formaliter; quod nullus Theologorum dicere audebit.

Inſtabis. Divus Thomas hic dicit intelligere a ſe, eſſe ultimam Dei differentiam; ſed idem eſt diſtinctivum & conſtitutivum: igitur intelligere a ſe, eſt natura Dei formaliter.

Reſpondeo diſtinguendo. Intelligere a ſe, eſt ultima Dei differentia reſpectu creaturarum, & ad extra, concedo; ad intra & comparative ad alias perfectiones, nego. Cum creaturæ ſint in potentia ad agendum, & dependentes, Deus optime ſecernitur ab eis per intelligere a ſe, immo hoc habet ab aſſeitate quæ primo convenit enti cujus eſt prima proprietas, ſicut perſeitas in ſubſtantia creata, prius convenit illi, quam partibus ſuis integralibus: igitur ex eo quod Deus ſit ens a ſe, magis diſtinguitur a creaturis quam per intelligere; cum tamen intelligere divinum habeat quod ſit a ſe ſubſiſtens, etiam per illud Deus differt a rebus creatis, & quidem ultimate, ut dicit D. Thomas, ideſt, perfectiſſime, ſed non tanquam per eſſentiam, quia intelligere non eſt radix & principium cæterorum, bene vero ens a ſe.

Inſtabis. Verbum divinum procedit in ſimilitudinem naturæ, quia procedit per intelligere: ergo intelligere per eſſentiam eſt conſtitutivum naturæ divinæ, alias non eſſet ratio cur ſecunda Perſona foret potius Filius quam tertia.

Reſpondeo 1. Verbum procedere per intelligere notionale, quod eſt formaliter operatio, & quidem diſtincta virtualiter a natura etiam in ſententia adverſariorum; unde ſi argumentum aliquid probaret, ſequeretur etiam intelligere notionale, per quod Verbum emanat a Patre,

M. 4 eſſe.

eſſe formale conſtitutivum, quod nequaquam verum eſt etiam in alia opinione.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Et illud intelligere ſupponit ſecundum modum concipiendi naturam jam conſtitutam, concedo; & non ſupponit, nego. Prius concipitur natura eſſe quam operari; quia vero intellectus eſt aſſimilativus & non voluntas, quatenus imaginem ſeu Verbum de natura effingere valet: ideo ſecunda Perſona dicitur Filius, non tertia, ſiquidem illa procedit in ſimilitudinem naturæ; Spiritus vero Sanctus procedit per pondus & amorem.

Vrgebis adhuc. Verbum divinum eſt Filius & imago Patris, quandoquidem ejus naturæ eſt expreſſio: ergo Verbum ſeu intelligere eſt conſtitutivum.

Reſpondeo diſtinguendo. Eſt expreſſio naturæ quæ jam ſupponitur in priori a quo, concedo; eſt ipſa natura, nego. Immo hoc non poteſt fieri; quod enim eſt expreſſio alicujus rei illam ſupponit, & non eſt ipſa res: igitur illa ratio militat pro nobis; cum enim Verbum ſit expreſſio naturæ divinæ quæ eſt in Patre, non eſt ipſa natura niſi identice. Præterea Verbum divinum non eſt intelligere, ſed terminus intellectionis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conſtitutivum Metaphyſicum naturæ Dei eſt eſſe a ſe.

Primo. Quia ipſe Deus Exod. 3. ſuam delineans naturam, ait: *Ego ſum qui ſum.* Quam ſententiam Hilarius, Bernardus, & alii percelebres Patres interpretantur de eſſentia Dei.

Secundo. Quia eſſe a ſe concipitur ut fons & origo omnium perfectionum. Et vero, ex eo quod Deus ſit ens a ſe, ſequitur eum eſſe omnipotentem, ſapientem, &c.

Tertio. Deus eſt eſſentialiter actus purus: profecto hanc habet dotem, per hoc quod ſit ens a ſe, quandoquidem per hoc eſt actu omnia, eſt ipſa bonitas, ipſa ſapientia, &c.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD OBJECTIONES.

Noſtram nonnulli impugnant ſententiam dicendo: 1. Ens a ſe eſſe omnibus perfectionibus quid commune. 2. Quid indeterminatum. 3. Intelligere a Sancto Thoma vocari eſsentiam Dei, & eſse quid actuale & magis perfectum. Sed reſpondetur: 1. Ens a ſe eſse quid commune, ut eſsentiam & radicem cæterorum. 2. Eſse quidem quid indeterminatum, ſed per plenitudinem & non quid vagum. 3. Intelligere pertinere ad operationem, & eſse de eſsentia entitative quidem, & ut eſsentiale opponitur accidenti, ſed non formaliter & per modum radicis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vtrum Deus ſit purus ſpiritus.

CONCLUSIO.

Deus eſt purus ſpiritus.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

ISAIAS c. 40. fuſe probat Deum non eſſe corporeum, eo quod omnium creaturarum viſibilium & inviſibilium conditor ſit; unde ipſe Dominus per os Prophetæ increpat idololatras, illum fingentes creaturæ ſimilem; ſic enim habetur v. 25. & 26. *Cui aſſimilaſtis me & adæquaſtis, dicit Sanctus? Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc? Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutiſque ejus, neque unum reliquum fuit..... Deus ſempiternus, Dominus, qui creavit terminos terræ.*

Sed, ſi Deus eſſet corporeus, utique non foret omnium Creator, immo nec ſempiternus, inquit Tertullianus lib. contra Hermogenem, c. 22. Non creator quidem, quia ens corporale non agit ſupra nihilum, ſed ex ſuppoſito ſubjecto operatur; cum enim ſit limitatum, diſtantiam infinitam quæ intercedit inter ens & nihilum, vincere non valet; nec etiam Deus foret æternus, tum quia ens materiale habet eſſe ab alio, tum quia materia, cum ſit de ſe paſſiva, debet reduci de potentia ad actum & motum, per aliud quod ſit ſemper in actu: immo, inquit

Digitized by Google

quit Tertulianus capite 18. Si Deus eſſet materialis, foret ab ipſa materia dependens, quippe qui ad creandum aliquid, ea indigeret. Igitur, cum ex Scriptura conſtet & Deum eſſe mundi Creatorem, & etiam eſſe æternum, concludendum eſt utique purum eſſe ſpiritum, juxta illud Chriſti Joan: 9. v. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.*

Secundo, *ex Conciliis.*

Hæc probatio deſumitur: 1. Ex Judicio Eccleſiæ, quæ ſemper Anthropomorphitas inter Hæreticos recenſuit. Deinde ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3. capite *firmiter*, ubi habetur: " Nos autem, ſacro & univerſali Concilio „ approbante, credimus & confitemur cum „ Petro, quod una quædam ſumma res „ eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & „ Filius, & Spiritus Sanctus. „ Sed ſi „ tres Perſonæ ſunt una res, Deus neceſſario eſt purus ſpiritus; enimvero res materialis dividitur in varia individua, quando ſunt multæ perſonæ & multa ſuppoſita: ergo, &c.

Tertio *ex Patribus primorum ſæculorum, qui ex profeſſo Anthropomorphitas impugnarunt.*

Origenes variis in locis docet Deum non eſſe corporeum, ſed præcipue l. Periacon. c. 1: ubi ſic loquitur: " Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore „ eſſe putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura ſimplex, nihil omnino in ſe „ adjunctionis admittens, uti ne majus „ aliquid & inferius eſſe credatur: ſed „ ut ſit ex omni parte verax, & ut ita „ dicam, totus mens ac fons ex quo initium totius intellectualis naturæ, vel „ mentis eſt. „

Novatianus veritatis iſtius alter teſtis eſt, nam l. de Trin. c. 6. de Deo ait: „ Idem enim quidquid illud eſt, totus „ æqualis eſt, & totus ubique eſt. Non „ enim habet in ſe diverſitatem ſui, quidquid eſt ſimplex: ea enim demum in diverſitatem membrorum recidunt, quæ „ veniunt ex nativitate ſui in diſſolutionem; ſed hæc quæ cum concreta non „ ſunt, ſentire non poſſunt ... Et ideo, „ quia unum eſt, diſſolvi non poteſt. „

Gregorius Nazianzenus etiam Dei prædicat ſpiritualitatem oratione 34. his verbis: " An corpus cum dices? Quonam „ vero modo corpus erit hoc quod eſt infinitum, interminabile, figuræ expers, quod nec tangi, nec videri poteſt? ... Quonam cultu & adoratione „ dignum eſt, ſi circumſcriptum aliquid „ eſt? aut quid cauſæ eſſe dicemus, quin „ ex elementis conſtet, & in ea reſolvatur iterum, & omnino diſſolvatur? nam „ compoſitio principium eſt pugnæ; pugna „ autem diſſidii, diſſidium ſolutionis ... „ Quinam vero illud tueri potuerimus, „ quod ait Scriptura Deum omnia pervadere atque implere, juxta illud: *Nonne* „ *cœlum & terram ego impleo; & ſpiritus* „ *Domini replevit orbem terrarum?* Si Deus „ partim circumſcribat, partim circumſcribatur? „ Immaterialitatem Dei ut elevet, inde eruit ibi ſanctus Doctor, ſcilicet ne ſit in Deo aut pugna & diſſolutio entis, aut compoſitio, aut circumſcriptio; quæ quidem omnia repugnant Enti ſupremo.

Auguſtinus l. 12. de Trin. c. 7. ait: " „ Turpiter vana cogitatio eſt quæ opinatur Deum membrorum corporeorum linea entis definiri atque conſcribi. „

Fulgentius eidem ſubſcribit veritati, l. de fide ad Petrum c. 3. " Niſi enim, „ *inquit*, naturaliter immutabilis eſſet, „ numquam in rebus mutabilibus eſſet, „ numquam in rebus mutabilibus ordo quidem conſilii ac diſpoſitionis ejus incommutabilis permaneret: Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum „ Creator immenſus; eo primum ſe nullum eſſe corpus oſtendit, quia quibuſdam corporibus vitam non dedit, cum „ corpora omnia ipſe creaverit; ipſe autem naturaliter vita eſt, quia ſi vita non „ eſſet, non viventia corpora ipſe feciſſet. „ Probat Deum non eſſe corporeum, ſed mentem & ſpiritum & vitam, quia omnia fecit conſilio, & quibuſdam corporibus dat vitam, aliis vero denegat; quod arguit Deum eſſe per ſe vitam & puram intelligentiam.

Quar-

Quarto, *ex ipſis Judæis, ex antiquis Philoſophis, Oratoribus & Poetis*.

Judæi tum antiquiores, tum recentiores Sadducæos ut Hæreticos habebant, eo quod Deum crederent corporeum. Philo l. de ſomno, p. 407., ſic eos arguit, dicendo: " Nonnullos ſic hebetes & obtu„ ſos eſſe natura, ut Deum ſine corpore „ intelligere nullo modo queant. „

Maximus Tyrius diſſertatione prima ex Platonis ſententia, ſic loquitur, poſtquam diſtinxit varia entia, quorum alia ſunt pure materialia, alia mixta, alia ſine materia. " Jam vero quanam illarum om„ nium parte collocabimus Deum? num „ in illa congerie? ne Deus ipſe fuerit. „ Reſtat igitur ut tanquam edita in arce „ Deum in principe mente, oratione no„ ſtra collocemus. „.

Cicero has adjuvat partes, namque lib. Academic. quæſt. dicit de Deo, quod " „ nullo corpore ſit id intelligi, quale ſit, „ vix poſſe. „ Idem Cicero apud Aug. „ l. 22. de Civ. c. 20., Deum ſic defi„ nit. " Mens quædam ſoluta & libera, „ ſecreta ab omni concretione mortali, „ omnia ſentiens & movens. „

Virgilius l. 4. Georgicorum inſinuat etiam Deum eſſe incorporeum, dicendo eſſe ubique: enimvero quod eſt incorporeum, nequit naturaliter pluribus eſſe in locis; & ideo plurimum ponderat iſtius Poetæ teſtimonium verbis ſequentibus expreſſum:

. . . . . . *Deum namque ire per omnes*
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum.

Dei ſpiritualitas concluditur ex ejus immenſitate; nam Gregorius Nazianzenus hanc plurimum urget rationem oratione de Dei incorporeitate jam citata, ubi ſic diſcurrit: " Aut enim per vacuum hoc „ univerſum graſſabitur, & res omnes „ nobis peribunt: ut ſic Deus contume„ lia afficiatur, nimirum & qui corpus „ ſit, & iis quæ procreavit, careat: „ aut corpus in corporibus erit, id quod „ fieri non poteſt; aut implicabitur, aut „ opponetur, aut quemadmodum liquida „ invicem miſcentur; ita ille alia ſeca„ bit, ab aliis ſecabitur. Quod ipſis et„ iam Epicuri atomis magis eſt abſurdum „ & anile; ſicque nobis excidet, & cor„ pus non habebit, nec ſolidi quidquam „ hæc diſputatio qua Deo corpus tribue„ re conamur. „

Quinto, *ex ratione multiplici*.

Prima ſic proponitur: Nomine Dei intelligitur primum movens & prima cauſa; ſed ſi Deus eſſet corporeus, non foret primum movens & prima cauſa; primum quidem movens, nam cum materia ſit de ſe paſſiva, eſt in potentia ad motum, & debet moveri ab alio. Prima vero cauſa, materia enim cum ſit limitata & circumſcripta, habet eſſe ab alio: ergo Deus non eſt corporeus.

Secunda. Per ens ſupremum concipimus ens neceſſarium; ſed ſi Deus eſſet corporeus, eſſet corruptibilis & interitui obnoxius propter varias elementorum qualitates, quæ inter ſe agentes & reagentes deſtruunt ſubjectum: ergo, &c.

Tertia ſic procedit: Deus eſt ens ita perfectum, ut nihil ipſo melius excogitari poſſit; ſed ſi foret corporeus, non eſſet ens quo nihil melius excogitari poteſt, quandoquidem ens corporale variis obnoxium eſt viciſſitudinibus: Ergo, &c.

Quarta. Per ideam Dei, in mentem venit ens abſolutum, ens a ſe, & independens; ſed quod eſt compoſitum ex corpore & anima, ab alio dependet ut ſit & perſeveret, eſt potentiale, & aliquam poteſt ab alio recipere perfectionem: ergo, &c.

Quinta & ultima. Deus eſt omnia; ſed ſi foret ex materia & forma compoſitus, non eſſet omnia; aliquid quippe ei adveniret, quandoquidem materia utpote finita, poteſt ſemper novas recipere formas, eaſque vel ſubſtantiales vel accidentales: ergo, &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. Homo factus eſt ad imaginem Dei, ut habetur Geneſ. 1., v. 26. Sed homo eſt corporeus: ergo & Deus. Imago enim exprimit prototypum, alias non foret ejus ſimilitudo.

Reſpondeo diſtinguendo. Homo factus eſt ad imaginem Dei inadæquate, & ſolummodo

modo ſecundum animam, concedo; adæquate, & ſecundum omnia, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Nulla creatura, quantumvis perfecta, Deum perfecte repræſentare poteſt: omnis enim creatura certis circumſcribitur terminis, Deus autem eſt infinitus. Præterea Deus fecit hominem ad imaginem ſuam ſolummodo ſecundum animam quæ per intellectum, memoriam & voluntatem quadantenus ſanctiſſimam exprimit Trinitatem; neque vero res corporeæ ſunt Dei imagines, ſed ipſius duntaxat veſtigia nominantur apud ſanctum Job.

Ambroſius hanc tradit ſolutionem in Pſalm. 118., his verbis: " Inviſibilis Dei ,, imago, *inquit*, non in eo eſt quod vi- ,, detur, ſed in eo utique quod non vi- ,, detur: hi porro non omnino conſen- ,, tiunt. Alii enim imaginem iſtam col- ,, locant in animæ ſpiritalitate, qua ad ,, Deum quadantenus accedit; alii in tri- ,, bus ejus facultatibus, mente, memoria ,, & voluntate, quibus Sanctam Trinita- ,, tem videtur exprimere; alii in domi- ,, nio quod habebat in res externas, pro- ,, pter id quod ſtatim additur, ut præſit ,, piſcibus maris & volatilibus cœli, & ,, beſtiis, univerſæque terræ, omnique re- ,, ptili quod movetur in terra. ,,

Inſtabis. Atqui homo eſt ad imaginem Dei, etiam ſecundum corpus; & probatur ex Tertulliano, qui l. de reſurrectione carnis cap. 6, ſic loquitur, extollendo dignitatem hominis: " Quantum con- ,, tulit ille qui eum fecit jam tum glo- ,, riantem, quod illa puſillitas, limus in ,, manus Dei, quæcumque ſunt pervenit, ,, ſatis beatus, & ſi ſolummodo conta- ,, ctus..... Itaque toties honoratur, ,, quotiens manus Dei patitur, dum tan- ,, gitur, dum diſcerpitur, dum deducitur, ,, dum effingitur. Recogita totum illi ,, Deum occupatum, ac deditum manu, ,, ſenſu, opere..... Et ipſa in primis ,, adſtictione quæ in lineamenta ducebat: ,, quodcumque enim limus exprimebatur, ,, Chriſtus cogitabatur homo futurus.... ,, Ita limus ille jam tunc imaginem in- ,, ducens Chriſti futuri in carne, non tan- ,, tum Dei opus erat, ſed & pignus. ,, Ibi Tertullianus dicit Deum occupatum in formatione hominis, & illum manu, ſenſu, opere effinxiſſe: ſed qui agit manu, opere & ſenſu, habet corpus: ergo homo eſt ad imaginem Dei, etiam quoad corpus.

Reſpondeo 1. Tertullianum ibi non dicere hominem eſſe ad imaginem Dei ſimpliciter, ſed ad imaginem Verbi Incarnati, id eſt Chriſti, qui eſt Deus & homo. " Quodcunque enim, *inquit Tertullia-* ,, *nus*, limus exprimebatur, Chriſtus co- ,, gitabatur. ,, Ita interpretatur Tertullianum Ambroſius ſupra citatus, & addit: " Sunt etiam e contra nonnulli, qui ,, ejuſmodi ſimilitudinem conſtituunt in ,, corpore, putantque hominem factum ,, eſſe penes illud ad imaginem Dei, ſed ,, corpore ad id induci, aut ad hominum ,, liberationem, aliquando carne induen- ,, di. ,, Utrumque ſignificat Tertullianus l. de reſurrectione carnis, c. 6.

Ad id quod dicitur Deum formaſſe hominem manu, ſenſu.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Manu & ſenſu metaphorice ſumptis, concedo: phyſice & litteraliter, nego. Non ignorabat Tertullianus Deum per ſolum verbum, *Fiat*, &c, mediante Verbo divino, formaſſe hominem: Cum ergo fecerit Verbum, quod manus figuli faciunt, dum ex lineo formavit hominem; ideo Tertullianus loquens ad captum hominis, dicit Deum formaſſe Adam manu & ſenſu. Quomodo autem & quando homo tetigit Deum niſi in Incarnatione, in qua Verbum caro factum eſt, & quod loquatur Tertullianus de Verbo Incarnato, patet, quia ibi in toto Libro agit de reſurrectione carnis operanda per Chriſtum.

Rurſus inſtabis. Ille videtur eſſe corporeus qui habet membra & ſenſus ſicut homo: atqui hæc omnia Deo tribuuntur: & probatur ex Scriptura. 1. Magnitudo illi tribuitur, Job. 4. v. 8. *Excelſior cœlo eſt... profundior inferno... longior terra... latior mari...* 2. Situs, Pſal. 7. v. 7. *Exurge Domine in ira tua*. Iſaiæ 3. v. 15. *Stat ad judicandum Dominum*. Ibidem 6. v. 1. *Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*. 3. Membrum, Pſal. 78. v. 12. *Secundum magnitudinem brachii tui, poſſide filios mortificatorum*. 4. Oculus Pſal. 33. v. 16. *Oculi Domini ſuper Juſtos*. 5. Auris, Pſal. 129. v. 2. *Fiant aures tuæ intendentes*. 6. Odoratus, Geneſ. 8. v. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*. 7. Os, Iſaiæ, 1. v. 20. *Os Domini locutum eſt*. Ergo, &c.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguo. Membra & ſenſus exteriores Deo tribuuntur improprie & metaphorice, concedo; proprie, nego. Cum corporei ſimus, ut melius intelligamus quid ſit Deus, quæ magnitudo & fortitudo ejus, Spiritus Sanctus illas exprimit per res ſenſibiles in quibus videmus noſtram conſiſtere fortitudinem, ut in brachio: ſic Chriſtus ſeipſum in Evangelio dicit petram, ut exprimat nobis ſuæ ſanctitatis firmitatem: ſic ſe dicit leonem, ut intelligamus eſſe inferno fortiorem. Quid mirum igitur ſi Job Dei deſcribat immenſitatem per magnitudinem? Pſalmiſta ipſius inexorabilem contra impios juſtitiam, per throni ſoliditatem, perſpicaciam oculorum ad videndum facta, ſubtilitatem aurium ad audienda; & ſic de cæteris. Itaque hæc non intelligi per proprietatem, ſed ſolum per ſimilitudinem, patet ex illo Job. 10. v. 4. ad Deum: *Numquid*, inquit, *oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu videbis?*

Urgebis. Qui habet affectiones interiores corporis & ſenſuum, eſt vere & per proprietatem corporeus: atqui Deus illas videtur habere: & probatur Gen. 6. v. 6., ait: *Pœnitet me feciſſe hominem*. Item & ira illi tribuitur Pſalm. 6, v. 1: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Opponendo Scripturam Scripturæ. 1. Reg. 15, v. 29. habetur: *Triumphator in Iſrael non parcet, pœnitudine non flectitur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam*. Rom. 11, v. 29: *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*. Nullis igitur paſſionum motibus proprie concutitur Deus, juxta illud Malachiæ 3, v. 6: *Ego Dominus & non mutor*. Et Jacobi 1, v. 17: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*.

Reſpondeo 2. diſting. Affectiones corporeæ tribuuntur Deo quoad effectum, & per ſimilitudinem, in quantum ſicut Pater juſte iratus punit filium inobedientem, ita Deus punit prodigum ad emendationem, quem enim diligit caſtigat Dominus, concedo; quoad realitatem & ſubjective, nego. Non enim iraſcitur ut homo, inquit Aug. ideſt, cum animi perturbatione.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt purus ſpiritus.

Primo. Ita legitur Joan. 9: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Et hoc ex Traditione patet.

Secundo. Deus eſt prima omnium cauſa: igitur intelligens & purus ſpiritus; quia ſuper omnia eſt, cuncta ad finem debitum ordinat.

Tertio. Eſt ſimpliciter infinitus, nedum in ſubſtantia, ſed & in omnibus perfectionibus: igitur nullo modo materialis; alias inter quoſdam limites concluderetur.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD DIFFICULTATES.

Primo. Homo dicitur quidem ad imaginem Dei ſecundum animam, ſed non ſecundum corpus, inquit Epiphanius Gerſ. 70; unde ex hoc non poteſt concludi Deum eſſe corpus.

Secundo. Non ſemel in Scriptura Deus dicitur habere membra, & hoc ipſum ultro fatemur; ſed hoc intelligitur metaphorice.

Tertio. Legimus etiam Deum quaſdam habere paſſiones, ut iram: ſed intellige effective, ideſt, quoad effectum, non quoad formam. Cæterum, concupiſcentiam neque effective, neque formaliter habet, quia hæc paſſio ex omni parte ſummam redolet imperfectionem.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Tertullianus crediderit Deum eſſe corporeum.

CONCLUSIO.

Tertullianus non credidit Deum eſſe corporeum.

Probatur multipliciter.

Primo. APOLOGIÆ cap. 20, dicit Deum Patrem, Deum Filium,

lium Deum & Spiritum Sanctum, eſſe purum Spiritum. Hæc de Chriſto dicit: " Hunc „ ex Deo prolatum dicimus & prolatione „ generatum; & idcirco filium Dei; & „ Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ, „ nam & Deus, ſpiritus. „

Secundo, l. contra Praxeam, docet Deum eſſe ubique, nec ullis comprehendi terminis: igitur non eſt corporeus. Etenim omne corporeum eſt circumſcriptum & limitatum. " Ante omnia, *inquit*, Deus erat ſolus ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia. „

Tertio, l. de Baptiſmo, c. 7. inculcat Deum eſſe ſimpliciſſimum; ſed quod eſt corporeum, eſt compoſitum. " Proh miſera, *inquit*, incredulitas, quæ denegat Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem „ & poteſtatem. „ Invehit ibi contra Ethnicorum errores.

Quarto, l. contra Praxeam, qui dicebat Patrem impaſſibilem quidem, ſed non incompaſſibilem; aſſerit eum neque paſſibilem, neque incompaſſibilem eſſe. Sic loquitur c. 29. " Stulti & in hoc, „ quid enim compati, quam cum alio „ pati? Porro, ſi impaſſibilis Pater, uti„ que & incompaſſibilis. „ Unde ſic argumentor: Qui dicit Deum ſpiritum, qui dicit immenſum, ſimplicem, impaſſibilem & incompaſſibilem, non credit Deum eſſe corporeum; hæc enim attributa convenire non poſſunt enti corporeo quod eſſentialiter eſt finitum, compoſitum, patiens, & alterabile: Sed Tertullianus dicit Deum eſſe ſpiritum, eumque immenſum, ſimplicem, & omnibus modis impaſſibilem: igitur Tertullianus non credidit Deum corporeum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. Qui credit omne quod eſt, corpus eſſe, credit Deum eſſe corporeum: atqui Tertullianus credidit omne quod eſt, eſſe corpus; ſic enim loquitur l. de carne Chriſti, c. 7. " Omne quod „ eſt, corpus eſt ſui generis; nihil eſt in„ corporale, niſi quod non eſt. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Omne quod eſt, corpus eſt ſui generis, concedo; corpus quantitativum & ſenſibile; ſubdiſtinguo: ſi ſit ſenſibile & circumſcriptum, concedo; ſi non ſit, nego. Corpus ſumitur tripliciter a Veteribus. 1. quidem Latiſſime, ut opponitur nihilo; & in hoc ſenſu, omne quod eſt, dicitur corpus, ideſt, ens reale. Ita ſumit Phœbadius Aginenſis Epiſcopus diſputans contra Sabellium, qui dicebat Filium Dei non eſſe a Patre diſtinctum. " Cor„ pus eſt Chriſtus, corpus enim ſpiri„ tus, ſed corpus ſui generis. „ 2. Improprie, & pro eo quod certis vel locorum, vel temporum, vel partium limitibus definitum eſt. Sic corpus ſumit Hilarius canone 5. in Matth. " Nihil „ eſt, *inquit*, quod non in ſubſtantia ſua „ & creatione corporeum ſit. „ 3. Proprie, nempe pro eo quod certa figura & magnitudine conſtat. Tertullianus loquitur in primo ſenſu, ita ut ſi ſit ſermo de Deo, erit corpus; ideſt, Ens a ſe, & ſubſiſtens, & non nihilum. Idem intelligit de ſubſtantiis ſpiritualibus.

Reſpondeo 2. in loco adducto Tertullianum loqui de Verbo Incarnato, ut patet ex inſcriptione ipſius libri, cujus titulus eſt: *De Carne Chriſti*. Porro in toto capite ex quo objectio deſumitur, probat Verbum carnem induiſſe, & animam Chriſti ſecundum ſe inviſibilem, viſibilem ſe præbuiſſe per unionem cum corpore. Sic igitur loquitur: Omne quod eſt, corpus „ eſt ſui generis; nihil eſt incorporale, „ niſi quod non eſt: habente igitur ani„ ma inviſibile corpus, qui viſibilem eam „ facere ſuſceperat, utique dignius id „ ejus viſibile feciſſet, quod inviſibile ha„ bebitur . . . Redde igitur Chriſto fi„ dem ſuam, ut qui homo voluerit in„ cedere, animam quoque humanæ condi„ tionis oſtenderit, non faciens eam car„ neam, ſed induens eam carne. „

Inſtabis, l. contra Praxeam c. 7. de Filio Dei, ſic ait: " Quis negabit Deum „ corpus eſſe, & ſi Deus ſpiritus eſt. „ Ex quibus ſic arguo: Si Deus non crederetur a Tertulliano corporeus, maxime quia ſpiritus eſt: atqui, non obſtante quod ſit ſpiritus, vult eſſe corpus: ergo credit Deum eſſe vere corporeum.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt corpus latiſſime, & ut dicit ens ſubſiſtens, concedo; corpus quantum, ſubdiſtinguo: ut incarnatus eſt, concedo; ſecundum ſe, nego. Scopus Tertulliani eſt probare contra Praxeam Hæreticum Sabellianum, Filium Dei non eſſe vocem inanem,

Digitized by Google

nem, & ens vacuum, ſed vere a Patre diſtinctum; quod ut demonſtret, dicit Filium Dei eſſe corpus, & ſecundum ſe, & ut incarnatum: ſecundum ſe quidem; ſed corpus ſui generis, ideſt, ut opponitur nihilo: ut incarnatum vero proprie, quia, inquit, factus eſt viſibilis. Diſtinguit igitur corpus proprie ſumptum a corpore metaphorice ſumpto: ſic enim ſubdit poſt verba in obiectione allata: " Quod eſt ipſius ſubſtantia, loquitur de „ Filio Dei, miſſum eſt, ſine ſubſtantia „ non erit.. Ego nihil dico de Deo ina„ ne & vacuum prodire potuiſſe, nec ca„ rere ſubſtantia, quod de tanta ſubſtantia „ proceſſit. „ Ibidem de Filio Dei. Hic „ eſt, qui in effigie Dei conſtitutus non ra„ pinam exiſtimavit eſſe ſe æqualem Deo, „ in qua effigie Dei: utique in alia, non „ tamen in nulla. „.

Reſpondeo 2. S. Phœbadium Arianæ & Sabellianæ hæreſeos impugnatorem acerrimum eodem prope modo Catholicam explanare fidem: ſic enim loquitur de Filio Dei. " Imago vera & expreſſio ſub„ ſtantiæ ejus, hoc eſt Dei ſermo, non „ ſonus vocis, ſed res ſubſtantiva ac per „ ſubſtantiam corpulentiva. Non enim ſi„ ne ſubſtantia conſtitit, quod de tanta „ ſubſtantia fecit. Nihil ergo vacuum „ de pleno, nihil inane de ſolido, quia „ Dei ſermo ſpiritu Dei inſtructus eſt; „ & ut evidentius dicam, ſermonis cor„ pus eſt Chriſtus; corpus enim ſpiri„ tus, ſed corpus ſui generis. „ Ne„ mo tamen erroris Anthropomorphita„ rum labem tanto inuſſit Patri..

Iterum inſtabis. Tertullianus l. de carne Chriſti c. 7. nihil agnoſcit inter nihil & corpus. " Nihil eſt, *inquit*, incorporale, „ niſi quod non eſt: „ ergo exiſtimat vere Deum eſſe corpus.

Reſpondeo diſtinguendo. Nihil agnoſcit inter nihil & corpus ſumptum latiſſime, ut dicit ens oppoſitum nihilo, concedo; inter nihil & corpus quantitativum, nego.. Adſcribit enim inter ens & nihil, ens inviſibile, immenſum; nam ſi eodem modo intelligeret entia omnia eſſe corpus, non diceret Deum eſſe ſui generis corpus, & hoc maxime contra Praxeam, qui Filium Dei indiſtinctum a Patre prædicans, vocetenus ſecundam admittebat Perſonam; unde ut Tertullianus proceſſionem realem Filii a Patre probet; dicit Filium Dei eſſe corpus, ideſt, ens ſolidum.

Reponet. Qui admittit membra in Deo, credidit Deum eſſe corpus quantum; atqui Tertullianus admittit membra in Deo; & probatur l. 2. contra Marcionem, c. 16. ait: " Nam & dexteram & oculos, & pedes Dei legimus: „ ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Tertullianus admittit in Deo membra virtualiter, in quantum virtus Dei idem præſtat ac membra in nobis, concedo; membra formaliter & quantitativa noſtris ſimilia membris, nego. Namque addit poſt verba laudata. " Non ideo tamen hu„ manis comparabuntur, quia de appel„ latione ſociantur. „.

Inſiſtes. Qui admittit paſſiones corporeas in Deo, & ſenſus ad eas conſequentes, ſane admittit in Deo verum corpus: atqui Tertullianus admittit paſſiones corporeas in Deo; & probatur ibidem c. 19. Sic ait: " Hoc itaque omnis pro„ videntia Dei cenſuit quod jam au„ dierant. Bona igitur & ſeveritas, quia „ juſta; ſi bonus Judex, ideſt juſtus: item „ cætera bona, per quæ opus bonum „ currit bonæ ſeveritatis, ſive ira, ſive „ æmulatio, ſive ſævitia. „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Qui admittit paſſiones corruptorias & proprias, quæ ab alteratione tum corporis tum animæ cauſantur, concedo: incorruptorias & improprie dictas, nego. Admittit ſolum Tertullianus paſſiones in Deo quæ ſunt eædem ſolum ſimilitudinariæ cum noſtris, quatenus, quod ſicut Judex iratus ſævit in improbos, ita Deus in malos; unde quoad effectum iraſcitur, illos ſcilicet puniendo. Ita ſe explicat Tertullianus qui eſt ſui ipſius interpres, nam ibidem ſic ait: " Hæc ergo imago cenſenda eſt „ Dei in homine, quos eoſdem motus „ & ſenſus habeat humanus animus, „ quos & Deus, licet non tales quales „ Deus.... iraſcetur enim, ſed non „ exacerbabitur. „

Expreſſius loquitur l. 2. contra Marcionem, pag. 466. Edit. Pariſ. 1634. ſuamque clariſſime aperit mentem his verbis: " Stultiſſimi qui de humanis divina „ præjudicant, ut quoniam in homine „ corruptoriæ conditionis habentur hujuſ„ modi paſſiones; idcirco & in Deo ejuſ„ dem ſtatus exiſtimentur: diſcerne

ſub-

,, ſubſtantias, & ſuos eis diſtribue ſenſus
,, tam diverſos, quam ſubſtantiæ exigunt,
,, licet vocabulis communicare videan-
,, tur. Nam & dexteram & oculos &
,, pedes Dei legimus, nec ideo tamen
,, humanis comparabuntur, quia de ap-
,, pellatione ſociantur. Quanta erit diver-
,, ſitas divini corporis & humani, ſub eiſ-
,, dem nominibus membrorum; tanta erit
,, & animi divini & humani differentia,
,, ſub eiſdem licet vocabulis ſenſuum,
,, quos tamen corruptorios efficit in ho-
,, mine corruptibilitas ſubſtantiæ humanæ,
,, quam incorruptorios in Deo efficit in-
,, corruptibilitas ſubſtantiæ divinæ. Cer-
,, te Deum confiteris Creatorem, certe,
,, inquis. Quomodo ergo in Deo huma-
,, num aliquid exiſtimas, & non divi-
,, num omne? Quem Deum non negas,
,, confiteris. Non humanum; ſiquidem
,, Deum confitendo, præjudicaſti utique
,, illum ab omni humanarum conditio-
,, num qualitate diverſum. ,, Igitur ex Tertulliano ſenſus & membra ſunt in Deo nomine tantum & appellatione, non re & per proprietatem; paſſiones incorruptoriæ, non corruptoriæ; hoc eſt, virtutes quæ effectum habent paſſionum, ſed non defectum: iraſcitur quippe Deus contra improbos; ſed non exacerbatur: quandoque ſe pœnitet non levitate vel inconſtantia animi, ſed ut peccatori beneficiorum indigitet ingratitudinem.

Inſtabis. Ideo Tertullianus non admitteret verum in Deo corpus, veraſque ſenſuum in Deo paſſiones, eo quod dicit Deum ſpiritum; ſed hæc ratio nulla eſt, & probatur. Tertullianus l. de anima, c. 7. dicit expreſſe animam eſſe corpus, tametſi agnoſcat eſſe ſpiritum; ita fatetur Aug. l. de hæreſibus ad quod vult Deum, c. 86. igitur licet Tertullianus credat Deum ſpiritum, nihilominus ſecundum ipſum eſt corpus.

Reſpondeo 1. Tertullianum in l. de carne Chriſti, c. 11. dicere expreſſe animam Chriſti non eſſe carneam, aliudque habere corpus ſecundum ſe; aliud vero in carnis effigie: ſecundum ſe, non eſſe viſibilem, ſed ſolum factam per indumentum carnis viſibilem: non intelligit igitur Tertullianus animam eſſe corpus quantum, de quo procedit difficultas.

Reſpondeo 2. neg. minorem, ad probationem nego paritatem: Nam Tertullianus l. de anima c. 7. credit animam eſſe corpoream, non quia eſt corpus quantum, ſed quia eſt circumſcripta, habens paſſiones corruptorias; unde ſecundum ipſum, non eſt purus ſpiritus, ut Deus, qui eſt & incircumſcriptus: Sic enim loquitur l. 2. contra Marcionem c. 16. " Quan-
,, ta erit diverſitas divini corporis & hu-
,, mani differentia ſub eiſdem nominibus
,, membrorum, tanta erit & animi di-
,, vini & humani differentia, ſub eiſdem
,, licet vocabulis ſenſuum, quos tam
,, corruptiores efficit in homine corru-
,, ptibilitas ſubſtantiæ humanæ, quam
,, incorruptorios in Deo efficit incorru-
,, ptibilitas ſubſtantiæ divinæ. ,, Ex eo quod anima haberet paſſiones corruptivas, credebat habere partes majores & minores: in quo quidem etiam allucinabatur, non tamen propter hoc hæreticus habitus eſt.

5. *Auguſtinus* l. de hæreſibus, ad Quod vult Deum, ſic illum excuſat: " Nec
,, tamen, *inquit*, Hæreticus creditur fa-
,, ctus; poſſet enim quoquomodo putari
,, ipſam naturam, ſubſtantiamque divi-
,, nam corpus vocare; non tale corpus,
,, cujus partes aliæ majores, aliæ mino-
,, res valeant vel debeant cogitari, qua-
,, lia ſunt omnia quæ proprie dicimus
,, corpora. Quamvis de anima tale quid
,, ſentiat, ſed potuit, ut dixi, propterea
,, putari corpus Deum eſſe, quia non eſt
,, nihil. "

Perſiſtes. D. Auguſtinus ipſe variis in locis hujus erroris inſimulat Tertullianum 1. de Geneſi ad litteram q. 10. c. 25. "
,, Tertullianus, *inquit*, corpus eſſe ani-
,, mam credit, non ob aliud, niſi quod
,, eam incorpoream cogitare non potuit,
,, & ideo timuit ne nihil eſſet, ſi cor-
,, pus non eſſet, nec de Deo valuit ali-
,, ter ſapere. ,, Item l. de hæreſibus, c. 86. in Epiſt. 157. ſeu 190. ad Optatum: ſerm. 2. de anima & ejus origine, c. 5. Unde ſic argumentor: Qui credit proprie corporeum: Atqui Tertullianus credit Deum corporeum ut animam: ergo, &c. ex Auguſtino.

Reſpondeo diſtinguendo. Tertullianus credidit Deum eſſe corpus ut animam, corpus ſumptum latiſſime, concedo; corpus quantum, nego. Nunquam credidit animam corpus quantum, ſed corpus quoddam ſui generis habens paſſiones cor-

ru-

ruptorias quas a Deo propellebat: igitur non credidit Deum corpus quantum, nullo modo; ſic illum explicat Auguſtinus modo citatus; unde poſt verba in objectione allata ex libro de Geneſi, c. 25. ſubdit: " Qui ſane, quoniam acutus ,, eſt, interdum contra opinionem ſuam, ,, viſa veritate, ſuperatur: Quid enim ,, verius dicere potuit, quam id quod ait ,, quodam loco? Omne corporale paſſibile eſt: Debuit ergo mutare ſententiam, ,, quia paulo ſuperius dixerat etiam Deum ,, corpus eſſe. ,, Cenſet igitur Auguſtinus Tertull. ſeſe retractaſſe l. de hæreſibus ad Quod vult Deum, c. 86. namque aſſerit Tertullianum exiſtimaſſe animam immortalem, ſed corpus habere effigiatum, Deum vero non effigiatum; unde inquit, non eſt in hoc hæreticus.

Inſtabis. Divus Thomas primo contra Gentes, c. 20. dicit Tertullianum exiſtimaſſe Deum habere corpus; idem ſcribit Gennadius de dogmatibus Eccleſiaſticis, c. 4. Ergo, &c.

Reſpondeo D. Thomam loqui de corpore latiſſime ſumpto. Quidam dicunt S. Doctorem non examinaſſe ad apices juris illud controverſiæ caput quia eo loci quæſtio, aut nihil, aut parum ſpectabat Gentiles, ne minimum quidem ad iſtorum de Deo mere ſpirituali controverſiam dirimendam conducebat; unde vel leviter tractari debuit.

Ad Gennadium, dico non eſſe audiendum, quia abſque cauſa antiquitatem errore pungit, & ſuam oſtendit imperitiam, ſinnendo Anthropomorphum pro ſingulari quodam homine.

Fulgentius l. de veritate prædeſtinationis & gratiæ, c. 2. ſuſpicatur Tertullianum de errore, propter duritiam ſtyli, ſed benigne eſt explicandus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tertullianus non adhæſit Anthropomorphitis.

Primo. Quia Apolog. c. 20. dicit Deum eſſe purum ſpiritum.

Secundo. L. contra Praxeam, aſſerit Deum eſſe ubique.

Tertio. L. de Baptiſmo, c. 7. eundem proclamat ſimpliciſſimum.

SYNOPSIS SOLUTIONUM PRO OBJECTIONIBUS.

Primo. Verum eſt Tertullianum non ſemel aſſerere Deum eſſe corpus; ſed intelligit ſui generis, quatenus corpus dicit ens oppoſitum nihilo.

Secundo. Idem quandoque etiam dicit Deum corporeum; aſt loquitur de Deo incarnato.

Tertio. Sunt aliqui auctores qui Tertullianum erroris Anthropomorphitarum inſimulant, ſed vel errore facti decepti ſunt, vel non loquuntur in ſenſu rigoroſo: hoc eſt, ſtylum ejus paulo duriorem arguunt.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Melito Sardenſis, Audius & Epiphanius in errorem Anthropomorphitarum impegerint.

CONCLUSIO PRIMA.

Melito Sardenſis non impegit in errorem Anthropomorphitarum.

Probatur multipliciter.

Primo. APUD omnes qui de Anthropomorphitis ſcripſere, altum eſt de Melitone ſilentium. Ipſi vero Anthropomorphitæ illum nuſquam laudarunt inter eos qui eandem ſecum habebant opinionem, quod certe non omiſiſſent; ut tanti viri patrocinio ſuffulti, ſuos & ſecurius, & etiam efficacius diſſeminarent errores.

Secundo. Euſebius l. 4. hiſtoriæ, c. 26. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, c. 34. Melitonem ſummis afficiunt laudibus; quod certe non feciſſent, ſi tam abſurde de Deo & credidiſſet & ſcripſiſſet.

Tertio. Recentiores illum ab hoc nævo purgant, ut Sixtus Senenſis, Henricus Valeſius, & alii permulti: ergo Melito Sardenſis non impegit in errorem Anthropomorphitarum.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Audius non credit Deum eſſe corporeum.

Probatur auctoritate Divi Epiphanii.

Sanctus Epiphanius Audii coætaneus, hæreſi 70. dicit Audium non ſolum extitiſſe egregiæ pietatis virum, ſed & ab ipſo plurima condita fuiſſe Monaſteria, in quibus auſterior diſciplina florebat, ſubditque Catholicam eum ſemper tenuiſſe doctrinam. Idem Epiphanius docet Audium bene ſenſiſſe de Sanctiſſima Trinitate: ergo Audius non credidit Deum corporeum. Placet paucis referre quæ Epiphanius fuſiori calamo de Audio ſcribit hæreſi 70: “ Audius, *inquit*, e Meſopotamia oriundus, domi clarus in primis fuit, propter & vitæ integritatem, & divinæ fidei zelum & ardorem. ” Deinde narrat quomodo Audius in pravos debacchans mores, odium in ſe ſuorum concitaverit, ita ut ærumnis infeliciter cedens, ejectus a ſuis, etiam ab Eccleſia ſemetipſum ſeparaverit, novamque formaverit ſectam. Quidam inter Anthropomorphitas hæreſeos etiam Sanctum Epiphanium inſimulaverunt; ejus tamen in gratiam Audii teſtimonium ponderare debent, quippe qui abſque ullo fundamento hanc nefandam labem tanto viro inurere non erubuerint: unde ſit

CONCLUSIO TERTIA.

S. Epiphanius non adhæſit Anthropomorphitis.

Probatur multis momentis.

Ille non adhæſit Anthropomorphitis qui reprehendit Audium, eo quod dixiſſet hominem eſſe ad imaginem Dei ſecundum corpus, quique illum maxime in hoc puncto revincit, quia, inquit, inde ſequeretur Deum, quod abſit dicere, eſſe corporeum: atqui Sanctus Epiphanius nequidem ferre poteſt hominem dici ad imaginem Dei factum ſecundum corpus, illamque abjicit propoſitionem, quia ex hoc ſequeretur Deum eſſe corporeum, quæ quidem probatio & confutatio nulla foret, ſi ipſe credidiſſet Deum eſſe corporeum: igitur hoc ipſum nec ſcripſit, nec docuit. Probatur minor. Hæreſi 70. multa dicit, primo quidem refert Audium male interpretando illud Geneſis 1. v. 27. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, dixiſſe hominem formatum de limo terræ, etiam ſecundum corpus eſſe ad imaginem Dei. Deinde ſubdit: “ Verum eſt illud, uti dixi paulo durius ac ſimplicius definire hominem audere: quanam in hominis parte ſit imaginis illa conſtituta ratio, Si tamen appellatione partis utendum eſt, eo quod pleraque quod ad hanc vocem attinet, hominum intelligentiæ refragari videntur, ac variis quæſtionibus implicari; nam aut aſpectabilem Deum faciemus ac corporeum, ſi in corpore noſtro corporea perinde ratione ac figura, iſtiuſmodi imaginem collocandam putemus, aut cum Deo hominem adæquabimus, ſi hæc aſſerere velimus. ”

Rurſus Ille Deum terminis corporeis concludi non exiſtimavit, qui propugnantes hominem eſſe ad imaginem Dei, etiam ſecundum corpus, his potiſſimum debellat rationibus, quia Deus nec ſenſibilis & aſpectabilis eſt oculo corporeo, nec ab ipſa creata mente comprehenſibilis, quippe qui ſit purus ſpiritus, illeque infinitus: atqui ita cenſet & docet S. Epiphanius, & probatur hær. 70. n. 5. Sic loquitur: “ Nec minus & aliorum rejicienda ſententia, qui corpus ad imaginem Dei eſſe factum prædicant: nam qui fieri poteſt, ut quod aſpectabile eſt, ei ſimile ſit, quod videri non poteſt? aut corporeum corporis experti? aut quod contrectari poteſt ei quod apprehendi nequit? Præterea nos anteriora duntaxat oculis noſtris cernimus, quæ pone ſunt ignoramus. Penes Deum autem neque affectio ulla, neque defectus eſt: ſed undecunque gloria. Spiritus enim Deus eſt, qui omnem ſpiritum exuperat, & lux luce omni præſtantior. Quidquid enim ab ipſo conditum eſt, infra illius decus ac gloriam eſt. Sola vero Trinitas comprehendi non poteſt, & infinitam quandam gloriam obtinet, quæ nec conjectura capitur, nec intelligentia percipitur. ” Ergo, &c.

Secundo. *Ex Divo Hieronymo.*

S. Doctor Epiſt. 61. expreſſe, & ex profeſſo docet Beatum Epiphanium ab hoc errore immunem fuiſſe.

Tertio. *Ex laudibus quibus a multis celebratur.*

Plurimum laudatur Epiphanius a Teophilo Alexandrino, Epiſt. 67. inter Hieronymianas; a Facundo Hermianenſi, l. 4. c. 2. a ſeptimo Concilio generali: a Sancto Joanne Damaſceno, oratione 1. de imaginibus: a Photio in Biblia, codice 122. 123. & 124. a Menologio Græco, ad diem 12. Maii, & ab uuiverſali Eccleſia quæ illum colit & veneratur ut ſanctum; quod non faceret, ſi eſſet vel Hæreticus, vel male de Deo ſentiret.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

contra primam Concluſionem.

Objicies. Origenes accuſat Melitonem de errore Anthropomorphitarum: Theodoretus quæſt. 2. in Geneſim, refert locum Origenis, ſicut refert catena græca, cujus meminit Petavius l. 2. de Deo; c. 1. cum enim inquireret Origenes an imago Dei in homine ſculpta, ad corpus vel ad animam pertineret, ait apud Theodoretum:
“ Ante omnia illud diſceptandum eſt, ubi-
,, nam conſtet iſtud. Ad imaginem in
,, corpore, an in anima? Videamus por-
,, ro quibus utantur, qui prius aſſerunt
,, e quorum numero eſt Melito, qui ſcri-
,, pta reliquit de eo argumento, Deum
,, eſſe corporeum. ,, 2. Gennadius l. de Dog. Eccl. c. 4. arguit Melitonem de tali errore: igitur credidit Melito Deum eſſe corporeum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Etvero auctoritas Origenis non ponderat hic, ſi enim dixit quod illi imputant in objectione, deceptus eſt profecto in titulo libri quem Melito ediderat, nec, ut apparet, legerat ipſe Origenes; cum enim Melito opuſculum edidiſſet de Deo corporeo, exiſtimavit eum docere revera corporeum, ſed profecto allucinatus eſt, quia ibi Melito agebat de Deo Incarnato; & hoc patet ex pluribus momentis; namque Euſebius tametſi Origenis ſummus preco, magnis tamen celebrat laudibus libro 4. Hiſtoriæ, capite primo & vigeſimo ſexto & librum & auctorem; quinimmo eos inter libros qui veram & apoſtolicam Traditionem continent, numerat Melitonis opus. Jam vero ſi reperirentur nævi, illos profecto annotaſſet Hieronymus, ſed ſolum refert titulum, & quidem græce, adeoque abſque ulla hæreſeos ſuſpicione cenſet eſſe illud opus, nam capite 4. inter alias ejus lucubrationes recenſet librum quemdam, cujus argumentum fuit, *περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ*, quod Rufinus vertit de Deo corpore induto, ideſt, Chriſto. Quid plura? Theodoretus qui hanc adverſus Melitonem Origenis cenſuram refert, ſuum ei non addit calculum, tametſi expreſſam ibi faciat de Anthropomorphitis mentionem. His accedit Valeſius qui Euſebium ex Græco Latine ſic reddit: *De Incarnatione Dei*.

Reſpondeo 2. neque conſtare de auctore, neque de ætate catenæ græcæ; unde eſt parvi apud doctos ponderis: Verum Sixtus Senenſis l. 5. Bibliothecæ Sanctæ, annotatione 18. ſolvit omnia, ſic referendo Origenis locum: “ Aut Melitonem non
,, dicamus aſſeruiſſe Deum eſſe corpo-
,, reum, ſed potius libro ejus de Deo cor-
,, porato abuſos fuiſſe eos, qui imagi-
,, nem Dei in humano corpore colloca-
,, bant.

Reſpondeo 3. Auctoritatem Gennadii levis eſſe momenti; plerumque enim præcipiti, eoque injuſto judicio damnat Veteres: ſic Arianæ impietatis poſtulat Dionyſium Alexandrinum, novitatis vero Auguſtinum.

DILUUNTUR ARGUMENTA

contra ſecundam aſſertionem.

Objicies, Ille hæreſeos labe infectus apparuit, qui ab Eccleſia ſeparatus eſt: atqui Audius, teſte Epiphanio, hæreſi 70. ab Eccleſia ſeparatus eſt: igitur vere credidit Deum corporeum.

Reſpondeo diſtinguendo. Si ſeparatus eſt propter errores contra fidem, concedo: ſi ſeipſum voluntarie ſeparavit, odii vel impatientiæ ratione, nego. Audius igitur repulſus a ſuis, quorum ſevere mores depravatos carpebat, impatiens ceſ-

ceſſit malis, quæ propter juſtitiam tolerabat, & in apertum erupit ſchiſma; ſed damnatus non fuerat ab Eccleſia. Ita refert Epiphanius ibidem: “Verum cum ipſe cum ſuis vapularet, & indigna pateretur, his malis ingemiſcens, ex harum calamitatum ac contumeliarum violentia, conſilium cepit: Quare ſeipſum ab Eccleſia ſegregavit, atque ita pluribus cum illo deſciſcentibus, novum ab eo divortium conflatum. Neque vero ulla in re a recta fide diſceſſit, ſed ipſe cum ſuis ſinceram in omnibus Religionem tenuit; quanquam eſt quiddam perexiguum, in quo paulo pervicacius confligantur: Ergo de Patre, Filio ac Spiritu Sancto præclare, & ex Eccleſiæ Catholicæ præſcripto ſentiunt, nec tranſverſum ab eo unguem deflectunt.”

Inſtabis. Epiphanius ſcribit Audium fuiſſe auctorem ſectæ Audianorum, quorum quidem placita inter hæreſes annumerat, ut titulus ipſe loquitur: ſic quippe inſcribitur de hæreſi Audianorum: ſed iſta hæreſis in eo potiſſimum conſiſtebat, quod Audiani crederent Deum eſſe corporeum: igitur & credidit, immo & docuit Audius hanc hæreſim.

Reſpondeo diſtinguendo. Audiani habiti ſunt ut Hæretici, eo quod Paſcha, ſicut Judæi, die 14. Lunæ celebrare volebant, concedo; eo quod crederent Deum eſſe corporeum, ſubdiſtinguo: ſecundum quid, concedo; nam durius de hoc momento ipſe Audius locutus eſt: abſolute & ſimpliciter, nego. De Audio ſic ſcribit Epiphanius ibidem: “Quæcunque ille dicit, plane vera ſunt, tametſi nonnullæ ſententiæ ſunt, quæ aciem noſtræ mentis fugiant.” Porro Audiani non communicabant cum cæteris hominibus, florebant morum integritate. Quinimmo refert Epiphanius Audium ad fidem perduxiſſe multos barbaros in Gothia: igitur inter Hæreticos adſcribuntur Audiani, quod & Paſcha, ut Judæi, die 14. Lunæ celebrarent, & durius de Dei ſimplicitate loquerentur: Audius quippe ajebat hominem etiam ſecundum corpus, eſſe ad imaginem Dei, quod reprobat Epiphanius; hoc enim Anthropomorphitarum errorem ſapit.

Inſtabis. Theodoretus l. 4. de hæreſibus, c. 3. Aug. l. de hæreſibus, c. 50. Audianos Anthropomorphitas vocant. Sic loquitur Auguſtinus: “Quoniam Deum ſibi fingunt cognitione carnali, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod ruſticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur Hæretici.” Id utique expreſſe Theodoretus de Audio dicit: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Et errore facti deceptus eſt Theodoretus, concedo; & non eſt deceptus, nego. Potuit decipi propter multa: 1. quidem, quia Audius, dicendo hominem ſecundum corpus eſſe ad imaginem Dei, favebat Anthropomorphitis. 2. Quia hic error potuit illi tribui a multis, quorum odium & invidiam ferventioribus commoverat concionibus. 3. Quia ipſius diſcipuli paulatim in hanc inſaniam prolapſi ſunt; alii enim fuerunt Audiani quarti ſæculi, alii quinti: iſti enim ſecundum Scriptores Eccleſiaſticos, erant moribus depravati, immo & in fide corrupti; & ſic facile explicatur Auguſtinus qui loquitur de ſecundis Audianis, ſicut & Facundus Hermianenſis, cum l. 8. q. 7. Audianos Anthropomorphitas vocat.

Rurſus inſtabis. Audius Conſtantini Edicto relegatus fuit in Scythiam: igitur erat Hæreticus contumax.

Reſpondeo ibidem Epiphanius: “Senex Audius in Scythiam ab Imperatore relegatus eſt, quod populos paſſim ab Eccleſiæ obſequio retraheret.” Igitur non propter hæreſim, ſed propter ſchiſma relegatus eſt.

Fit ſatis objectionibus adverſus tertiam Concluſionem.

Objicies. Joannes Jeroſolymitanus propugnat Epiphanium adhæſiſſe Anthropomorphitis; ita refert Socrates l. 6. c. 10. ergo, &c.

Reſpondet diſtinguendo. Et hoc abſque fundamento propugnavit Joannes, concedo; cum fundamento, nego. Nec mirum; quomodo Epiphanius Anthropomorphitis adhæſiſſet, cum ipſum Audium graviter redarguat, eo quod hominem eſſe ad imaginem Dei, etiam ſecundum corpus prædicaſſet? hinc falſo accuſatus de hoc quod iſti duo Auctores illi impoſuerant, ſe purgavit in concione, quam habuit Jeroſolymis coram ipſo Joanne. Ita re-

referet Hieronymus in libris ad Pammachium de erroribus Joannis Jeroſolymitani: quinimmo, Epiſt. 61. ad eundem, ex profeſſo vindicat Epiphanium: Baronius ad annum Chriſti 393. utique Epiphanii ſuſcipit partes.

Inſtabis. Socrates ibidem & Sozomenus l. 8. c. 14. aſſerunt Epiphanium impegiſſe in Anthropomorphitarum errorem: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Et errore facti decepti ſunt illi Auctores, concedo; & non fuerunt decepti, nego. Igitur non eſt credendum Socrati, non Sozomeno, quippe qui, inquit Valeſius, fidem adhibuerint cuidam Origeniſtæ, qui quidem iſtius erroris nefanda calumnia inſimulaverat Epiphanium. Nec mirum: Origeniſtæ, ut obſervat Baronius, ſolebant iſtius hæreſeos notam inurere Catholicis, qui eorum perſtringebant errores.

Inſiſtes. Iſti Auctores referunt Sanctum Epiphanium Synodum quandam adunaſſe, in qua quidem ad exemplum Theophili Alexandrini, damnavit libros Origenis, qui quidem aſſerebat Deum eſſe incorporeum: igitur cum fundamento Epiphanium inter Anthropomorphitas annumerant.

Reſpondeo diſtinguendo. Sanctus Epiphanius damnavit Libros Origenis, non ex eo quod in eis doceret Deum eſſe incorporeum, ſed propter alios errores quibus ſcatebant ejuſmodi opera, & hoc ad exemplum Theophili, qui ea potiſſimum de cauſa, primus inſurrexerat contra Origenem, concedo; & damnavit præciſe, quia Deum Origenes dixerat incorporeum, nego.

Objicies 2. Epiphanius ſecutus eſt Theophili partes, qui quidem Theophilus ut adjutores contra adverſarios haberet, adhæſit opinioni Monachorum Ægypti, qui de errore Anthropomorphitarum a Scriptoribus Eccleſiaſticis non ſemel accuſantur: ergo ſaltem Epiphanius fuit fautor hujus nefandi dogmatis.

Reſpondeo 1. auctoritatem Theophili non multum ponderare, quippe qui multa fecerit reprehenſione digniſſima; nam & ulla abſque cauſa Sanctum Chryſoſtomum inſectatus eſt; unde eſto quod ipſe Theophilus cedens tempori, faverit Monachis, Ægyptiorumque adhæſerit erroribus, non idem ſane dicendum de Epiphanio, propter rationes in probationibus allatas.

Reſpondeo 2. laudatis auctoritatibus non eſſe credendum, maxime in iis quæ de Theophilo proferuntur, quandoquidem nihil quicquam ſimile legitur in aliis illorum temporum Scriptoribus: quinimmo, Caſſianus c. 2. Collat. 10. aſſerit Theophilum ab erroribus Monachorum diſceſſiſſe & docuiſſe Deum eſſe incorporeum.

Inſtabis. Theophilus illos Monachos a communione ſua non ſeparavit, immo nec Epiphanius ab eis abſtinuit: igitur uterque favebat illis.

Reſpondeo diſtinguendo. Theophilus & Epiphanius ab illis Monachis non abſtinuerunt benigne eorum interpretando ſententiam, charitas quippe benigna eſt, concedo; non abſtinuerunt favendo errori, nego. Eodem prorſus motivo Sanctus Epiphanius ab Audio abſtinere noluit, ipſique hæreſeos notam inurere, ut patet l. de hæreſibus, hæreſi 70. Attamen numero 6. ex profeſſo confutat Audianos, & probat hominem non eſſe ad Dei imaginem ſecundum corpus; & hoc, ne inde ſequeretur Deum eſſe corporeum: igitur Epiphanius non ſolum ab Anthropomorphitis diſceſſit, verum etiam eos inſectatus eſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Primo. Meliso Sardenſis vindicatur ab errore Anthropomorphitarum; vix enim aliquem magni ponderis auctorem reperies, qui illi hujus hæreſeos notam inurat: quinimmo Euſebius l. 4. hiſt. capite 25. eum magnis celebrat laudibus.

Secundo Audius utique non adhæſit Anthropomorphitarum errori palmari: ita colligitur ex Epiphanio hær. 70.

Tertio. A fortiori nec ipſe Epiphanius, cum ne quidem paſſus ſit hominem dici ad imaginem Dei ſecundum corpus, ut ibidem legitur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM
ET SOLUTIONUM.

Primo. Objicitur quidem Melitonis locus

locus ab Origene citatus, verum in hoc ipſo error facti apparet; cum non reddatur genuinus Melitonis textus, maxime vero quia ſuum Melito inſcripſit librum, non de Deo corporeo, ſed incorporato, idest, incarnato.

Secundo. Objiciunt nonnulii Audium ab Eccleſia ſejunctum, ſed hoc ipſum propter ſchiſma promeruiſſe conſtat; namque tædio confectus, propter varias injurias quibus a propriis diſcipulis impetitus eſt, voluntarie ab Eccleſia ignavus ille diſceſſit: Non negamus tamen Audianos fuiſſe poſtea hæreticos, ſed quatuordecimanos: immo decurſu temporum & ſæculorum quidam aperte errorem Anthropomorphitarum amplexi ſunt.

Tertio. Incaſſum quidam Sanctum Epiphanium inter Anthropomorphitas annumerant, errore quippe facti in hoc detenti ſunt.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Deus ſit ens indiviſibile, nullam in ſe patiens diſtinctionem & diviſionem.

DISTINCTIO multiplex eſt, alia realis major, quæ eſt inter rem & rem ſeparabiles, ut inter corpus & animam: alia realis minor, quæ eſt inter rem & modum, inter digitum v. g. & inflexionem digiti: digitus poteſt eſſe ſine modo, non tamen modus, ut curvitas, ſine digito; alia realis formalis ex natura rei, & eſt ea quæ intercedit inter duo, quæ quidem entitative ſunt unum, ſed nemine cogitante, unum petit ab alio diſtingui, & eſt formalitas objectiva ex ſe diſtincta: ſic, licet animalitas & rationalitas in homine ſint una entitas, nemine tamen cogitante, formalitas animalitatis non eſt formalitas rationalitatis, petuntque ex natura rei ab invicem diſtingui: hæc vocatur diſtinctio Scotiſtica, ab auctore ſuo Scoto denominata; alia eſt rationis diſtinctio, & eſt ſolum per mentem creatam, quæque rem infinitam unico mentis actu adæquare non volens, dividit illam in multos conceptus.

Jam vero attributum definitur perfectio quæ Deo competit, & de ipſo prædicatur: & duplex eſt; aliud poſitivum, aliud vero negativum; poſitivum illud eſt quod Deo convenit per modum affirmationis, v. g. Deus dicitur bonus, ſapiens, &c.... negativum quod illi convenit per modum negationis, removendo ab illo omnem imperfectionis labem; talis eſt infinitas quæ omnem excludit terminum & limitationem; immortalitas, quæ paſſibilitatem & mortem. Iterum attributum aliud eſt relativum, aliud vero abſolutum: relativum Deo convenit per reſpectum ad aliud; ſic Paternitas de prima Perſona dicitur per ordinem ad ſecundam, quæ eſt Filius: abſolutum Deo convenit ſecundum ſe, & ut præintelligitur Perſonis, ut bonitas, ſapientia, &c. Supponimus Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis realiter inter ſe diſtingui, & eſt de Fide; ſed quæſtio præſens procedit de natura divina comparative ad attribnta & Perſonas; de attributis comparative ad invicem & ad perſonas, pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Nulla eſt diſtinctio realis etiam formalis ex natura rei, inter naturam divinam & Perſonas & attributa; nulla inter attributa ad invicem, & Perſonas.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura ſacra.*

Joannis 10. habetur: *Ego & Pater unum ſumus*. Unde ſic argumentor: Ubi omnia ſunt unum, ibi nulla eſt diſtinctio realis ex parte rei, & ante omnem operationem mentis; atqui in Deo omnia ita ſunt unum, ut Pater ſit Deus, Filius Deus & unus cum Patre, Spiritus Sanctus Deus & unus cum Patre & Filio: igitur Deus, ſeu natura Dei non diſtinguitur a perſonis, & omnia ſunt ita in Divinis unum, ut Deus ſit ipſa ſapientia, ipſa vita, ipſa juſtitia: igitur nulla eſt diſtinctio realis quæcunque in Deo.

Secundo. *Ex Conciliis.*

Concilium Rhemenſe anno 1148. celebratum ſub Eugenio III. ſic loquitur adverſus Gilbertum Porretanum, qui Divinitatem

tem a ſapientia, cæteriſque Dei attributis realiter diſtingui propugnabat. "Credimus & confitemur ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari quin Divinitas ſit Deus, & Deus Divinitas: ſi ſicubi dicitur Domini ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, Divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi, credimus nonniſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe; nonniſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe, nonniſi ea æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe; nonniſi ea unitate unum, quæ eſt ipſe; nonniſi ea Divinitate Deum, quæ eſt ipſe, ideſt, ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, unum Deum, cum de tribus Perſonis loquimur .... ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur." Igitur ex Concilio Rhemenſi, natura nec a perſonis & attributis, nec attributa a ſe invicem realiter diſtinguuntur, quandoquidem omnia in Deo ſunt unum, ſeu una & eadem entitas.

Lateranenſe quartum eidem ſuffragatur veritati, nam c. 2. contra Joachim Abbatem, dicit: "Una quædam ſumma res eſt incomprehenſibilis quidem & inæſtimabilis divina eſſentia quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; tres ſimul Perſonæ, & ſigillatim, quælibet earumdem, & ideo inde Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas." Sed ſi Divinitas non eſſet Deus, ſi non eſſet ſapientia, non ſolum in Deo quaternitas, verum etiam tot entitates, quot in eo perfectiones ſunt, reperirentur; quod quidem eſt a fide prorſus alienum; unde ſacra Synodus ſubdit: "Non quaternitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res." Non igitur ſunt in Deo plures res quæ diſtinctionem pariant realem, ſed unica reperitur, adeoque nulla diſtinctio realis intercedit.

Florentinum ſuum addit calculum tantæ veritati, dicens omnia in Deo eſſe unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Enimvero ſeſſ. 18. Joannes pro Latinis Græcos ſic alloquitur: "Vos quæritis an idem ſit in perſonis divinis ſubſtantia & perſona ſeu hypoſtaſis; nos vero dicimus ſubſtantiam & perſonam ſeu hypoſtaſim idem eſſe re, differre autem noſtro intelligendi modo." Tunc Marcus Epheſinus pro Græcis reſpondens, dixit: "Hac in parte nulla diſcrepantia." Ex his hoc effingitur argumentum: Quæ revera ſunt unum & idem, nullo modo realiter diſtinguuntur, quia diſtinctio realis intercedit ſolum inter res plures; ſed ex Florentino omnia in Deo ſunt una res, natura ſcilicet & perſonæ, & attributa; nec reperitur diſtinctio, niſi ubi obviat relationis oppoſitio, quæ quidem ſolummodo intercedit inter Perſonas ad invicem ſpectatas: igitur non eſt diſtinctio niſi rationis inter naturam & Perſonas, inter naturam & attributa, inter attributa & ſanctiſſimas Perſonas.

Tertio. *Ex Patribus.*

Dionyſius Philoſophus apud Euthymium parte 1. pag. 64. ſic loquitur: "Deus eſſentia quidem tanquam ipſa entitas; non eſſentia vero tanquam eſſentiæ præcellens & effector eſſentiæ. Rurſus & unitas dicitur, & non unitas: unitas quidem, quia eſt ipſa unitas: non unitas vero, quia unitate omni ſuperior eſt, & omnis conſtitutor unitatis, atque ejuſmodi pleraque de Deo, non deficienti, ſed exuperanti ratione dicuntur."

Hilarius eodem currit pede, nam l. 7. & 8. ſic loquitur de Deo: "Totum quod eſt, vita eſt."

Baſilius ſubjungitur primis in oratione de fide apud eundem Euthymium, tit. 2. pag. 20. "Illic Pater & Filius & Spiritus Sanctus, quæ eſt increata natura, Domini nutrix dignitas, naturalis bonitas."

Gregorius Nazianzenus eundem loquitur ſermonem oratione 13. pag. 111. namque tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas vocat: "Vitas & vitam, lumina & lumen, bonum, glorias & gloriam, verum & veritatem, ſpiritum veritatis, ſancta & ipſammet ſanctitatem." Quibus verbis denotat cuncta in unitate comprehendi.

Maximus Martyr cæteris accedit apud Euthymium tit. 3. pag. 77. "Deus quidem, *inquit*, tanquam ipſamet exiſtentia, & ipſamet bonitas, & ipſamet ſapientia, vel potius omnibus ipſis præſtantior."

Epi-

Digitized by Google

Epiphanius hujus veritatis teſtis eſt locuples; hæreſi 62. n. 3. ſic loquitur:
„ Trinitas ſemper Trinitas erat, nec un-
„ quam Trinitas acceſſionem capit, quæ
„ eſt una Divinitas, una dominatio, una
„ glorificatio. „

Auguſtinus etiam in hoc puncto ſuam explanat ſententiam l. Medit. c. 32. his verbis: “ Deus vera & ſumma vita, a
„ quo & per quem, & in quo vivunt
„ omnia quæcunque vere & beate vivunt.
„ Deus bonum & pulchrum; a quo, per
„ quem, & in quo bona & pulchra
„ ſunt omnia quæcumque bona & pulchra
„ ſunt.

Fulgentius in reſponſionibus ad Ferrandum, interrogatione 2. “ Chriſtus, *in-*
„ *quit*, Deus fortis, ſic eſt Deus, ut
„ ipſe ſit Divinitas ſua, quemadmodum
„ ſic eſt fortis, ut ipſe ſit virtus ſua: ſic
„ eſt magnus, ut ipſe ſit magnitudo ſua:
„ ſic eſt ſapiens, ut ipſe ſit ſapientia
„ ſua ..... claret nempe hoc eſſe Ca-
„ tholicæ veritatis, ut cum in Deo Di-
„ vinitatem, magnitudinem, bonitatem,
„ virtutem ... nominamus .., non iſtis
„ diverſis nominibus quædam diverſa ...,
„ ſed unum illud quod eſt eſſentia vel
„ natura, certiſſime noverimus. „

Gregorius l. 10. Moralium, eandem ſectatur ſententiam: “ Deus, *inquit*, hoc
„ eſt quod habet. „

Iſidorus Hiſpalenſis venit quoque in hoc teſtimonium, l. 1. de ſummo bono, c. 1. ſententia 6. “ Non, *inquit*,
„ aliud eſt ipſe, & aliud quod in ipſo
„ eſt. „

Anſelmus etiam ſuam in hoc expandit mentem Monologio c. 15. “ Palam eſt,
„ *inquit*, de Deo, quia quodlibet bonum
„ ſumma natura ſit .. „ Ibidem c. 16.
“ Quemadmodum itaque unum eſt, quid-
„ quid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia
„ dicitur; ita ipſa uno modo, una con-
„ ſideratione eſt, quidquid eſt eſſeutia-
„ liter. „

D. Bernardus ſerm. 80. in Cant: “ Quod,
„ *inquit*, de Divinitate ſentimus, unum
„ in Deo ſunt. „ Ibidem de eſſentia divina: “ in ſemet maneus, quod habet
„ eſt. “ *Ibidem*. Deus hanc ſibi vindicat
„ meram, ſingularemque ſuæ eſſentiæ
„ ſimplicitatem, ut non aliud & aliud ...
„ Deus eſt magnitudo, bonitas. “ Et l.
5. de conſideratione, c. 7. dicit: “ Eſt.
„ qui eſt, purus, ſimplex, integer, per-
„ fectus. „

Quarto. *Ex ratione*.

Prima quæ occurrit, hæc eſt. Ex Patribus allatis Deus eſt ipſa vita, ipſa ſapientia, &c. Sed ubi eſt diſtinctio, unum non eſt aliud; ſic anima rationalis non dicitur a ſe diſtincta, bene vero a corpore, a ſcientia, aliiſque ejuſmodi perfectionibus: ergo non eſt diſtinctio realis, immo nec formalis ex natura rei, quæ eſt in re nemine cogitante, inter eſſentiam & perſonas & attributa, & viciſſim, nec inter perſonas & attributa ad invicem comparata.

Secunda: Si Divinitas a Deo diſtingueretur, jam Deus non foret ſubſtantia divina, cum in his quæ diſtinguuntur, unum non ſit aliud; ſed abſurdum conſequens; ergo & antecedens. Hanc affert rationem D. Aug. Epiſt. 224. “ Divinitas Tri-
„ nitatis, *inquit*, quæ putatur alia eſſe
„ quam eſt ipſa Trinitas, & propter
„ hanc dici non tres Deos, ſed unum
„ Deum, quoniam ipſa eſt tribus una
„ communis: aut ſubſtantia eſt, aut non
„ eſt ſubſtantia: ſi ſubſtantia eſt, & alia
„ eſt quam Pater aut Filius, aut Spiritus
„ Sanctus, aut eadem ſimul Trinitas,
„ procul dubio alia ſubſtantia eſt. Hoc
„ autem veritas refellit & reſpuit. „

Tertia. Si eſſet diſtinctio realis inter eſſentiam divinam & Perſonas & attributa, daretur majus & minus in eſſentia divina; nam major evaderet, quando illi advenirent Perſonæ & attributa, quam quando tantummodo ſecundum ſe conſideraretur; & de facto advenirent illi perfectiones; hinc homines dicimus in perfectionibus creſcere; quia cum non ſint neque ſapientia, neque fortitudo, concipimus virtutes de novo illis advenire, & ideo quo plures habent, eo utique perfectiores evadunt; ſed erroneum eſt, immo & abſurdum dicere magis & minus reperiri in divina eſſentia: ergo, &c. Hanc mirabilem explanat rationem Aug. l. 5. de Trin. c. 10. “ Deus, *inquit*, non ea
„ magnitudine magnus eſt, quæ non eſt
„ quod eſt ipſe; ut quaſi particeps ſit ejus
„ Deus ..... alioquin illa erit major ma-
„ gnitudo quam Deus, Deo autem non
„ eſt aliquid majus; ea igitur magnitu-

„ dine magnus eſt, quia eſt ipſe eadem „ magnitudo. „

D. Bernardus iſta eademque ratione urget Gilbertum Porretanum ſerm. 80. in Cant. his verbis: “ Erit aliquid quod non „ eſt Deus, aut nihil: quod ſi aliquid „ eſt, quod non eſt Deus; aut minor „ erit Deo, aut major, aut par. At „ quomodo minor qua Deus eſt? reſtat „ ut aut majorem facias, aut parem: ſed „ ſi major, ipſa eſt ſummum bonum, „ non Deus: ſi par, duo ſunt ſumma „ bona non unum, quod utrumque Ca- „ tholicus refugit ſenſus. „

Quarta hæc adjungitur. Si eſſet diſtinctio realis in Deo inter eſſentiam divinam & perſonas, & inter attributa ad invicem, hæc omnia facerent numerum, & Deus haberet aliquid ſibi unitum; ſed non eſt numerus inter naturam divinam & attributa; alias eſſent plures entitates, neque unitum quid, quia quod eſt unitum eſſentiæ illi advenit, & ſic eſſentia divina eſſet in potentia ad aliquid quod non haberet; unde perfectibilis eſſet, quod implicat. Hanc rationem affert Bernardus l. 5. de conſideratione, c. 7. ubi ſic loquitur de Deo. “ Eſt qui eſt, purus, „ ſimplex, integer, perfectus, conſtans „ ſibi ... non habens quod ad numerum „ dividat, non quæ colligat ad unum; „ unum quippe eſt, non unitum. “

Quinta. Deus eſt ens a ſe; eſt ſuum eſſe, & omnia; ſed ſi eſſet diſtinctio realis inter eſſentiam & perſonas & attributa, non eſſet omnia, ſed ſolum diceretur habens omnia, quod certe implicat enti ſupremo; ſibi enim identificat omnia, & eſt ſummum bonum. Ita Anſelmus in Monologio c. 13. “ Quoniam, *inquit*, homo „ non poteſt eſſe juſtitia, juſtitiam au- „ tem habere poteſt, non enim intelli- „ gitur juſtus homo exiſtens juſtitia, ſed „ habens juſtitiam, at ſumma natura non „ proprie dicitur juſta, quia habet juſti- „ tiam, ſed exiſtit juſtitia. „

Sexta. Nequidem poteſt eſſe diſtinctio formalis ex natura rei inter eſſentiam divinam & attributa; vel enim illa diſtinctio eſt eadem cum diſtinctione virtuali & rationis, vel diverſa & aliquid plus: ſi eadem, nihil eſt diſtinctum in Deo ante operationem mentis: ſi plus, igitur attributa ſunt diverſæ res ab eſſentia: igitur Divinitas non eſt ſapientia, non eſt Pater, & eſt error Gilberti Porretani proſcriptus in Concilio Rhemenſi.

Septima ſic proponitur. Diſtinctio realis, quæcunque inter eſſentiam divinam & attributa ſit, variorum eſt cauſa errorum. 1. quidem erroris Gilberti, qui occaſione hujus diſtinctionis diſtinguebat Divinitatem a Deo & attributis. 2. Palamitarum, qui in hac ſuam fundabant de diſtinctione reali inter attributa & operationes Dei, & lumen creatum ab eſſentia promanans, opinionem, ut refert Nicephorus Gregoras apud Petavium, l. 1. de Deo uno, c. 12. 3. Socinianorum, qui ut oſtendant Spiritum Sanctum, qui virtus Dei nominatur in Scripturis, non eſſe Deum, dicunt Dei tantum virtutem, operationes enim & attributa ab ipſo Deo realiter diſtingui propugnant: ergo, &c.

Eadem eſt ratio de attributis ad invicem, & comparative ad Perſonas, ac de iis omnibus ad eſſentiam: Etvero hæc omnia ſunt una & eadem entitas divina, immo ſunt ipſe Deus; unde Divus Bernardus in Concilio Rhemenſi, dicit ſcribi debere ſtylo ferreo, & ungue adamantino, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & ſapientiam, & bonitatem, Deum eſſe: Nulla igitur poteſt eſſe inter allata diſtinctio realis; nam ſi attributa diſtinguerentur realiter ab invicem & a Perſonis, Deus utique diſtingueretur realiter a ſeipſo; quod nedum abſurdum, ſed & prorſus hæreticum eſt.

CONCLUSIO SECUNDA.

Attributa diſtinguuntur ab invicem ab eſſentia & a Perſonis virtualiter tantum, actu vero ſolum per mentis operationem.

Probatur variis rationibus.

Attributa non diſtinguuntur realiter, ut probatum eſt, ſed neque etiam ſolum penes nomina, ut docet Baſilius l. 2. contra Eunomium, qui omnia confundebat in Deo; nam ſicut dicit Auguſt. l. 8. de Trin. c. 4. “ Aliud eſt Deum eſſe, aliud „ Patrem eſſe. Immo & ipſa Scriptura multa, eaque diverſa Deo tribuit, nempe eſſe miſericordem, ſapientem, vindicem, &c.. Quæ quidem perfectiones vere ſunt in Deo & formaliter, & de illo prædican-

dicantur. Non utique attributa a ſe invicem differunt penes tantum connotata ad creaturas, ut docet Divus Thomas in prima diſtinct. 2. q. 1. a. 2. his verbis: " Quidam dicunt quod divina attributa non differunt, niſi penes connotata in creaturis, quod non poteſt eſſe. " Rurſus ibidem ait: " Sapientia & bonitas, & omnia hujuſmodi ſunt omnino unum in re in Deo, & differunt ratione. " Ergo ex his omnibus ſupereſt diſtinctionem tantum virtualem exiſtere inter eſſentiam & attributa ante mentis operationem, actualem vero per ſolam ejuſdem mentis rationem & operationem.

Confirmatur. Diſtinctio virtualis eſt ipſa rei entitas eminens & æquivalens multis, a parte rei in creatura diſtinctis; v. g. eſt ſimul bonitas & ſapientia quæ realiter in nobis diſtinguuntur; quæ quidem entitatis eminentia fundamentum eſt nobis ſufficiens, ut in uno Deo diſtinguamus ſapientiam divinam a bonitate, quamvis in re ſint unum & idem, & hoc quia divina concipimus ſicut res creatas: ergo ante operationem mentis non eſt inter attributa & Perſonas, & ipſam Dei eſſentiam, niſi diſtinctio virtualis ſeu fundamentalis; quod quidem iſto poteſt illuſtrari exemplo animæ rationalis, quæ eadem in ſe manens, eſt ſimul vegetativa, ſenſitiva & rationalis; & ſic æquivalet anima vegetativa quæ eſt in arboribus, ſenſitiva quæ eſt in animalibus, & ideo intellectus fundamentum habet diverſos illos vitæ gradus diſtinguendi in anima, quamvis hi omnes ſint unum & idem a parte rei: ergo a ſimili, &c.

Confirmatur 2. Diſtinctio actualis quæ habetur ſolum per mentem, ea cenſetur quæ fit per intellectum limitatum; cum enim intellectus creatus unico conceptu non poſſit capere & adæquare eſſentiam divinam, ejuſque infinitas perfectiones, eam ipſam dividit in multos conceptus, idest, illam concipit modo ut ſapientiam, modo ut juſtitiam, &c. Igitur diſtinctio actualis inter eſſentiam & attributa & Perſonas, fit ſolum per mentem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. Attributa dicuntur numero multa in Scripturis ſacris, juxta illud Roman. 1. v. 2. *Inviſibilia ipſius, a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*. Ergo diſtinguuntur realiter.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Attributa dicuntur numero multa virtualiter, concedo; formaliter, tanquam diverſæ a ſe invicem entitates diſtinctæ, nego. Scriptura loquitur ad captum noſtrum; enimvero quia unico conceptu nec ea capere, nec adæquare poſſumus; ideo multa nominat, ut diverſis mentis operationibus cujuslibet ſingularem habeamus notitiam.

Inſtabis. Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, licet idem re cum eſſentia, attamen numerum faciunt & formalem: ergo a pari, & attributa cum eſſentia; & de facto in Scriptura ſacra eſſentia Dei explicatur ut ens a ſe & per ſe ſubſiſtens, juxta illud Exod. 3. v. 14. *Ego ſum qui ſum*. Attributa vero importantur, ut perfectiones eſſentiæ advenientes & adjacentes.

Reſpondeo diſtinguendo. Perſonæ numerum formalem relativum conſtituunt, concedo; entitativum, nego. Sunt enim eadem eſſentia quæ tres habet reales reſpectus a ſe invicem diſtinctos; at vero ubi non obviat relationis oppoſitio, omnia ex Concilio Lateranenſi ſunt unum in Deo realiter. Quod autem alio modo exprimatur natura, alio vero perfectio ſeu attributum, arguit ſolum diſtinctionem virtualem inter eſſentiam & attributa, quandoquidem perfectiones concipiuntur advenire & adjacere eſſentiæ ſolummodo propter noſtrum imperfectum concipiendi modum: intellectus quippe divinus ea non diſtinguit.

Dices. Ergo reſpectu Dei non ſunt attributa; ſed ſolum eſt eſſentia, ſiquidem Deus nihil diſtinguit.

Reſpondeo negando ſequelam, quia, nemine cogitante, eſſentia Dei æquivalet omnibus perfectionibus, & nedum habet ſapientiam, bonitatem, &c. ſed eſt ipſa ſapientia, bonitas, & omnia: igitur non requiritur diſtinctio etiam intellectus, ut attributa de Deo dicantur & prædicentur: Nos vero ea veluti diſtincta, ſolum propter intellectus limitationem concipimus.

Objicies 2. Dionyſius l. de divinis nominibus, caput ſecundum inſcribit, de unita.

unita & diſtincta Theologia: Quænam eſt unio divina & diſtinctio; ſed nomine unitæ Theologiæ, intelligit unam Dei eſſentiam; nomine vero diſtinctæ Theologiæ, attributa diſtincta ab eſſeutia: ergo ab ea ex Dionyſio diſtinguuntur realiter. Confirmatur. Ibidem duo diſtinguit, Divinitatem ſcilicet, quæ non eſt a creaturis participabilis, & quaſdam virtutes a Deo procedentes & participabiles; ſed quod eſt participabile realiter diſtinguitur ab eo quod non eſt participabile: igitur attributa in Deo diſtinguuntur realiter a divinitate quæ non eſt participabilis.

Reſpondeo 1. ut prius diſt. Attributa diſtiuguuntur virtualiter ab eſſentia, concedo; realiter, nego. Et eſt genuinus Dionyſii ſenſus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Utique Divinitas non eſt participabilis adæquate a creatura, concedo; inadæquate, nego. Nam de facto participatur ſecundum ideas in Deo ab æterno præexiſtentes, quas ibidem vocat Dionyſius rationes transſubſtantificas. Porro ideæ non ſubſiſtunt ab æterno extra Deum, ut putavit Plato; ſed ſunt ipſa eſſentia divina diverſimode a creaturis participabilis, & participata.

Repones 3. Athenagoras Philoſophus Chriſtianus in oratione pro Chriſtianis ad Marcum Aurelium & Lucium Commodum Imperatores directa, credit bonitatem in Deo eſſe accidens; namque ibi affirmat eſſe in Deo virtutem quandam, quæ quidem non eſt Deo contraria; ſed tamen ſecundum accidens ineſt ipſi; immo ſicut color ineſt corpori. " Sic, *inquit*, & ,, alias quaſdam virtutes cognoſcimus, ,, quæ circa materiam & per eam verſantur, unam quidem Deo contrariam; non quod ulla vis repugnare Deo ,, poſſit . . . . . ſed quoniam Dei bonitati quæ ſecundum accidens ineſt ipſi ,, tanquam color in corpore. ,, Atqui accidens realiter diſtinguitur a ſubjecto: ergo & attributum ab eſſentia divina.

Reſpondeo 1. Patres quandoque habuiſſe in doctrina nævos ante Eccleſiæ definitionem circa dogmata, multos etiam ex primis ſæculis Millenariorum fabulis adhæſiſſe conſtat: dato igitur & non conceſſo, Athenagoram admiſiſſe aliquam Deo adhærentem per modum accidentis virtutem, in hoc non eſt ſequendus. Cæterum in hoc excuſatus haberi debet, quia talem virtutem accidentalem in eſſentia divina de facto non admittit. Ibidem enim ſic effatur: " Non quod ulla ,, vis repugnare Deo poſſit, ut amici- ,, tiæ lis ſecundum Empedoclem, & nox ,, diei, ut ſenſibus noſtris apparet; ſi ,, enim Deo aliquid obſiſteret, mox eſſe ,, deſineret. ,, Quid magis orthodoxum? unde non ſolum excuſandus eſt Athenagoras, ſed & explicandus: igitur, &c.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Eſt vis contraria in bonitate quæ eſt accidens ſecundum modum concipiendi, concedo; ſecundum rem, nego. Loquitur ille Philoſophus de juſtitia vindicativa quæ pugnat ſecundum apparentiam cum bonitate; illa quippe propter hominum ſcelera Deo tribuitur, qua de cauſa etiam ab Auguſtino Deus dicitur bonus ex ſe, juſtus vero ex nobis; juſtitia igitur vindicativa concipitur ut accidens, non quidem in ſe, ſed ſecuudum connotatum ſcilicet peccatum, quatenus advenit Deo, eo quod reprobet in vindictam impios; id quippe non faceret de ſe, & niſi eſſent peccata; unde ſic ſolvitur argumentum. Parum autem refert Athenagoram dicere iſtam qualitatem unitivam & bonitati contrariam eſſe in illa, ut color in corpore; hoc enim intelligitur ſecundum quid, & mere extrinſece, eo quod perfectiones divinas concipiamus ad modum perfectionum creatarum quæ ſunt accidentia, & adveniunt ſubjecto: enimvero fatetur Athenagoras virtutem illam contrariam non eſſe Deo intrinſecam, ſed tantum extrinſecam.

Objicies 4. Sanctus Hilarius l. 8. de Trin. ſic loquitur: " Non efficit creaturam vo- ,, luntas ſcilicet divina, ſed poteſtas. ,, Igitur voluntas realiter diſtinguitur a poteſtate; hinc S. Aug. l. 7. de Trin. c. 6. ait: ,, Alio Pater eſt Deus, alio eſt Pa- ,, ter; nam eſt Deus eſſentia divina, eſt ,, autem Pater paternitate. ,, Quæ verba certe innuunt diſtinctionem realem inter eſſentiam & paternitatem.

Reſpondeo diſtinguendo. Et hæc verba, ſimileſque auctoritates denotant ſolum diſtinctionem virtualem & realem ſecundum apparentiam & modum explicandi, concedo; & denotant realem intrinſecam Deo, nego. Sic, licet anima ratio-

na-

nalis ſit eadem entitative cum vegetativa & ſenſitiva, alio tamen modo dicitur principium vitæ, alio principium ſenſationis; primum enim operatur, ut æquivalet animæ vegetativæ arborum, quæ eſt realiter diſtincta in arbore ab anima ſenſitiva bruti; ſic quia Deus operatur diverſa quæ conveniunt formis creaturarum realiter diſtinctis, dicitur per analogiam ad creata, quod voluntas non ſit poteſtas, quod alio ſit Deus, & alio Pater; ſed re omnia ſunt in ipſo idem, atque diſtinguuntur penes ſolum concipiendi modum; ita D. Thomas qu. 8. de potentia ad ſecundum, ubi explicans verba Auguſtini, dicit Patrem alio eſſe Deum, & alio Patrem, quoad modum ſignificandi. " Relatio, *inquit*, ſignificatur ut ad alterum, non ut id quo aliquid eſt in ſe, ſicut eſt ipſa divinitas, ſed non ex parte rei ſignificatæ; nam eadem divina eſt eminenter abſoluta, & relativa. "

Objicies 5. Dogma Palamitarum admittentium diſtinctionem realem in Deo inter eſſentiam & attributa, in quatuor Synodis confirmatum fuit, quarum Græci unam, nonum Concilium generale nominaverunt: ergo admittenda eſt diſtinctio realis, &c. Quod autem in quatuor Synodis approbatum ſit illud dogma, referunt Cantacuſeni hiſtoria l. 2. Nicephorus Gregoras l. 5. & 7. & alii apud Petavium l. 1. de Deo uno, c. 12.

Reſpondeo diſtinguendo. Et iſtæ Synodi ſunt Conciliabula, eaque ſchiſmatica, ac nuſquam approbata, concedo: unde auſu temerario unam Synodum nonam œcumenicam inſcripſere: & non ſunt ſchiſmatica, nego; immo abſurdas ſupra modum opiniones habebant Palamitæ; illuſionibus quippe phantaſticis ſeducti, credebant ſe lumine quodam a Deo promanante circumdari uſque ad medium corpus, ita ut in illo ſplendore mira ſe videre arbitrarentur; quaſdam etiam virtutes & operationes ab æterno a Deo productas, increatas quidem, ſed ipſo minores, & ab ipſo realiter diſtinctas admittebant; immo has omnes & facultates & virtutes poſſe dici totidem divinitates, aſſerere non erubeſcebant.

Oppones 6. Ante operationem mentis eſſentia divina communicatur Filio, minime vero Paternitas: ergo eſſentia divina diſtinguitur realiter a Paternitate, nam independenter ab operatione mentis relativum & abſolutum diſtinguuntur. Confirmatur. Relativa magis diſtinguuntur ab abſolutis, quam abſoluta ab invicem; ſed abſoluta, ut eſſentia, ſapientia, bonitas, diſtinguuntur virtualiter: ergo eſſentia diſtinguitur realiter ab attributo relativo, v. g. a Paternitate.

Reſpondeo diſtinguendo. Paternitas non communicatur Filio ſecundum eſſe ad; ſic enim dicit reſpectum relativum, adeoque oppoſitionem, concedo; ſecundum eſſe in, ideſt, ſecundum quod eſt entitas, nego. Et ſub iſto reſpectu non diſtinguuntur relativum & abſolutum in divinis; ſunt enim unica & eadem res, quæ eſt eminenter formaliter abſoluta & relativa.

Ad confirmationem. Poteſt abſolute negari major, quia ſecundum multos, relatio etiam in creatis non diſtinguitur realiter a fundamento: attamen diſtinguo; magis diſtinguuntur relativa ab abſolutis, quam abſoluta ab invicem in creatis, concedo; in divinis, ſubdiſtinguo: ſecundum humanum concipiendi modum, quia concipimus divina per analogiam ad creata, concedo, ſecundum rem, nego.

Inſtabis. Si perſona eſt eadem cum eſſentia entitas, non poteſt non communicari alteri perſonæ, & ſic ſecunda perſona erit Pater ſicut prima; ſed abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Probatur major. Implicat Beatos videre eſſentiam divinam ſine perſonis, cum ſint unica entitas: ergo implicabit perſonam non communicari perſonæ propter eandem rationem.

Reſpondeo diſtinguendo. Perſona non poteſt alteri perſonæ non communicari, ut entitas eſt, concedo, unde Chriſtus Joan. 10. dicit: *Ego & Pater unum ſumus*. Ut perſona, & ut eſt quid formaliter relativum, nego; hoc enim implicat, quia ſub iſta ratione dicit reſpectum. Igitur eadem entitas communicatur, ſed non ſecundum eandem rationem; ſufficit autem diſtinctio virtualis ut eadem entitas communicetur ut abſoluta, & non ut relativa, & ſic una perſona non eſt altera; nam perſona, ut ſic, dicit relativum. Ergone aliqua perfectio eſt in Patre & non in Filio? minime: licet enim paternitas, ut eſt reſpectus, non ſit in Filio, eſt tamen ut entitas. Illud ipſe

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus explicat dicendo ibidem v. 38. *Pater in me eſt*, & *ego in Patre*.

Ad exemplum allatum de viſione Beatorum, nego paritatem: cum enim viſio attingat res, ut ſubſunt exiſtentiæ, & una ſit exiſtentia pro eſſentia, pro perſonis & attributis; ideo Beati non poſſunt videre eſſentiam, quin videant & perſonas, ſed communicari & non communicari non arguit diſtinctionem in eſſe, ſed ſolum in reſpectu; unde cum perſona reduplicative ut Perſona ſit relativa, ideo ſub iſto reſpectu non communicatur, bene tamen ut eſt eadem res cum eſſentia. Hoc igitur ſemper præ oculis eſt habendum diſtinctionem virtualem in divinis idem facere, quod facit realis in creatis, ideſt fundare diverſas operationes & diverſa munia.

Inſiſtes. Nemine cogitante, ſecunda Perſona eſt Filius, quia procedit per intellectum; ſecus vero Spiritus Sanctus, quia procedit per voluntatem: ergo intellectus & voluntas diſtinguuntur pluſquam virtualiter in Deo. Confirmatur. Alia eſt idea intellectus, alia idea voluntatis, immo etiam utriuſque potentiæ objecta ſunt formaliter diverſa: objectum enim intellectus eſt ens divinum ut prima veritas; voluntatis vero eſt ens divinum ut ſumma bonitas; ſed ubi ſunt objecta formaliter diverſa, ibi ſunt potentiæ realiter diverſæ: igitur intellectus & voluntas in Deo diſtinguuntur realiter.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Nemine cogitante, ſecunda Perſona eſt Filius, eo quod procedat ab eadem entitate, ut eſt intelligens, concedo; ut eſt entitas re diſtincta, nego. Eſt igitur Filius ſecunda Perſona, non quia procedit a diverſa entitate; alias eſſent in Deo quatuor Dii, ſicque quaternitas, ſed quia procedit ab eadem, ut eſt intelligens; Spiritus vero ſanctus, ab eadem ut eſt volens. Eadem diſtinctio virtualis fundat diverſas virtualiter ideas, & diverſa virtualiter objecta; immo in creatis intellectus & voluntas quæ habent diverſa realiter objecta, non diſtinguuntur tamen realiter ab anima ſecundum multos: ſed hoc dato pro creaturis, negatur pro divinis.

Inſtabis. Ideo ſecunda Perſona eſt Filius, quia, nemine cogitante, procedit ab eadem entitate, ut eſt intelligens, Spiritus vero Sanctus ab eadem ut eſt volens: ergo inquiunt Scotiſtæ ante operationem mentis ſunt formalitates ex natura rei diſtinctæ. Confirmatur. Filiatio & ſpiratio paſſiva ſicut & alia attributa habent definitiones diverſas: ergo, &c. Item prædicantur de eis contradictoria, v. g. quod Pater generat & non Filius. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Sunt formalitates diverſæ virtualiter, concedo; diverſæ realiter, nego. Unde ſunt ſolum fundamentaliter diſtinctæ ante operationem intellectus, minime vero actu & realiter.

Reſpondeo ad confirmationem diſtinguendo. Habent diverſas definitiones inadæquatas, concedo; adæquatas, nego. Entitas divina non poteſt a creatura quantumvis intelligente unica definitione perfecte & adæquate definiri propter duo. Primo quidem quia eſt infinita, unde in immenſum ſuperat captum noſtrum. Secundo, eadem in ſe manens facit, quidquid facit cauſa & perfectio creata, quidquid operatur & bonitas & ſapientia hominum; jam quid mirum, ſi illam definiamus modo per actum bonitatis, ſcientiæ, prudentiæ, fortitudinis, modo etiam per actum juſtitiæ, & hoc ſemper inadæquate? nam dum dicimus Deum eſſe ſummum bonum, eſt præterea & ſummum verum, aliaque permulta.

Ad aliam inſtantiam diſtinguo. Prædicantur de Deo contradictoria ſecundum diverſos reſpectus, concedo; ſecundum eundem reſpectum, nego. Sic, inquit Auguſtinus, Deus bonus ex ſe dicitur, & juſtus ex nobis propter peccata quæ ejus acuunt zelum, & ſtimulant vindictam; unde non eſt contradictio; ad hoc enim ut ſint contradictoria, debent prædicari de eodem ſecundum idem.

Rurſus inſtabis. De Deo cognoſcimus quod eſt, & demonſtramus, ſed non cognoſcimus quid eſt: igitur quidditas Dei diſtinguitur realiter ab ejus exiſtentia; nam ſi eſſent unum, cognoſcendo exiſtentiam, cognoſceremus & eſſentiam.

Reſpondeo diſtinguendo. Cognoſcimus a poſteriori Deum eſſe, concedo; a priori, nego; unde nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo ſimiliter. Si cogno-

ſce-

Digitized by Google

ſceremus a priori unum, cognoſceremus & aliud, concedo; ſi tantum a poſteriori, nego. Demonſtratio a poſteriori eſt per effectus creatos qui ſunt extra Deum, quia tamen habent neceſſariam connexionem cum cauſa, ipſius demonſtrant exiſtentiam ſed non eſſentiam, ſiquidem hæc cognitio a poſteriori eſt imperfecta: ſed qui cognoſcit exiſtentiam a priori, ſcilicet per viſionem eſſentiæ divinæ, cognoſcit omnia; tunc enim medium cognitionis eſt eadem res cum exiſtentia: quanto autem major eſt unio medii cum re demonſtrata, tanto excellentior cognitio evadit; unde Beati videndo exiſtentiam, vident & eſſentiam & attributa.

Inſiſtes. Beati vident in Deo attributa diſtincta realiter, & probatur multipliciter. 1. ex Divo Thoma, qui in primum diſt. 1. q. 1. a. 3. ſic loquitur: “ Si intellectus videns Deum per eſſentiam, imponeret nomen rei quam videret, media ſua conceptione, quam de ea habet, oporteret adhuc quod imponeret plura nomina, quia impoſſibile eſt quod conceptio intellectus creati repræſentet totam divinæ eſſentiæ perfectionem. ” Cum autem attributorum nomina non ſint Synonyma, attributa debent eſſe realiter diſtincta; ſi enim ſunt unum, jam nomina ſunt ſynonyma, cum idem ſignificent. 2. Beati vident duas in Deo proceſſiones; ſed ſi generatio non diſtinguitur realiter a ſpiratione, erit unica proceſſio, quod eſt contra fidem. 3. Beati non vident totam omnipotentiam, tametſi totam videant eſſentiam: igitur omnipotentia realiter diſtinguitur ab eſſentia; alias videndo totam eſſentiam, utique totam viderent omnipotentiam.

Reſpondeo 1. iſta omnia argumenta nimis probare; ex his enim ſequeretur tot eſſe in Deo entitates, quot attributa, & conſequenter tot Deos.

Reſpondeo 2. Beatos per ſcientiam viſionis qua cognoſcunt Deum, ſicuti eſt, nihil diſtinguere; omnia enim unum ſunt in Deo & indiſtincta, exceptis tribus Perſonis, quæ realiter diſtinguuntur ſecundum reſpectus relativos; quia tamen Beati vident eſſentiam divinam æquivalere multis entibus realiter in creatis diſtinctis, ideo ſi imponerent Deo nomen, multiplex imponerent; videlicet unum pro qualibet perfectione, ſcilicet primo nomen Dei & entis a ſe tribuerent eſſentiæ divinæ, quatenus æquivalet omni naturæ creatæ; nomen ſapientis, ut eundem actum habet ac ſapientia creata; nomen juſti Judicis, ut facit quod juſtitia vindex ſcelerum in magnatibus terræ operatur, & ſic nomina non ſunt Synonyma, quandoquidem explicant diverſas divinæ eſſentiæ functiones.

Ad ſecundum reſpondeo, Beatos videre etiam in Deo unicam entitative proceſſionem, & ſolum virtualiter duplicem in ſe, duplicem vero actualem per operationem intellectus creati qui concipit divina ad modum rerum hujuſce mundi. Jam vero intellectus humanus videt & ſcit intellectionem realiter diſtingui a voluntate in creatis, unde & diſtinguit in Deo; ſed Beati non diſtinguunt per ſcientiam viſionis, viſio enim attingit eſſentiam in ſe; diſtinctio igitur illa habetur tantum per ſcientiam infuſam qua concipiunt divina per analogiam ad creata, hæc eſt, per ſpecies infuſas.

Ad ultimum diſtinguo. Beati non vident totam omnipotentiam extenſive; Deum quippe nullatenus comprehendunt, concedo; non vident totam quidditative ſeu entitative, nego. Vident Deum ſicuti eſt: igitur nulla eſt diſtinctio niſi virtualis inter eſſentiam & attributa, inter perſonas & eſſentiam, ſicuti & inter attributa ad invicem.

Dices contra ſecundam concluſionem. Concilium Rhemenſe aſſerit in Theologia rationem non diſtinguere inter eſſentiam divinam & attributa: ergo nequidem eſt diſtinctio virtualis inter iſta. Confirmatur ex Patribus. Cum varia de Deo dicuntur, nomina quidem ſunt, ſed res eadem: Ita Anſelmus in Monologio, capite ſeptimo: “ Idem eſt, *inquit*, quodlibet unum illorum quod omnia ſimul, ſive ſingula, ut cum dicitur juſtitia, vel eſſentia, unum ſignificat, quod alia vel omnia ſimul, vel ſingula. ” Ergo diſtinguuntur attributa, ſolum quoad nomen.

Reſpondeo diſtinguendo. Ratio in Theologia non diſtinguit phyſice; non enim concipit res in ſe diſtinguendas, contra quam loquuntur Patres Rhemenſes, concedo;

Digitized by Google

cedo; non diſtinguit metaphyſice, dividendo eandem rem in varios conceptus, propter varias ipſius virtualitates, nego.

Ad confirmationem etiam diſtinguo. Attributa ſunt ſolum varia nomina ad excluſionem diverſarum entitatum, concedo; diverſarum virtualitatum, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus nullam inter eſſentiam ſuam, perſonas & attributa, patitur diſtinctionem realem, nequidem formalem ex natura rei.

Primo. Quia Joan. 10. Chriſtus ait: *Ego & Pater unum ſumus*.

Secundo. Concilium Rhemenſe dicit bonitatem eſſe Deum: Lateranenſe Sanctiſſimam Trinitatem eſſe unam rem.

Tertio. Si foret aliqua diſtinctio realis inter divina, plures utique eſſent entitates, adeoque & plures Dii; cæterum ante omnem intellectus humani operationem omnia ſunt unum in Deo, nec ulla reperitur diſtinctio realis, niſi ubi obviat relationum oppoſitio, inquit Lateranenſe.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OPPOSITA.

Primo, Attributa multa dicuntur in Scripturis, quinimmo diverſas habent definitiones, ſed ad hoc ſufficit diſtinctio virtualis. Etvero ea concipimus quidem ut multa, ſed re ſunt unum: variis etiam ea definimus propoſitionibus, ſed inadæquatis; cum enim unico non poſſimus Deum explicare conceptu, eum multiplici conamur exprimere.

Secundo. Nemo Catholicus utique negabit Patrem ante omnem mentis operationem non eſſe Filium; ſed intelligas velim relative & non abſolute, namque Pater & Filius, ipſo Chriſto prædicante, unum ſunt.

Tertio. Palamitæ plures Conciliorum definitiones adducunt in ſuæ hæreſeos confirmationem, ſed pſeudo-Concilia & nullius ponderis eſſe totis viribus aſſerimus.

ARTICULUS SEXTUS.

An Deus ſit ens ita ſimplex, ut nullam in ſe admittat compoſitionem etiam metaphyſicam, etiam logicalem.

CONCLUSIO.

Nulla eſt in Deo compoſitio nequidem metaphyſica, aut logicalis.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura ſacra*.

DEUS ſuam ipſe delineans naturam, Exod. 3. ait: *Ego ſum qui ſum*. Item Joan. 4. *Spiritus eſt Deus*. Ibidem 14. *Ego ſum via, veritas & vita*. Sed qui eſt, ſuum eſſe & vita non componitur ex eſſe & vita, nam partes adveniunt compoſito, & illud faciunt; nihil autem Deo advenit; non quidem eſſe, quia eſt ipſum eſſe; non vita, non veritas, quia eſt ipſa vita, ipſa veritas, & omnia: igitur nullo modo eſt compoſitus.

Secundo. *Ex Conciliis*.

Lateranenſe ſub Innocentio III. capite *Firmiter*, & capite *Damnamus*, definit Deum eſſe omnino ſimplicem & indiviſibilem. Rhemenſe ſub Eugenio III. dicit Deum eſſe omnia, eſſe Divinitatem, ſapientiam, juſtitiam, &c..... Igitur non eſt ulla in ipſo compoſitio.

Tertio. *Ex ſententiis Patrum*.

Primus eſt Dionyſius qui cap. 4. & 5. Theologiæ myſticæ, docet Deum non eſſe aut ens aut ſubſtantiam, aut quid a nobis conceptibile, ſed ſuper ens, ſed ſuper ſubſtantiam: igitur Deus eſt omnimode ſimpliciſſimus.

Irenæus l. 2. adverſus hæreſes, cap. 16. revincit Gnoſticos qui multa in Deo diſtinguebant, ab eo emiſſa, & illi inhærentia. " Multum, *inquit*, diſtat omnium " Pater ab iis quæ proveniunt hominibus, " affectionibus & paſſionibus; & ſimplex, " & non compoſitus .... cum ſit totus " ſpiritus & tota ratio. "

Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi, c. 8.

c. 8. de Deo loquens, ait : " Non dicitur bonus , eo quod virtutem habeat , quemadmodum juſtitia bonum eſſe dicitur , non eo quod virtutem habet ; eſt enim virtus ipſamet ; ſed quod ipſa ſecundum ſe , & propter ſe eſt bona . „

Athanaſius oratione 5. de verbo & ſapientia Dei agens . " Non iſta eſt , *inquit* , ut qualitas aliqua in Deo ; apage , indecorum enim iſtud eſt , ſic enim reperiretur Deus ex ſubſtantia & qualitate compoſitus , ſiquidem omnis qualitas eſt ; ac proinde iſto modo divina unitas cum ſit indiviſibilis , compoſita videbitur , eo quod ſectilis ſit in ſubſtantiam & accidens . „

Hilarius huic ſuffragatur veritati lib. 8. de Trin. c. 5. " Non humano modo , *inquit* , ex compoſitis Deus eſt , ut in eo aliud ſit , quod ab eo habetur , & aliud ſit ipſe qui habeat . „

Cyrillus Alexandrinus dialog. 2. de Trin. ſimilia propalat . " Alienum eſt , *ait* , a ratione genus in Deo ullum nominare , quandoquidem nulla res omnino cum ipſo eſt, aut ante ipſum . „ Idem docet Baſilius l. de Trin. S. Leo epiſt. 93. fuſiori calamo eandem probat veritatem . " Nemo , *inquit* , hominum veritas , nemo ſapientia , nemo juſtitia eſt , ſed multi participes ſunt veritatis & ſapientiæ , atque juſtitiæ ; ſolus autem Deus nullius participationis indignus eſt , de quo quidquid digne , ut quocunque ſentitur , non qualitas eſt , ſed eſſentia ; incommutabili enim nihil accedit , nihil deperit , quia eſſe illi quod eſt ſempiternum , ſemper eſt proprium . „

Ruſticus Diaconus in dialog. contra Acephalos , duplicem eſſe in Chriſto naturam probat , ſed in Deo omnia eſſe unum aſſerit . " Si Deitas , *ait* , nec genus habet , nec eam ſpeciem quæ ſupponitur generi , habere vero hæc invenitur humanitas , multo magis in una natura coadunari non poſſe demonſtrantur . „

Quarto . *Ex ratione , & quidem multiplici .*

Prima ſic proponitur : triplex eſt compoſitio, Phyſica ſcilicet , quæ eſt vel ex materia & forma , vel ex compoſito, & partibus integrantibus, vel ex ſubjecto & variis accidentibus , puta quantitate , colore : alia metaphyſica , quæ eſt ex eſſentia & ſubſiſtentia , ex eſſentia & exiſtentia , quæ etiam dicitur ex actu , & potentia ; ſubſiſtentia enim , & exiſtentia ſunt actus qui eſſentiæ ad illam perficiendam adveniunt : alia logicalis ex genere & differentia , quatenus unum ſe habet ad aliud , ut perfectibile ad ſuum perfectivum, uti animal ad rationale ; ſed nulla ex iis compoſitionibus in Deo reperitur ; etenim eſt primum ens , primum movens , actus purus infinite perfectus & neceſſarius . Non quidem prima in illo reperitur ; etvero ſi eſt primum ens , & primum movens , non eſt corpus , nullum enim corporale non motum movet ; item corpus non eſt primum ens , ſiquidem ſunt alia corpore nobiliora , nempe formæ intellectuales ; ſed nec ſecunda compoſitio Deo tribuitur : ſi enim eſt actus purus & infinite perfectus , omnem excludit potentialitatem , omnem imperfectionem & contingentiam , quam tamen importat eſſentia perfectibilis per ſubſiſtentiam & exiſtentiam ; neque conſequenter compoſitio tertia & logicalis in Deo poteſt admitti , cum non concipiatur ut perfectibilis ab aliquo ; nam conceptus Dei implicite dicit & omnes perfectiones & attributa naturæ ſuæ convenientia : ergo nulla eſt in Deo compoſitio .

Secunda . Deus non poteſt venire in compoſitionem cum aliis : ergo ex omni parte non eſt aliqua in Deo compoſitio . Divus Thomas probat antecedens triplici ratione ; Prima eſt , Deus eſt prima cauſa efficiens ; ad primam autem cauſam efficientem non pertinet intrinſece componere , ſed extrinſece efficere : Secunda , Deus eſt ens plenum & perfectum ; componentia vero ſunt entia incompleta & perfectibilia : Tertia , Deus eſt primum agens ; quod autem venit in compoſitionem , non eſt per ſe primo agens , ſed potius factum : igitur Deus nullo modo poteſt venire in compoſitionem aliorum ; hinc merito exclamat Div. Dionyſius : " O ineffabilem ſimplicitatem ! qua Deus tam parvus ſit , ut nihil ſit ; tam magnus , ut omnia ſit ; tam ſimplex , ut nihil poſſit illi adimi ; ita plenus & abundans , ut nihil poſſit illi adjici . „

Tertia ex omnibus auctoritatibus mox allatis reſultat ; etenim compoſitio nulla eſt , niſi ſit in re fundata , & adveniat aliquid eſſentiæ : ſic ſubſiſtentia advenit animæ

ratio-

rationali in homine, propria quippe in humanitate Chriſti impedita fuit; unde eam ſupplevit ſubſiſtentia Verbi; ſed ſcelus eſt grande ex Conciliis & Patribus dicere aliquid advenire eſſentiæ divinæ, quippe quæ ſit omnia: igitur nequidem compoſitio logicalis eſt admittenda in Deo.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies. Sapientiæ 7. ſpiritus Dei dicitur multiplex, & mobilior omnibus mobilibus; ſed ubi eſt multitudo, ibi eſt compoſitio, eſt enim multorum unio: igitur in Deo compoſitionem aliquam admittere conveniens eſt.

Reſpondeo diſtinguendo. Spiritus Dei eſt multiplex virtualiter, quia tanta eſt ejus virtus, ut faciat id omne quod creaturæ operantur, concedo; eſt multiplex formaliter, ita ut ſint in ipſo diverſæ entitates, nego. Item non eſt mobilis formaliter, quandoquidem nihil poteſt recipere, ſed ſolum cauſaliter, in quantum cuncta creata movet, & omnia ab ipſo habent eſſe: *In ipſo enim*, inquit Apoſt. Act. 1. *vivimus, movemur & ſumus*. Hinc Bernardus ſerm. 3. Pentecoſt. ſic loquitur: " ,, Vere multiplex ſpiritus, qui tam mul- ,, tipliciter filiis hominum inſpiratur, ut ,, non ſit qui abſcondat a calore ejus, ſi- ,, quidem conceditur eis ad uſum, ad mi- ,, raculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ,, ſolatium, ad ſervorem. ,,

Inſtabis. Deus habet animam juxta illud Hebræorum 10. *Juſtus autem ex fide vivit, quod ſi ſubſtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*. Sed qui habet animam, componitur ex eſſentia & exiſtentia: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus habet animam metaphorice & quoad virtutem, concedo; ſicut enim anima rationalis eſt in homine principium & motus, & cujuslibet perfectionis; ita pariter, ſed modo prorſus eminentiori, entitas divina & increata eſt fons a quo perenniter cætera promanant attributa: habet proprie & formaliter animam, quatenus anima pro forma finita, & intra corporis terminos concluſa ſumitur, nego. Eſt enim ens a ſe & illimitatum, ens ſupremum, & omni refertum perfectione. Cæterum Deus nequidem componitur ex eſſentia & exiſtentia, quippe qui ſuum ſit eſſe, juxta illud Exodi oraculum: *Ego ſum qui ſum*.

Repones. Dionyſius cap. 4. Cœleſt. Hierarch. dicit: " Quod eſſe Dei, ſit eſſe ,, omnium. ,, Sed quod eſt eſſe omnium, facit cum illis compoſitionem: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Eſſe Dei eſt eſſe omnium cauſaliter & efficienter, concedo; eſt enim prima cauſa efficiens a qua omnia creata ſunt; cauſa autem efficiens non venit in compoſitionem; eſt eſſe omnium formaliter, & ut forma quæ eſt pars compoſiti, nego. Verbum tamen divinum aliquando a Patribus dicitur forma, non quidem formata & informans, ut notat Auguſtinus, ſed forma exemplaris & extrinſeca: & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam.

Urgebis. Tertullianus l. adverſus Hermogenem cap. 3. dicit *Domini* titulum ſolummodo in tempore adveniſſe Deo, quando ſcilicet creavit mundum; ſed qui recipit quod non habebat, facit cum eo quod recipit, compoſitionem: ergo eſt vera compoſitio in Deo.

Reſpondeo diſtinguendo. Recipit *Deus* in tempore titulum *Domini*, quoad denominationem extrinſecam, concedo, quoad realitatem & dominium, nego. Ab æterno quippe eſt omnipotens, & ab æterno potuit facere quidquid voluit, & ſuis dominari operibus; ſed cum creaturas ſolum in tempore creaverit, & denominatio *Domini*, dicat terminum ad extra cui dominetur Deus; ideo dicitur in tempore Dominus; hancque eſſe Tertulliani mentem patet, ibidem enim ſic ſe explicat: " Dei nomen dicimus ſemper ,, fuiſſe apud ſemetipſum & in ſemetip- ,, ſo, Dominum vere non ſemper; di- ,, verſa enim utriuſque conditio, Deus ,, ſubſtantiæ ipſius nomen, ideſt, Divi- ,, nitatis: Dominus vero non ſubſtantiæ, ,, ſed poteſtatis ... nam ex quo eſſe cæ- ,, perunt, in quo poteſtas Domini age- ,, ret, ex illo & factus, & dictus eſt ,, Dominus. ,,

Objicies. Qui habet figuram, componitur & quidem ex materia; ſed Deus habet figuram, teſte Lactantio, qui lib. de ira Dei, cap. 2. Stoicos arguit, eo quod negarent Deum figuram habere: & c. 18. " Omitto, *inquit*, de figura Dei dicere, ,, quia

Digitized by Google

„ quia Stoici negant habere ullam for- „ mam Deum, & ingens alia materia „ naſcitur, ſi eos coarguere velimus. „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Qui habet figuram veram & quantitativam ſeu molis, eſt compoſitus, concedo; metaphoricam & impropriam, quæ ſumitur pro ente fixo, ſolido & determinato, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Lactantius intelligit per figuram ens fixum, ut refellat Stoicos qui propugnabant Deum eſſe ens univerſale, indeterminatum & vagum; hinc Cato dicebat: " Juppiter eſt quo dcunque vi- „ des. „ Quod autem Lactantius non crediderit Deum eſſe corporeum & compoſitum; patet ex l.6. Inſtitutionum, c. 25. namque adverſus cruenta ſacrificia quæ a gentibus Deo offerebantur, quæque approbavit Plato, inſurgit dicens: " Cur il- „ lud non vidit, non debere incorpora- „ li corporale munus offerri? Si enim „ Deus non videtur: ergo his rebus coli „ debent quæ non videntur. „ Quibus verbis declarat Deum eſſe & inviſibilem & incorporalem, atque ſimplicem.

Inſtabis. Lactantius agnoſcit iram in Deo, ut claret ex ſuo libro, cui titulus eſt, *De ira Dei*; ſed ira eſt affectio rerum corporalium, puta animalium & hominum: igitur in Deo erit utique aliqua ex materiali affectione compoſitio.

Reſpondeo diſtinguendo. Habet Deus iram quoad effectum, concedo: quoad paſſionem, nego. Quia Deus punit malos, quod facit pater iratus, ideo Lactantius explicans divina ad captum humanum, & per analogiam ad creata, dicit in Deo eſſe iram, ſed tantum improprie. Hoc patet ex ipſius ſcopo, agit enim ibi contra hæreticos & Philoſophos, inter quos quidam putabant Deum nunquam punire hominum ſcelera; ſic enim ipſe loquitur ex illorum ſententia c. 1." Quo- „ niam vel benefica ſit tantummodo na- „ tura divina, nec cuiquam nocere præ- „ ſtantiſſimæ atque optimæ congruit po- „ teſtati, vel certe nihil curet omnino, „ ut neque ex ejus beneficentia quid- „ quam boni perveniat ad nos, neque „ ex maleficentia quidquam mali. „ Ut autem illos confundat, eatenus aſſerit Deum iraſci contra peccatores, quatenus illos juſte punit.

Inſtabis. Lactantius eo loci diſtinguit iram ab aliis motibus quos in Deo nequidem reperiri aſſerit; atqui cæteri motus poſſunt eſſe in Dao ſaltem quoad effectum: igitur cum ibi ſecernat ab illis iram, velitque magis eſſe in Deo, quam aliarum paſſionum motus, dicendum eſt iſtum Patrem exiſtimaſſe iram eſſe etiam quoad paſſionem; alias nihil diſcriminis foret, nec Lactantii cohærerent ſententiæ.

Reſpondeo diſtinguendo. Lactantius ſecernit iram a motibus vitiorum, concedo; a motibus paſſionum quæ manifeſtam & intrinſecam non involvunt imperfectionem, nego. Vitia, ut concupiſcentia, pronitas ad malum, intrinſecam important imperfectionis labem; unde nequidem quoad effectum in Deo reperiuntur: non ſic v. g. pœnitentia, non ſic ira, quæ quidem terminative quandam explicant perfectionem, qualis eſt dolere de malo, & illud juſtis pœnis propellere; unde non mirum ſi & pœnitentia & ira de Deo dicantur juxta illud Geneſeos 66. *Tactus dolore intrinſecus, delebo*, inquit, *hominem*. Rurſus pſal. 94. 9. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*. Dicitur quidem Deus tactus dolore intrinſecus, ad majorem Decreti de punitione peccatoris expreſſionem, nuſquam vero ad paſſionis manifeſtationem.

Hunc eſſe genuinum germanumque Lactantii ſenſum, patet ex cap.16. ubi ſic loquitur: " Sunt aliqui effectus qui non ca- „ dunt in Deum, ut libido, avaritia ... „ his enim vacat, quia vitiorum affe- „ ctus ſunt; eos autem qui ſunt virtutis, „ ideſt, ira in malos, charitas in bo- „ nos, miſeratio in afflictos, quoniam „ divina poteſtate ſunt digna, proprios „ & juſtos, & veros habet. „ Intellige Deum habere quoad effectum, ſed non ſubjective.

Perſiſtes. Sanctus Auguſtinus l.5.de Trin. c. 4. & 5. dicit non omnia quæ dicuntur de Deo, ſecundum ſubſtantiam dici. Ergo eſt aliquod accidens in Deo: ergo Deus componitur ex ſubſtantia & accidentibus.

Reſpondeo diſtinguendo. Omnia quæ dicuntur de Doo, non dicuntur ſecundunr ſubſtantiam tantum, quæ eſt quid abſolutum, ſed & ſecundum relationes; ſunt

enim reſpectus divinas conſtituentes perſonas, concedo; non omnia quæ dicuntur de Deo, ſecundum ſubſtantiam prædicantur: hoc eſt, ſunt quædam in eo accidentia, nego.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Ex ratione prodeuntes.

Objicies 1. Deus eſt ens determinatum, fixum & individuum; ſed individuum eſt aut a quantitate, aut ſaltem a ſubſiſtentia & exiſtentia quæ limitant & contrahunt formam, quæ quidem omnia conſequenter faciunt cum ipſo compoſitionem: ergo Deus ſaltem componitur ex eſſe, exiſtere, & ſubſiſtere.

Confirmatur. Deus non eſt ſua eſſentia, quippe qui dicitur habens eſſe: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt individuum per plenitudinem & irreceptibilitatem, concedo; recipiendo aliquid & per limitationem, nego. Deus ex Patribus non eſt genus, non ſpecies, non individuum ſaltem categoricum & limitatum, ſed eſt ſuper hæc omnia. Poteſt tamen dici individuum per irreceptibilitatem & plenitudinem; cum enim nihil habeat, ſed ſit omnia, utpote ens a ſe, eſt incommunicabilis; cum ſit ſimplex & perfectiſſimus, non differt ab allis per aliquid a ſe diſtinctum, ſed per ſe ipſum; unde ad confirmationem, dico Deum eſſe ens a ſe: igitur habet eſſe; ſed eſt ipſum eſſe & exiſtere, ipſum vivere, ipſum ſubſiſtere: ratio quam D. Thomas affert hic q. 3. ea eſt, quia quod dicitur habens, recipit & habet formam adjacentem; unde Deus non dicitur habens, niſi ſecundum noſtrum concipiendi modum, eo quod divina propter imbecillitatem intellectus concipiamus ut creata.

Objicies 2. Tres ſunt in Deo Perſonæ in eſſentia unitæ; ſed compoſitio eſt multorum unio in Deo: igitur eſt compoſitio. Confirmatur. Verbum facit compoſitionem cum humaniate, ut colligitur ex Concilio Epheſino: ergo non implicat Deum inire cum aliis compoſitionem.

Reſpondeo diſtinguendo. Perſonæ ſunt eſſentiæ Dei unitæ, ut termini, concedo; ut partes, nego. Terminant quidem eſſentiam, ſed non ſunt partes, quandoquidem ſunt una & eadem cum natura entitas: Quid plura? perſonæ non uniuntur ſecundum eſſe in & entitativum; ſub iſto quippe reſpectu ſunt una & eadem res: porro ens ſeu natura aliqua non dicitur ſibi ipſi uniri, cum unio inter multa diſtincta reperiatur; ſed neque conjunguntur ſecundum eſſe ad, & reduplicative ut perſonæ; enimvero ſub iſta conſideratione ſunt ſolummodo reſpectus relativi.

Ad confirmationem diſtinguo. Verbum Incarnatum facit compoſitionem cum his, concedo; compoſitionem ex his, nego. Prima compoſitio ſita eſt in terminatione alicujus naturæ: ſic ſubſiſtentia terminando naturam, facit cum illa compoſitionem; unde ſi ſit infinite perfecta, manet in ſe quod eſt, & quidem, omni ſecluſa imperfectione, ut ſubſiſtentia Verbi, quæ dat ſubſiſtere ſanctæ humanitati, nihil quippe ab ea recipit; ſi vero ſit ſubſiſtentia creata, recipitur in eſſentia, & ab ea limitatur, ita ut non poſſit communicari naturæ. Compoſitio ex his eſt partium unio quibus conſtat compoſitum, verbum autem non eſt pars humanitatis.

Objicies 3. Deus conſtat genere & differentia: igitur eſt compoſitio ſaltem logicalis in eo. Probatur antecedens. Deus convenit in aliquo cum creaturis, puta in ratione entis: differt vero ab illis, quia eſt ens a ſe; aſſeitas enim eſt ejus differentia. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. negando antecedens. Deus enim eſt ſupra genus & differentiam. Reſp. 2. diſtinguendo. Conſtat genere & differentia ſecundum noſtrum concipiendi modum, quatenus divina ut creata apprehendimus, concedo; cum fundamento in re, nego; ad probationem diſtinguo: Similiter Deus convenit & differt a creaturis ſecundum mentem noſtram, concedo; proprie, ita ut differentia ſit in ipſo aliud a genere, nego. Immo rigoroſe loquendo non convenit, ſed omnimode differt a nobis; etenim Deus eſt formaliter ens a ſe: unde non poteſt abſtrahi aſſeitas a Deo; alias non conciperetur ut Deus.

Inſtabis. Eſſentia divina concipitur ut perfectibilis a ſapientia & aliis attributis: namque concipitur aliquid majus, quando concipitur cum bonitate, clementia,

tia, quam cum concipitur ſola: igitur in Deo eſt compoſitio ex genere & differentia.

Reſpondeo diſtinguendo. Concipitur perfectibilis quoad nos, concedo; quoad ſe, nego. Quando igitur Deus concipitur cum attributis, profecto non concipitur ut quid magis perfectum, niſi materialiter & extrinſece. Et vero ſicut conceptus eſſentiæ divinæ implicite dicit omnes perfectiones, illaſque connotat; alias non foret conceptus rei infinitæ: ita conceptus ſapientiæ ut divinæ, connotat implicite eſſentiam divinam & alia attributa; quippe quæ dicat entitatem & formam infinite perfectam.

Urgebis. Compoſita meliora ſunt ſimplicibus: ergo cum Deus ſit ens perfectiſſimum, erit & compoſitus.

Reſpondeo diſtinguendo. In creatis quæ habent eſſe ab alio, concedo; unde quando creaturæ habent plures & majores partes, utique ſunt magis perfectæ, magis ſolidæ; in divinis vero ubi ens ſimplex eſt omnia, nego. Immo ſi Deus haberet partes, non eſſet ens a ſe, non ens divinum & primum, quia partes compoſiti ſunt ipſo compoſito priores, inquit Divus Thomas hic q. 3. a. 3.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus nullam in ſe admittit compoſitionem nequidem logicalem.

Primo. Exod. 3. habetur: *Ego ſum qui ſum*; igitur eſt ſimpliciſſimus: ita definivit Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III.

Secundo. Patres dicunt Deum non habere ſapientiam, bonitatem, &c. ſed eſſe ipſam bonitatem, ſapientiam; unde nihil illi advenit, & ideo nulla in eo eſt compoſitio.

Tertio. Non eſt in Deo compoſitio phyſica, ex materia ſcilicet & forma: nulla quippe materia in Deo reperiri poteſt... non metaphyſica ex eſſentia & exiſtentia, ſiquidem eſt ſuum eſſe: non logicalis ex genere & differentia; non enim concipi poteſt ſaltem cum fundamento in re, ut perfectibilis, quippe qui omnem habeat in ſe perfectionem.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD FUNDAMENTA CONTRARIÆ SENTENTIÆ.

Primo. Quidam inter Patres dicunt accidens Deo advenire, puta vindictam, juſtus quippe ex nobis, inquit Aug. ſed hoc intelligi debet extrinſece & materialiter, quatenus peccator materiam vindictæ ſua culpa ſubminiſtrat: aſt Deus in ſe eſt ab æterno juſtus omni juſtitia etiam vindicativa, quatenus ejus ſanctitas vim habet ab æterno propellendi ſuum contrarium, nempe peccatum.

Secundo. Dices: Conceptus bonitatis advenit conceptui ſapientiæ: ſed cito reſpondemus hoc fieri non propter perfectiones in Deo, aut realiter, aut formaliter, ex natura rei in Deo diſtinctas; ſed potius ex infirmitate intellectus creati qui diverſis conceptibus divinam ſibi repræſentat eſſentiam.

Tertio. Qui concipit Deum ut bonum & ſapientem, aliquid perfectius profecto concipit, quam ſi Deum tantummodo ut bonum contemplando exprimeret: ergone Deus eſt perfectibilis, & venit in compoſitionem? minime: hoc quippe totum ſe tenet ex parte noſtri, non Dei, qui in ſe ſimpliciſſimus eſt: igitur compoſitio illa logicalis conficta eſt tantummodo formalis & per mentem, nuſquam vero objectiva: nullum quippe ineſt pro illa compoſitione fundamentum ex parte objecti.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA
DE
PERFECTIONIBUS DEI,
contra blaſphemantes Deum.

SOCINIANI negant Deum eſſe infinitum & immutabilem.

Valentiniani, & *Gnoſtici* putabant Deum eſſe ſolum in ſupremo cœlo.

Manichæi audebant dicere dari Deum malum & imperfectum, ſeu primum principium mali; ſed contra quod dicit Chriſtus Matth. 5. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater cæleſtis perfectus eſt.* Hoc dogma fidei, nempe quod Deus ſit perfectiſſimus, quatuor probatur mediis.

Primo. Quia Deus eſt ſanctus.

Secundo. Quia eſt infinitus in bonis quæ poſſidet.

Tertio. Quia eſt immutabilis.

Quarto. Quia eſt immenſus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus ſit ſanctus.

CONCLUSIO.

Deus eſt ſanctus in ſe, & in omnibus operibus ſuis.

Probatur multipliciter.

Primo. *Ex nominibus Dei quæ ſanctitatem important.*

PRIMUM nomen Exod. 3. v. 14. legitur: *Ego ſum qui ſum.* Idem eſt ex Damaſceno l. 1. de fide, c. 2. ac Pelagus ſubſtantiæ, hinc Bernardus ait ſer. 4. in Cant. „ Sane eſſe omnium dixerim Deum, „ non quod illa ſint quod eſt ille; ſed „ quia ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt „ omnia. „ D. Thomas hic prima parte, q. 9. a. 1. dicit iſtud nomen dicere perfectionem infinitam. Porro perfectio infinita eſt ipſa ſanctitas, quæ nihil aliud eſt quam perfectionum omnium pelagus.

Secundum eſt, *Deus*: Nomen iſtud idem ſonat ac videns & ſancte gubernans. Ita Dionyſius l. de divinis nominibus, c. 12. " Quæ omnia videt Providentia. „ Unde Habac. 1. 23. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

Tertium: *Tetragrammaton*, quod Hieronymus ineffabile, Damaſcenus ineloquibile, Theodoretus indicibile appellant, propter eminentiam naturæ Dei quam importat: ita D. Thomas hic q. 13. a. 11. ad primum. Porro iſtud nomen tam altam exprimit ſubſtantiam, ut illa ſit omnino & ſingularis & Deo propria. Hinc Pſal. 34. v. 10. habetur: *Domine, quis ſimilis tibi?* Et iterum Pſal. 94. *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram, a ſolis ortu uſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris ejus.* Et adhuc Pſal. 112. *A ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini.* Et ipſa Deipara S. Luc. v. 49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Ita ſacrum iſtud nomen apud Hebræos habebatur, ut præ reverentia nequidem *illud* pronuntiare auderent.

Octo alia Dei nomina affert Hieronymus epiſt. ad Marcellam, ſcilicet: *El*, Deus fortis: *Eloha*, Deus gubernator: *Elohim* in plurali, ideſt, Judices, ut denotetur omne judicium, omnem ſapientiam & ſcien-

ſcientiam eſſe in Deo, ad ponderanda hominum facta: *Elion*, excelſus: *Adonai*, Dominus: *Adonai Sabaoth*, Dominus exercituum: *Ja*, ſupremus Numen: *Sadai*, ſibi ſufficientiſſimus, & in alios exuberans.

Ex his omnibus ſic argumentor: Nomen explicat rei naturam; ſed nomina Dei omnem dicunt perfectionem, nimirum quod ſit a ſe, quod gubernator, quod providens, quod ſuper omnia, quod fortis, quod ſupremum Numen, quod ſibi ſufficientiſſimus ſit Deus: ergo & ſanctiſſimus; ſanctitas quippe omne bonum importat, malum vero & excludit & propellit.

Secundo. Ex Scriptura utriuſque Teſtamenti.

Primo. *Ex veteri*.

Habetur Levitici 7. v. 44. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Joſue 24. v. 10. *Deus enim ſanctus & fortis* 2. Reg. c. 2. v. 3. *Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus*. Eccleſiaſtici 46. v. 6. *Magnus, ſanctus Deus*. Iſaiæ 6. v. 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria ejus*. Jerem. 2. v. 3. *Sanctus Iſrael Dominus*. In Oratione Abacuc. v. 3. *Deus ab auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*; igitur Deus eſt ſanctus, immo in ſanctitate magnificus, juxta illud Exod. 15. *Vir magnificus in ſanctitate*. Pſal. 144. *Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt*. Ergo, &c.

Secundo. *Ex novo Teſtamento*.

Marci 1. *Scimus quia Sanctus Dei es*. Actuum 15. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*. Ibid. 19. v. 6. *Venit Spiritus Sanctus ſuper eos*. 1. Joan. 3. v. 3. *Qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*. Apocalypſis 3. v. 7. *Hæc dicit ſanctus & verus*. Ibidem 4. v. 8. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus omnipotens qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*.

Tertio. *Ex Patribus*.

S. Auguſtinus l. medit. c. 29. enarrat omnes ſanctitatis dotes, & quidem Deo maxime convenientes his verbis: " O „ ſumme optime, *inquit ad Deum*, omnipotentiſſime, miſericordiſſime, pulcherrime & fortiſſime, ſtabilis, incomprehenſibilis, inviſibilis omnia videns, „ immutabilis omnia mutans, immortalis, „ inlocalis, interminus, incircumſcriptus, „ nuſquam finitus, inæſtimabilis, ineffabilis, inſcrutabilis, immotus omnia „ movens ... nunquam novus, nunquam „ vetus, innovans omnia, & in vetuſtatem deducens ſuperbos, & neſciunt, „ ſemper agens, ſemper quietus, colligens & non agens, omnia portans ſine onere, omnia implens ſine incluſione, omnia creans, protegens, nutriens & proficiens, quærens cum nihil „ deſit tibi: amans nec æſtuans, zelans „ & ſecurus es: pœnitet te & non doles: iraſceris & tranquillus es: opera „ mutas, ſed non conſilium: recipis quod „ non invenis, & nunquam amiſiſti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam „ avarus, & uſuras exigis: Deus es ſine „ qualitate, & ideo vere & ſumme bonus. „ Et c. 32. " Deus vera & ſumma vita, per quem, in quo vivunt omnia. „ Et c. 33. " Qui novit te, novit „ veritatem & æternitatem. „ & capite 34. " Guſtate & videte quoniam „ ſuavis eſt Dominus, beatus vir qui ſperat in eo. „ Et iterum ſoliloq. c. 13. " „ Lux a quo omnis lux .... lux ſupra „ quam cæcitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non „ obſcurant, quam nulla obſtantia claudit. „ Igitur ex S. Auguſtino Deus eſt omni perfectione refertus, adeoque ſanctiſſimus; ſanctitas enim in virtutum & perfectionum omnium aggregatione tota ſita eſt.

D. Bernardus de gratia Dei, ſerm. 3. " „ Nemo, *inquit*, ſanctus, nemo bonus, „ nemo juſtus, niſi ſolus Deus .... quia „ per ſe eſt bonus. „ Et ſermone ſecundo „ ſuper *Salve Regina*. " Deus virtutum „ & ſcientiarum fons .... Quid tam diverſum, quam unum & omnia? Sono diverſum, re unum, diverſum pronuntiatione, unum identitate. Deus ergo „ omne bonum & ſummum bonum, etiam „ dulcedo, & dulcedinis genus generaliſſimum. *Qui edunt me, adhuc eſurient*, „ inquit, *& qui bibunt me adhuc ſitient*. „ Ergo &c.

Quarto. *Ex Dei pulchritudine.*

Ille eſt ſanctus, immo & ſanctiſſimus, qui eſt pulcherrimus, ſiquidem pulchritudo interior & exterior ad ſummam conſequitur ſanctitatem: atqni Deus eſt pulcherrimus: ergo & ſauctiſſimus Probatur minor multipliciter.

1. quidem. Pulchritudo conſiſtit in bonorum omnium apparatu; Deus autem habet omnem bonitatem, juxta illud Exod. 33. v. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Et Pſal. 118. v. 68. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas.* Rurſus Chriſtus Lucæ 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Unde Origenes l. 6. contra Celſum, ſic loquitur: " Cum vero Deus ſit ,, ipſum bonum. ,, Hilarius l. 3. de Trin. " Non aliunde de Deo, quod eſt ſumens, ſed ad id quod ita manet, ,, ſibi ipſe ſufficiens. ,, S. Auguſtinus epiſt. ,, 54. Nullius participatione bonus eſt, ,, quoniam bonum, quo bonus eſt, ipſe ,, ſibi eſt. ,, Bernard. ſuffragatur ad Fratres de monte Dei. " Ipſe in ſemetipſo ,, eſt, quidquid in eo amabile eſt, qui eſt ,, totum quod eſt. ,,

2. *Pulchritudo* eſt omnium perfectionum ineffabilis varietas: hæc utique relucet in Deo, & ſequitur ad bonorum omnium glorioſam ſupellectilem: ſcriptum eſt enim Pſal. 41. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Et iterum Pſ. 49. *Ex Sion ſpecies decoris ejus.* Item Matth. 5. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Quæ verba explicans Ambroſius 3. Officiorum, c. 2. ait: " Aliter ,, Deum dicimus, aliter hominem ... ,, Deus autem juſtus per omnia, ſapiens ,, ſuper omnia, perfectus in omnibus. ,, Hieronymus collatione 829. in dialog. 1. contra Pelagianos: " Duas, *inquit*, in ,, ſanctis Scripturis eſſe perfectiones, ,, duaſque juſtitias & duos timores: pri- ,, mam perfectionem & incomparabilem ,, veritatem, perfectamque juſtitiam Dei ,, virtutibus coaptandam, &c. .. ,, S. Auguſtinus tractatu 7. in Joan. " Si fue- ,, ris ſine Deo, minor eris; ſi fue- ,, ris cum Deo, major Deus non erit: ,, non ex te ille major, ſed tu ſine illo mi- ,, nor; reficieris, ſi acceſſeris; deficie- ,, ris, ſi non acceſſeris. ,, Ergo, &c.

3. *Pulchritudo* ex D. Thoma conſiſtit in modo, ſpecie & ordine, & hæc reperitur in Deo ſicut in primo fonte a quo omnia pulchra ſunt; hinc Pſal. 49. *Ex Sion ſpecies decoris ejus.* Cant. 1. *Ecce pulcher & dilecte mi, & decorus.* Sapientiæ 13. v. 3. loquens Salomon de aſtris & elementis quæ magni faciebant Idololatræ, ait: *Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt.* Dionyſius de divinis nominibus, c. 4. ait: " Ex hoc pulchro, ſcilicet ,, Deo, omnibus quæ ſunt, ſuppetit eſſe. ,, Simile effatur Hilarius l. 1. de Trin. " ,, De magnitudine, *inquit*, operum & ,, pulchritudine creaturarum, conſe- ,, quenter generationum conditor conſ- ,, picitur ... atque ita pulcherrimus Deus ,, eſt confitendus, ut neque intra ſenten- ,, tiam ſit intelligendi, neque extra in- ,, telligentiam ſentiendi. ,, S. Auguſtinus non in uno ſolum loco mirabilem hanc pulchritudinem prædicat, in primis l. Medit. 32. ait: ,, Deus bonum & pulchrum, ,, a quo, & per quem, & in quo bona ,, & pulchra ſunt omnia quæcunque bo- ,, na & pulchra ſunt. ,, Rurſus l. 10. Confeſſ. c. 27. Deum ſic alloquitur: " Se- ,, ro te amavi, pulchritudo tam antiqua ,, & tam nova, ſero te amavi. ,, Et ite- ,, rum tract. 9. in 1. epiſt. Joannis: " Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, aman- ,, do Deum pulchra efficitur. Qualis eſt ,, qui reddit pulchrum amantem? ama- ,, vit nos prior qui ſemper eſt pulcher; ,, & quales amavit niſi fœdos & deſor- ,, mes? non ut fœdos dimitteret, ſed ut ,, mutaret: quantum in te creſcit amor, ,, tantum in te creſcit pulchritudo, quia ,, ipſa charitas eſt animæ pulchritudo. ,, Hilarius loco ſupra citato, probat pulchritudinem univerſi conſiſtere in partium unione & harmonia, ex quo fit, inquit, quod ſit pulcherrimus: ſed Deus factor ſuper omnia pulcherrimus eſt: ergo, &c.

4. *Pulchritudo* ex S. Auguſtino enarratione in Pſal. 44. " Summa juſtitia eſt. ,, In Deo autem omnis reperitur juſtitia. 1. quidem in ſe; cum enim omnia in ipſo ſint ſupra modum ordinata, & teſte S. Ambroſio juſtitia ut ſic, dicat omnium virtutum & perfectionum egregiam ſupellectilem, liquet juſtitiam reperiri in Deo perfectiſſime. 2. In Deo eſt juſtitia reſpective ad creaturas diſtributiva bo-

no-

norum, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ: in ordine quidem naturæ, quia unicuique largitur quod in quolibet ente exigit natura. Scriptum eſt enim Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et iterum Pſ. 110. v. 7. *Perfecta ſunt Dei opera.* Rurſus alia Scriptura Daniel. 3. v. 31. *Omnia quæ feciſti nobis, in vero judicio feciſti.* Et adhuc Pſal. 118. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Tum in ordine gratiæ, juxta illud Auguſtini de Deo effatum: " Erat condens naturam, & „ largiens gratiam. „ Unde Matth. 19. v. 29. *Qui reliquerit domum, fratres aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Primus gradus juſtitiæ diſtributivæ bonorum eſt ens: Secundus, anima vegetans: Tertius, ſenſitiva: Quartus, rationalis: Quintus, ens Angelicum: Sextus, beatitudo: Septimus, unio hypoſtatica. Omnia igitur bona quæ hominem conſtituunt juſtum & pulchrum, a Deo promanant, juxta illud Rom. 7. v. 35. *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Et 1. Paralip. 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Aug. l. 1. Conf. c. 4. Deum ſic alloquitur: " Quis „ habet quicquam non tuum? Reddis de„ bita nulli debens, donas debita, nihil „ perdens. „ Eidem veritati ſuffragatur Bernard. l. de diligendo Deo, c. 3. " Si „ totum me debeo pro me facto, quid red„ dam jam & pro refecto? „ 3. Eſt juſtitia in Deo diſtributiva pœnarum pro malis perpetratis, 5. Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Et Rom. 12. v. 19. *Mihi vindicta & ego retribuam.* Hinc Bernardus in gradibus humilitatis ſic loquitur: " Naſcimur, morimur, „ ideoque naſcimur morituri; quia prius „ morimur naſcituri; propterea grave ju„ gum ſuper filios Adam. „ Et iterum ſerm. 1. Epiph. " Sicut benignitas appa„ ruit ultra omnem ſpem, ultra omnem „ æſtimationem, ſimilem expectare poſ„ ſumus judicii diſtinctionem. „

5. *Pulchritudo divina* conſiſtit etiam in miſericordia. Et vero nihil magis deforme eſt quam nihilum: miſericordia autem educit creaturam a miſeria tum naturæ, tum peccati, tum etiam pœnæ peccato debitæ: talis eſt miſericordia Dei; & probatur 1. ex illo Pſal. 118. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Et Pſal. 144. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* 2. Corinth. 1. v. 3. *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* 2. ex Divo Bernard. ſerm. 5. " Recte non Pater judi„ ciorum vel ultionum dicitur, ſed Pa„ ter miſericordiarum, eo quod miſeren„ di cauſam & originem ſumat ex pro„ prio, judicandi vero vel ulciſcendi ma„ gis ex noſtro. „ Relucet ubique miſericordia Dei: relucet 1. in omnibus creaturis, quandoquidem eas produxit Deus, & eduxit e nihilo, juxta illud Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* 2. Relucet ſpecialiter in homine innocente. Ibidem v. 26. habetur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* 3. Relucet in homine lapſo Rom. 5. v. 15. *Si unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia in plures abundavit.* Et quidem multifarie relucet, 1. *Diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Sapientiæ 7. Et eſt miſericordia quæ immutat cor ad pœnitentiam. Scriptum eſt enim Oſee 7. v. 20. *Dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent.* Et alia Scriptura Proverb. 23. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* " O mira „ pietas! *inquit Chryſologus ſerm.* 108. „ quæ, „ ut largiatur, exorat; rogat „ Deus, qui non tam Dominus vult eſ„ ſe, quam Pater. „ Eſt etiam miſericordia quæ dat perſeverantiæ donum, juxta illud Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Eſt quæ præmiat & coronat ſervos. Matth. 29. *Venite*, inquit Chriſtus, *benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Eſt quæ præſervat a malo, *Miſericordiæ Domini*, inquit Jeremias Thr. 3. 22. *quia non ſumus conſumpti.* 4. Relucet in Juſto quoad protectionem, juxta illud Pſal. 80. v. 15. *Cum ipſe ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* 5. Relucet etiam in Beatis miſericordia, Pſal. 102. v. 4. *Qui coronat te in miſericordia.* Et Pſal. 35. v. 5. *Domine, in cœlo miſericordia.* 6. Relucet in unione hypoſtatica, qua natura noſtra ſublimatur in conſummationem: hinc Zacharias Pater S. Joannis-Baptiſtæ, Lucæ 1. v. 7. ait: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* 7. Apparet in Deo qui eſt ipſa miſericordia, 2. Co-

rinth. 1. v. 3. *Pater miſericordiarum & totius conſolationis*, inquit Apoſtolus. Quem videre ſolum, eſt vita æterna, ipſo Chriſto dicente Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum.* Et hæc pulchritudo eſt ſanctitatis perfectiſſimus gradus, cum faciat homines cœleſtes, liberando eos a malo, tum culpæ, tum pœnæ; unde Propheta Pſal. 91. v. 5. ait: *Magnificata ſunt opera tua, Domine.* Et Pſal. 144. v. 9. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Et iterum pſal. 114. 5. *Miſericors Dominus & juſtus, & Deus noſter miſeretur.* Ambroſius de Orat. in obitu Theodoſii illum ſic interpretatur locum: " Bis, *inquit*, miſericordiam poſuit, „ ſemel juſtitiam; in medio juſtitia eſt „ gemino ſepto incluſa miſericordiæ. „ Jam vero quis in miſericordia tanta ineffabilem non concipiet ſanctitatem? nemo quippe ad propellendum tum culpæ, tum pœnæ malum miſericors eſt, niſi & ſanctiſſimus: nec mirum, miſerendo juſtificat peccatorem.

Quinto. *Ex impeccabilitate Dei.*

Sanctitas maxime probatur per impeccabilitatem, quandoquidem peccatum opponitur ſanctitati: quod autem Deus ſit impeccabilis, multipliciter demonſtratur.

Primo. *Ex Scriptura ſacra.*

Habacuch. 1. v. 13. habetur: *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Rurſus Pſalm. 9. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Et Pſal. 5. v. 6. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Et iterum Prov. 6. v. 16. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus; oculos ſublimes, linguam mendacem, &c.* . . Certe qui reſpicere ad iniquitatem non poteſt, qui odit malum & malos, eſt impeccabilis & ſanctiſſimus: atqui talis eſt Deus, ergo, &c.

Secundo. *Ex Patribus.*

Tertullianus l. 1. contra Marcionem c. 26. de Deo ſic loquitur: " Non alias „ autem plene bonus ſit, niſi mali æmu„ lus. „ Gregorius Nyſſenus Catech. c. 1. ſic exaltat Dei impeccabilitatem: „ Cum autem omnia poſſit Verbi libera „ voluntas, ea nullam ad malum pro„ penſionem habet. „ Cui quidem veritati pariter ſubſcribit S. Aug. l. 1. contra Julianum, c. 18. dicens Deum eſſe mali incapacem, quia peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem; defectus autem in Deum cadere non poteſt. " Nulla natura, *inquit Aug.* in quan„ tum natura eſt, malum eſt; ſed quia „ deficit a natura quæ ſummum atque in„ commutabile bonum eſt. „ Ergo, &c.

Tertio. *Ex puritate Legis divinæ.*

Hæc præcipit bonum, & prohibet malum, juxta illud Pſal. 36. v. 7. *Declina a malo, & fac bonum.* Hæc præmiat bonos Pſal. 33. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Hæc eadem punit malos, Apocal. 18. v. 17. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Hinc ſequitur Pſal. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Denique Deus, ut habetur 2. ad Tim. 2. 13. negare ſeipſum non poteſt: ſi autem poſſet peccare, utique poſſet & ſeipſum negare. Quare vero ſeipſum negare non valet, ea potiſſimum ratio aſſignatur, quia eſt ipſa & bonitas, & juſtitia & veritas. Igitur Deus impeccabilis eſt, adeoque & ſanctiſſimus.

Quarto. *Ex rationibus Theologicis.*

Prima aſſertur a Divo Thoma 2. 2. q. 80. a. 8. Aliquid poteſt, inquit, dici ſanctum tripliciter: 1. Ratione munditiæ, agios enim, idem eſt ac ſine terra; unde ſanctitas dicitur ab omni labe immunitas. 2. Pro ſtabili ſirmitate in bono; dicitur enim ſanctum, quaſi lege ſancitum. 3. Pro ſumma unione & attentione ad res cœleſtes; ſed hæc omnia reperiuntur in Deo, ut in primo fonte; primum quidem, eſt enim actus purus & ſimpliciſſimus, adeoque mundiſſimus; immunditia quippe ex compoſitione entis impuri cum mundo exurgit: ſecundum utique; non enim habet, inquiunt Patres, ſapientiam, juſtitiam, ſed eſt ipſa ſapientia infinita,

ipſa

Digitized by Google

ipſa juſtitia incommutabilis: quid firmius? Tertium denique, eſt enim purus ſpiritus, & finis omnium. Igitur eſt Sanctiſſimus, Sanctus Sanctorum, & Sanctus in omnibus operibus ſuis.

Secunda ſic exponitur: Sanctitas eſt inclinatio ad bonum, & virtutis exercitium; ſed Deus eſt ipſe ſummum bonum, & Dominus virtutum: igitur & ſanctiſſimus.

Tertia: Sanctitas eſt ordinatio omnium actionum ad finem debitum; ſed Deus ipſe eſt finis omnium: igitur & ſanctiſſimus.

Quarta: Sanctitas eſt omnium motuum, tum interiorum, tum exteriorum concordia; ſed nulla eſt paſſio in Deo, omnia quippe in eo ſunt Deus, ſunt veritas, ſunt ſapientia: igitur eſt ſanctiſſimus.

Quinta: Sanctitas eſt illibata ab omni peccato integritas; ſed Deus non poteſt peccare; neminem enim lædere poteſt, cum non habeat ſuperiorem: igitur eſt ab omni labe purus & ſanctus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES. Manichæorum.

Objiciunt 1. Ille non eſt ſanctus qui eſt cauſa peccati: atqui talis videtur eſſe viſibilium Creator, juxta illud 2. Corinth. capite 4. *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*. Igitur eſt cauſa peccati, videlicet obcæcationis, quæ inter peccata ſane maximum eſt.

Reſpondeo 1. diſtinguendo. Et ibi eſt vocis tranſpoſitio, concedo; & non eſt, nego. Vox, *hujus ſæculi*, referri debet ad iſta verba, *mentes infidelium*, & hunc proinde ſenſum perficiunt, *Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſæculi*. Ita Iræneus explicans locum Apoſt. l. 3. adverſus hæreſes, c. 7.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo. Et per voces, *Deus ſæculi*, non intelligitur Deus Creator omnium, ſed diabolus, concedo; & intelligitur Deus, nego. Jam vero per hæc verba intelligitur Satan, qui tentationibus & ſuaſionibus excæcat mentes. Ita colligitur ex D. Aug. qui l. 21. contra Fauſtum, cap. 9. ait: " Ubi etiam ſi
„ quis diabolum intellexerit excæcare
„ mentes infidelium, non negamus malis
„ ſuaſionibus, quibus qui conſentiunt, juſtitiæ lumen amittunt, Deo retribuente, quod juſtum eſt.

Reſpondeo 3. iterum diſtinguendo. Obcæcatio eſt a Deo permiſſive, & ad punitionem peccati, concedo; poſitive, nego. Hanc ita ſolvit objectionem Tertullianus l. 2. adverſus Marc. pag. 464. Edit. Pariſ. ann. 1634. " Aut proba ea inju-
„ ſta, *inquit*, Marcioni, ut probet ma-
„ litiæ deputanda, id eſt, injuſtitiæ ma-
„ la; quia ſi juſtitiæ erunt, jam mala non-
„ erunt, ſed bona: malis tantummodo
„ mala; quibus etiam directe bona pro ma-
„ lis damnantur. Conſtitue injuſte homi-
„ nem divinæ Legis voluntarium contem-
„ ptorem id retuliſſe, quo voluit caruiſ-
„ ſe. Injuſte malitiam ævi illius imbri-
„ bus, dehinc & ignibus cæſam; injuſte
„ Ægyptum fœdiſſimam, ſuperſtitioſiſſi-
„ mam amplius hoſpitis populi conflictatri-
„ cem, decemplici caſtigatione percuſſam:
„ indurat cor Pharaonis; ſed meruerat in
„ exitium ſubminiſtrari, qui jam negave-
„ rat Deum, qui jam Legatos ejus toties
„ ſuperbus excuſſerat, qui jam populo la-
„ borem operis adjecerat poſtremo, qui
„ Ægyptius olim Deo reus fuerat gen-
„ tilis idololatriæ, Ibin & crocodilum ci-
„ tius colens quam Deum vivum. Im-
„ pedit & ipſum populum, ſed ingra-
„ tum: immiſit & pueris urſos, ſed irre-
„ verentibus in Prophetam. Juſtitiam er-
„ go primo Judicis diſpice, cujus ſi ratio
„ conſtiterit, tunc & ſeveritas; & per quæ
„ ſeveritas decurrit, rationi & juſtitiæ
„ reputabuntur. „ Cæterum, *Deus intentator malorum eſt*, inquit B. Jacobus. Solutio eſt etiam S. Auguſtini, qui ibidem c. 9. ſic loquitur: " Perturbati homines
„ non intelligunt in uno eodemque opere
„ malo, non poſtea conſequente alia quæ
„ manifeſta erit, ſed quadam continuo co-
„ mitante vindicta, aliud venire de aſtu-
„ tia ſuadentis, aliud de nequitia volen-
„ tis, aliud de juſtitia punientis; cum dia-
„ bolus ſuggerit, homo conſentit, Deus
„ deſerit. „ Et antea c. 2. " Poteſt etiam
„ talis operatio qua excæcantur mentes In-
„ fidelium, ſecundum quemdam modum
„ pertinere ad verum Deum, quod non
„ facit malitia, ſed juſtitia. „

Objiciunt 2. Deus præcipit fornicationem Oſee, c. 1. *Vade*, inquit, *ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*. Igitur non videtur ſanctus.

Reſpondeo diſtinguendo. Præcipit Oſee Deus ſumere in uxorem mulierem quæ

for-

fornicata fuerat, ut ad melius vitæ inſtitutum revocata, vocationem Gentilium per Chriſtum præfiguraret, concedo; præcipit fornicari cum illa, nego. Juſſu autem Dei huic mulieri legitimo matrimonio junctus eſt Oſeas. Ita Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 31. reſpondet Manichæis, " Quid enim adverſum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix, relicta fornicatione, in caſtum conjugium commutetur? Et quid tam incongruum & alienum a fide Prophetæ, quam ſi non crederet omnia peccata impudicæ dimiſſa eſſe in melius commutatæ? Itaque cum meretricem Propheta fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri conſultum eſt, & figuræ Sacramentum, de quo mox loquemur, expreſſum. "

Objiciunt 3. Deus Exod. 11. v. 2. præcipit Hebræis fraudem & rapinam, ſcilicet ſpoliare Ægyptios: ergo, inquiunt, revera Deus præcipit peccatum: ergo non eſt ſanctus & bonus.

Reſpondeo negando Deum præcepiſſe fraudem & rapinam. Unde ad probationem diſtinguo. Deus imperavit Judæis ſpoliare Ægyptios, nedum ut retentam laboris mercedem recuperarent, verum etiam ut puniret Ægyptios, qui auro & argento abutebantur tum in idolis fabricandis, tum in iiſdem colendis, concedo; præcepit fraudem reduplicative ut peccatum, nego. Solutio eſt Tertulliani, qui lib. 2. adverſus Marcionem pag. 469. edit. Pariſienſ. 1634. ſic loquitur: " Repoſcunt Ægyptii Hæbræis vaſa aurea & argentea, contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorumdem Patrum nomine ex eodem Scripturæ inſtrumento mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervitutis pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis ædificatis. "

S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 71. ſic reſpondet: " Carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus; Ægyptii vero ſacrilegi & iniqui; nam & illo auro male utentes, ad Creatoris injuriam, idolis ſuis ſerviebant, & homines peregrinos labore gratuito injuſte ac vehementer afflixerunt. Digni ergo erant & iſti quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur. "

Objiciunt 4. Deus videtur ſibi contrarius & falſa loqui: ergo, &c. Probatur antecedens. Prohibet operari ſabbato, & tamen Arcam Teſtamenti circumferri jubet die ſabbati in expugnatione Urbis Jericho, ut habetur Joſue 6. Prohibet fieri ſimulacra, & tamen imperat Moiſi ſabricare & erigere ſerpentem æneum; denique num. 21. præcipit ſacrificia fieri, quod eſt imitari idololatras. Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem diſtinguo. Et circumferre Arcam Teſtamenti non erat opus ſervile, ſed cæremonia quædam ſacra ad manifeſtationem virtutis Dei, ut timerent gentes nomen ejus, concedo: ſic Chriſtus etiam opus charitatis patravit ſabbato, ſanando paralyticum; & erat opus ſervile, nego. Ita Irenæus l. 4. adverſus hæreſes, cap. 18. " Continere, *inquit*, ſe jubebat eos Lex ab omni opere ſervili, ideſt, ab omni avaritia, quæ per negotiationem, & reliquo actu terreno agitatur; animæ autem opera quæ fiunt per ſententiam & ſermones bonos in auxilium eorum qui proximi ſunt, adhortabatur fieri, & propter hoc Dominus arguebat eos qui injuſte exprobrabant, & quia ſabbatis curabat; non enim ſolvebat, ſed adimplebat Legem, Summi Sacerdotis opera faciens, propitians pro hominibus Deum. " Idem dicit Tertul. l. 2. contra Marcion. p. 469. & addit: " Arcam vero circumferre, neque quotidianum opus videri poteſt, neque humanum, ſed & rarum & ſacroſanctum, & ex ipſo tunc Dei præcepto utique divinum. " Cæterum Deus eſt auctor Legis, unde poteſt in ea diſpenſare quos vult, & quando vult, & quomodo vult.

Ad ſecundum diſtinguo. Juſſit Dominus ſerpentem elevari, tanquam Filii ſui incarnandi imaginem, & ad remedium ægrotorum per fidem in Chriſtum, concedo; elevari tanquam idolum adorandum, nego. Ita Tertull. l. 2. contra Marcion. pag. 470. " *Non adorabitis ea, neque ſervietis illis*. " Serpentis autem ænei effigies poſtea præcepta Moiſi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad redimendum eos qui a ſerpentibus infeſtabantur. Sic & Cherubim & Seraphim aurea in arce figuratum exem-

„ plum

„ plum ... accommodata ſuggeſtui, lon-
„ ge diverſas habendo cauſas ab idolola-
„ triæ conditione, ob quam ſimilitudo pro-
„ hibetur, non videntur ſimilitudinum
„ prohibitarum Legi refragari. „

Ad tertium diſtinguo pariter. Deus præcipit ſacrificia pro bono fine, & ad exhibendum debitum ſibi cultum, concedo; ad cultum ſuperſtitioſum, ut faciebant idololatræ, nego. Solutio eſt Tertulliani l. 2. contra Marcionem, pag. 467.

Opponunt 5. Inconſtantia & ignorantia paſſim dicuntur & prædicantur de ſupremo Numine: ergo non videtur Deum eſſe ſanctum. Probant antecedens Jonæ 3. v. 10. *Miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit*. Item Gen. 3. v. 10. *Adam ubi es*? Denique modo unum eligit, modo eundem reprobat, ut Saulem. Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad primum diſtinguo. Pœnituit Deum metaphorice & improprie, concedo; proprie, nego. Scriptura quippe loquitur, ut ſeſe noſtro concipiendi modo accommodet; hoc enim, inquit Tertull. lib. 2. contra Marcionem, cap. 24. ex levitate non proceſſit. “ Non enim ſi hominem ex re-
„ cordatione plurimum delicti, interdum
„ & alicujus boni operis in gratia pœni-
„ tet; ideo & Deum proinde, in quan-
„ tum enim Deus nec malum admittit,
„ nec bonum damnat, in quantum nec pœ-
„ nitentiæ boni & mali apud eum locus
„ eſt. „ Rurſus pag. 471. “ Sic & pœ-
„ nitentiam apud illum prave interpreta-
„ ris, quaſi proinde mobilitate vel impro-
„ videntia, immo jam & delicti recorda-
„ tione pœnitet: quoniam quidem dixe-
„ rit, *Pœnituit quod Regem fecerim Saul*,
„ præſcribens ſcilicet pœnitentiam con-
„ feſſionem ſapere mali operis alicujus,
„ vel erroris: porro non ſemper. Evenit
„ enim in bonis factis pœnitentiæ confeſ-
„ ſio, ad invidiam & exprobrationem ejus
„ qui beneficii ingratus extiterit. Sicut &
„ tunc circa perſonam Saulis honorandam,
„ annuntiatur a Creatore, qui non deli-
„ querat, cum Saulem aſſumit in regnum,
„ & Sancto Spiritu auget: optimum enim
„ adhuc, qualis, inquit, non erat in filiis
„ Iſrael, digniſſime adlegerat. Sed nec
„ ignoraverat ita eventurum; nemo enim
„ te ſuſtinebit improvidentiam adſcriben-
„ tem Deo, ei, quem Deum non ne-
„ gans, confiteris & providum; hæc enim
„ illi propria Divinitas conſtat. Sed ma-
„ lum factum Saulis, ut dixi, onerabat pœ-
„ nitentiæ ſuæ profeſſione, quam vacan-
„ te delicto, circa Saulis adlectionem,
„ conſequens eſt invidioſam potius non
„ criminoſam. „

Denique, quid ſit in Deo pœnitere, ibidem ſic delineat pag. 472. “ Quis er-
„ go erit mos pœnitentiæ divinæ? jam
„ relucet, ſi non ad humanas conditiones
„ eam referas; nihil enim aliud intellige-
„ tur, quam ſimplex converſio ſententiæ
„ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione
„ ejus poſſit admitti etiam in homine,
„ nedum in Deo, cujus omnis ſententia
„ caret culpa. „

Ad aliud de inconſtantia momentum reſpondet ibidem Tertullianus, nequidem vel mutationis leviorem notam apparere in eo quod Deus eundem hominem modo approbet dum facit bonum, modo reprobet cum operatur iniquitatem; ſic enim etiam apud homines Lex ſtatuit & definit. Pag. 470. “ Si vero etiam circa
„ perſonas levem vultis intelligi, cum
„ reprobat aliquando probatos; aut im-
„ providum, cum probat quandoque re-
„ probandos, quaſi judicia ſua damnet præ-
„ terita, aut ignoret futura: atquin nihil
„ tam bono & Iudici covenit, quam pro
„ præſentibus meritis & rejicere & ad-
„ legere. Adlegitur Saul, ſed nondum
„ deſpector Prophetæ Sam uelis: rejicitur
„ Salomon, ſed jam a mulieribus alienige-
„ nis poſſeſſus, & idolis Moabitarum &
„ Sidoniorum mancipatus. „

Ad ſecundum diſtinguo ſimiliter. Deus vocavit Adam, ut confitentem haberet reum, & illi condonando parceret, concedo; vocavit quaſi neſciens ubi eſſet, nego. Sic reſpondet Tertull. l. 2. contra Mar. p. 472. “ Non incertus admiſſi,
„ *inquit*, neque ignarus loci: enimvero
„ oportebat conſcientiæ peccata delitеſ-
„ centem evocatum prodere in conſpe-
„ ctum Domini, non ſola nominis in-
„ clamatione, ſed cum aliqua jam tunc
„ admiſſi ſugillatione: nec enim ſimplici
„ modo, ideſt, interrogatorio ſono legen-
„ dum eſt, *Adam, ubi es*? ſed impreſſo,
„ & incuſſo & imputativo, *Adam, ubi*
„ *es*? ideſt, jam hic non es, ut & incre-
„ pandi & dolendi exitus vox ſit. „

Objiciunt 6. Ille non videtur ſanctus eſſe
qui

qui juſtitiæ leges non ſemel violavit: atqui Deus ſic ſe geſſit. Primo quidem erga Gentiles quos ab hæreditate expulit propria, ut terram Promiſſionis, ſicut juraverat, Judæis conferret. Secundo, imputat peccata parentum filiis ut plurimum innoxiis. Sic enim ſcriptum eſt Exodi 25. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem in filios.* Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo. Et Deus eſt univerſorum Dominus juxta illud Pſal. 23. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo*, concedo; & non eſt, nego. Nulli ſane facit injuriam univerſorum Dominus, cum ad nutum de bonis diſponit, quoniam ſua ſunt: cæterum, nec injuſtitiæ lues aliqua, etiam humanum juxta Jus, in retributione terræ Promiſſionis, populo Judaico apparet; quippe quæ eſſet hæreditas Judæorum, quia & Abraham, & Iſaac, & Jacob Patrum bona; unde Iſraelitæ expellendo Amorrhæos, Gebuſæos, aliaſque barbaras nationes, quæ ſua erant, recuperabant. Ita colligitur ex Geneſ. 48. 21. & 22. ubi Jacob moriens, ſuos ſic alloquitur filios: *Erit Deus vobiſcum, reducetque vos ad terram Patrum veſtrorum; do tibi partem unam quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.*

Ad ſecundam probationem diſtinguo. Deus punit ad tempus peccatum patrum in filiis, quia filii ſunt aliquid patris, & hoc etiam ad emendationem, nonnunquam ad terrorem, ne patris iniqui veſtigiis inſiſtentes reprobi fiant, concedo; punit in æternum, ſubdiſtinguo: ſi filii ambulent in via prava patrum ſuorum, concedo; ſi non ambulent, nego. Sic enim habetur Ezech. 18. *Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis... judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet.*

Mira dicit de hoc momento Tertull. l. 2. adverſus Marcion. p. 465. & ſic perſtringit Hæreticos qui auſu temerario Deum optimum blaſphemant. “ Nolite re-
,, prehendere Judicem, ſed revincite ma-
,, lum Judicem; nam & ſi patrum delicta
,, ex filiis exigebat, duriſſimi [illegible] li talia
,, remedia compulerat, ut vel p[illegible] tibus
,, ſuis proſpicientes, Legi divinæ obedi-
,, rent. Quis enim non magis filiorum ſa-
,, lutem, quam ſuam curet? ſed ſi & be-
,, nedictio patrum ſemini quoque eorum de-
,, ſtinabatur, ſine ullo adhuc merito ejus,
,, cur non & reatus patrum in filios re-
,, dundaret? ſicut gratia ita & offenſa...
,, quanquam ſi evangelium veritatis acci-
,, pias, ad quos pertineat ſententia red-
,, dentis in filios patrum delicta cognoſces,
,, ad illos ſcilicet qui hanc ultro ſibi ſen-
,, tentiam fuerant irrogaturi, ſanguis il-
,, lius ſuper capita noſtra & filiorum no-
,, ſtrorum. ,,

Objiciunt 7. Qui præcipit vindictam, neque bonus, neque ſanctus eſt: atqui Deus qui viſibilium dicitur Dominus, ſtatuit pro injuria vindictam, jubet dentem pro dente Lege Talionis convellere vel contringere: Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Deum nedum in nova, ſed etiam in antiqua Lege voluiſſe & præcepiſſe erga inimicos dilectionem; unde ſi quando pœnam Talionis induxit aut permiſit, ad correctionem potius quam ad paſſioni iræ excandeſcentis indulgendum voluit. Jam in forma facimus ſatis objectioni ſic diſtinguendo. Deus in veteri Lege pœnam Talionis permiſit ad emendationem, concedo; ad ſtimulandas iræ paſſiones, nego. Solutio eſt Tertulliani, ibidem pag. 467. editionis Pariſienſis 1634. “ Sed quæ, *inquit*, potius Le-
,, gis bona defendam, quam quæ hæreſis
,, concupiit; ut Talionis definitionem,
,, oculum pro oculo, dentem pro dente,
,, livorem pro livore repetentis? Non
,, enim injuriæ mutuo exercendæ li-
,, centiam ſapit, ſed in totum cohibendæ
,, violentiæ proſpicit; ut quia duriſſimo
,, & infideli in Deum populo longum vel
,, etiam incredibile videretur a Deo ex-
,, pectare defenſam, edicendam poſtea
,, per Prophetam mihi defenſam, & ego
,, defendam, dicit Dominus: interim com-
,, miſſio injuriæ metu, vicis ſtatim oc-
,, curſuræ repaſtinaretur; & licentia re-
,, tributionis, prohibitio eſſet provocatio-
,, nis, ut ſic improbitas aſtuta ceſſaret, dum
,, ſecunda permiſſa, prima terretur; &
,, prima deterrita, nec ſecunda committitur,
,, qua & alias facilior timor Talionis per
,, eundem ſaporem paſſionis. ,,

Inſtant. Atqui vindictam, velut paſſionis exceſſum permittere videtur Deus: ergo nulla ſolutio. Probatur. Si qua ratio

tio valet in contrarium, maxime ex eo quod ſicut peccati, ita & paſſionis iræ neſcius eſt Creator: atqui hoc ipſum veriſimile non apparet, quandoquidem ira de Deo paſſim prædicetur, ut iſtud Pſal. 94. 8. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*. Hinc & Propheta unum iſtud a Domino non ſemel petit Pſal. 6. 1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Ergo, &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, nego minorem. Ad ulteriorem probationem, diſtinguo. Ira dicitur effective, ſeu quoad effectum, juſtæ de peccatis hominum vindictæ, concedo; ſubjective, ita ut ſit quidam in Deo exceſſus, nego. Ira duplici ſumitur modo, videlicet pro paſſione judicium & rationem lædente, nonnumquam etiam abſorbente. 2. Pro punitione ſeu caſtigatione, quæ appellationem ſumit ab ira patris, qui excandeſcens adverſus filium malum, pœnis ejus compeſcit proterviam: iſto modo tantum eſt in Deo, videlicet appellatione, non proprietate. Ita Scripturam interpretatur Tertullianus ibidem l. 2. adverſus Marcion. pag. 474. " Miserandi vos quoque cum populo, qui Chriſtum non agnoſcitis in perſona Moiſi figuratum, Patris deprecatorem, & oblatorem animæ ſuæ pro populi ſalute. Sed ſufficit, ſi & Moiſi proprie donatus eſt populus ad præſens, quod ut famulus poſtulare poſſet a Domino, id Dominus a ſe poſtulavit. Ad hoc enim famulo dixit: *Sine me & diſperdam illos*; ut ille poſtulando, & ſemetipſum offerendo non ſineret; atque ita diſceres quantum liceat Fideli & Prophetæ apud Deum."

Rurſus inſtant. Malitia tribuitur ab ipſis Scripturis Deo: igitur ira de eo ſubjective dicitur. Probatur antecedens Jonæ 3. 10. *Pænituit Dominum de malitia quam dixerat facturum ſe Ninivitis*.

Reſpondeo diſtinguendo. Malitia tribuitur Deo objective, hoc eſt, pœnam pro malitiæ peccato ſtatuit, concedo; ſubjective & formaliter, nego. Hanc etiam propellit a Deo optimo calumniam Tertullianus ibidem pag. 471. his verbis: " Dicimus denique malitiam nunc ſignificari, non quæ ad naturam redigatur Creatoris quaſi mali, ſed quæ ad poteſtatem quaſi Judicis, ſecundum quam enuntiavit: Ego ſum qui condo mala, & ecce ego emitto in vos mala non peccatoria, ſed ultoria.... ita quod juſte deſtinaverat, non male deſtinans, ex juſtitia non ex malitia deſtinarat, ſed pœnam ipſam, malitiam nominavit ex malo & merito paſſionis. Igitur Deus ſanctus & optimus, cujus quidem bonitatem ad ſolutionum omnium coronidem cum Tertulliano delineare juvat, qui ibidem pag. 455. ſic loquitur: " Interim mundus ex bonis omnibus conſiſtit, ſatis præmonſtrans quantum boni pararetur illi, cui præparabatur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipſius imago & ſimilitudo, eam quoque bonitas, & quidem operantior operata eſt? non imperiali verbo, ſed familiari manu, etiam verbo blandiente præmiſſo; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo, in tantam ſubſtantiam carnis ex una materia tot qualitatibus exſtructam. Bonitas inflavit animam non mortuam, ſed vivam: Bonitas præfecit univerſis fruendis atque regnandis, etiam cognominandis: Bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quanquam totius orbis poſſidens, in amœnioribus moraretur, translatus in Paradiſum, jam tunc de mundo in Eccleſiam eadem bonitas & adjutorium proſpexit, ne quid non boni: Non eſt enim, inquit, bonum, ſolum eſſe hominem."

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt ſanctus, immo & Sanctus Sanctorum.

Primo. Habacuc. 3. habetur: *Deus ab auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*. Succinit Divus Bernardus, qui ſerm. 3. de gratia ait: " Nemo ſanctus, nemo bonus, nemo juſtus, niſi ſolus Deus.... quia per ſe eſt bonus."

Secundo. Quia impeccabilis eſt, juxta illud Habacuc 1. oraculum: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*.

Tertio. Deus vult ſolummodo bonum, cuncta vero in eo egregie compoſita & concinnata ſunt: igitur ſanctiſſimus.

SY-

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD DIFFICULTATES.

Primo. Non ſemel quidem in Scripturis ſacris legitur malum a Deo prodire, ſed ſermo eſt de malo pœnæ, non culpæ.

Secundo. Neque Deus ſibi contrarius dicendus eſt, tametſi enim prohibeat aliquid fieri in ſabbati die, hoc intelligi debet de operibus ſervilibus; unde arcam fœderis circumferri voluit ſabbato in expugnatione urbis Jericho, & hoc ad ſuæ & potentiæ & juſtitiæ manifeſtationem.

Tertio. Quandoque punit peccatum patrum in filiis, non quidem pœnis æternis, ſi iſti innocentes ſint, ſed temporaneis; cum enim filius ſit aliquid patris, reum pœnas luere in ſuis omnibus exigit juſtitia: cæterum pœna patienti filio ad emendationem prodeſſe poteſt.

Quarto. Paſſiones nullæ ſunt in Deo; non pœnitentia, non ira, non malitia; & ſi quid ſimile de Deo dicitur, ſolum objective, nuſquam vero ſubjective & formaliter prædicatur. Etvero, quia pater offenſus ab ingrato filio dolet de bonis datis, & juſte iratus prodigum privat hæreditate; ita Deus juſtus Judex privat gloria ingratos reprobos, non ira aut pœnitudine, ſed juſtitia; unde punitio ex mente Tertulliani dicitur pœnitentia de bonis prodigo diſtributis, & ira; nuſquam vero Deus aut pœnitens, quaſi mutabilis, aut iratus, quaſi exacerbatus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus ſit omnibus modis infinitus.

INFINITUM multiplex diſtinguitur: unum in quantitate, ut ſi corpus foret abſque terminis extenſum; alterum in virtute, cum alicui ineſt potentia & vis cuncta faciendi & operandi: tertium in eſſentia, & importat ſubſtantiam immenſam, atque illimitatam: quartum in perfectione; puta ſi proprietas & attributum ita magnum eſt, ut nec detur, nec poſſit dari majus: quintum denique in duratione, nimirum cum res ipſa menſuratur æternitate. Nulla hic quæſtio movetur de primo infinito, non enim Deus corpus aut habet, aut habere poteſt: igitur ſolummodo de cæteris jam ſit

CONCLUSIO.

Deus eſt omni modo non implicante imperfectionem infinitus.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura ſacra.*

Sanctus Job cap. 4. verſ. 7. mirum in modum delineat Dei infinitatem his verbis: *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſque ad perfectum omnipotentem reperies: excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, & latior mari*. Pſalm. 144. v. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*. Et Baruch. 3. v. 25. *Magnus eſt, & non habet finem*. Ergo, &c.

Secundo. *Ex Patribus.*

Dionyſius de divinis nominibus, cap. 5. ait: " Deus non quovis modo eſt ens, „ ſed ſimpliciter & infinitus, totum eſ- „ ſe in ſe pariter complexus & antici- „ pans. „

Gregorius Nyſſenus eandem propugnat fidem lib. 12. contra Eunomium. " Ne- „ que major, *inquit*, neque minor ſit, „ vel acceſſione, vel deceſſione, quippe „ incrementum illud quod in majus ſit in „ infinito locum non habet. „

Auguſtinus lib. medit. cap. 29. in quo quidem de Deo ſic loquitur: " Illocalis, „ interminus, incircumſcriptus, nuſquam „ finitus. „

Damaſcenus denique l. 4. de fide, cap. 12. ſic loquitur: " Videtur inter Dei no- „ mina primas tenere qui eſt; totum e- „ nim in ſe ipſo comprehendens, habet „ ipſum eſſe, veluti quoddam pelagus „ ſubſtantiæ, infinitum & indetermina- „ tum. „ Ergo, &c.

Tertio. *Rationibus Theologicis.*

Prima petitur ex ipſa Dei eſſentia, quæ qui-

quidem in ſe infinita eſt propter multa, inquit D. Thomas lib. 1. contra gentes, cap. 43. r. quidem, quia in nullo genere entis limitati invenitur, ſed eſt ſuper omnia. 2. Quia non habet ſubjectum illa mirabilis eſſentia, unde illimitata eſt; ſorma enim limitatur a ſubjecto in quo recipitur; Deus autem non ſuſtentatur; quinimmo, ipſe ſolo ſuo verbo ſuſtentat omnia. 3. Quia in rebus finitis quædam ſunt potentia tantum, quædam actus tantum: potentia autem non excedit actum; cum igitur materia ſit potentia ad infinitas formas ſucceſſive habendas; oportet ut Deus qui formas exhibet, ſit omnibus formis creatis univerſalior, adeoque ſimpliciter infinitus. 4. Intellectus creatus nulla finita veritate ſatiatur, neque voluntas ullo bono finito dato quieſcit: igitur datur veritas & bonitas infinita; non enim fruſtraneus debet eſſe appetitus rationalis: igitur Deus eſt infinitus. 5. Effectus nunquam excedit cauſam primam, immo nec ipſius exhaurit fœcunditatem, ſed novæ creaturæ quotidie apparent: igitur datur cauſa in ſe infinita ex qua promanant; & ex qua poſſunt ſine fine promanare.

Secunda: Ille eſt infinitus qui omnes omnino habet perfectiones, nec ullas poteſt de novo recipere: atqui ſic eſt Deus: & probatur ex Hilario qui in Pſalm. 2. ſic de Deo loquitur: " Nihil enim in ,, æternam illam & perfectam naturam ,, novum incidit. . . . . Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, ,, cui nihil deeſt. ,, Et ante Hilarium Juſtinus q. 123. ad Orthodoxos: " ſumme ,, perfectum eſt id quod nulla in re acceſſionem vel incrementum poteſt accipe- ,, re. ,, Ratio vero cur Deus nihil accipere queat, iſta affertur, quia eſt ipſa ſapientia, ſummum bonum, & omnia.

Tertia: Ille eſt infinitus cujus virtus eſt infinita & omnipotens: atqui Deus eſt omnipotens. Et probatur 1. ex Scriptura ſacra. Eſther 13. v. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita*. Matth. 26. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*. Et Lucæ 1. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Et Pſalm. 113. v. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit*. 2. Ex Patribus. Aug. Medit. 29. " O ſumme, ,, *inquit ad Deum*; optime; omnipotentiſ- ,, ſime . . . . . omnia portans ſine onere, ,, omnia implens ſine incluſione, omnia ,, creans, protegens, nutriens, proficiens. ,, Gregorius l. 2. Moral. c. 12. " Deus, ,, *inquit*, manet intra omnia, extra omnia, ſupra omnia, infra omnia, ſupe- ,, rior per potentiam. ,, 3. Ratione. Quia eſt actus purus & ſimpliciſſimus; quanto magis autem virtus eſt unita, tanto fortior evadit: cum igitur Deus ſit ipſa fortitudo & ipſa virtus, ſequitur neceſſario eum eſſe omnipotentem, adeoque & infinitum.

Quarta: Ille eſt infinitus qui eſt æternus: atqui Deus eſt æternus. Et probatur 1. ex Scriptura. Daniel. 6. *Ipſe eſt Deus vivens & æternus in ſæcula*. Pſalm. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. 2. Ex Patribus Auguſtinus alludens ad verba David, ait: " Anni tui nec e- ,, unt, nec veniunt, anni tui omnes ſi- ,, mul ſtant, nec euntes a venientibus ex- ,, cluduntur, quia non tranſeunt. ,, Ita loquitur lib. 1. Confeſſ. c. 13. & in eundem Pſalm. 101. ,, Nihil eſt in Deo præteritum, quaſi non ſit, nihil futurum; quaſi nondum ſit; neque enim in Deo eſt niſi eſt, non autem fuit aut erit. ,, Sed egre- ,, gium eſt Tertulliani teſtimonium qui ,, l. 1. contra Marcionem ait: " Viva & ,, germana Divinitas, nec de novitate, ,, nec de vetuſtate, ſed de ſua veritate ,, cenſetur. Deus, ſi eſt vetus, non erit; ,, ſi eſt novus, non fuit: Novitas initium ,, teſtificatur, vetuſtas finem comminatur: ,, Deus autem tam alienus eſt ab initio & ,, fine, quam a tempore arbitro & meta- ,, tore initii & finis. ,, Deus eſt ens quippe a ſe, prima omnium cauſa, ens neceſſarium, ſummum bonum; ſi autem non eſſet æternus, foret ab alio, haberet cauſam ſupra ſe, immo & ſui productivam; poſſet eſſe & non eſſe: quippe qui non ſemper habuiſſet eſſe, haberet perfectiones ab alio qui eſſet ipſo perfectior, ſiquidem nobilius eſt dare quam accipere: igitur cum Deus ſit ens a ſe, debet utique eſſe eſſentialiter æternus, adeoque infinitus. Hoc fidei dogma docet Concilium Lateranenſe extra de ſumma Trin. & fide Cath. his verbis: " Firmiter credimus & ſimplici- ,, ter confitemur, quod unus ſolus eſt ve- ,, rus Deus, æternus, incommutabilis, &c. . . . .

Quinta eſt a conglobatis. Ille eſt infinitus qui non clauditur terminis neque in eſ-

ſen-

Digitized by Google

ſentia, neque in perfectionibus, neque in virtute, neque in duratione, neque in locatione: atqui ex dictis manet Deum nullis claudi terminis in his omnibus capitibus, quandoquidem eſt infinitus in ſe, infinitus in perfectione, in virtute, in duratione & in locatione: ergo eſt ſimpliciter & omnimode infinitus, immo ineffabilis, juxta illud Aug. lib. 7. de Trin. c. 4. " Excedit ſupereminentia Divinita-
„ tis uſitati eloquii facultatem, verius
„ enim cogitatur Deus quam dicitur, &
„ verius eſt quam cogitatur. „

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Quæ dicuntur in Scriptura de infinitate Dei, dicuntur per exaggerationem, ut iſtud Pſal. 144. v. 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*. Si nimis magnus & laudabilis: ergo non infinite magnus; qui enim eſt infinite magnus, non poteſt ſatis & ultra metam laudari.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt nimis magnus reſpectu noſtri, eo quod non poſſumus comprehendere ipſius magnitudinem, concedo; reſpectu ſui, nego. Igitur nimis non explicat exceſſum pro objecto, ſed pro intelligente creato; & ideo recte concluditur Deum eſſe infinitum, ſiquidem nimis magnus eſt, ut a creatura tantum laudetur, quantum ejus Majeſtati debetur.

Inſtabis. Infinitas prædicatur in Scriptura de rebus quæ non ſunt infinitæ, v. g. Num. 32. v. 1. legitur: *Filii autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erant illis in jumentis infinita ſubſtantia*. Ergo a ſimili, quando Deus dicitur infinitus in Scripturis, hoc non debet intelligi ſimpliciter.

Reſpondeo negando paritatem. Ubique enim Scriptura creaturæ dicuntur finitæ; e contra vero Deus dicitur perfectus, æternus, &c. Quæ quidem omnia ſine infinitate in ſubſtantia recte intelligi non poſſunt.

Objicies 2. Deus non eſt ſua eſſentia: ergo non eſt natura infinitus. Probatur antecedens. Nemo eſt in ſe ipſo; ſed ſi Deus foret ſua eſſentia, eſſet in ſe ipſo: igitur non eſt ſua eſſentia. Confirmatur. Deus dicitur habere eſſe: igitur non eſt ſua eſſentia.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo. Nemo dicitur eſſe in ſemetipſo, ſi de creaturis quæſtio verſatur, concedo; ſi de Deo optimo maximo ſermonem faciamus, ſubdiſtinguo: Non eſt in ſemetipſo per receptionem, ita ut exiſtentia recipiatur in eſſentia, tanquam in ſuo connaturali ſubjecto a quo limitetur & contrahatur, concedo; per ſimplicem identitatem, nego. Deus non eſt in ſe ipſo, ſed eſt omnia.

Ad confirmationem diſtinguo. Deus dicitur habere eſſe ſecundum noſtrum concipiendi modum, habere bonitatem, ſapientiam, &c. concedo; ſecundum rem, nego. Nulla quippe forma ei advenit; ſed ipſe, ut jam diximus, eſt omnia: Quia vero propter noſtri limitationem intellectus ſimplicia & divina concipimus ut compoſita creata: ideo dicimus Deum habere eſſe. Sic reſpondet D. Thomas hic 1. p. q. 3. art. 3.

Inſtabis. Quod continetur ſub genere & ſpecie, eſt finitum: atqui Deus continetur ſub genere & ſpecie; immo eſt in categoria ſubſtantiæ: ergo eſt finitus in natura. Confirmatur. Quod eſt individuum, eſt finitum; nam & ens determinatum eſſe dicitur: atqui Deus eſt individuum, & ens ſingulare; unum quidem in ſe & diviſum a quolibet alio: igitur eſt individuum.

Reſpondeo diſtinguendo. Quod continetur proprie & univoce ſub genere & ſpecie, finitum eſt, concedo; quod continetur improprie, & tantummodo juxta noſtrum concipiendi modum, nego. Deus eſt ens, ſed infinitum, ſed a ſe: igitur & ſupra genus & ſpeciem: omnia quippe dat ſe diffundendo ad extra, nihil vero recipit, immo nec recipere poteſt: igitur non eſt perfectibilis. Non ſic ſane creatura, & ideo conſtat genere & differentia, tanquam terminis quibus clauditur. Deus igitur non ponitur in categoria ſubſtantiæ. Hinc Aug. lib. 4. Confeſſ. c. 6. ait: " Quid hoc mihi proderat, quoniam
„ & oberat, tum etiam te, Deus meus,
„ mirabiliter ſimplicem atque incommu-
„ tabilem illis decem prædicamentis, pu-
„ tans quidquid eſſet, omnino comprehen-
„ ſum, ſic intelligere conarer, quaſi &
„ tu ſubjectus eſſes magnitudini tuæ & pul-
„ chritudini, ut illa eſſent in te quaſi in
„ ſubjecto, ſicut in corpore; cum tua ma-
„ gnitudo & pulchritudo tu ipſe ſis? fal-
„ ſitas enim erat quam de te cogitabam,

non

„ non veritas & figmenta miſeriæ meæ, „ non firmamenta beatitudinis tuæ. „

Ad ſecundum diſtinguo. Deus eſt individuum per ſimplicitatem & irreceptibilitatem, concedo; per limitationem & receptibilitatem in ſubjecto, nego. Aliquid poteſt dici individuum dupliciter: primo, per ſimplicitatem & plenitudinem: alio modo, per limitationem. Deus eſt primo modo individuum, & tanto magis unum ens, & a quolibet diviſum, quanto magis eſt ſuper omnia, ita ut creatura illum perfecte aut attingere aut adæquare non valeat; illa quippe eſt individuum in ſecundo tantum ſenſu; unde non plenitudinem entis, ſed portionem duntaxat habet.

Inſiſtes. Deus non habet omnis generis perfectiones: igitur non eſt infinitus in perfectionibus. Probatur antecedens. Non habet fidem, non rationalitatem: ergo, &c.

Reſpondeo diſtingeendo. Non habet perfectiones ſimpliciter ſimplices, nego. Perfectiones quæ aliquem important defectum, ſubdiſtinguo: Non habet formaliter & denominative, concedo; eminenter, nego. Eas vocamus cum Divo Anſelmo perfectiones ſimpliciter ſimplices quæ nullam involvunt tum in realitate tum in conceptu ullius defectus labem, ut bonitas, ſapientia, & ſimiles: verum quædam ſunt non ab omni immunes defectu, ut fides, ſpes, illa enim eſt argumentum rerum non apparentium, iſta vero reſpicit bonum futurum. Perfectiones primi generis ſunt in Deo formaliter, & de eodem prædicantur; dicitur quippe & bonus & ſapiens: Secundi vero generis nonniſi eminenter habet. Et vero neque fides, neque ſpes, neque etiam ratio in Deo eſſe poſſunt; veruntamen hæc omnia eminenter continet: fidem quidem, namque viſio comprehenſiva quam de ſua habet eſſentia, omne lumen creatum in immenſum excedit: ſpem vero, non enim deſiderio ſolum, ſed realitate, omne poſſidet bonum, immo eſt ipſe ſummum bonum & omnia, Denique vi ſuæ intelligentiæ cuncta novit, penetrat rerum eſſentias, ipſa ſcrutatur corda, mentis humanæ & angelicæ rimatur cogitationes.

Perſiſtes. Deus eſt, dicitur ſummum bonum: igitur & limitatum, adeoque non omne & infinitum bonum, Probatur conſequentia. Ubi eſt ſummum, ibi eſt magis & minus; ſed ubi eſt magis & minus, ibi eſt terminus & circumſcriptio: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus ſummum vocatur bonum relative ad creaturas, concedo, reſpectu ſui, nego antecedens & conſequentiam. Omnia in Deo ſunt Deus, ipſe vero eſt omnia: unde magis & minus neque reperiuntur, neque dicuntur de Deo in ſe conſiderato.

Rurſus inſtabis, Infinitum & finitum ſunt proprietates quantitatis; ſed Deus non eſt quantus: ergo conſequenter nec infinitus.

Reſpondeo diſtinguendo. Infinitum ſyncategorematicum eſt quantitatis proprietas, concedo; categorematicum, nego. Duplex diſtinguimus cum Philoſophis infinitum: unum ſyncategorematicum, quod in ea potiſſimum conſiſtit quantitate, cujus partes in novas ſemper abſque termino dividi poſſunt: alterum vero categorematicum; & illud cenſetur quod partes habet actu infinitas. Infinitum primo modo ſpectatum ſequitur ad quantitatem, nuſquam vero alterum. Cæterum Deus non eſt infinitus infinitate molis, ſed infinitate naturæ & virtutis.

Inſtabis adhuc. Deus non eſt æternus: igitur nec infinitus. Probatur antecedens. Eſt extra æternitatem, juxta illud Exod. 3. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*. Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo. Deus eſt extra æternitatem ſumptam pro Duratione creata, videlicet pro continua annorum uſque ad conſummationem ſæculorum ſerie, concedo; extra æternitatem abſolutam quæ durationem importat interminatam a parte ante, & interminabilem a parte poſt, nego. Senſus igitur Scripturæ ille eſt: *Dominus regnabit in æternum & ultra*, ideſt, regnabit ſemper uſque ad conſummationem ſæculi, nam & ſine fine regnabit: *Et regni ejus non erit finis*, inquit Daniel. Unde eſt æternus, & a parte ante, & a parte poſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt infinitus ſimpliciter.

Primo. Ita habetur Pſal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*. Unde B. Aug. l. Medit. c. 29. ait de Deo: „ Illocalis, intermi-„ nus, incircumſcriptus, nuſquam fini-„ tus. „

Secundo. Quia Deus eſt omnia, & nullis clauditur terminis.

Tertio. Quia eſt independens; unde nullis ſubjicitur vel temporum, vel locorum, vel virtutis creatæ anguſtiis.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

Primo. Deus dicitur laudabilis & magnus nimis: Ergone per exaggerationem? Nullo modo: Sed propter ejus incomprehenſibilitatem.

Secundo. Verum eſt nullam creaturam aſſe ſuam eſſentiam; nulla quippe eſt in ſe infinita, non ſic ſane de Deo ratiocinandum eſt: eſt ipſum eſſe & vivere; quinimmo ſibi ipſi eſt thronus, & omnia, inquit Tertullianus.

Tertio. Infinitum ſyncategorematicum eſt quidem quantitatis proprietas, ſed non categorematicum, & quod eſt per ſe, & ſimpliciter tale.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Deus ſit immutabilis.

CONCLUSIO.

Deus eſt immutabilis.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex ſcriptura Sacra.*

NUM. 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur; nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, non implebit?* 1. Reg. 15. v. 29. *Porro Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam*. Pſal. 101. v. 27. & 28. de cœlis & de Deo loquens Propheta ait: *Ipſi peribunt, tu autem permanes*. Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Quid plura? Deus ipſe Malach. 3. v. 6. ait: *Ego Dominus & non mutor*. Unde Jacobi 1. v. 17. *Apud quem non eſt traſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Ergo, &c.

Secundo. *Ex Patribus.*

Hilarius Pictavienſis in Pſal. 2. ait de Deo: “ De mutatione non novus eſt qui origine „ caret, ipſe eſt, qui quod eſt, non aliun-„ de eſt; in ſe ſe eſt, ad ſe eſt, ſuus ipſe eſt, „ & ipſe ſibi omnia.

Maximus apud Euthymium, ex hujus Panoplia Græca. “ Nihil eorum quæ ſunt a „ ſe ipſo agitur; quod autem a ſe ipſo non „ agitur, cauſa non caret, quod autem „ cauſa non caret, neque eſt immobile . . . „ Porro naturalis motus omnis princi-„ pium, eſt eorum ortus quæ moventur: „ principium autem ortus eorum quæ mo-„ ventur, eſt Deus. „ Vult omnia ille pater mutari, quia moventur de potentia ad actum, oriri & interire, Deum autem immotum cuncta movere. Unde ibidem titulo 3. c. 27. “ Deus, ut qui ipſa eſt „ exiſtentia & bonitas ipſa, & ipſa ſa-„ pientia; vel ſupra hæc omnia potius, „ nihil habet omnino contrarium... Res „ autem creatæ habent contrarium, nem-„ pe quod eſt eſſe & non eſſe; habili-„ tati vero, quæ ineſt illis ad bonita-„ tem. „ Deum immutabilem eſſe contendit, eo quod non habeat contrarium; creaturas vero propter rationem oppoſitam, mutabiles eſſe aſſerit.

S. Auguſtinus Medit. 29. “ Immutabilis „ omnia mutas. „ Et Tract. 4. in 1. Joan. “ „ Mutari neſcit, nulla ex parte corrum-„ pitur, nec proficit, quia perfectum eſt; „ nec deficit, quia æternum eſt. „ Nihil poteſt ex Aug. ſubſtantiale advenire Deo, ſed neque accidentale; & ideo immutabilis eſt. Et iterum idem Aug. l. 2. de lib. arb. c. 17. “ Nihil enim accidens „ in Deo, quia nihil mutabile aut amiſ-„ ſibile. „

S. Chryſoſtomus explicans illa verba Pſal. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, ait: “ Tu vero immobilem habes

„ bes naturam, & mutationem præſtantiorem.

S. Cyrillus l. Theſ. 13. pag. 127. " Neque enim idem eſſet, ſcilicet Deus in aliud quippiam quam eſt, mutari poſſet. „

S. Gregorius l. 12. Moral. c. 17. " Quia, *inquit*, in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra viciſſitudinis intercidit.

Gregorius Nazianzenus oratione 34. pag. 540. " Compoſitio pugnæ initium eſt; pugna autem diſcidii, diſcidium ſolutionis: ſolutio porro nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum diſcidium admittendum eſt, ne ſolutio conſequatur; nec pugna, ne diſcidium oriatur; nec compoſitio, ne pugna exiſtat. „ Et quia in Deo non eſt pugna, ideo nec alteratio & mutabilitas.

Rabanus in primo de univerſitate, pag. 57. " Simplex dicitur, ſive non amittendo quod habet, ſeu quia non aliud eſt ipſe, & aliud quod in ipſo eſt: ideo immutabilis, quia non accipit eſſe. „

His omnibus accedit Richardus Victorinus l. 2. de Trin. c. 4. " Qui increatus & ſempiternus eſt, caret initio & fine; & cujus ſtatus invariabilis eſt, manet abſque omni mutabilitate.

Tertio. *Ratione multiplici*.

Prima: Qui caret fine & initio tum in eſſe, tum in perfectionibus, nequit mutari: atqui ex Hilario Deus caret fine & initio tum in eſſe, tum in perfectionibus: igitur ſtabilis eſt, & mutari non poteſt.

Secunda: Qui nihil poteſt recipere, qui nec augmentum vel decrementum pati poteſt, ille eſt immutabilis: atqui ex Aug. Deus nihil poteſt recipere, nequidem formam accidentalem, neque aliquid deperdere, quia ex eodem eſt ſuum eſſe: igitur eſt immutabilis.

Tertia: Qui nihil habet contrarium, nequit mutari & viciſſitudini ſubjici; nam mutatio evenit in creaturis ex altercatione: atqui ex Gregorio Nazianzeno, Deus non habet contrarium, non eſt in eo pugna: igitur nec mutatio.

Quarta: Quod eſt primum ens & prima cauſa, debet eſſe immutabile, inquit D. Thomas hic 1. part. quæſt. 9. a. 1. nam primum ens eſt actus purus, unde non eſt in potentia ad aliquid: prima cauſa movet & non movetur, alias non foret prima cauſa; quod enim movetur, ſecundum aliquid manet, & ſecundum aliquid tranſit: unde ſemper ab alio moveri poteſt; ſed Deus, ut dictum eſt ſupra, eſt primum ens & prima cauſa: igitur & immutabilis.

Quinta: Qui eſt ſummum bonum, a quo cætera bona promanant, debet eſſe immutabilis: alias ſi moveretur, aliquam profecto acquireret perfectionem quam non haberet, & ſic non eſſet ſummum bonum: atqui Deus eſt ſummum bonum: ergo eſt immutabilis; & hoc ſequitur ex eo quod ſit infinitus & æternus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1. Qui movetur de loco ad locum, eſt mutabilis; atqui Deus ſic movetur, juxta illud Gen. 4. 7. *Venite igitur, deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Qui movetur & vere & per ſe de loco ad locum, eſt mutabilis, concedo; qui movetur ſolum improprie & per alium, nego. Moiſes in allatis verbis explicat operationem Dei humano modo, ut melius capiamus effectum confuſionis linguarum. Præterea dicitur Deus in Gen. loqui per Angelum qui illum repræſentabat.

Oppones 2. Sapientia ſecundum Sripturam ſacram, omnibus mobilibus mobilior eſt; ſed illa ſapientia eſt Deus: ergo Deus eſt mutabilis.

Reſpondeo diſtinguendo. Sapientia divina eſt mobilis terminative & efficienter, concedo; formaliter & ſubjective, nego. Nihil quippe Deus poteſt recipere, unde eſt ſolum efficienter mobilis, in quantum immutat omnia.

Objicies 3. Ille eſt mutabilis qui ſuam immutat ſententiam: atqui Deus ſic fecit, juxta Iſaiæ narrationem c. 38. 1. ubi immutato mortis Decreto adverſus Ezechiam Regem lato, adjecit illi quindecim vitæ annos. Simile quicquam & affine legitur Jonæ 34. Cum enim promptam & veram egiſſent Ninivitæ pœnitentiam, immutavit Deus latam contra eos mortis ſententiam. Ergo, &c.

Digitized by Google

Reſpondeo diſtinguendo. Et utrumque Decretum erat conditionatum: ſuppoſito cilicet quod Ezechias & Ninivitæ non egiſſent pœnitentiam, brevi moriturum Ezechiam, & Ninivitas deſtruendos eſſe ſtatutum erat, concedo; & non erat, nego. Porro Decretum mortis conditionatum ſuſpenſum manet eo ipſo quo peccator agit pœnitentiam, qua tamen non poſita, ſtatuerat Deus vindictam ſumere ex ejus peccatis; non enim Deus vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Cum igitur Ezechias & Ninivitæ juſtitiæ divinæ pœnitentiam agendo fecerint ſatis, non mirum ſi Deus eos vivere voluerit.

Objicies 4. Qui appropinquat ad aliquem locum ubi non erat, profecto mutari cenſetur: atqui Deus quandoque ſic ſe gerit erga peccatorem pœnitentem, juxta illud D. Jacobi 4. *Appropiquate Deo, & appropinquabit vobis.* Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus appropinquat nobis per donorum largitionem, concedo; aliquid recipiendo, nego. Deus eſt ubique præſens; ſed fit præſens modo ſpeciali dando gratiam juſtificationis. Sicut ergo radius ſolaris intrando in cubiculum, inquit D. Thomas hic q. 9. a. 1. ad tertium, non acquirit novam ſubſtantiam, ſed immutat cubiculum, videlicet illuminando quod non erat illuminatum: pari & non abſimili ratione mutatio tota ſe tenet ex parte peccatoris qui de novo illuminatur a Deo.

Objicies 5. Ille movetur per ſui mutationem qui tranſit de potentia ad actum: atqui Deus in creatione, v. g. tranſivit de potentia ad actum, ſiquidem antea non operabatur in creaturis; in productione vero mundi incepit operari in eis, juxta illud Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Ergo de facto Deus movetur mutatione ſui; unde Aug. l. 8. ſuper Gen. c. 20. dicit: " Spiritus ,, Creator movet ſe. ,, Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem diſtinguo. Deus qui ante non erat Creator, poſtea factus eſt Creator, ſuam extendendo operationem ad creaturas, concedo; aliquid deperdendo vel recipiendo, nego. Sicut lux lucens in cubiculo, ſi nova ibi adhibeantur corpora, ſe extendit ad illa de novo illuminanda, abſque eo quod aut creſcat, aut minuatur; ita a fortiori Deus immotus immutat omnia per ſolam ſuæ operationis extenſionem ad terminum de novo producendum. Ita Aug. l. 2. de Civ. Dei, c. 17. " Nec affici, *inquit*, dicendus eſt, ,, tanquam in ejus naturam fiat aliquid.. ,, novit quieſcens agere, & agens quieſ- ,, cere. ,, Eodem prope modo loquitur in libello ad Commonitorium Oroſii, c. 8. " Facta enim, quando eſſent antequam facta eſſent; ſed in Dei ſapien- ,, tia omnium faciendarum rerum ratio- ,, nes eſſe potuerunt, non tamen factæ.. ,, Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo. Deus movetur, ſed in eo ſolum ſenſu quo operatio dicitur motus, concedo: quatenus operatio importat in agente mutationem, nego. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 9. art. 1. ad primum. Eſt utique genuinus Auguſtini ſenſus qui ibidem de Deo loquens, ſubdit: " Movet ſe nec per tem- ,, pus, nec per locum. ,,

Inſtabis. Ubi eſt prius & poſterius, ibi eſt mutatio: atqui in creatione eſt prius & poſterius, ſiquidem antea non creabat Deus, & poſtea, ut dictum eſt, factus eſt Creator: igitur mutatus eſt in creatione, non ſolum extrinſece, & ex parte termini, verum etiam intrinſece, & ex parte ſui.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Ubi eſt prius & poſterius aliquid vel recipiendo vel patiendo, ibi eſt mutatio, concedo. Ubi eſt ſolum prius & poſterius extrinſece tantum, nego. Igitur operatio Dei eadem in ſe manens incepit in tempore ſe extendere ad creaturas; unde prius & poſterius totum ſe tenet ex parte creaturæ, & ſenſus eſt: Creatura quæ antea non erat, in tempore incepit eſſe: igitur actio Dei incepit in tempore immutare creaturas quas ante non pertingebat, & hoc nihil acquirendo. Similiter & in eis deſinit operari nihil deperdendo; eo prope modo quo radius ſolaris nihil de ſua deperdit ſubſtantia, cum ceſſat ſe extendere ad cubiculum ubi erat prius. Egregia hæc explicatio eſt D. Aug. l. 12. de Civ. Dei, c. 17. " Poteſt, *inquit*, ad opus novum, non novum ſed ,, ſempiternum adhibere conſilium, nec ,, pœnitendo quia prius ceſſaverat, cœpit ,, facere quod non fecerat; ſed & prius ,, ceſſavit, & poſterius operatus eſt... hoc ,, procul dubio quod dicitur prius & poſterius,

Digitized by Google

„ ſterius", in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit; in „ illo non alteram præcedentem altera „ ſubſequens mutavit aut abſtulit voluntatem; ſed una eademque ſempiterna „ & immutabili voluntate, res quas condidit, & ut prius non eſſent, egit „ quandiu non fuerunt, & ut poſterius „ eſſent, quando eſſe cœperunt. „

Rurſus inſtabis. Ille eſt mutabilis de quo nova prædicantur: atqui de Deo prædicantur nova. Et probatur. Prædicatur quod ſit Creator; ante vero mundum conditum non erat: ſicut ergo Pater non dicitur Pater abſque ſui mutatione, ita nec debet Deus dici Creator, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Si prædicantur nova per formam abſolutam adventitiam, concedo; ſi per denominationem intrinſecam fundatam in relatione ſolius rationis in Deo, & reali atque intrinſeca in termino tantum, nego. Deus quidem denominatur intrinſece Creator, ſed per puram relationem extrinſecam fundatam in actione reali & intrinſeca qua creaturam immutavit: per relationem vero intrinſecam creaturæ dependentis ad ſe ipſum, unde tota mutatio ſe tenet ex parte termini actionis creativæ. Hanc ſolutionem non obſcure tradit D. Auguſtinus l. 5. de Trin. c. 15. his verbis: " Quamvis temporaliter de Deo incipiant dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei accidiſſe aliquid, ſed illi creaturæ ad quam dicitur... temporaliter dici incipit Deus, „ quod antea non dicebatur, manifeſtum „ eſt relative dici: non tamen ſecundum „ accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; „ ſed plane ſecundum accidens ejus ad „ quod dici aliquid Deus incipit relative.

Urgebis. Verbum caro factum eſt, aſſumendo quod non habebat: igitur & mutatum fuit: igitur Deus eſt mutabilis.

Reſpondeo diſtinguendo. Verbum caro factum eſt, terminando humanitatem, illam ſcilicet ad ſuam ſubſiſtentiam attrahendo, concedo; aliquid in ſe recipiendo, ſubdiſtinguo: extrinſece, concedo; intrinſece, nego. De hac vero difficultate fuſior redibit ſermo in tractatu Incarnationis. Unde nego conſequentiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt immutabilis.

Primo. Sic legitur Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*. Aug. Med. 29. „Immutabilis omnia mutans.

Secundo. Quia nihil poteſt aut acquirere aut deperdere.

Tertio. Quia caret initio & fine tum in duratione, tum in perfectiouibus.

SYNOPSIS RESPONSIONUM

AD DIFFICULTATES IN CONTRARIUM.

Primo. Deus incepit eſſe in tempore Creator, immo & Dominus: ſed quomodo? ſuam extendendo operationem ad creaturam de novo productam, & ſane nihil aut acquirendo aut deperdendo.

Secundo. Sapientia Dei dicitur omnibus mobilibus mobilior, ſed cauſaliter & effective, quatenus cuncta movet, nuſquam vero formaliter.

Tertio. Verum eſt utique Deum aliquam recipere denominationem; dicitur enim intrinſece Creator, cum aliquod ens producit, ſed illam habet per relationem tantum extrinſecam in ſe, & intrinſecam in creatura mutata.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Deus ſit immenſus?

Duo occurrunt explicanda circa Dei immenſitatem. Primum quidem: An Deus ſit ubique. Secundum vero: Quomodo ſit ubique, & quâ ratione, pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus eſt ubique.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura ſacra*.

Scriptum eſt Deut. 4. v. 39. *Scitote ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus*

mus ipſe ſit Deus, in cælo ſurſum, & in terra deorſum. 3. Reg. 8. v. 7. *Cælum*, inquit Rex Salomon, ad Deum, *& cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus quam ædificavi?* Job. 7. v. 7. *Excelſior cœlo eſt . . . profundior inferno . . . longior terra . . . latior mari*. Unde Propheta Regius Pſalm. 138. v. 7. ait: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades*. Item Iſaiæ 66. v. 1. *Hæc dicit Dominus, cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*. Rurſus Jerem. 23. v. 24. *Ait Dominus, cælum & terram ego impleo*. Quid plura? Matth. 5. v. 34. habetur: *Ego*, inquit Chriſtus, *dico vobis non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus*. Actuum 7. v. 48. *Sed*, inquit Stephanus, *non Excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit: Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum*. Ergo ex his omnibus liquet Deum eſſe ubique.

Secundo. *Ex Patribus.*

Theophilus Antiochenus agmen ducet, l. 2. ad Autholicum ſic loquitur: ,, Cum
,, Dei proprium hoc ſit, non ſolum
,, ubique eſſe, ſed etiam intueri omnia
,, & audire. ,,

Clemens Alexandrinus accedit 6. Stromatum, pag. 475. his verbis: " Scitote igi-
,, tur unum eſſe Deum, qui omnium re-
,, rum initium eſt molitus, ac finem ha-
,, bet in poteſtate; quique minime aſpe-
,, ctabilis aſpicit omnia: non compre-
,, henſus omnia comprehendit. ,,

Origenes hom. 12. in Gen. ſimilia prope dicit: " Nonne, *inquit*, ubique eſt Deus? non-ne ipſe dixit? *Cælum & terram ego repleo*.

Arnobius in ſexto adverſus gentes ait:
" Hoc eſt proprium Deorum complere
,, omnia vi ſua, non partialiter uſpiam,
,, ſed ubique eſſe totos. ,,

Athanaſius in l. contra Sabellii gregales, ſuum addit calculum. " Ita complet
,, omnia ut non cum exigua creatura ex-
,, tenſus adæquetur. ,, Et Epiſt. ad Serapionem. " Sed impleat omnia, manens
,, extra omnia. Sic enim ſcriptum eſt:
,, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*.

Hilarius aliis pro hoc momento ſubſcribit l. 2. de Trin. " Quia Deus inviſibi-
,, lis, incomprehenſibilis, immenſus eſt,
,, ait Dominus veniſſe tempus, ut non in
,, monte vel in templo Deus ſit adoran-
,, dus, quia Deus ſpiritus eſt: & ſpiri-
,, tus nec circumſcribitur, nec tenetur,
,, qui per naturæ ſuæ virtutem ubique
,, eſt, nec uſquam abeſt, in omnibus
,, omnis exuberans. ,,

Cyrillus ſequitur Hilarium, nam Catecheſi 6. de Deo, ait: " In loco mini-
,, me definitus, ſed locorum opifex, in
,, omnibus exiſtens, & a nullo circum-
,, ſcriptus. ,,

Baſilius in Evang. Joan. etiam ſic diſcurrit: " Neque Pater in loco, neque
,, filius in circumſepta aliqua, vel defini-
,, ta regione continetur; ſed immenſus
,, eſt . . . quodcumque ſpiritu pervaſeris,
,, id ipſum reperies Deo plenum, ubique
,, ſimul extenſum, hypoſtaſim reperies
,, Filii. ,,

Chryſoſtomus in Pſal. 112. ad hæc verba: *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat*, ſic ſcribit: " Oſtendens ubique Deum
,, eſſe & illic & hic: Non enim tan-
,, quam aliquis in cœlo concluſus eminus
,, videt quæ ſunt in terra, ſed ubique præ-
,, ſens, & omnibus aſſiſtens. ,, His adde Gregorium Nazianzenum orat. 34. Gregorium Nyſſenum in l. Catechetico.

S. Hieronymus in comm. Iſaiæ, ad caput 66. & in comm. epiſt. ad Epheſios, ait: " Deus ubique. ,,

Ambroſius tract. de Symb. Apoſt. c. 22. ſic effatur: " Omnipotens Deus omnem
,, credendus eſt penetrare & implere lo-
,, cum. ,,

Auguſtinus ſuffragatur medit. 29. " Om-
,, nia portans ſine onere, omnia implens
,, ſine incluſione. ,, Et ex profeſſo epiſt. 7. & 50. His adde Fulgentium l. contra ſermonem Faſtidioſi c. 4. Petrum Chryſologum ſerm. 67. & alios. Ergo, &c. Divus Thomas hic 1. p. q. 8. art. 1. 2. 3. & 4. ex profeſſo noſtram docet concluſionem.

Tertio. *Ex ipſis Philoſophis & Poetis profanis.*

Pythagoras Philoſophus, inquit Salvianus l. 5. de gubernatione Dei poſt Minutium Felicem de natura ac beneficiis Dei diſcurrens, ſic locutus eſt: " Animus eſt

,, Deus

„ Deus per omnes mundi partes com-„ means atque confuſus, ex quo omnia „ quæ naſcuntur animalia vitam capi-„ unt. „

Orpheus in verſibus quos refert Cyrillus Alexandrinus l. 1. in Julianum. “ ipſe, „ *inquit*, in cœlo æthereo ſtabilis ſedet, „ aureo in ſolio, terræ autem pedibus „ inſiſtit, & manum dextram ad fines „ Oceani. „

Virgilius Georg. 4.

> . . . *Deum*, inquit, *ire per omnes*
> *Et terras, tractuſque maris, cœlumque profundum.*

Seneca l. de beneficiis, c. 8. ſic loquitur de ſupremo Numine. “ Quocumque „ te flexeris, ibi illum videbis occurren-„ tem tibi, nihil ab illo vacat, opus „ ſuum implet. „

Thales, Ariſtotele teſte, l. 1. de anima, c. 5. dicit Diis plena eſſe omnia. Ergo, &c.

Quarto. *Ex ratione, eaque multiplici, ex Divo Thoma deprompta.*

Prima ſic exponitur. Omne agens eſt ubi operatur; ſed Deus operatur ubique, tum producendo entia, tum eadem conſervando: namque conſervatio eſt iterata productio: ergo Deus eſt ubique. Ita D. Thomas hic 1. p. q. 8. a. 1. Di-„ cendum quod Deus eſt in omnibus rebus, „ non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſi-„ cut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei „ in quod agit. Oportet enim omne „ agens conjungi ei in quod immediate „ agit, & ſua virtute illud contingere, „ &c. „

Secunda. Corpus quantum eſt in loco ubi extenditur, ita ut ſi quantitas ipſius eſſet infinita, repleret omnia ſpatia; ſed virtus Dei ſe habet ad totum mundum, ut quantitas corporis ad locum, & eſt infinita: ergo omnia attingit loca: igitur Deus eſt ubique. D. Thomas tertio contra gentes, c. 68. iſtam adducit rationem. “ Omne quod eſt in loco vel in re „ quacumque, aliquo modo contingit illam; „ res enim corporea eſt in loco ſecun-„ dum contactum quantitatis dimenſivæ; „ res autem incorporea in aliquo eſſe dici-„ tur ſecundum contactum virtutis, cum „ careat dimenſiva quantitate: ſic igitur „ ſe habet res incorporea ad hoc quod ſit „ in aliquo per virtutem ſuam, ſicut ſe „ habet res corporea ad hoc quod ſit in „ aliquo per quantitatem dimenſivam: Si „ autem eſſet aliquod corpus habens quan-„ titatem dimenſivam infinitam, oporte-„ ret illud eſſe ubique: ergo ſi ſit aliqua „ res incorporea habens virtutem infini-„ tam, oportet quod ſit ubique. Oſtenſum „ autem in primo Deum eſſe infinitæ vir-„ tutis, eſt igitur ubique. „

Tertia: Movens & motum ſunt ſimul; ſi enim movens non tangeret motum, nihil moveretur; ſed omne quod movetur, a Deo movetur, quia Deus eſt primus motor; nec agit, mediante aliqua virtute a ſe diſtincta, ut creatura, ſed immediate, ſiquidem eſt virtus ſua: igitur Deus eſt ubique; nam creaturæ ab eo ubique moventur. D. Thomas ibidem. “ Movens „ enim & motum oportet ſimul eſſe... „ Deus autem omnia movet ad ſuas ope-„ rationes ... eſt igitur in omnibus re-„ bus. „

Quarta: Deus eſt ens incircumſcriptum, nec clauditur terminis ſive temporum, ſive locorum; ſed ſi non eſſet ubique, circumſcriberetur, & clauderetur terminis: Ergo, &c.

Quinta: Deus continet & implet omnia, inquit Auguſtinus: ergo eſt ubique.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ratio formalis qua Deus eſt ubique, eſt ejus operatio.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex Scriptura ſacra.*

Habetur Iſaiæ 26. *Opera noſtra operatus es in nobis, Domine*. Item Act. 17. v. 27. *Non longe eſt*, inquit Paulus, *ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*. In his & ſimilibus ſententiis Scriptura repetit ab operatione præſentiam Dei in rebus creatis: ergo &c.

Secundo. *Ex Patribus.*

Auguſtinus l. 4. de Gen. ad litt. c. 12. ait: “ Crea-

„ Creatoris potentia & omnipotentis atque omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ. „ Ibid. " Non ob aliud ſumus in ipſo, niſi quia id operatur. „ Rurſus l. de cog. verit. ait: " Sicut lumen lucernæ in oculis omnium aſtantium totum lucet, & in ſe ipſo totum manet, non a ſe ipſo recedit, ut ad præſentes perveniat, ſic Deus ubique & in omnibus eſt totus, & in ſe ipſo permanet totus, & a ſe non recedit, ſed cuncta in ſe colligit. „

Anſelmus eodem modo opinatur in Monolog. c. 22. ait: " Quoniam nihil ſine Deo poteſt aut eſſe aut conſervari, dicere cogimur Deum ubique & ſemper eſſe. „

Divus Thomas hic 1. p. q. 8. a. 1. 2. & 3. probat ex profeſſo Dei præſentiam in creaturis per operationem. Sic loquitur art. 1. " Deus eſt in omnibus rebus, non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſicut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei in quod agit: oportet enim omne agens conjungi ei quod mediate agit, & ſua virtute illud contingere: „ Unde in 7. Phyſic. probatur quod motum & movens oportet eſſe ſimul. " Cum autem Deus ſit ipſum eſſe per ſuam eſſentiam, oportet quod eſſe creatum ſit proprius effectus ejus, ſicut ignire eſt proprius effectus ipſius ignis. Hunc autem effectum cauſat Deus in rebus non ſolum quando primo eſſe incipiunt, ſed quandiu in eſſe conſervantur; ſicut lumen cauſatur in aere a ſole, quandiu aer illuminatus manet. „ Rurſus ibidem art. 2. " Deus, *inquit*, eſt in omni loco, quod eſt eſſe ubique. Primo quidem, ſic eſt in omnibus rebus, ut dans eis eſſe & virtutem & operationem. „

Tertio. *Ex ratione.*

Prima. In tantum Deus eſt præſens, in quantum vel increat vel implet mundum, vel nutrit aut perficit creaturas; ſed hæc omnia fiunt per operationem Dei qui omnem creaturam replet benedictione; creatio enim, impletio, nutritio, ſunt actiones: ergo ratio formalis qua Deus eſt in loco, eſt operatio ejus ad extra quæ vocatur immanens & virtualiter tranſiens: immanens quidem, quatenus eſt in ipſo; tranſiens vero, cum producit aliquid ad extra. Probatur major ex Divo Aug. qui medit. 29. de Deo ſic loquitur: " Semper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, omnia portans ſine onere, omnia implens ſine incluſione, omnia creans, protegens, nutriens & proficiens. „

Secunda. Qui eſt in rebus potentiam, illas ſuo ſubjiciens dominio, per præſentiam attendendo ad omnia, per ſubſtantiam implendo omnia, eſt in rebus per operationem; nam dominari, videre & attendere, implere, eſt operari; atqui Deus ſic eſt ubique; & probatur ex Gregorio Magno, qui homil. 8. in Ezechiel. ait: " Deus communi modo eſt in omnibus rebus, præſentia, potentia & ſubſtantia. Ergo, &c.

Tertia. Ille eſt formaliter per operationem in creaturis præſens, qui eſt in illis ut motus eas ad actum applicans; ut cauſa producens cum eis effectus creatos; ut ens neceſſarium eas in eſſe conſervans; ut ſummus Proviſor eaſdem dirigens ad finem; denique ut ſpiritus eas portans & vivificans verbo virtutis ſuæ; ſed ex D. Thoma, Deus eſt præſens in creaturis, & ut motor, & ut prima cauſa, & ut conſervator, & ut benefactor: ergo eſt in loco per operationem. Sicut igitur anima ceſſat eſſe in corpore, cum ceſſat in eo operari, pari & conſimili ratione Deus ceſſat præſens eſſe alicubi, cum ceſſat operari. Ergo, &c.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS

contra primam Concluſionem.

Objicies 1. Pſal. 11. v. 4. habetur: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus*. Sed qui eſt ſupra creaturas, non eſt in creaturis præſens: igitur Deus non eſt ubique præſens.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt ſuper omnes gentes excelſus, ideſt, non comprehenditur, & circumſcribitur a creatura, concedo; ideſt, non eſt præſens, nego. Tametſi Deus ſit in creaturis exiſtentibus præſens, poteſt tamen & eſſe adhuc in infinitis poſſibilibus; unde propter ſuæ immenſitatis excellentiam dicitur eſſe ſuper omnes creaturas. Eſt igitur in eis ut cauſans omnium eſſe. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 8. a. 1.

Inſta-

Inſtabis. Qui ſolum adeſt in cęlo, non eſt ubique: atqui Deus adeſt ſolum in cęlo, juxta illud Pſal. 113. v. 16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus adeſt ſolum in cęlo, hoc eſt, ſpecialiter illic eſt præſens, concedo; eſt ſolum in cęlo per excluſionem a quolibet alio loco, nego. Cum igitur mirabilia in cęlo operetur Dominus ſe manifeſtando beatis, ibi veluti in connaturali loco habitat: homines vero ſunt in terra, ut in loco ſibi proprio, & ſuæ convenienti naturæ; attamen Deus præſens eſt in terra modis quibusdam communibus, ſcilicet per potentiam, omnia enim terrena illi obediunt, & cunctarum rerum eſt cauſa per præſentiam, nam omnia videt: per ſubſtantiam, quia omnia replet; ita D. Thomas hic art. 9. ex profeſſo, quod quidem explicat D. Bernardus ſerm. in Pſal. *Qui habitat*, his verbis: " Licet Deum ubique eſſe non dubitem, ſic tamen in cęlo eſt, ut ad ejus comparationem nec eſſe videatur in terris, propter quod & orantes dicimus: *Pater noſter qui es in cælis*, &c.

Inſiſtes. Qui ſolum adeſt Juſtis, profecto non eſt ubique præſens; qui, inquam, venit ad Juſtos, ut apud illos maneat, certe ante eorum juſtificationem ipſis non inerat: atqui ex Scriptura, ſolis Juſtis Deus adeſt, apud eos habitat poſt juſtificationem duntaxat; ſic enim in Evangelio Chriſtus ait Joann. 14. 23. *Si quis diligit me, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Deus eſt ſolum in Juſtis per inhabitationem, concedo; per aſſiſtentiam & potentiam, nego. Eodem prope modo diſtinguendum eſt conſequens. Unde ad probationem dico, Deum eſſe præſentem peccatori ante & poſt juſtificationem: ante, per eſſentiam, per potentiam & immenſitatem: poſt, ſpecialius & per gratiam; in hoc igitur ſolum ſenſu incipit eſſe præſens homini juſtificato, videlicet per inhabitationem, juxta illud 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

Inſtabis. Qui appropinquat ad Creaturam, non eſt ubique etiam per potentiam; nemo enim dicitur appropinquare ad locum ubi eſt; ſed Deus appropinquat ad quamlibet creaturam. Et probatur. Clemens Alexand. Strom. 2. Deum introducit ſic loquentem. „ *Deus appropinquans ego ſum*, inquit Dominus, procul quidem ſubſtantia: quomodo enim quod eſt genitum, appropinquaret ingenito? „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo ut ſupra. Deus appropinquat ad homines per gratiam, concedo; namque cum anima intime illi conjungatur, ad eam per majorem præſentiæ gradum appropinquare dicitur: appropinquat aliquem acquirendo de novo locum, nego. Quod autem hic ſit Clementis ſenſus, patet ex verbis ſequentibus, ubi de Deo ſic loquitur: " Proxime autem eſt poteſtate qua univerſa ſinu ſuo complectitur. „

Rurſus inſtabis. Idem in quinto lib. pag. 431. revincit Stoicos in eo quod dicerent Deum omnem permeare ſubſtantiam creatam. " Nos autem, inquit, eum ſolum dicimus effectorem. „ Sed cauſa non eſt præſens effectui, poſtquam illum produxit: ergo ſi Deus eſt ſolum cauſa rerum, tranſacta ratione, deſinit eſſe ipſis rebus præſens, ſaltem ex mente Clementis.

Reſpondeo diſtinguendo. Clemens eatenus debellat Stoicos, quatenus propugnabat Deum eſſe in mundo circumſcriptive, & veluti totius mundi ſpiritum, partes ejus moventem, concedo. In hoc Stoicorum ſenſu quidam ex antiquis Patribus negant Deum eſſe ubique. Clemens debellat Stoicos, præciſe eo quod dicerent Deum eſſe ubique, nego. Reprehendit igitur modum finitum quo volebant iſti Philoſophi Deum eſſe præſentem; unde optime dicit: " Illi Deum omnem permeare ſubſtantiam aſſeruit, nos autem eum ſolum dicimus effectorem. „ Ita D. Thomas hic art. 1. ad primum. Quid plura dicam? Clemens ipſe 6. Stromat. dicit: Deus " omnia comprehendit: „ igitur ex ipſo eſt ubique.

Inſtabis adhuc. Qui eſt ſolum in uno loco, non eſt ullo modo ubique præſens; ſed Deus eſt ſolum in uno loco. Et probatur. Lactantius de opificio Dei c. 16. approbat opinionem eorum qui dicunt animam reſidere in cerebro; nam, inquit, ad regimen oportet ut reſideat in ſummo tanquam in arce: ſubdit, " Sicut ipſe mun-

" di

Digitized by Google

,, di Dominus & Rector in ſummo eſt. ,, Comparationem ibi inſtituit in eo quod ſicut anima eſt in cerebro, ita Deus in ſummo. Rurſus ibid. " Videtur enim mens ,, quæ dominatum corporis tenet in ſum- ,, mo capite conſtituta, tanquam in cęlo Deus: ,, Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Deus eſt ſolum in uno loco ſpecialiter, concedo; in uno per excluſionem aliorum locorum, nego. Comparatio reperitur in aliquo, ſed non in omnibus; in hoc quidem, quod ſicut Stoici volebant animam principaliter reſidere in cerebro: ita aſſirmandum eſt Deum ſpecialiter habitare in cęlo, nempe per gratiam conſummatam & gloriam: rurſus occurrit comparatio, in eo ſcilicet, quod ſicut volebant Stoici animam commeare quandoque ad pectus, quandoque ad brachia, aliaſve corporis partes, tum ad conſilium, tum ad operationem; ita Deus eſt in omnibus creaturis ad ſuccurrendum; ſed diſcrimen eſt inter Stoicos & Lactantium in multis: 1. quidem, Lactantius vult Deum eſſe ubique præſentem. 2. Eſſe præſentem ſemper. 3. Eſſe præſentem, non ut incluſum & circumſcriptum, ſed ut omnia includentem; unde ſubdit ibidem. " Et mi- ,, ratur aliquis, ſi divina mens Dei per ,, univerſas mundi partes intenta diſcur- ,, rit, & omnia regit, omnia modera- ,, tur, ubique præſens, ubique diffuſa, ,, cum tanta ſit vis ac poteſtas mentis hu- ,, manæ intrà mortale corpus incluſæ. ,, Argumentatur autem Lactantius a minori ad majus, & quidem ad hominem, quaſi diceret iſtis Philoſophis: Conceditis animam quamvis in corpore circumſcriptam, in omnibus tamen corporis partibus præſentem eſſe: a fortioti ex concedendis Deus præſens eſſe debet ubique ſine circumſcriptione; unde in 7. divinarum Inſtitutiounm, c. 3. dicit: " Divinum ſpi- ,, ritum eſt ubique diffuſum, eoque omnia ,, contineri; non tamen ita ut Deus ipſe, ,, qui eſt incorruptus, gravibus & corru- ,, ptibilibus elementis miſceatur. ,,

Objicies 2. Qui eſt in loco, extenſus eſt, & continetur in illo; ſed Deus neque extenſus eſt, neque continetur a loco, juxta illud Auguſt. lib. 38. Quæſtionum, quæſt. 20. " In ipſo potius ſunt omnia, ,, quam ipſe alicubi. ,, Igitur ex Auguſtinus Deus non eſt in rebus, ſed potius res ſunt in ipſo, adeoque non eſt præſens ubique.

Reſpondeo diſtinguendo. Qui eſt in loco ad modum corporis & per quantitatem, continetur a loco, concedo; qui eſt per virtutem, & ut ipſum continens locum atque locata, nego. Deus igitur eſt præſens rebus ut ſpiritus, non quidem tanquam incluſus & definitus, ſed ut omnia portans & continens verbo virtutis ſuæ: igitur proprie loquendo non eſt in loco, quia ab eo non concluditur, ſed potius illum concludit. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 1. ad ſecundum, & eſt mens Aug. citati.

Oppones 3. Deus eſt præſens in rebus, ut cauſans eſſe; ſed cum ſit agens potentiſſimum, agit in diſtans: igitur non eſt præſens immediate rebus, ſed ſolum per dona vel naturalia, vel ſupernaturalia.

Reſpondeo diſting. minorem. Deus eſt agens potentiſſimum ſed infinitum, concedo; & non agens infinitum, nego. Cum igitur Deus ſit infinitus, non operatur in diſtans, quandoquidem ubique adeſt; ita D. Thomas ibidem ad tertium, qui poſt hanc ſolutionem datam hæc ſubdit: " Di- ,, cuntur tamen res diſtare a Deo per diſ- ,, ſimilitudinem naturæ vel gloriæ, ſicut ,, & ipſe eſt ſuper omnia per excellen- ,, tiam ſuæ naturæ. ,,

Inſtabis. Qui eſt indiviſibilis, non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis extenſis: atqui Deus eſt indiviſibilis: ergo, &c.

Reſpondet D. Thomas 3. contra gentes, c. 6. & 8. cauſam univerſalem eodem modo ſe habere ad effectus univerſales, ſicut cauſa particularis ſe habet ad effectum particularem; iſtam autem ſuo eſſe præſentem effectui: pari & conſimili ratione, Deum utpote cauſam univerſalem omnibus adeſſe creaturis, tanquam ſuæ potentiæ effectibus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Qui eſt indiviſibilis ut terminus quantitatis continuæ vel diſcretæ nequit ſimul eſſe in pluribus locis extenſis, concedo; quippe qui ab ente quod terminat limitatur: qui eſt indiviſibilis ex natura ſua per ſummam ſimplicitatem & excellentiam, nego. Secundo autem modo Deus indiviſibilis eſt; unde non implicat eum eſſe ubique præſentem. Solutio eſt D. Thomæ hic qu. 8. art. 2. ad ſecundum his verbis: " Indivi- ,, ſibile eſt duplex: unum quod eſt termi-

,, nus

„ nus continui, ut punctus in permanentibus, & momentum in ſucceſſivis; & hujuſmodi indiviſibile in permanentibus, quia habet determinatum ſitum, non poteſt eſſe in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis: & ſimiliter indiviſibile actionis vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu vel actione, non poteſt eſſe in pluribus partibus temporis. Aliud autem indiviſibile eſt quod eſt extra totum genus continui; & hoc modo ſubſtantiæ incorporeæ, ut Deus... tale igitur indiviſibile non applicatur ad continuum, ſicut aliquid ejus, ſed in quantum contingit illud ſua virtute. „

Repones. Qui eſt totus alicubi, non poteſt eſſe præſens pluribus in locis: ſic anima rationalis, eo quod tota ſit in uno corpore, eſſe in aliis non valet; ſed Deus eſt totus in cęlo: ergo non eſt alibi. Confirmatur. Non eſt in dæmonibus præſens, juxta illud 2. ad Corinth. 6. *Non eſt enim conventio lucis ad tenebras*. Item indignum eſt dicere eum eſſe in luto: Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Qui eſt totus alicubi definitive, ſicut de facto anima eſt in corpore, eſſe præſens ubique non poteſt, concedo; qui eſt præſens, ut continens locum, nego. Sic reſpondet Div. Thomas hic art. 2. ad tertium. Illud utique mirum in modum explicat Aug. l. 8. in Gen. ad litt. c. 26. his verbis: "Deus „ eſt extra omnia non excluſus, intra „ omnia non incluſus, ſuper omnia non „ elatus, ſubter omnia non depreſſus, interior omni rei, quia in ipſo ſunt omnia, exterior omni rei, quia ipſe eſt „ ſuper omnia. „

Ad confirmationem diſtinguo. Deus non eſt præſens dæmonibus, ut ſunt quædam entia realia & naturalia, nego; ut ſunt mali, ſubdiſtinguo: Non eſt ut beatificans, concedo, ut vindex & ultor ſcelerum, nego. Hunc quippe tanquam Judicem inexorabilem & ſentiunt & experiuntur. Ad tertium dico, quod ſicut radius ſolaris dum pertranſit lutum, & tranſeundo tangit, nec coinquinatur, nec ſuam amittit lucem & pulchritudinem, ita & a fortiori Deus aliquod in ſua ſanctitate, dum peccatoribus reprobis adeſt, ut Judex, & ultor non patitur detrimentum.

Objicies 4. Si Deus eſſet ubique præſens, omnes homines ſaltem Catholici forent beati: atqui res non ſic ſe habet, cum inter eos qui fidem Chriſti profitentur, multos eſſe reprobos conſtet. Igitur nuſquam dici debet Deum eſſe ubique præſentem. Probatur ſequela majoris. Præſentia Dei facit & conſtituit, nedum Angelos fideles, ſed & homines beatos. Ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo. Præſentia Dei per gratiam conſummatam & lumen gloriæ, facit & conſtituit homines beatos, concedo; præſentia ordinaria & communis quæ eſt ſolum per potentiam vel creantem, vel conſervantem homines in eſſe naturali, nego.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

contra ſecundam Concluſionem militantes.

Objicies. Deus eſt extra mundum, extra cęlos, & in ſpatiis imaginariis: ſed ibi non operatur: igitur operatio non eſt ratio formalis qua Deus eſt in loco. Probatur major: 1. quidem 3. Reg. 8. habetur: *Cœli cœlorum non te capiunt*. Item Job. 1. *Excelſior cœlo eſt*. Et Gregorius lib. 2. cap. 12. ait: " Ipſe eſt ... extra „ omnia. „ 2. Si daretur corpus infinitum, repleret ſpatia etiam vacua: igitur cum Deus ſit infinitus, omnia replere debet etiam ſpatia imaginaria. 3. Si Deus non eſſet in ſpatiis imaginariis, & ibi duo producerentur corpora, unum in uno loco, alterum in alio, jam foret a ſe ipſo diviſus, ſiquidem præſens eſſet duobus corporibus, ſed non medio, quod quidem abſurdum eſt: igitur dicendum eſt Deum eſſe etiam in ſpatiis imaginariis ubi non operatur: ergo operatio non eſt ratio formalis qua Deus ubique præſens eſt.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus eſt per potentiam in ſpatiis imaginariis, quatenus aliquam ibi poteſt producere creaturam: & hoc ſolummodo probant auctoritates in objectionibus laudatæ, concedo; eſt actu, nego. Ibi enim non operatur.

Ad ſecundum nego paritatem. Dato enim & non conceſſo quod corpus in quantitate infinitum cuncta repleret ſpatia, quatenus ubique extenderetur ejus quantitas,

titas, non inde tamen ſequitur Deum eſſe in ſpatiis imaginariis; virtus enim Dei operativa eſt quantitas ipſius virtualis; unde niſi tangat loca, non eſt in eis; ea autem non tangit niſi productione. Dictum eſt autem Deum nihil operari in ſpatiis imaginariis: igitur ibi non eſt præſens.

Ad tertium dico, quod in hypotheſi duo corpora divideretur per applicationem ad diverſa loca in quibus producerentur, minime vero Deus; ſicut v. g. radius ſolaris tangens unum locum & non alterum, non tamen in ſe, ſaltem in centro ſeu in ſole dividitur: Simili prope modo Deus indiviſus manens omnia dividit, & immotus omnia movet, nihil enim aut acquirit aut deperdit creando vel annihilando aliquas creaturas: igitur ejus operatio eadem in ſe manens ſolum terminative dividerentur, & ratione effectuum, nempe duorum corporum quæ in diverſis produceret locis, nuſquam vero in ſemetipſa.

Inſtabis. Prius eſt rem eſſe alicubi, quam operari; & de facto prius concipitur Deus eſſe in ſe ipſo, quam operari: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Prius eſt eſſe quam operari, in creatis, concedo; creaturæ enim agunt per eductionem, & ex præſuppoſito ſubjecto; in divinis, nego. Deus quippe eſt independens; & agit immediate in rebus. Ad aliud, Deus non eſt in ſe ipſo ut in loco, ſed per identitatem, unde Minutius Felix in Octavio dicit: " Ante mundum fuit ſibi Deus ipſe „ pro mundo. „

Iterum inſtabis. Deus eſt immenſus antequam operetur, aut intelligatur operari: ergo, &c.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Aliud eſt enim Deum eſſe immenſum, aliud eſſe præſentem. Ad primum ſufficit ut ſit infinitus in eſſe: ad ſecundum requiritur contactus; non poteſt autem tangere rem aliquam, ut in ea ſit præſens, niſi det illi aut eſſe aut conſervari: igitur ſicut corpus eſt in loco ratione quantitatis extenſæ, ita & Deus ratione operationis qua tangit omnia, eſt in loco.

Perſiſtes. Deus adeſt rebus per præſentiam in quantum, inquit D. Thomas hic q. 8. art. 4. " Videt omnia: ergo non eſt „ in loco per operationem. „

Reſpondeo cognitionem Dei eſſe cauſam rerum effectricem, juxta illud Pſam. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*. Et illud Aug. " Res ſunt quia novit Deus. „

Inſtabis adhuc. Deus ex D. Thoma hic art. 4. eſt ubique per potentiam, omnia quippe ejus ſubjiciuntur imperio: per ſubſtantiam, quia replet omnia: ergo non per operationem,

Reſpondeo neg. conſequentiam. Priores ſiquidem præſentiæ divinæ ſunt modi ſolum inadæquati, quandoquidem nec potentia ſibi ſubjicit creaturas, nec ſubſtantia replet omnia niſi operando; operatio enim eſt quantitas virtualis qua Deus ſe extendit ad cuncta creata.

Inſtabis denique. Deus res habet præſentes in æternitate antequam fiant, & tamen nondum in eis operatur; alias ab æterno præexiſterent: igitur operatio non eſt ratio formalis qua Deus eſt præſens rebus.

Reſpondeo negando paritatem. Enimvero Deus eſt præſens rebus in æternitate, illas ſibi repræſentando, ſeu potius ſuam eſſentiam ut participabilem ad extra contemplando, in tempore vero illas producendo & immutando.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus eſt immenſus.

Primo. Hoc ipſum Deus manifeſtat Jerem. 33. *Cælum & terram ego impleo*, unde Theophilus Antiochenus l. 2. ad Autholicum: " Cum Dei proprium hoc ſit „ non ſolum ubique eſſe, ſed etiam intue„ ri omnia & audire, &c. „

Secundo. Omne agens eſt ubi operatur; ſed Deus operatur ubique, nimirum vel producendo novas creaturas, vel productas conſervando: igitur eſt ubique.

Tertio. Hoc etiam confirmat momentum illimitatio Dei; cum enim ſit incircumſcriptus, ubique eſſe neceſſe eſt; alias clauderetur terminis vel locorum vel temporum.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

Primo. Deus quidem dicitur eſſe ſuper omnes gentes excelſus, & in cęlo habitare:

tare : at nemo non videt hæc & ſimilia indicare tantummodo Deum a nullo circumſcribi loco, qua de cauſa excelſus ſuper omnes gentes dicitur : porro cum eſſe in cœlo Scriptura commemorat, non intendit Deum alibi non eſſe, ſed ſolum ſpeciali modo habitare ubi majora & mirabiliora operatur.

Secundo. Non diffitemur Deum appropinquare ad peccatorem per juſtificationis gratiam, ideſt, manſionem in eo facere; verum antea ipſi per cognitionem & per potentiam erat præſens.

Tertio. Deus non eſt quidem in ſpatiis imaginariis actu, quia nihil ſunt; unde male concluderetur non eſſe ubique in locis poſitivis præſens.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS SECUNDUS.

DE

INVISIBILITATE ET VISIBILITATE DEI.

NON ſine ingenti animi lætitia, comperuiſſe debuimus Deum exiſtere, eſſe ens a ſe & independens, eſſe perfectiſſimum, omnis ſanctitatis pelagus, omnium bonorum parentem, ſua beneficia larga in nos profundentem ubertate; ipſe etenim totus pro nobis in creatione, in Redemptione totus, rurſum & in glorificatione Sanctis ſuis totus eſſe voluit: in hac beata ſede, in hoc felici regno omnes divitiarum ſuarum theſauros liberali pandit manu, electos inebrians ab ubertate domus ſuæ; ſed, proh hominum amentia! beatitudinem hanc quidam inſulſe & pertinaciter negare auſi ſunt, affirmantes Dei optimi viſionem nullo pacto eſſe poſſibilem: alii vero e contra, ſed neque minus ſtulte, ſibi hoc divinæ viſionis donum ad comprehenſionem uſque debitum propalare non formidaverunt. Nonnulli utique graviter circa illius menſuram erraverunt; quinimmo & multi circa tempus: unde quatuor impræſentiarum de viſione Dei tractanda & enucleanda ſunt. Primo agendum eſt de poſſibilitate: ſecundo de Actu: tertio de menſura: quarto de tempore. Quæritur an ſit poſſibilis? An detur Sanctis? An ad menſuram? An ſine dilatione uſque ad judicium, vel etiam poſt reſurrectionem uninerſalem? Unde ſit

DISSERTATIO PRIMA.

De poſſibilitate viſionis beatificæ contra negantes.

QUIDAM Judæi craſſiores crediderunt viſionem Dei eſſe impoſſibilem pro homine, etiam in altera vita: ſed contra dictum illud, Joan. 1. Epiſt. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Dogma de poſſibilitate viſionis Beatificæ his quatuor argumentis probatur.

Primo. Quia intellectus creatus poteſt videre Deum.

Secundo. Quia poteſt elevari ad hoc per lumen gloriæ.

Tertio. Quia poteſt adiuvari ad hoc, per unionem cum eſſentia divina, per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ.

Quarto. Quia in hac hypotheſi, non videret Deum oculo corporeo.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum intellectus creatus poſſit videre Deum.

POSSIBILITAS viſionis repeti debet a duobus; 1. a potentia, quæ habeat omne verum in tota ſua latitudine pro objecto; 2. a virtute ipſius potentiæ ad objectum attingendum, certum eſt intellectum creatum in ſe relictum non poſſe videre Deum intuitive, quandoquidem Deus eſt objectum tranſcendens omnem naturæ ordinem: ſed difficultas eſt, an intellectus creatus viribus gratiæ hoc poſſit? Pro cujus reſolutione ſit.

CON-

C O N C L U S I O.

Intellectus creatus gratia adjutus & elevatus, poteſt videre Deum intuitive.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura utriuſque Teſtamenti.*

Ex veteri. Geneſ. 15. v. 1. habetur: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Sap. 5. *apud Dominum eſt merces eorum.* Quæ loca intelliguntur de poſſeſſione Dei: ſed Deus viſione poſſidetur. Ergo intellectus creatus, gratia divina elevatus poteſt videre Deum intuitive.

Ex novo. Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* c. 18. v. 10. *Angeli eorum vident ſemper faciem Patris.* Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Et primæ ejuſdem Joan. c. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Et primæ Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Unde ſic argumentor. Deus promittit ſuæ eſſentiæ viſionem mundis corde, promittit diligentibus ſe; immo jam Angeli ſancti vident faciem Patris. Igitur intellectus creatus poteſt videre Deum viribus gratiæ.

Secundo, *Ex ſummis Pontificibus.*

Evariſtus in ſua Decretali dicit ſubſtantiam Dei a Sanctis in cœlo videri.

Benedictus XII. Extravaganti, *Benedictus*, idem docet; unde ſic arguitur. Ab actu ad poſſe valet conſequentia: ſed ſummi Pontifices definierunt beatos intuitive Deum videre: igitur intellectus creatus, elevatus & adjutus poteſt videre Deum intuitive.

Tertio, *Ex Conciliis.*

Francofurtense in Epiſt. ad Epiſc. Hiſpaniæ ſic loquitur: *Prædicamus Chriſtum verum Deum, ut ad ejus beatificam viſionem pervenire mereamur, in qua vera eſt beatitudo.*

Florentinum ſeſſ. 25. in Decreto unionis definit animas Sanctorum videre Deum in ſe: ergo, &c.

Quarto, *Ex ſanctis Patribus & Doctoribus.*

Irenæus, l. 4. c. 37. *Qui vident Deum*, inquit, *intra Deum ſunt, percipientes ejus claritatem ..... participatio autem Dei eſt videre Deum.*

Clemens Alexandrinus, l. 5. Stromatum, explicans hunc Moiſis locum, *Nemo videbit faciem meam & vivet*; ait: *Perſpicuum eſt, nullum umquam vita ſua tempore poſſe Deum clare comprehendere, ſeu intueri; qui autem ſunt mundi corde, Deum videbunt.*

Gregorius Nazianzenus noſtræ ſuffragatur concluſioni: nam Oratione 20. in laudem Baſilii de Beatis, ait: *Sanctam ac beatam Trinitatem vident purius ac perfectius.*

Auguſtinus ſimilia ſcribit Epiſt. 148. *Negare*, inquit, *non poſſumus Filios Dei viſuros Deum.*

D. Thomas hic prima parte, q. 12. art. 1. ex profeſſo docet concluſionem his verbis: *Cum ultima hominis beatitudo in altiſſima ejus operatione conſiſtat, quæ eſt clara divinæ eſſentiæ viſio per intellectum, conſtat intellectum creatum Deum poſſe videre per eſſentiam.*

Quinto, *Ratione multiplici.*

Prima eſt. Homo ſuam poteſt aſſequi beatitudinem; atqui beatitudo hominis eſt viſio Dei intuitiva; igitur homo adjutus a gratia poteſt videre Deum. Major patet, alias creatura rationalis foret deterioris conditionis ipſis belluis, quæ ſuum aſſequuntur finem. Probatur minor. 1. Deus fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ſed Deus vult ſuam apud ſemetipſum habere imaginem: ergo, &c. 2. Deus condidit hominem, & elevavit ad finem ſupernaturalem: atqui finis ſupernaturalis eſt Deus in ſe viſus: ergo, &c. 3. Quidquid Deo minus eſt, explere & implere hominem non poteſt, inquit Auguſtinus; unde ſummum ſemper deſideramus bonum: ſed appetitus ille non eſt fruſtraneus: igitur dicendum eſt hominem poſſe viribus gratiæ videre Deum intuitive.

Se-

Secunda. Intellectus creatus poteſt attingere ſuum objectum extenſivum: ſed Deus in ſe viſus eſt objectum ad quod intellectus creatus poteſt ſe extendere: & probatur. Objectum extenſivum intellectus noſtri eſt verum ut ſic, & in tota ſua latitudine ſumptum; ſcilicet ut complectitur verum creatum, & increatum: igitur homo gratia divina adjutus poteſt videre Deum intuitive.

Tertia. Viſio Dei intuitiva non implicat contradictionem: ergo eſt poſſibilis pro intellectu creato. Probatur antecedens. Non implicat ex parte potentiæ: intellectus enim eſt ſpiritualis, & immaterialis; unde ineſt ei & capacitas, & habitudo ad ſummum verum. Non ex parte objecti, quandoquidem Deus poteſt finito modo videri: neque etiam ex parte medii: enimvero Deus poteſt elevare intellectum creatum per gratiam ad ſuam viſionem intuitivam: igitur nulla eſt implicantia; igitur viſio eſt poſſibilis.

Quarta. Homo non debet eſſe ſemper anxius, nec perpetuam pati violentiam: ſed foret in ſtatu violento, eoque continuo, ſi Deum videre non poſſet; & probatur ex Aug. qui dicit: " Feciſti nos ad „ te, Domine, & inquietum eſt cor no- „ ſtrum, donec requieſcat in te.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura ſacra prodeuntes.

OBJICIES 1. primæ ad Timoth. c. 1. v. 17. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili ſoli Deo honor & gloria*. Qui eſt inviſibilis, non poteſt videri: atqui ex Apoſtolo Deus eſt inviſibilis: ergo. &c.

Reſpondeo 1. opponendo Apoſtolum Apoſtolo. Nam primæ Corinth. c. 13. v. 12. ait. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Deus eſt hominibus inviſibilis, viribus naturæ, concedo: viribus gratiæ, nego: ita Gregorius Naz. Baſilius, & alii.

Inſtabis. Si Deus eſſet viſibilis, maxime in gloria: atqui non videtur a Sanctis; & probatur Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit umquam, unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Igitur a ſolo Filio videtur.

Reſpondeo negando minorem; ad probationem, diſtinguo: Nemo vidit Deum umquam viſione comprehenſiva, concedo: intuitiva, nego. Viſio comprehenſiva ea eſt quæ attingit objectum ſecundum omnem tum extenſionem, tum intenſionem & quantitatem viſibilitatis: intuitiva vero quæ attingit objectum ut in ſe quidem eſt, ſed non quantum cognoſcibile eſt, ideſt, non ſecundum omnem cognoſcibilitatis modum. Beatus Joannes loquitur ſolum de prima cognitione; enimvero loquitur de cognitione quæ habetur in ſinu Patris, quæque eſt comprehenſiva. Dicit enim, *Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Ita Aug. Epiſt. 147. Chryſol. in hunc locum, & alii.

Inſtabis: unigenitus non enarrat nobis viſionem comprehenſivam, cum nullus mortalium poſſit illam capere, ſed intuitivam: atqui tamen enarrat viſionem quam nullus hominum habuit: igitur Joannes loquitur de intuitiva. Confirmatur; Joan. 6. v. 46. Chriſtus dicit: *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt a Deo. Hic vidit Patrem*.

Reſpondeo diſtinguendo. Unigenitus non enarrat nobis viſionem comprehenſivam, ut illam habeamus, concedo: Ut ſciamus Deum eſſe incomprehenſibilem, ineffabilem, æternum, & omnipotentem, nego: Venit enim ad hoc in mundum Filius Dei, ut homines peccatis obcæcatos & Idololatriæ deditos inſtrueret de exiſtentia, de quidditate & perfectionibus Dei Patris, cum enim teſte Apoſtolo primæ ad Timoth. c. 6. v. 16. Deus lucem inhabitet inacceſſibilem menti creatæ in ſe relictæ, neceſſe erat prædicare Patrem, quam quidem provinciam mirabiliter adimplevit Chriſtus. Porro ex hac enarratione, ſeu manifeſtatione hominibus facta per Chriſtum, nullo modo ſequitur homines ita perfecte Deum cognoſcere, ac cognoſcit ipſe qui enarravit & manifeſtavit.

Reſpondeo ad confirmationem diſtinguendo: Nullus hominum, tunc quando Chriſtus loquebatur, viderat Deum, quia nondum apertum erat cœlum peccato primi parentis clauſum, concedo: nullus Angelorum, nego. Ibi Chriſtus oſtendit ſuam ſupra omnes prophetas excellentiam, in eo maxime quod ille ſolus viderat Patrem, quod ejus ſecreta ſolus noverat, ſed non negat homines juſtos poſſe videre Deum viribus gratiæ.

In-

Inſtabis iterum : atqui nec Angeli ſancti viderunt Deum, & probatur; qui deſiderant videre, non viderunt : atqui Angeli ſancti concupiſcunt videre Deum, juxta illud primæ Petri c. 1. v. 12. *In quem Angeli deſiderant proſpicere* : igitur, &c.

Reſpondeo 1. opponendo Scripturam Scripturæ; nam Matth. 18. v. 10. de Angelis ſanctis Chriſtus dicit : *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris*.

Reſpondeo 2. negando ſubſumptum ; ad probationem, diſtinguo minorem : Angeli deſiderant deſiderio complacentiæ & amoris videre patrem, concedo : deſiderio ſpei puræ & excludente objecti poſſeſſionem, nego. Duplex deſiderium diſtinguit D. Thom. aliud complacentiæ & amoris puri, & eſt mera in objecto poſſeſſo complacentia ; ſic qui multas poſſidet divitias, ſemper deſiderat illas habere : aliud eſt ſpei & excludens objecti poſſeſſionem; ſic ægrotus deſiderat & ſperat ſanitatem. De primo ſolum loquitur D. Petrus; tot & tanta ſiquidem bona in Deo poſſident Angeli, ut torrente voluptatis inebriati, ſemper deſiderent Deum poſſidere. Ita Gregorius lib. 19. c. 38. ,, Conſiderandum nobis eſt quoniam ſatietatem ſolet faſtidium ſubſequi. Ut ergo recte ſibi utraque conveniant, dicat veritas, quia ſemper vident, dicat prædicator egregius, quia ſemper videre deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur, ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur : & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.

Urgebis adhuc, non poteſt, colligi Deum videri ex illis locis primæ Corinth. 13. v. 12. *Videmur per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Probatur Gen. 32. v. 3. Jacob dicit : *Vidi Dominum facie ad faciem*. Et Exod. 33. 11. de Moiſe dicitur : *Loquebatur Dominus ad Moiſen facie ad faciem*. Neuter tamen vidit intuitive Deum: ergo ex viſione faciei ad faciem, non poteſt inſerri viſionis intuitivæ Dei poſſibilitas.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens : ex viſione per imagines & ſimilitudines, non colligitur viſio Dei intuitiva, concedo : ex viſione faciei ad faciem immediata, nego conſequentiam & paritatem. Enimvero in primo loco de Jacob legitur ibidem, quod Angelus illi loquebatur, & cum eo luctabatur ad aurοram uſque ; & ſic erat ſolum viſio Dei per Angelum, qui loquebatur in perſona Dei. Quoad Moiſen, certum eſt iſta vice non vidiſſe intuitive Deum, quandoquidem ille Legislator ibi ſic alloquitur Dominum : *Oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit .... non poteris videre faciem meam .... non enim videbit me homo & vivet*. Sed cum Apoſtolus dicit : *Tunc autem facie ad faciem*, intelligit viſionem intuitivam ; ſiquidem loquitur de viſione oppoſita ænigmaticæ. Similiter, dum ait Mathæus Angelos videre faciem Patris, viſionem intuitivam indigitare contendit ; eam enim affirmat quæ habetur in cœlis.

Rurſus inſtabis : quando aliquid in ſcriptura affirmatur de Deo, & negatur in alio loco, tunc affirmatio ſumi debet in ſenſu metaphorico, negatio vero in ſenſu rigoroſo : ſic in Gen. dicitur Deum pœnituiſſe hominem feciſſe, & 1. Reg. 16. habetur pœnitudine Deum non flecti ; iſta negatio ab omnibus interpretibus ſumitur ſtricte & ad litteram : igitur a ſimili, tametſi dicat aliquando ſcriptura Deum aut videri, aut poſſe videri, cum aliis in locis eum modo inviſibilem, modo a nemine, niſi ab Unigenito, viſum eſſe pronuntiat, debemus ſumere negationem ad litteram, & aſſerere Deum non poſſe intuitive videri.

Reſpondeo diſtinguendo: Quando affirmatio & negatio dicuntur de eodem ſecundum idem, negatio debet ſumi in ſenſu rigoroſo, concedo : ſi dicantur ſecundum diverſos reſpectus, nego. Pœnitentia, & non pœnitentia dicuntur quidem de Deo per ordinem ad ipſum ; unde negativa prævalet : ſed viſio & non viſio aliter & ſecundum diverſa, de eodem prædicantur. Deus enim dicitur inviſibilis viribus naturæ & viatoribus ; viſibilis vero in cœlis & per lumen gloriæ ; unde non eſt paritas.

Solvuntur Objectiones, quæ ex Patribus deducuntur.

OBJICIES 1. Dionyſius de divinis nominibus c. 1. ait de Deo : ,, Neque ſen-

ſenſus eſt ejus, neque phantaſia, neque ,, opinio, nec ratio, nec ſcientia. " Igitur Deus non poteſt videri, etiam a beatis. Confirmatur. Clemens Alex. l. 7. Hypotipoſeon apud Oecumenium in Epiſt. prima ad Timoth. ad hæc verba. c. 3. v. 13. *Apparuit Angelis*, " dicit quippe invi- ,, ſibilem divinitatis naturam ne illi qui- ,, dem videbant, itaque incarnatum vide- ,, runt. ,, Igitur ex Clemente Angeli non videbant Deum in ſe, ſed ſolummodo Incarnatum intuebantur.

Reſpondeo 1. ad iſtam & alias auctoritates, ſanctos Patres velle tantummodo hominem non poſſe videre Deum oculo corporeo, vel etiam oculo intellectuali in ſe relicto, immo & ab eodem quantumvis elevato comprehenſive: de viſione quidem comprehenſiva, ut plurimum loquuntur; quippe qui agant contra Anomæos, qui tantam ſibi tribuebant de Deo notitiam, quantam Deus habet de ſe ipſo; unde ut illos revincant, fidenter dicunt Deum eſſe hominibus & Angelis inviſibilem, hominibus quidem, ut primum iſtum Anomæorum errorem, quo ſtatuebant viſionem Dei intuitivam eſſe homini naturaliter debitam confutent, Angelis vero, comprehenſive; ut alterum eorumdem hæreticorum commentum, quo ſibi ſtulte arrogabant viſionem Dei comprehenſivam, explodant. Vident igitur Angeli ſancti Deum intuitive, ſed non comprehenſive: ita Epiphanius hæreſi 70. num. 7. ,, Videtur, inquit, reipſa ut in ſe eſt, ſed ,, non videtur ſecundum totam ſuam am- ,, plitudinem. " Sicut igitur qui aſpicit cœlum per foramen, poteſt abſque mendacio dicere ſe videre cœlum, quamvis totam ejus extenſionem non videat, ita pariter, ait idem Pater, qui videt Deum intuitive, vere videt illum, ut in ſe eſt, tametſi non videat adæquate, & ſecundum omnia quæ in ipſo latent.

Reſpondeo 2. dicendo Dionyſium eo loci diſſerere de viſione Dei comprehenſiva, quæ prufecto nulli convenit creaturæ: nam immediate ante verba laudata ſic habet. " ,, Omnibus ipſe eſt univerſaliter incom- ,, prehenſibilis, nec ſenſus eſt ejus " D. Thom. hic q. 12. art. 1. ſic explicat Dionyſii contextum. Ad confirmatiunem diſtinguo; & Clemens loquitur de viſione comprehenſiva, concedo: de intuitiva ut ſic, nego. Enimvero agit contra Anomæos, quos proprio confodit gladio; dicit enim nulli creaturæ divinitatem eſſe viſibilem comprehenſive, nequidem Angelis, qui ſolum habuerunt comprehenſionem de natura humana aſſumpta.

Objicies 2. Auctor quæſtionum ad Antiochum, apud opera Athanaſii, c. 20. aſſerit, Beatos non videre eſſentiam Dei nudam, ſed tantummodo quemdam gloriæ gradum, ad captum humanum accomodatum: ergo nulla creatura poteſt videre Deum intuitive.

Reſpondeo diſtinguendo: & per gradum gloriæ ad noſtrum captum accomodatum, intelligit auctor viſionem finitam, excludendu duntaxat comprehenſivam, concedo: excludendo intuitivam omnimodam, nego. Ultro fatemur Beatos non videre eſſentiam Dei nudam; tum quia non omnia ipſis aperiuntur, ſiquidem ipſos multa latent, quæ ſoli Filio unigenito nota ſunt; tum quia ſolus filius novit Patrem comprehenſive; ſicut ſolus Spiritus ſanctus comprehenſive novit Patrem & Filium.

Objicies 3. Baſilius, l. cuntra Eunomium ſcribit omnem naturam creatam Deum non cognoſcere: ,, Soli, inquit, Filio ,, cognitus eſt Pater, nec non Spiritui ſan- ,, cto. Gregorius Nyſſenus l. 12. contra Eunomium ſimile quidquam & affine loquitur. ,, Non eſt in hominum natura ,, vis ad accuratam perceptionem divinæ ,, ſubſtantiæ, ac fortaſſe parum eſt iſtud ,, de ſola vi humana pronuntiare, verum ,, etiam, ſi quis naturam corporis exper- ,, tem interiorem eſſe dicat, quam ut in- ,, finitam naturam capere, & complecti ,, cognitione poſſit, non ille penitus aber- ,, rabit.

Reſpondeo, utrumque Patrem loqui ſolummodo de viſione comprehenſiva, quam quidem a creatura excludunt: nec mirum, loquuntur in ſenſu oppoſito Eunomio, quem ſuo perſtringunt ſtilu cenſorio; unde Baſilius ad revincendum illum hæreticum, dicit Patrem ſoli Filio & Spiritui ſancto eſſe notum; utendo illis Apoſtoli verbis, primæ Corinth. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Quæ quidem ſententia comprehenſiunem ſonat. Quod autem Gregorius in alio non loquatur ſenſu, patet ex Oratione de Pulcheriæ laude, ubi agnoſcit viſionem Dei pro Beatis, ſic enim exclamat: *Quam ſpecioſus ille oculus qui Deum videt.*

Ur-

Urgebis 4. Cyrillus Alex. l. 1. in Joan. c. 22. ait : " Soli conſubſtantiali Filio ,, Pater viſibilis eſt . Poſtea ſubdit : Ab ,, operibus præſtantiorem gloriam unige- ,, nitus cæteris demonſtratur habere , ſed ,, aciem oculorum hominis , tamquam ,, Deus eſſugiens , quia omnem ſuperat ,, creaturam , idcirco increatus , ideſt , ,, Deus eſſe intelligitur , & glorificatur.,, Item Cyrillus Hieroſol. Catecheſi. 6. " Vi- ,, dent, inquit , Angeli Deum , non ſi- ,, cut Deus eſt , ſed quantum capere ipſi ,, poſſunt.

Reſpondeo, iſtas omnes Patrum propoſitiones eſſe Catholicas. Cyrillus Alex. in prima loquitur de viſione comprehenſiva. In 2. loco loquitur de viſione oculi corporei, cujus aciem fugit Chriſtus ut Deus. Namque oculus corporeus etiam elevatus Deum videre non poteſt. Cyrillus Hieroſol. ſolum excludit a Sanctis viſionem comprehenſivam, quandoquidem dicit Angelos videre Deum : addit autem, non ſicut Deus eſt, vident : & bene ; videre enim ut Deus eſt, ſecundum Cyrillum, eſt videre adæquate & comprehenſive, ideſt, ſecundum omnem cognoſcibilitatis modum. Unde Catecheſi 7. ait. " Qui ex Deo eſt, ,, vidit Deum, cujus faciem ſemper An- ,, geli vident in cœlis : vident autem pro ,, menſura ordinis ſui .... cæterum pura ,, ac liquida Patris viſio proprie Filio ac ,, Spiritui ſancto reſervatur . ,, Igitur beati vident Deum ad menſuram, ideſt finite ; liquida vero ac pura, ſeu comprehenſiva viſio Patris, tum Filio, tum Spiritui ſancto reſervatur. Sancti Doctores eadem prope phraſi, unoque veluti ore circa iſtud momentum ſeſe explicant, ut os Anomæorum loquentium iniqua contundant. Igitur non negant viſionem intuitivam concedi Beatis, ſed ſolummodo comprehenſivam.

Objicies 5. Ambroſius, comm. in Lucam, initio ſic loquitur. " Quid de hominibus ,, loquitur? Cum etiam de ipſis cœleſti- ,, bus virtutibus & poteſtatibus legerimus, ,, quia Deum nemo vidit umquam. ,, Et l. de Incarn. verba illa Joan. explicans. " Quod vidimus & audivimus, ait : Ille ,, vidit quod vidit, non utique divinita- ,, tem, quæ ſecundum naturam ſuam eum ,, videre non poterat : ſuſcepit quod erat ,, propter naturam divinitatis, ut ſecun- ,, dum naturamcorporis videretur.

Reſpondeo, Ambroſium viſionem duntaxat comprehenſivam eo loci excludere a creaturis ; ratio enim ab ipſo allata, ea eſt, quia ab hominibus & Angelis comprehenſive nec videtur, nec poteſt videri Deus. " Ideo, inquit, Deum nemo vidit ,, umquam, quia eam quæ habitat in Deo ,, plenitudinem divinitatis nemo conſpe- ,, xit, nemo mente, aut oculis compre- ,, hendit. ,, Et vero plenitudo non conſpicitur, niſi videatur Deus adæquate & comprehenſive.

Objicies 6. Hieronymus, apud Aug. Ep. 148. ait. " Videre Deum ſicut eſt in ,, natura ſua oculus omnis non poteſt : ,, non ſolum homo, nec Angeli, nec ,, Throni .... neque enim creatura po- ,, teſt aſpicere Creatorem ſuum. ,, Sed qui nequit aſpicere, nec poteſt videre intuitive : ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo, ut ſupra : creatura non poteſt aſpicere Creatorem aſpectu adæquato, concedo : finito, nego.

Objicies 7. Iſidorus in caput 41. Exod. ſic loquitur. " Quamvis uſque ad parili- ,, tatem Angelicam humana natura per- ,, feratur poſt reſurrectionem, & ad con- ,, templandum Deum indeſeſſa conſurgat, ,, videre tamen ejus eſſentiam plene non ,, prævalet, quam nec ipſa perfectio An- ,, gelica, in toto vel integre attingit ,, ſcire : ſola enim integre ſibi nota eſt ,, Trinitas, & humanitati ſuſceptæ, quæ ,, tertia eſt in Trinitate Perſona.

Reſpondeo, Iſidorum ibi loqui ſolum de viſione comprehenſiva, ut denotant iſti termini plene, & integre ; & certe ſola Trinitas, ſibi nota eſt comprehenſive : cum vero ſubditur, humanitati aſſumptæ, intelligit humanitatem ratione Perſonæ Verbi cui conjungitur ; comprehendere Deum, minime vero ratione ſui ipſius interpres, ſubdit enim, *quæ eſt in Trinitate Perſona*.

Solvuntur Objectiones ex Ratione.

OBJICIES 1. Eſſentia divina non eſt objectum intellectus creati : Ergo non poteſt ab ipſo videri. Probatur antecedens : debet eſſe proportio inter potentiam & objectum : atqui nulla inter intellectum & eſſentiam divinam intercedit : ergo eſſentia divina non eſt objectum intellectus creati.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo: deber eſſe proportio habitudinis, concedo: entitatis, nego: & diſtinguo minorem: nulla eſt proportio entitatis inter eſſentiam divinam & intellectum creatum, concedo: nam illa eſt ſubſtantialiter infinita, intellectus vero humanus, & Angelicus, eſſentialiter finitus: nulla eſt habitudinis, nego. Enimvero intellectus creatus, utpote ſpiritualis, & cognoſcitivus, reſpicit eſſentiam divinam ut ſuum perſectivum, quandoquidem reſpicit omne ens; ut autem intellectus creatus ſe habeat tanquam perſectibilis ad eſſentiam divinam, non opus eſt ut ſit in perſectione æqualis: immo requiritur ut ſit inæqualis, alias non reſpiceret illam ut ſuum perſectivum. Iſta igitur proportio fundatur in natura intellectus, qui reſpicit omne ens intelligibile: fundatur in ordine quem perſectibile habet ad ſuum perſectivum: Fundatur in ipſa Dei eſſentia, quæ ſui communicatione perficit intellectum.

Inſtabis: finitum non habet habitudinem ad infinitum: ergo &c. Probatur ſubſumptum: fruſtranea foret illa habitudo, ſiquidem non poſſet illud attingere objectum, utpote ſupra ſe. Igitur finitum non habet habitudinem ad infinitum.

Reſpondeo negando antecedens, ad probationem diſtinguo: Appetitus creaturæ foret fruſtraneus, ſi objectum eſſet ſupra potentiam quoad ordinem, concedo: ſi ſolum quoad excellentiam, nego. Quia vero res ſpiritualis eſt diverſi ordinis ab oculo corporeo, non poteſt ullo modo ap ipſo videri, ſed eſſentia divina eſt ſolum ſupra mentis oculum. Quoad excellentiam excedit quidem intellectum ratione rum entiratis, tum virtutis; at intellectus creatus eſt ejuſdem ordinis cum eſſentia, nam & immaterialis & cognoſcitivus eſt,. unde illam poteſt attingere.

Rurſus inſtabis: intellectus creatus eſt potentia intrinſece naturalis, eſſentia vero divina, eſſentialiter ſupernaturalis: igitur intellectus creatus non eſt ejuſdem cum ea ordinis.

Reſpondeo diſtinguendo: Intellectus creatus eſt potentia intrinſece naturalis, & terminative ſupernaturalis, concedo: & non eſt, nego. Eſt quidem intrinſece naturalis, & ideo abſque gratia elevante, Deum intuitive videre nequit: ſed ratione potentiæ obedientialis qua ſubjicitur creatura creatori ad operationem mirabilium, per lumen gloriæ ad Dei viſionem poſſe elevari nemo non capit.

Ad id vero quod dicitur intellectum creatum eſſe diverſi ab eſſentia divina ordinis, diſtinguo: diverſi ſpecifice & intrinſece, quia eſſentia divina eſt ſupra omnem creaturam, concedo: diverſi generice & intrinſece, nego. Et vero intellectus creatus eſt ſpiritualis & immaterialis; ens autem divinum includit ſub ſe ens immateriale: igitur intellectus creatus poteſt ordinem ad eſſentiam divinam habere, ut ab ea perficiatur, eamque videat: tum quia terminative & extrinſece eſt ſupernaturalis, quatenus divinæ ſubditur potentiæ, quæ illum elevare poteſt ad aliquid quod eſt ſupra naturam creatam; tum quia intellectus reſpicit omne verum, quod quidem ſub ſe continet verum & creatum & increatum, verum naturale & ſupernaturale.

Inſtabis adhuc. Ens in tota ſua latitudine dicit corporeum, & Incorporeum, & tamen oculus corporeus, neque ſecundum ſe, neque etiam elevatus rem incorpoream videre poteſt. Ergo a pari quamvis eſſentia divina contineatur ſub ente immateriali, tamen intellectus creatus, quantumvis elevatus, illam videre non poteſt.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio diſparitatis in eo potiſſimum eſt, quod oculus intellectualis contineatur ſub ente univerſaliſſimo & ſupremo, quatenus immateriali: at vero corporeus pertinet ad lineam oppoſitam, nimirum ad ens reduplicative ut corporeum, adeoque eſſentialiter diverſum ab ente ſpirituali & immateriali. Intellectus igitur non ſolum ejuſdem ordinis eſt cum ente divino ut ens eſt, ſed etiam quatenus eſt ens immateriale: igitur modo elevetur mens humana ipſa, poterit ens immateriale tanquam ſuum objectum attingere: nec mirum, intellectus creatus utpote ſpiritualis, eſt univerſalium; hoc eſt, attingere ſimiliter & reſpicere poteſt omne ens; immateriale quidem, quia eſt ejuſdem cum eo ordinis; materiale vero, quia poteſt illud a materia per abſtractionem exuere,

& po-

& poſtea illud in ſpecie formata contemplari; ſed non ſic oculus corporeus, cum enim ſit in materia immerſus, illam neque relinquere, neque ab ea abſtrahere poteſt: unde rem ſpiritualem, quantumvis elevatus attingere non valet.

Perſiſtes. Ratio infiniti tam extrahit eſſentiam divinam extra objectum intellectus creati, quam immaterialitas illam extrahit extra objectum oculi corporei: Ergo ſicut eſſentia non poteſt videri ab iſto, neque utique poterit ab illo. Probatur antecedens: tanta eſt diſtantia inter finitum & infinitum, quanta inter rem materialem & ſpiritualem intercedit: ergo, &c.

Reſpondeo negando, antecedens: Licet enim intellectus hominis ſit finitus, eſt tamen ſub eodem genere ſupremo & ſubalterno cum ente infinito, nam ut talis ex natura ſua ſpiritualis & immaterialis eſt: at vero oculus corporeus eſt ſolum ſub eodem genere ſupremo cum re ſpirituali, ſiquidem cum ea duntaxat convenit in ratione entis, nuſquam vero in ratione talis entis, quippe qui ſit corporeus & non ſpiritualis. Ad probationem diſtinguo: Tanta eſt diſtantia inter finitum & infinitum, quanta inter rem materialem & ſpiritualem in ratione entis, concedo: Quandoquidem eſſentia divina eſt quid increatum: Tanta eſt in ratione habitudinis, nego. Hæc autem diſparitas non oritur ex ratione finiti, vel infiniti, quæ ſunt proprietates conſequentes ad ens & ipſius quantitas virtualis, ſed ex diverſa ratione entium ſpecifica: ſic licet animal & homo ſint quid finitum, fieri tamen non poteſt, ut animal reduplicative ut animal, conveniat cum homine, quatenus rationalis eſt: quia rationalitas & irrationalitas opponitur & ſe mutuo ab eodem ſubjecto excludunt. Propter eamdem & ſimilem rationem, nec oculus videre ſonum, nec auris viciſſim percipere coloratum poteſt, quia objecta ſunt diverſi ordinis ſpecifice: igitur nec pariter oculus corporeus rem ſpiritualem & immaterialem videre poteſt.

Urgebis: intellectus creatus non poteſt elevari ad videndum omnia poſſibilia quæ in eſſentia divina latent, ergo nec ad videndum Deum intuitive. Probatur conſequentia: Deus in ſe eſt quid majus quam omnes creaturæ poſſibiles: ergo ſi intellectus non poteſt elevari ad videndum omnia poſſibilia, a fortiori nec ad videndum intuitive Deum.

Reſpondeo negando paritatem: ratio diſcriminis in eo potiſſimum ſita eſt, quod cognitio omnium poſſibilium inferat Dei ipſius comprehenſionem, cum poſſibilia nihil aliud ſint quam ipſa eſſentia divina, infinite ad extra participabilis: igitur intellectus creatus omnia non poteſt cognoſcere poſſibilia, bene tamen Deum finito modo videre; ad hoc enim ſufficit ſi per lumen gloriæ creatum elevetur.

Objicies. 2. Deus eſt comprehenſibilis, & tamen ab intellectu creato comprehendi non poteſt: ergo licet ſit viſibilis, non poteſt utique ab intellectu creato videri.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Deus eſt comprehenſibilis a potentia infinita, concedo: a facultate finita, negando antecedens & paritatem: ratio diſparitatis in eo eſt, quod Deus non poſſit ex parte comprehendi, alias non eſſet comprehenſio: nam comprehenſio cognitionem adæquatam objecti importat: at non viſiblitas. Et vero videmus intuitive ſolem in ſe, tametſi non videamus ſecundum omnem extenſionem, eo quod oculus ſit nimis limitatus: igitur & intellectus creatus poteſt videre Deum intuitive, licet ſecundum omnem extenſionem virtualem haud valeat.

Inſtabis: Deus non poteſt videri intuitive niſi comprehendatur: ſed intellectus creatus nequit Deum comprehendere: ergo nec videre. Probatur major. 1. quidem Deus eſt indiviſibilis, igitur non poteſt videri niſi totaliter videatur. 2. Si non comprehenditur, non videtur totus: igitur nec ſicuti eſt.

Reſpondeo negando majorem: ad probationem, diſtinguo: Deus eſt indiviſibilis in ſe, & entitative, virtualiter vero diviſibilis, concedo: & nequidem virtualiter diviſibilis eſt, nego. Deus multas habet virtutes, ſeu potius unicam eamque infinitam, omnibus perfectionibus creatis æquivalentem, immo & eas in immenſum excedentem, & ideo fugit aciem mentis creatæ quoad multa, eo prope modo quo ſolis extenſio adæquata oculum fugit corporeum: quod quidem ulteriori poteſt illuſtrari exemplo. Verbi gratia videmus Petrum, non ideo tamen ipſius ſecreta intelligimus: ſic

Beati vident Deum, ſed non totaliter, quandoquidem Deus non habet terminos, bene vero intellectus creaturæ: vident eſſentiam divinam Beati; vident perſonas, vident & attributa, ſed finito prorſus modo: hinc ſancti Doctores nonnunquam dicunt Deum Patrem ſoli Filio, ſoli Spiritui ſancto notum eſſe, hoc eſt comprehenſive: tametſi enim Beati Deum intuitive videant, non tamen ſecundum omnem cognoſcibilitatis modum.

Inſtabis: ergo aliquid in Deo ſanctos latet: igitur non vident Deum ſicuti eſt & intuitive.

Reſpondeo diſtinguendo: aliquid accidentale latet ſanctos, puta ſecreta conſiliorum Dei, & modus cognoſcibilitatis infinitus, concedo, aliquid eſſentiale, nego. Vident enim omnia quæ ſunt eſſentialia, nempe & naturam, & Perſonas & attributa, quinimmo vident & modum cognoſcibilitatis eſſe infinitum, eſſe ineffabilem, ſed ipſum non comprehendunt. Ergone anxii? minime. Quippe qui videndo Deum, omnibus fruantur bonis eo modo quo ſunt capaces, ſcilicet finito. Porro appetitus non eſt ad impoſſibile: cum igitur beati Deum non poſſint comprehendere, de hoc nullo modo ſunt anxii, immo hoc ipſum nullo modo deſiderant.

Inſtabis: ſi Deus non videtur comprehenſive a Beatis, ſequitur ejus viſione non ſatiari Sanctos: abſurdum conſequens: ergo & antecedens. Probatur ſequela: ideo creaturæ hominem reddere Beatum, ejuſque appetitum ſatiare non valent, quia ſunt bona finita: ergo ſi viſio Dei non eſt comprehenſiva, neque erit & ſatiativa, quippequæ & finita adeoque & bonum prorſus finitum.

Reſpondeo negando ſequelam, & paritatem propter duo. 1. Quidem quia quælibet creatura in ſe ſpectata eſt bonum finitum, Deus vero bonum infinitum, unde ſatiat appetitum intellectus creati, minime vero creaturæ poſſeſſio. 2. Creaturæ ſunt imperfectæ, quandoquidem multis carent bonis quæ deſiderat anima: at vero Deus eſt ſummum & maximum bonum. Denique creatura hic multis ſubjicitur miſeriis, quæ quidem impediunt perfectam objecti poſſeſſionem: ſed in cœlo omne bonum invenitur, nempe æternitas, pax, immortalitas. Quid plura? finis clare, certo & in æternum, ſine diſtractione poſſidetur. Hinc anima torrente voluptatis potatur, & inebriata ab ubertate ſanctæ civitatis quieſcit.

Inſtabis: ſi Deus intuitive videretur ab intellectu creato, actus viſionis foret infinitus: ergo & comprehenſivus. Probatur ſequela. Ubi eſt objectum infinitum, ibi eſt actus infinitus, nam actus ſpecificatur ab objecto: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: erit viſio infinita objective, terminative & extrinſece, concedo: erit infinita ſubjective, ſubdiſtinguo, ſi tendat facultas modo infinito ad objectum, concedo: ſi modo duntaxat finito, ut de facto tendit intellectus Beatorum, nego: ad aliud, diſtinguo: actus ſpecificatur ab objecto, & a modo tendendi in illud, concedo: ab objecto ut ſic, ſubdiſtinguo: extrinſece, concedo: intrinſece, nego: quantitas actus a virtute potentiæ promanat, unde ſi ſit finita, actus utique eſt intrinſece finitus & ſolum extrinſece infinitus, ſeu objective. Talis eſt Sanctorum viſio, quandoquidem quantitative & intrinſece eſt finita, adeoque ſolum objective & exrinſece infinita.

Inſtabis: repræſentatio rei infinitæ eſt infinita: ſed intellectus nequit videre Deum, niſi illum ſibi repræſentet ſicuti eſt: ergo in hypotheſi quod videat Deum intutive, ejus actus erit intrinſece infinitus.

Reſpondeo 1. intellectum Beatorum non producere ſpeciem de Deo, unde illum ſibi non repræſentat, ſed eſſentia divina immediate unitur eorum menti, ut ab eis intuitive videatur. Ita D. Tom. ut dicetur infra ex profeſſo.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: repræſentatio adæquata, quæ objectum tam ſecundum ſe quam ſecundum ſuam quantitatem virtualem, & omnem congnoſcibilitatis modum exprimit, eſt infinita, concedo: repræſentatio inadæquata, quæ non attingit omnem objecti extenſionem & quantitatem, qualis eſt ea quæ competit Beatis, nego.

Inſtabis: ſi viſio Dei poſſibilis eſt, debet eſſe adæquata: ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum: ſuppoſito quod ſit intuitiva, nedum attributa, ſed & poſſibilia, & Dei arcana ab ea attingi neceſſe eſt, quatenus hæc omnia ſunt ipſe Deus: igitur ſi ſancti donentur viſione

ne

ne beatifica, vident Deum adæquate & extenſive.

Reſpondeo negando ſubſumptum, ad probationem diſtinguo: poſſibilia & arcana ſunt ipſe Deus entitative & extenſive, concedo: entitative ſolum, nego: dictum eſt quidem Deum videri a Beatis, ſed non ſecundum omnem cognoſcibilitatis modum: & vero vident omnipotentiam, ſed non omnia quæ poteſt, intelligunt, maxime vero cum creaturæ poſſibiles non habeant neceſſariam cum Deo connexionem: igitur Deus non viſis poſſibilibus, videri poteſt a Beatis.

Objicies 3. Verum infinitum non eſt objectum intellectus, igitur mens humana nequit videre Deum intuitive. Probatur antecedens: tametſi fides & ſcientia reſpiciant ens immateriale & ſpiritale, attamen fides ad ſcientiæ objectum non pertingit. Nam fidei objectum veritas quidem eſt, ſed revelata, ſcientiæ vero eſt veritas clare & evidenter cognita: ergo a ſimili licet intellectus creatus habeat pro objecto verum, non poteſt tamen reſpicere verum infinitum, ſcilicet Deum, quandoquidem verum finitum & infinitum habent rationem prorſus diverſam.

Reſpondeo negando paritatem propter duo: primo quidem quia potentia vitalis univerſalior eſt habitu, qui ad unum determinatus eſt; igitur cum intellectus ſit univerſaliſſimus, poteſt ſimul attingere & objectum fidei, nimirum veritatem revelatam, & objectum ſcientiæ, nempe veritatem clare & evidenter cognitam. Quinimmo omnium ſcientiarum objecta reſpicit, quamvis quælibet in particulari non poſſit ferri niſi circa objectum ſibi correſpondens. 2. Finitum & infinitum non ſunt rationes objecta formalia diverſa conſtituentes, ſed eorum duntaxat quantitas: quod enim Juvenis clarius videat coloratum quam Senex, non inde ſequitur eorum oculos eſſe ſpecie diverſos; quandoquidem plus & minus ad objecti rationem, aut nihil, aut parum conducunt; igitur nec finitum & infinitum; neque enim objecta formaliter diverſa conſtituunt. Unde nullum ſequitur inconveniens, tametſi hominis, vel Angeli intellectus verſetur finito modo circa objectum infinitum.

Inſtabis; ſcientia eſt univerſalium; non enim datur de ſingularibus, quippe quæ contingentia ſint, & tamen Phyſica, v. g. objectum Medicinæ attingere non valet: ergo a ſimili licet intellectus creatus ſit univerſalis, non poteſt tamen objectum infinitum attingere.

Reſpondeo diſtinguendo: ſcientia eſt univerſalis in aliquo genere & quatenus abſtrahit a ſingularibus, concedo: in omni genere, nego: eſt enim ad unum objectum formale determinata; ſic Medicina reſpicit ſolum corpus humanum reduplicative ut ſanabile: at vero intellectus univerſalior eſt, ſiquidem reſpicit verum ſecundum omnem formalitatem, videlicet verum Phyſicum, verum Morale, verum creatum, & increatum, unde non eſt par ratio.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Viſio Dei eſt poſſibilis.

PRIMO quia ex Scriptura Deus intuitive viſus, eſt merces ſanctorum. Quinimmo Beati illum vident ſicuti eſt.

Secundo, quia ex Conciliis viſio ſanctorum, non eſt ænigmatica, ſed facie ad faciem & intuitiva. Ita & docent utriuſque Eccleſiæ Patres.

Tertio, quia Deus continetur intra objectum ſpecificativum intellectus creati, qui quidem reſpicit omne verum in tota ſua latitudine. Cæterum ineſt homini appetitus ad Deum intuitive videndum, nullus autem appetitus legitimus debet eſſe fruſtraneus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM.

PRIMO, Deus dicitur inviſibilis in Scriptura, ſed hoc intelligitur viribus naturæ, atque etiam de viſione comprehenſiva quæ ſoli Filio convenit & Spiritui ſancto.

Secundo, in eodem ſenſu intelligendi ſunt Patres, quando negare videntur viſionem Dei creaturæ intellectuali poſſibilem.

Tertio, non eſt quidem proportio entitativa inter Deum & intellectum creatum, bene tamen habitudinis: denique licet Beati videant totum Deum, non ſequitur videre comprehenſive, quia illum non vident totaliter, ſiquidem omnem ejus

cognoſcibilitatis modum & quantitatem attingere non valent.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ſanctus Chryſoſtomus negaverit poſſibilitatem viſionis Beatificæ pro intellectu creato.

CONCLUSIO.

Sanctus Chryſoſtomus non negavit poſſibilitatem viſionis Dei pro intellectu creato elevato.

PROBATUR: ille non negavit poſſibilitatem viſionis Dei pro intellectu creato elevato, qui illam paſſim & in multis locis aſtruit: atqui ſanctus Chryſoſtmus paſſim & in multis locis aſtruit poſſibilitatem viſionis Beatificæ pro intellectu creato: ergo illam non negavit. Probatur minor multipliciter. 1. Paræneſi prima ad Theodorum lapſum, c. 7. explicans illud Matth. 17. *Bonum eſt nos hic eſſe*, ait: " Quid dicemus quando regiis cubi-„ culis adapertis intueri licebit ipſum Re-„ gem, non per ſpeculum, nec per ænig-„ ma, ſed facie ad faciem? „ 2. Homil. 111. in Epiſt. ad Philippenſes exponens illud. Pſal. 41. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei*; eamdem confirmat veritatem. " Vide, inquit, ardentem „ hominem, vide inflammatum, ſciens „ enim ſe, cum hinc receſſerit, Deum „ eſſe viſurum, nec expectat quidem di-„ lationem. „ 3. Oratione de Sancto Philogone novum addit veritati calculum, & ſic loquitur. " Hic quidem nemo Deum „ vidit, illic autem qui adſunt, perpetuo „ vident, quatenus illum videre licet, „ non ſolum præſentem, verum etiam „ gloriæ ſplendore condecorantem. „ Ergo ſanctus Chryſoſtomus paſſim aſtruit poſſibilitatem viſionis pro intellectu creato.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES. Chryſoſtomus explicans illa verba: *Deum nemo vidit umquam, ſed Unigenitus nobis enarravit*; dicit Homil. 14. Deum a nemine viſum fuiſſe, etiam a Prophetis: affert in exemplum ſimul & in probationem Jacob, qui dicitur vidiſſe Deum facie ad faciem; Moiſen qui vidit in rubo: Iſaiam qui vidit in throno ſedentem, Joannem qui in Apocalypſ. ſe vidiſſe gloriam Dei teſtatur. Ratio ab ipſo ibi allata cur iſti omnes Deum intuitive non viderint, hæc eſt, quia, inquit, Deus non eſt deſcriptibilis: igitur Chryſoſtomus non credidit viſionem Dei poſſibilem.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus non videtur viſione comprehenſiva, concedo: intuitiva, eaque finita, ſubdiſtinguo: in hac vita, concedo: in altera, nego: quod autem hic ſit ſenſus Chryſoſtomi, patet ex ſcopo quem habet in quinque homiliis, nempe Anomæos perſtringere: iſti autem duos habebant errores. 1. Dicebant Deum in hac vita intuitive videri. 2. Videri comprehenſive. Utrumque refellit errorem Chryſoſtomus, primum quidem dicendo quod nec ipſi Prophetæ in hac vita viderint Deum intuitive, ſed ſolum in ſimilitudinibus, & hoc quia Deus non eſt deſcriptibilis. Secundum vero, aſſerendo Deum a ſolo Unigenito, qui eſt in ſinu Patris, cognoſci cognitione comprehenſiva. Duplicem igitur diſtinguit viſionem S. Doctor, alteram comprehenſivam, alteram finitam. Primam vocat viſionem in ſinu Patris & ipſi conſubſtantialem, hancque ſoli Filio convenire aſſerit, & hoc ad refutandos Anomæos: alteram vero modo intuitivam, modo ſolum imaginariam nominat. Intuitivam quidem, pro Beatis; imaginariam vero, pro viatoribus.

Inſtabis: Prophetarum viſio dicitur revelatio, adeoque non intuitiva: ſed viſio Beatorum eſt etiam ſolum revelatio, juxta illud Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium niſi pater, neque patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Idem ſentit Chryſoſtomus, dum dicit viſionem Prophetarum & Beatorum eſſe ſolum viſionem permiſſionis: " Omnia, in-„ quit ibidem, permiſſionis fuiſſe, non „ ipſius ſubſtantiæ: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Viſio ſanctorum eſt revelatio, ideſt, gratia, concedo: hoc ipſum explicat Chryſoſtomus per vocabulum promiſſionis. Ideſt, cognitio obſcura, ſubdiſtinguo, in terris, concedo: in cœlis, nego: revelatio non im-

importat abſolute viſionem obſcuram, ab-
ſtrahit enim ab obſcura & intuitiva: ſed
dicit, ut terminus ſouat, cognitionem
indebitam ſeu gratuitam, & liberam ex
parte Dei dantis, in hoc autem diſtin-
guitur a cognitione Unigeniti quæ habe-
tur in ſinu Patris; iſta enim eſt natura-
lis, debita, neceſſaria, & conſequenter
comprehenſiva. Ut igitur Anomæos re-
vincat Chryſoſtomus, dicit Deum nequi-
dem a Prophetis, immo nec ab Ange-
lis viſum fuiſſe; ſcilicet comprehenſive,
diceret concludendo; quomodo vos viato-
res & peccatores audetis & dicere &
præſumere videre Deum comprehenſive?
Cum nequidem Angeli poſſint hac dona-
ti gloria? Viſio autem Beatorum in hoc
convenit cum viſione Prophetarum, quod
utraque ſit donum Dei, utraque finita,
utraque magna gratia; differt vero in eo
maxime quod Beati videant intuitive
Deum, Prophetæ vero viderint ſolum
in ſomniis, in ænigmate, & in ſimilitu-
dinibus.

Inſtabis: Chryſoſtomus ibidem Homil.
14. ſic loquitur. " Id quod eſt Deus non
„ modo Prophetæ non viderunt, ſed ne-
„ que Angeli. „ Ibi comparat viſionem
Angelorum cum viſione Prophetarum:
ergo exiſtimat nullam dari viſionem in-
tuitivam præter viſionem quam habet de
Patre Unigenitus, quæque eſt compre-
henſiva.

Reſpondeo diſtinguendo: Angeli non vi-
derunt Deum comprehenſive, concedo:
& in hoc Chryſoſtomus comparat viſio-
nem Angelorum cum viſione Propheta-
rum. Non viderunt intuitive, nego:
Chryſoſtomus ibi loquitur in ſenſu Ano-
mæis oppoſito; omneſque ejus probationes
in hoc unum tendunt, ut excludat a crea-
turis viſionem Dei comprehenſivam.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Angeli non
viderunt Deum exquiſita ratione, quæ eſt
in ſenſu Chryſoſtomi Dei comprehenſio,
concedo: ſolus enim Unigenitus, qui eſt
in ſinu Patris, Dei mirabilia enarrare
poteſt; ſiquidem ſolus cum Spiritu ſan-
cto, Patrem comprehendit: non vide-
runt intuitive, nego: quod autem hic ſit
genuinus Chryſoſtomi ſenſus, patet ex
Homil. 4. ubi ſic concludit contra Ano-
mæos. " Poſtquam nuper oſtendimus
„ Deum incomprehenſibilem eſſe, etiam
„ ipſis Cherubim & Seraphim . . . . .
„ reſtat ut oſtendamus Dei exquiſitam com-
„ prehenſionem habere non poſſe Ange-
„ los, aut ullam creaturam; „ & rur-
„ ſus ibidem. " Toties audio Deum nul-
„ lum vidiſſe, intellige nullum eſſe,
„ qui Dei ſubſtantiam exquiſita ratione
„ percepit.

Inſtabis: Chryſoſtomus ibidem Hom. 14.
de Angelis, ait: " Si eos percontaberis,
„ nihil ab his de Dei ſubſtantia audies,
„ ſed tantum referentes, gloria in altiſſi-
„ mis Deo. „ Sed qui videt Deum in-
tuitive, poteſt multa mira de Dei natura
referre: ergo cum Angeli ex Chryſoſto-
mo, nihil poſſint de ea dicere, argumen-
tum eſt, ſecundum iſtius Patris mentem,
Deum non videri ab eis.

Reſpondeo 1. Deum eſſe ineffabilem, &
ideo Beatos verbum naturam Dei expri-
mens non poſſe producere: unde Pſal. 64.
v. 1. habetur: *Te decet hymnus Deus in
Sion*. Verſio Chaldaica ponit: *Te decet ſi-
lentium, Deus, in Sion*. Igitur ex eo quod
Chryſoſtomus dicat Angelos nihil poſſe de
Deo eloqui, non ſequitur ipſum negare
pro Angelis viſionem Dei intuitivam.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: nihil audies
ab Angelis, quia Deum non comprehen-
dunt, concedo: quia non vident, nego:
igitur viſionem duntaxat comprehenſivam
ab Angelis procul facit Chryſoſtomus;
unde ibidem adjicit: Præterea Chriſtus:
" Nemo, inquit, cognoſcit Patrem, ni-
„ ſi Filius: quid inquam? Num omnes in
„ ignorantia vivimus? Abſit. Sed ne-
„ mo ita cognovit Patrem ut Filius: ut
„ igitur multi quiſque pro captu ſuo ip-
„ ſum viderunt; ſubſtantiam autem nemo
„ videt: ſic multi Deum cognoſcimus,
„ non tamen ipſam ſubſtantiam qualis eſt,
„ niſi ſolus Unigenitus, qui certam no-
„ tionem, viſumque, & comprehenſio-
„ nem habet, qualem Filium habere de
„ Patre par eſt: ſicut enim cognoſcit me
„ Pater, inquit, & ego cognoſco Patrem.
Deinde ibidem ſic concludit S. Doctor: „
„ Hinc collige certam Filii de Patre com-
„ prehenſionem, nemo Deum vidit, niſi
„ qui ex Deo eſt, ac, ut dixi, gratia E-
„ vangeliſta ſinus meminit, quo uno verbo
„ multam ſubſtantiæ cognationem, pro-
„ pinquitatem, parem Patri cognitionem,
„ poteſtatem oſtendit. „

Inſtabis. Homil. 3. Chryſoſtomus vocat
viſionem quam Angeli de Deo habent,
con-

condeſcenſum : ſed condeſcenſus non eſt clara Dei viſio: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo : & per condeſcenſum intelligit viſionem finitam & attemperatam captui intellectus creati, concedo : viſionem obſcuram, ſubdiſtinguo ; pro viatoribus, concedo : pro beatis, nego. Utrumque venit ad ſcopum Chryſoſtomi : enimvero dicendo viſionem Beatorum finitam, oſtendit Anomæis comprehenſivam non convenire creaturæ ; dicendo obſcuram pro viatoribus, oſtendit hominem viatorem non videre Deum intuitive, quod tamen propugnabant hæretici.

Inſtabis. Ibidem Chryſoſtomus cognitionem quam habere poſſumus de Deo, imaginationem vocat. Ergo Chryſoſtomus negat abſolute viſionis poſſibilitatem.

Reſpondeo diſtinguendo : vocat imaginationem comparative ad viſionem comprehenſivam ; eſt enim propter infinitam diſtantiam veluti nihil comparative ad eam, in quo quidem ſenſu Pſalmiſta Deum alloquens, ait Pſalm. 38. verſ. 6. *Tamquam nihilum ante te*, concedo : vocat imaginationem excludendo viſionem intuitivam, nego : nam Homil. 6. de variis ad Matthæum locis in illud, *Beati mundo corde*, cap. 5. ſic effatur : " Nihil ad ,, videndum Deum nobis tam neceſſa- ,, rium quam hæc animi munditia. Qua- ,, propter Paulus dicit in Epiſt. ad He- ,, br. Pacem ſequimini cum omnibus ad ,, ſanctificationem ſine qua nemo videbit ,, Deum.

Inſtabis. Qui affirmat neminem ad Deum accedere poſſe, certe negat abſolute, & omnimode eum eſſe creaturæ viſibilem : atqui Chryſoſtomus dicit neminem ad Deum poſſe accedere : igitur negat abſolute viſionis Dei poſſibilitatem. Probatur minor. Homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura aſſerit Deum non tantum inviſibilem eſſe, ſed etiam lucem inhabitare inacceſſibilem : igitur ſi inviſibilis, non poteſt videri ; ſi lucem inhabitat inacceſſibilem, non poteſt aliquis ad ipſum accedere & appropinquare.

Reſpondeo 1. per ejuſmodi terminos inviſibilitatis & inacceſſus, Chryſoſtomum ſolummodo excludere Dei comprehenſionem a creatura, & hoc patet tum ex titulo homiliæ, quam nominat de incomprehenſibili Dei natura, tum ex ſcopo ; nam ibi ſuo perſtringit ſtylo cenſorio Anomæos, ut non ſemel dictum eſt.

Reſpondeo 2. diſtinguendo : Deus eſt inviſibilis in via, & nullus hic accedit ad viſionem ipſius claram, concedo ; & hoc contra Anomæos qui dicebant ſe in hac vita claram habere Dei notitiam, & tantam qualem habet Pater de ſemetipſo ; eſt inviſibilis reſpectu Beatorum, nego.

Inſtabis. Ibidem, Homil. 14. ait Deum eo ſolum tempore ab Angelis viſum fuiſſe cum carnem induit. Sic enim ait : " ,, Viſum ab Angelis ex quo carnem in- ,, duit : antea non ita videbatur, cum ,, ipſis quoque eſſet inviſibilis ſubſtantia. ,, Profecto ſi Deus a Beatis intuitive videretur, Angeli ſancti eum ante incarnationem vidiſſent, cum jam jam eſſent beati : hoc ipſum negat Chryſoſtomus ; & negationis hanc affert rationem, quia ſubſtantia Dei erat beatis illis Spiritibus inviſibilis : ergo, &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo : Deus ante incarnationem non videbatur comprehenſive ab Angelis, concedo : intuitive, nego. Porro Chryſoſtomus per cognitionem ſubſtantiæ Dei intelligit comprehenſionem : igitur eam ſolam abjudicat a creaturis ſpiritualibus. Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres. " Quamobrem, inquit, ,, nolite deſpicere ex his minimis, dico ,, enim vobis, quod Angeli eorum vident ,, faciem Patris mei qui in cœlis eſt.

Reſpondeo 2. aliter, & diſtinguendo : ante Incarnationem Angeli non videbant Chriſtum comprehenſive, concedo : poſt Incarnationem, ſubdiſtinguo ; non videbant ut Deum, cum ſubſtantia ejus ſit inviſibilis, ideſt, incomprehenſibilis ab intellectu creato, concedo : non videbant comprehenſive, ut hominem, nego. Omnia igitur diſtinguit Anomæis Chryſoſtomus ; aſſerit Angelos non vidiſſe Deum viſione comprehenſiva ante Incarnationem ; ſed ex quo carnem induit, vidiſſe & comprehendiſſe humanitatem quæ quidem eſt quid creatum & finitum, & hoc per gratiam revelationis, ſiquidem revelatum eſt illis ineffabile Incarnationis Dominicæ myſterium juxta illud Apoſt. primæ ad Tim. 3. v. 16. *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum in Spiritu, apparuit Angelis, creditum eſt in mundo.*

Inſtas

Inſtabis. Si Deus poſſet videri ab Angelis, & videretur de facto, maxime propter illud Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Atqui ex Chryſoſtomo, non poteſt inde recte colligi Beatos illos Spiritus videre clare & intuitive Deum: igitur Chryſoſtomus nullo modo agnoſcit viſionem Dei poſſibilem. Probatur minor. Homil. 14. explicans verba laudata, ait: " Quid ergo? faciem Deus „ habet & cœlo circumſcribitur, ſed ne„ mo ea agitetur inſania, ut hæc dixerit; „ quænam ergo ea ſententia, quæ & in „ illo loco, beati mundo corde quoniam „ ipſi Deum videbunt, cogitationem nam„ que atque imaginem quam pro viribus „ noſtris de Deo capimus, eam viſionem „ appellat: „ ergo, &c.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem, diſtinguo: Chryſoſtomus rejicit viſionem faciei ad faciem quæ eſt per ſimilitudines, concedo; Deus enim, inquit, non circumſcribitur; unde Iſaias qui illum ſedentem ſuper ſolium excelſum ſe vidiſſe teſtatur non immediate, ſed Angelum in forma ſenſibili Deum repræſentantem, ſeu potius in perſona Dei loquentem, conſpiciebat: rejicit S. Doctor viſionem faciei ad faciem, a ſimilitudinibus exemptam, claram & intuitivam, nego. Aliter adhuc diſtingui poteſt: excludit viſionem intuitivam comprehenſivam, concedo: intuitivam ut ſic, nego: ibidem enim ſubdit ſolum Unigenitum qui eſt in ſinu Patris magnalia Dei enarrare. " Aliud, inquit, „ quiddam amplius quam videre poſuit, „ ideſt, Joannes, dicens qui eſt in ſinu „ Patris, nam in ſinu Patris eſſe, ma„ jus quiddam eſt, quam videre. „ Quibus verbis manifeſte docet ſe loqui de viſione comprehenſiva, cum dicit Deum non poſſe videri a creatura.

Inſtabis. Ibidem probat Chryſoſtomus viſionem Dei intuitivam impoſſibilem eſſe intellectui creato, & hoc duplici ratione. Prima eſt, oculus corporeus non poteſt videre Angelum; ex quo colligit Deum non poſſe videri. Secunda, ex ipſo viſio omnis eſt comprehenſiva eo ipſo quo eſt viſio Dei ſicuti eſt; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & Chryſoſtomus paritate oculi corporei qui non poteſt videre Angelum, vult oſtendere Anomæis viſionem Dei comprehenſivam impoſſibilem eſſe creaturis, concedo; alias nihil probaret: & loquitur de viſione intuitiva ut ſic, nego: contendit igitur S. Doctor quod ſicut oculus corporeus non poteſt videre Angelum, quia eſt extra objectum ipſius tum ſpecificativum, tum extenſivum; ita intellectus creatus nequit comprehendere Deum. Abſque negotio & pari facilitate alteram ſolvimus inſtantiam, diſtinguendo: omnis viſio intuitiva adæquata, eſt comprehenſiva; concedo: viſio inadæquata & finita, nego: loquitur Chryſoſtomus de primi.

Cæterum, Beatus Chryſoſtomus, Homil. 11. ne aliquis in pravum detorqueat ſenſum ea quæ dicit, ſui ipſius interpres eſt: " Non ignoro, inquit, ad„ verſarios noſtros verbis meis inſolen„ tiam ſummam objecturos quod ne ſu„ premis quidem virtutibus Deum eſſe „ comprehenſibilem judicem.... non pa„ ri modo nos, atque virtutes Deum in„ comprehenſibilem agnovimus, perfectius „ perfectiores noverunt. „ Quibus verbis denotat viſionem Dei in Angelis perfectiorem quidem eſſe quam in nobis: ſed nuſquam uſque ad comprehenſionem pertingere.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Chryſoſtomus, non impugnavit viſionis Dei poſſibilitatem.

PRIMO, quia aſſerit Deum ſeſe manifeſtaturum juſtis in æternitate, non in ænigmate, ſed facie ad faciem: ita paræneſi prima ad Theodorum lapſum, c. 7.

Secundo, dicit Sanctos poſt hujus vitæ peregrinationem Deum eſſe viſuros. Ita Homil. 111. in Epiſt. ad Philippenſes.

Tertio, docet Beatos in cœlis de facto Deum videre intuitive. Ita oratione de ſancto Philogonio.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO, B. Chryſoſtomus negat quidem quandoque viſionem Dei eſſe poſſibilem; ſed ne miremini, loquitur tantum de comprehenſiva.

Se-

Secundo, Quandoque etiam vocat gloriam ſanctorum permiſſionem & revelationem; verum per ejuſmodi voces dumtaxat intelligit viſionem eſſe finitam, gratuitam & naturæ humanæ indebitam.

Tertio, Nonnumquam utique dicit Deum non magis poſſe a Beatis videri quam Angelum ab oculo corporeo perſpici: ſed & in hoc viſionem comprehenſivam tantummodo excludit, quandoquidem loquitur contra Anomæos, quos quidem pro virili impugnat.

ARTICULUS TERTIUS.

Vtrum Theodoretus agnoverit viſionis Dei poſſibilitatem.

CONCLVSIO.

Theodoretus agnovit poſſibilitatem viſionis Dei.

Probatur multis argumentis, tum ex textibus Theodoreti, tum ex ratione & fidei ipſius puritate deductis.

1. IN vita B. Jacobi Anachoretæ, ſic loquitur de pietate qua Sanctorum reliquias in loco digno & poſuerat & collegerat. “ Cum multos quidem Prophetas, multos autem Apoſtolos, maxime autem plurimos Martyres undique collegiſſet, eos poſuit in una arca, volens ſimul habitare cum populo Sanctorum, & deſiderans cum eis reſurgere, & dignari Dei contemplatione.

Secundo. Similem prope habet ſermonem in vita ſancti Euſebii. “ Ad curſus, inquit, metam pervenit, & agonothetam cernens qui remunerationum magnificentia labores ſuperat. Ego vero viſione illa frui ... cupio. „ Rurſus eſt ſui ipſius interpres; namque in caput 2. Epiſt. ad Epheſios, v. 7. hæc habet, verba Pauli explicans, *Vt oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ*. “ Nunc enim, inquit, bonorum quæ ſperatur magnitudo eſt quidem omnino ignota fidelibus, fideles autem vident tanquam in ſpeculo & in ænigmate: per fidem enim ambulant, non per ſpeciem, tunc autem videbunt facie ad faciem: tunc fideles & infideles videbunt naturam ex nobis aſſumptam ab omni creatura adoratam, & ſanctos una regnantes.

Tertio, ratione. Ille agnovit poſſibilitatem viſionis Dei qui dicit Sanctos præter naturam aſſumptam videre Deum in cœlis, Deum contemplari, viſione Dei frui, hanc viſionem non eſſe per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem: atqui hæc omnia admittit Theodoretus: & probatur: in 1. loco dicit S. Jacobum deſiderare frui Dei contemplatione, ibi ſane non loquitur de ſolo Chriſto: in 2. loco ſanctum Euſebium deſiderare frui viſione Dei aſſerit: in 3. Fideles videre in cœlo Deum, non in ænigmate, ſed facie ad faciem, commemorat; poſtea ſubjungit fideles & infideles naturam aſſumptam & ab omnibus adoratam eſſe viſuros, ſcilicet in die Judicii, quod quidem diſtinguit a viſione qua nunc donantur Sancti in cœlis: igitur Theodoretus agnoſcit Beatos præter viſionem Sanctæ humanitatis, videre Deum intuitive.

Quarto. Theodoretus neque a ſummis Pontificibus, neque a Concilio Chalcedonenſi, ubi reddere rationem ſuæ fidei compulſus eſt, neque ab Eccleſia hæreſeos labe in hoc inuſtus eſt: ergo Catholice cenſuit de poſſibilitate viſionis Dei.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Ille negat poſſibilitatem viſionis Dei pro intellectu creato, qui negat divinam naturam ſub aſpectum cadere: atqui hoc negat Theodoretus. Probatur minor. Dialog. 1. Orthodoxus ſic loquitur, ſcilicet Theodoretus, Eutychiano. “ Alicubi ergo ratiocinatione opus eſt: divinamque naturam ſub aſpectum cadere poſſe dicimus. An non credimus Apoſtolo, qui dicit, immortali, viſibili, ſoli Deo? quibus quidem verbis auctoritate Apoſtoli ſuffultus, viſionis Dei poſſibilitatem abnuere videtur.

Reſpondeo 1. generaliter ea quæ reſpondimus ad Chryſoſtomum, ſcilicet, vel Theodoretum loqui de viſione comprehenſiva contra Anomæos, vel de viſione Dei intuitiva pro hac vita & viribus naturæ comparata contra eoſdem,

vel

vel etiam de viſione Dei intuitiva per oculum corporeum qualem ſe habere eſfutiebant Eutychiani. Hæc autem triplex viſio excluditur a creatura, prima quidem & tertia, quia impoſſibilis eſt; ſecunda vero quia indebita, & etiam extra virium naturæ metam.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: natura divina non cadit, ſub aſpectum oculi corporei, & in hac vita, ſub aſpectum mentis, concedo: ſub aſpectum intellectus lumine gloriæ perfuſi in cœlo, nego. Theodoretus in toto Dialogo impugnat Eutychianos in multis: ſed maxime in eo quod dicerent humanitatem abſorptam eſſe a divinitate & in Incarnatione commixtam, adeoque & divinam naturam videri, abutentes iſto Prophetæ Baruch vaticinio, c. 3. v. 37. in quo quidem de Filio Dei ſic loquitur Propheta: *Hic, & Deus noſter eſt, non æſtimabitur alius adverſus eum... Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Igitur merito Theodoretus dicit, Deum non videri in hac vita, immo & eſſe oculo corporeo inviſibilem tum in præſenti, tum in futuro recte propugnat.

Inſtabis. Ibidem Theodoretus Deum nec ab hominibus, nec ab Angelis videri poſſe aſſerit. "Orthodoxus. Quomodo ergo „ videri poterat divina natura ſine cor„ pore? An non meminiſti eorum verbo„ rum Apoſtoli, quæ aperte docent divi„ nam naturam non poſſe videri? Sic au„ tem dicit, quem nullus homo vidit, „ nec videre poteſt. Si ergo ab homini„ bus, dico etiam ab Angelis videri non „ poteſt divina natura. Dic quomodo, „ qui ſub aſpectum non cadit, ab homi„ nibus viſus eſt? Eraniſtes. Propheta di„ xit, quod in terra viſus eſt. Orthodo„ xus. Et Apoſtolus dixit immortali, „ inviſibili, ſoli Deo, & quem nullus „ homo vidit, nec videre poteſt. „ Ille abſolute negat viſionis Dei poſſidilitatem, qui Deum non poſſe etiam ab ipſis Angelis videri prædicat, quippe adducit in probationem Apoſtolum dicentem, *quem nullus homo vidit, nec videre poteſt*. Atqui in locis adductis Theodoretus ſic loquitur & ſic propugnat: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Patres aliquam hæreſim impugnantes ſolitos fuiſſe, non ſolum in oppoſitum prorſus declinare ſenſum, ſed & quaſi exuberare; unde non mirum, ſi Theodoretus volens perſtringere Eutychianos dicentes naturam divinam & comprehenſibilem ab intellectu creato, & ab oculo corporeo aſpectabilem, neget omnimode cadere ſub aſpectum hominum & etiam Angelorum: hominum quidem, quia natura divina non cadit ſub ſenſus; Angelorum vero, quia ab ipſis comprehendi non poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo: Theodoretus naturam divinam poſſe videri negat in ſenſu Eutychianorum, concedo: in ſenſu Catholico & Apoſtoli, nego. Senſus igitur tanti Doctoris eſt naturam divinam non poſſe in hac vita videri ab oculo corporeo, quod tamen Eutychiani contendebant; hoc ipſum enim per ſententiam Baruch laudatam probare, ſed incaſſum conabantur. Rejicit etiam Theodoretus ab Angelis viſionem comprehenſivam Dei quam ſibi pertinaciter arrogabant Anomæi: ut igitur illos revincat ait, Deum nequidem ab Angelis videri, a fortiori ab hominibus. Cæterum non negat viſionem poſſibilem in ſenſu Apoſtoli, qui quidem aſſerit viribus gratiæ non ſolum in cœlis poſſibilem, verum etiam & actualem: *Nunc autem*, inquit Paulus, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Igitur liquet Theodoretum ſolam viſionem Dei comprehenſivam, vel etiam intuitivam pro oculo corporeo duntaxat explodere.

Urgebis. Ille exiſtimat naturam divinam inviſibilem eſſe etiam viribus gratiæ qui negat ab Angelis videri in ſe & immediate: immo & viſam tantum fuiſſe quando Verbum Incarnatum eſt: atqui ibidem hoc aſtruit Theodoretus: ergo, &c.

Probatur minor, his Theodor. verbis: "Ad te ergo dixit D. Apoſtolus Deus „ manifeſtatus eſt in carne, per illam „ enim apparuit natura quæ videri non „ poterat, per illam ipſam vident An„ gelorum quoque aliqui. Viſus eſt enim, „ inquit, Angelis. Eraniſtes. Ergo priuſ„ quam ſervator apparuiſſet, Deus non „ videbatur ab Angelis. Orthodoxus. „ Apoſtolus dixit quod manifeſtatus eſt in „ carne Angelis viſus eſt. Multa obſervanda ſunt in hoc textu. 1. Theodoretum dicere Deum viſum fuiſſe ab Angelis ſolum poſtquam apparuit in carne, & quod antea ab illis non videbatur. 2. Eraniſten

ſten ſubſumere argumentum, & dicere: " Ergo priuſquam Servator appàruiſſet, „ Deus ab Angelis non videbatur. „ Si Theodoretus cenſuiſſet antea videri, dixiſſet, videbatur quidem ut Deus, ſed non ut homo; hinc viſus eſt ſolum ſenſibiliter cum carnem induit: ſed nihil diſtinguendo, ſic loquitur: " Manifeſtatus „ eſt in carne, ab Angelis viſus eſt. „ Igitur Theodoretus exiſtimavit viſionem naturæ divinæ omnino eſſe impoſſibilem.

Reſpondeo, Theodoretum eodem modo loqui, ac Chryſoſtomum cujus fuit diſcipulus, unde eodem modo intelligendus eſt, ſic diſtinguendo. Ante Incarnationem Deus non videbatur viſione comprehenſiva, concedo: poſt Incarnationem, ſubdiſtinguo: non videbatur viſione comprehenſiva ut Deus, concedo: ut homo, nego: ne igitur Theodoretus dimittat adverſarium, dicentem Deum in hac vita videri etiam comprehenſive, non diſtinguit viſionem intuitivam finitam & comprehenſivam, ſed in ſenſu oppoſito Eutychianis ſemper loquens, negat Deum etiam ab Angelis ante Incarnationem viſum fuiſſe: Deus igitur Incarnatus videbatur ab Angelis ſecundum humanitatem intuitive & comprehenſive; ab hominibus cum quibus converſabatur, intuitive tantum; ab hominibus etiam beatis nullo modo, comprehenſive ſecundum divinitatem, nequidem intuitive actu, aut potentia ab hominibus per oculum corporeum; ſicque Anomæorum & Eutychianorum hæreſim in Syria ubi erat Epiſcopus graſſantem, ſuo perſtringit ſtylo cenſorio.

Repones: Qui negat viſionem Dei claram quæ aſtruitur a Scriptura, certe negat etiam in ſenſu oppoſito Catholicis viſionis poſſibilitatem: atqui Theodoretus hoc ipſum negat: & probatur: Scriptura non ſemel docet poſſibilitatem viſionis maxime his Matth. 18. verbis: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*: ſed hoc negat Theodoretus; cum enim Eraniſtes illi objeciſſet: " Dominus dixit, videte ne contemnatis unum horum parvorum, qui „ ſunt minimi. Amen enim dico vobis „ quod Angeli eorum quotidie vident faciem Patris veſtri qui in cœlis eſt. „ Sic reſpondet Orthodoxus, ſcilicet Theodoretus: Sed Dominus rurſus dixit, „ Patrem non vidit quiſquam, niſi qui eſt „ a Deo, is vidit Patrem, & ideo Evangeliſta quoque aperte clamat: Deum „ nemo vidit unquam; & confirmat quod „ a Domino dictum eſt. Unigenitus enim, „ inquit, Filius qui eſt in ſinu Patris, „ ille narravit. Magnus quoque Moiſes „ cum naturam quæ ſub aſpectum non cadit videre deſideraſſet, audivit ipſum „ Dominum Deum dicentem, *nemo videbit faciem meam & vivet*. Igitur Theodoretus negat loca Scripturæ Sacræ quibus poſſibilitatem viſionis aſtrui propugnamus.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: negat Theodoretus, in ſenſu Eutychiano, concedo: in ſenſu Catholico, nego: Eutychiani loca Scripturæ in pravum detorquebant ſenſum; ex hoc enim quod legatur Angelos videre faciem Patris *in* cœlis, inſerebant & homines videre oculo corporeo Deum poſt incarnationem, immo & comprehendere: negat primum Theododoretus dicendo divinitatem non cadere ſub aſpectum creaturæ: negat utique ſecundum, aſſerendo ſolum unigenitum videre Patrem. Utrumque probat, nempe Deum eſſe incomprehenſibilem, inviſibilem vero oculo corporeo. Primum quidem, quia ſolus Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, Deum comprehenſive intuetur: alterum etiam, quia Moiſes qui vidit oculis Deum, non Deum in ſe, ſed Deum in ſimilitudine proſpexit: quibus verbis Theodoretus utramque duntaxat viſionem excludit, nuſquam vero viſionem intuitivam finitam pro oculo mentis lumine gloriæ perfuſo.

Rurſus inſtabis: Qui petenti, quomodo intelligendum eſt iſtud, *Angeli eorum ſemper vident faciem patris*, utrum intelligatur de viſione intuitiva? reſpondet, intelligendum eſſe ſicut illud quod dicitur de viſione Patriarcharum, quos vidiſſe Deum teſtatur Scriptura; ſane in ſenſu oppoſito Catholicis, loca Scripturæ quibus aſtruitur viſio intuitiva, explanat: atqui ſic reſpondet Theodoretus: & probatur: ibidem enim & in eodem Dialogo ſic loquitur Eraniſtes: " Quomodo ergo intelligemus, „ quod Angeli eorum quotidie vident faciem Patris veſtri? Orthodoxus reſpondet. Sicut ſolemus intelligere ea quæ „ dicuntur de hominibus, qui Deum vidiſſe exiſtimati ſunt. Eraniſtes. Dic cla-

„ rius;

„ rius; non enim intellexi. Orthodoxus. „ Numquid poteſt Deus videri ab hominibus? ..... & tamen audimus divinam Scripturam dicentem, viſus eſt „ Deus Abrahæ ad quercum Mambre: & „ Iſaiam dicentem, vidi Dominum ſedentem in Throno .... Dicimus ipſos „ non vidiſſe divinam naturam, ſed quaſdam viſiones, quæ eorum facultati convenirent .... ita ergo de Angelis intelligamus, audientes, quotidie vident „ faciem Patris veſtri: „ ergo, &c. 2. ibidem vocat viſionem Prophetarum & Patriarcharum meram revelationem, & non viſionem intuitivam: illam eandem ſolummodo tribuit Angelis.

Reſpondeo diſtinguendo: iſta verba, *Angeli eorum ſemper vident faciem patris*, intelligenda ſunt, ut viſiones Patriarcharum de Deo Incarnato, concedo: de Deo ſecundum ſe, ſubdiſtinguo; quantum ad aliquid, concedo: quantum ad omnia, nego: vult Theodoretus in eodem ſenſu, ac Chryſoſtomus Deum non videri facie ad faciem ſenſibilem, & ab oculo corporeo, niſi in hominis ſimilitudine quam vere aſſumpſit, ſicut viſus eſt a Patriarchis & Prophetis in ſimilitudinibus, vel Angelorum qui aſſumebant ad tempus corpora, puta Regis, ut Iſaias qui vidit Deum ſedentem in Throno, & in hoc eſt paritas, non tamen omnimoda, namque Verbum vere factum eſt caro, ſed ſimilitudines in quibus Prophetæ videbant Deum, ut plurimum erant imaginariæ: eſt adhuc in alio puncto convenientia, in eo ſcilicet quod ſicut Patriarcharum viſiones erant finitæ, ita eſt & viſio quam Angeli habent in cœlo & de Deo ſecundum ſe quem intuitive vident, & de Deo Incarnato, ſeu Chriſto qui ſedet a dextris Dei. Quia vero ex hoc loco *Angeli eorum ſemper vident faciem patris*, inferebant Eutychiani divinitatem videri poſt Incarnationem ab oculo corporeo, in hoc ſenſu Theodoretus, ut ſuum teneat principium & hæreticorum ſyſtema ſubvertat, negat Angelos videre Deum in cœlo, ſcilicet ut quid ſenſibile & comprehenſive.

Quod autem, eo loci ſolum excludat viſionem Dei ſenſibilem & intuitivam comprehenſivam, patet ex verbis quæ ſubjungit Theodoretus immediate poſt illa quæ ſunt in objectione laudata. Orthodoxus. “ Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes, quotidie vident faciem Patris „ veſtri. Non enim vident divinam ſubſtantiam quæ nec circumſcribi, nec „ comprehendi, nec mente percipi poteſt, & quæ univerſa comprehendit, „ ſed quamdam gloriam quæ eorum viribus reſpondeat, ſitque eis commoderata. „ Non videtur igitur ab Angelis ſenſibiliter divinitas, quæ non circumſcribitur, ſicut res ſenſibilis, neque etiam comprehenſive videtur in ſe, cum comprehendi non poſſit, ſed videtur modo finito & creaturæ proportionato, quod quidem vocat Theodoretus gloriam eis commoderatam.

Reſpondeo, ad ſecundum: viſio Angelorum eſt revelatio ſecundum Theodoretum, diſtinguo: ut revelatio importat quid gratuitum & finitum, concedo: ut eſt quid obſcurum, nego: comparatur a Theodoreto viſio Angelorum revelationi Prophetarum, in eo quod eſt gratuita & finita.

Adhuc inſtabis: nedum in locis ubi Theodoretus debellat Eutychianos, ſed & in aliis plurimis negat viſionis Dei poſſibilitatem: ergo ruit tota ſolutio. Probatur antecedens multipliciter. 1. quidem in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13. v. 12. “ Hic videmus, inquit, ſymbola „ Dominici corporis, illic autem ipſum „ Dominum videbimus, id enim ſignificat facie ad faciem. Videbimus autem „ ejus, non quæ ſub aſpectum non cadit, „ naturam, quæ a nullo cerni poteſt, „ ſed eam quæ de nobis ſumpta eſt. Rurſus in primam ad Timotheum. cap. 6. „ v. 15. Accedit iis quod cum ipſa non „ poteſt perſcrutari naturam, lucem quæ „ circa eam eſt, oſtendit. Lucem enim, „ inquit, habitat inacceſſibilem: ſed nec „ hoc Deo convenit, habet enim naturam quæ nequit circumſcribi .... unde ſubjunxit quem nullus hominum vidit unquam, ſed nec videre poteſt: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & in locis laudatis agit Theodoretus contra Anomæos excludendo viſionem Dei intuitivam ab oculo corporeo, comprehenſivam vero ab oculo mentis creatæ, concedo: excludendo intuitivam pro intellectu Beatorum, nego: nec mirum; cum enim tunc temporis, Anomæi & Eutychiani maximas moverent in Eccleſia tragœdias, ubique

eos

Digitized by Google

eos inſectatur Theodoretus. Deus, inquit, non videtur, quia habet naturam quæ circumſcribi non poteſt: quaſi illis diceret, quomodo poteſtis, aut videre divinitatem in humanitate ſancta oculo corporeo, aut illam mentis acie comprehendere, cum nullis claudatur terminis?

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Theodoretus non negavit viſionis Dei poſſibilitatem.

PRIMO: quia in vita B. Jacobi aſſerit iſtum Sanctum deſiderare cum aliis juſtis reſurgere & donari Dei contemplatione.

Secundo: in vita S. Euſebii dicit eum deſiderare viſione Dei perfrui.

Tertio: in caput ſecundum Epiſt. ad Epheſios, docet Beatos non videre Deum in ænigmate, ſed facie ad faciem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: non diffitemur Theodoretum aſſerere divinam naturam ſub aſpectum non cadere, ſed intelligit ſub aſpectum oculi corporei, ut perſtringat Eutychianos contrarium ſentientes.

Secundo: dicit utique Deum nequidem ab Angelis videri; verum per hanc ſententiam viſionem dumtaxat comprehenſivam excludit, quippe qui contra Anomæos loquatur.

Tertio: quandoque etiam vocat viſionem Dei revelationem, ſed in eodem prorſus ſenſu, ac Chryſoſtomus ſumit, nempe ut oſtendat eſſe finitam & naturæ meritis indebitam.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum intellectus Beatorum lumine gloriæ perfundatur, ut fiat proxime potens ad videndum Deum.

CONCLUSIO.

Deus infundit lumen gloriæ in mentem Beatorum, quo quidem fiunt proxime expediti ad illum videndum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

LEGITUR Job. 36. *In manibus ſuis abſcondit lumen & annuntiat de ea amico ſuo quid poſſeſſio ejus ſit.* Quæ verba ponderans S. Gregorius, lib. 27. cap. 8. ait: "Amicus veritatis eſt recte amator actionis: unde & ipſa Veritas diſcipulis dicit: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis .... de hac igitur luce æternæ patriæ amico ſuo Deus annuntiat, quid poſſeſſio ejus ſit, ut nequaquam infirmitatis ſuæ fragilitate deſperet; ſed tanto certius ſciat, quia illius lucis claritatem poſſidebit, quanto nunc vitiorum pulſantium tenebras verius calcat.

Suffragatur Propheta Regius: enimvero Pſal. 35. ait: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Item Iſaiæ 62. habetur: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, neque ſplendor Lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Et iterum Apocal. 22. v. 45. *Videbunt faciem ejus & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quia Dominus illuminabit eos.*

Secundo, *Ex ſummis Pontificibus & Doctoribus.*

CLEMENS V. cap. ad noſtrum de hæreticis, refert Beguardos & Beguinas dicere animam non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, qua de cauſa eos anathemate percellit: "Eos, inquit, ſacro approbante Concilio, & Sectam ipſam Beguardorum & Beguinarum, cum præmiſſis erroribus de lumine gloriæ damnamus & reprobamus: ergo, &c.

Simi-

Similia paſſim dicunt & referunt Patres & ſancti Doctores: in primis D. Thom. qui hic prima part. qu. 12. art. 5. docet ex profeſſo concluſionem his verbis. „ Cum eſſentia divina naturam cujuſque creati „ intellectus excedat, indiget creatus in„ tellectus ad eam intuendam aliquo crea„ to lumine.

Tertio, *Ex ratione, eaque multiplici.*

PRIMA. Quæ dependent ex voluntate Dei, nobis per ſcripturam manifeſtantur: ſed ex locis ſupra laudatis Beati lumine gloriæ perfunduntur ad Deum intuitive videndum: igitur lumen gloriæ ad hoc momentum, maxime prærequiritur.

Secunda eſt. Eodem prope modo ſe habet lumen gloriæ ad intellectum Beatorum, ſicut lumen naturale ad mentem, ad hoc ut rerum cognoſcat naturas; ſicut etiam lumen ſolis ſe habet ad oculum corporeum, ut videat quodcumque coloratum: atqui nec intellectus aliquod cognoſcere objectum abſque luminis naturalis ope valet, nec ſimiliter oculus corporalis, quantumvis acutus, abſque ſolari lumine coloratum attingere poteſt: igitur a ſimili, nec intellectus Beatorum ſecluſo luminis gloriæ auxilio, Deum intuitive videre valet. In his omnibus ſumma effulget paritas: & vero ſicut intellectus ad hoc ut expeditus ad rerum naturam cognoſcendam evadat, lumine naturali perfundi debet, oculus vero corporeus lumine Solis ad videndum coloratum; ita & mens lumine gloriæ, ut Deum intueatur, indiget.

Tertia. Agens inferioris ordinis non poteſt attingere quod eſt ſuperioris gradus, niſi elevetur: atqui intellectus creatus eſt inferioris ordinis, viſio vero Dei ſuperioris naturæ: igitur debet elevari intellectus lumine gloriæ ad videndum intuitive Deum. Hanc explanat rationem D. Thom. hic art. 5. his verbis. „ Cum „ igitur virtus naturalis intellectus crea„ ti, non ſufficiat ad Dei eſſentiam vi„ dendam, oportet quod ex divina gra„ tia ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi; „ & hoc augumentum virtutis intellecti„ væ, illuminationem intellectus voca„ mus.

Quarta. Nulla cauſa aliquem producere effectum poteſt, niſi illum in ſua præcontineat virtute, quandoquidem nemo dat quod non habet: atqui intellectus creatus, ſecluſo lumine gloriæ, non præcontinet viſionis beatificæ actum; non quidem ratione virtutis innatæ, ut definivit Concilium Viennenſe contra Beguardos & Beguinas; neque etiam ratione potentiæ obedientialis, cum iſta nihil aliud ſit præter ipſam potentiam naturalem, quatenus agentis ſupernaturalis actioni ſubjectam: igitur per ſolum duntaxat luminis gloriæ fulgorem, intellectus præcontinet mirabilem viſionis Dei intuitivæ actum: igitur lumen gloriæ prærequiritur, ut mens Beatorum fiat immediate potens ad Deum intuitive videndum. D. Thoms 3. contra Gentes, c. 54. iſtam explanat rationem his verbis: „ Im„ poſſibile enim eſt quod propria & non „ naturalis ſit forma alterius, niſi parti„ cipet aliquam ſimilitudinem illius cu„ jus eſt propria forma, ſicut lux non fit „ actus alicujus corporis, niſi tale corpus „ aliquid participet de diaphano.

Quinta & poſtrema. Tametſi viator gratiam habeat ſanctificantem, indiget tamen ulteriori auxilio, fidei ſcilicet habitu, ut cognoſcat Deum: ergo cum fides deſinat in patria, neceſſe eſt intellectum lumine gloriæ perfundi, ut videat intuitive Deum; quandoquidem lumen eodem prope fungitur munere, ac ipſa fides in via. Hæc ratio eſt D. Thomæ, hic art. 5. " Omne, inquit, quod elevatur ad ali„ quid quod excedit ſuam naturam, opor„ tet quod diſponatur ab aliqua diſpoſitio„ ne quæ ſit ſupra naturam ejus, ſicut ſi „ aer debeat accipere formam ignis, opor„ tet quod diſponatur aliqua diſpoſitione ad „ talem formam,

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Apoc. 22. 5. habetur de Beatis: *Dominus Deus illuminabit illos*. Rurſus Iſaiæ 60. 19. *Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam*. Igitur lumen gloriæ non requiritur ad videndum intuitive Deum, ſiquidem Deus hoc per ſeipſum præſtat & exhibet.

Reſpondeo, diſtinguendo conſequens Deus per ſeipſum illuminat mentem ſanctorum cauſaliter, ſeu in genere cauſæ efficientis, concedo: eſt enim cauſa prima applicans intel-

intellectum creatum ad ſui viſionem. Formaliter & in genere cauſæ formalis, ſubdiſtinguo: mediate, quatenus producit lumen gloriæ quo elevat intellectum creatum, concedo: immediate & per ſeipſum, nego: & ſic una ſcriptura explanatur per alteram: enimvero Propheta Regius Pſ. 35. v. 10. dicit: *Et in lumine tuo videbimus lumen*.

Objicies 2. quod eſt per ſe lucidum, videtur immediate abſque ulteriori lumine: ſed Deus eſt objectum per ſe lucidum, immo & ipſa lux: igitur Beati non indigent lumine gloriæ ut videant intuitive Deum.

Reſpondeo diſtinguendo: quod eſt per ſe lucidum abſque ulteriori lumine ſe tenente ex parte objecti videtur, concedo: ſe tenente ex parte potentiæ, nego: duo potiſſimum requiruntur ad videndum aliquod objectum; unum ex parte potentiæ, ſcilicet ut ſit diſpoſita & expedita ad eliciendum actum viſionis per lumen aliquod vel naturale, vel etiam ſupernaturale, ſi actus ſupernaturalis eliciendus ſit; alterum vero ex parte objecti, nimirum ut ſit ſufficienter immateriale ut intellectui uniatur & ab ipſo cognoſcatur: cum eſſentia divina ſit actus purus, profecto non unitur menti beatorum per ſpeciem & ſimilitudinem aliquam creatam, ſed per ſeipſam: unde non requiritur ex parte ſui aliud ut videatur, bene tamen ex parte potentiæ ut iſta elevetur: iſtud autem auxilium prærequiſitum, lumen gloriæ vocatur, quia perficit intellectum creatum, ut Deum intuitive videre queat.

Solutio eſt D. Thom. hic art. 5. ad primum, ubi ſic reſpondet: „ Dicendum „ quod lumen creatum, eſt neceſſarium „ ad videndam Dei eſſentiam, non quod „ per hoc lumen Dei eſſentia intelligi- „ bilis fiat, qui ſecundum ſe intelligibi- „ lis eſt; ſed ad hoc quod intellectus fiat „ potens ad intelligendum per modum quo „ poſtea ſit potentior ad operandum per „ habitum, ſicut etiam & lumen corpo- „ rale neceſſarium eſt in viſu exteriori, „ in quantum facit medium tranſparens in „ actu, ut poſſit moveri a colore.

Inſtabis: ſi Deus videretur per lumen gloriæ, non videretur immediate in ſeipſo. Falſum conſequens: ergo & antecedens: probatur ſequela. Videretur per medium; ſed quod videtur per medium, non videtur in ſeipſo: ergo, &c.

Reſpondeo, negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo: Deus videretur per medium ſe tenens ex parte potentiæ, concedo: nam lumen gloriæ ſe tenet ſolum ex parte intellectus creati quem elevat. Se tenens ex parte objecti, nego: eſſentia divina unitur immediate intellectui creato. Ita D. Thom. ibidem. art. 5. ad ſecundum ubi ſic loquitur: „ Ad ſecundum „ dicendum quod lumen iſtud non requiritur „ ad videndum Dei eſſentiam, quaſi ſi- „ militudo in qua Deus videatur, ſed „ quaſi perfectio quædam intellectus con- „ fortans ipſum ad videndum Deum.... „ & hoc non tollit immediatam viſionem.„ Oculus corporis v. g. ulteriori lumine non indiget, ad videndum Solis lumen, quod eſt ejus objectum, quia innatam habet cum eo proportionem: ſed Deus eſt lux excedens omnem virtutem creatam, unde non eſt par ratio: igitur requiritur lumen ſupernaturale, ut intellectus beatorum Deum intuitive videat.

Inſtabis: ideo lumen gloriæ requiritur, quia determinari potentiam ad objectum neceſſe eſt: ſed potentia ſufficienter determinatur par hoc quod eſſentia divina unitur immediate intellectui Beatorum; igitur lumen illud prorſus inutile eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: quia opus eſt determinari, ſimul & elevari potentiam, concedo: & non elevari, nego: ſufficienter quidem potentia determinatur ex parte objecti, per unionem cum eſſentia divina, ad videndum intuitive Deum, ſed inſuper exigit & elevari & actuari per lumen gloriæ, quo ſit immediate & ultimate capax & expedita ad viſionem beatificam.

Urgebis: Verbum divinum unitum eſt immediate humanitati ſanctæ ulla abſque diſpoſitione prævia: ergo a pari eſſentia divina poteſt immediate uniri potentiæ intellectivæ & ab ea omni ſecluſo lumine videri.

Reſpondeo, negando paritatem: etenim cum ſubſiſtentia compleat naturam in eſſe naturali, quatenus vices ſupplet ſubſiſtentiæ creatæ, nulla ad hoc prærequiritur diſpoſitio. At vero viſio eſt actio vitalis promanans a potentia vitali, quæ quidem mere paſſive non ſe habet, ſicut natura ad recipiendum Verbi divini ſubſiſtentiam, verum potius active, ut pri-

principium actus elicitivum; unde compleri debet in ratione principii vitalis reſpectu viſionis beatificæ; non autem intelligitur completa ad actum iſtum ſupernaturalem niſi per lumen gloriæ. Etvero quomodo fieri poſſet, ut potentia naturalis videret objectum ſupernaturale, omni ſecluſo lumine deſuper infuſo?

Perſiſtes: Beatus habet & gratiam ſanctificantem, & omnes virtutes infuſas ſupernaturales: igitur & ſufficienter elevatus eſt abſque lumine gloriæ ad videndum intuitive Deum.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Beatus eſt ſufficienter elevatus per gratiam ſanctificantem & virtutes ab ea fluentes in ratione eſſendi, concedo: in ratione agendi, ſubdiſtinguo: radicaliter, concedo: formaliter & immediate, nego: igitur gratia ſanctificans ſimul & virtutes ſolum conſtituunt principium agendi radicale: at vero ad principium formale & immediatum requiritur inſuper lumen gloriæ, quo intellectus creatus fiat proxime & immediate expeditus ad videndum intuitive Deum: enimvero dictum eſt ſupra, præter intelligendi facultatem requiri adhuc lumen naturale, quo quidem intellectus fit immediate expeditus ad cognoſcendum aliquod naturæ objectum; ita proportione ſervata, lumen gloriæ utile & neceſſarium eſt, ut Beatus gratia jam ſanctificatus & elevatus, Deum ſicuti eſt videat & intueatur.

Iterum inſtabis: ſi intellectus creatus elicit viſionis actum dependenter a lumine gloriæ, mere paſſive ſe habebit. Abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

Reſpondeo negando ſequelam: & vero, quamvis intellectus viatorum fidei lumine perfundatur, non tamen paſſive ſe habet reſpectu ejus actus; pari & ſimili ratione nec intellectus Beatorum lumine gloriæ actuatus; quandoquidem lumen illud, neque abſorbet, neque ligat; ſed potius adjuvat mentis activitatem.

Objicies 3. ſi lumen gloriæ foret neceſſarium ad videndum intuitive Deum, maxime ut diſpoſitio: atqui ad hunc affectum prorſus inutile eſt: ergo, &c. Probatur minor: non datur diſpoſitio in anima, ut recipiat gratiam ſanctificantem: igitur a pari neque ut eliciat viſionis Beatificæ actum.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem diſtinguo: non requiritur diſpoſitio permanens ad recipiendam gratiam ſanctificantem, concedo: tranſiens, nego: duplex diſtinguitur diſpoſitio; alia tranſiens quæ eſt, vel per actum tranſeuntem, vel etiam per gratiam actualem; ſic actus contritionis & gratia actualis ſunt diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem recipiendam: altera vero permanens, & eſt alicujus virtutis habitus. Iſta autem diſpoſitio non requiritur ad gratiam habitualem habendam, quandoquidem hæc gratia reſpicit immediate eſſe ſupernaturale; at vero lumen gloriæ reſpicit immediate operationem; & ideo debet recipi permanenter in intellectu Beatorum, ut habitualiter & in æternum poſſint videre intuitive Deum.

Inſtabit adhuc: D. Thom. in quartum diſtinct. 49. qu. 2. art. 7. Sic loquitur: " Poteſt miraculoſe fieri, quod divina ,, virtute aliquis intellectus creatus non ,, habens niſi diſpoſitiones viæ, elevetur ,, ad videndum Deum per eſſentiam. ,, Ergo lumen gloriæ non requiritur tamquam diſpoſitio, eaque permanens ad videndum Deum.

Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: non requiritur lumen gloriæ permanens ad videndum Deum intuitive & pro ſemper, nego: ad videndum tranſeunter, ſubdiſtinguo: non requiritur lumen gloriæ per modum habitus, concedo: effectus enim aſſimilatur cauſæ, & cum ſit tranſiens, utique & eſt cauſa: non requiritur ullo modo, nego: ſolutio eſt D. Thom. in ſecunda ſecundæ, qu. 175. art. 3. ad ſecundum, dicit enim lumen gloriæ duplici modo participari poſſe: " Uno modo per modum formæ immanentis, & ſic Beatos facit Sanctos in ,, patria: alio modo per modum cujuſdam paſſionis tranſeuntis, ſicut dictum ,, eſt de lumine Prophetiæ; & hoc modo lumen illud fuit in Paulo quando ,, raptus fuit.

Repones: datur potentia obedientialis paſſiva in creatura ad recipiendum immediate gratiam: ergo & activa ad agendum ſupernaturaliter: hoc ipſum innuit Aug. de Gen. ad litt. c. 17. ubi dicit: *Deum habere virtutem, ut poſſit facere quod ſterilis pariat, & arbor arida floreat.* Suffragatur D. Thom. in quartum, diſt. 8. qu. 2. art. 3. ad quartum ubi ſic loqui-

tur: " Sicut creaturæ ineſt potentia obe-
„ dientiæ, ut in ea fiat quidquid creator „ diſpoſuerit, ita etiam ea mediante fiat, „ quod eſt ratio inſtrumenti. „ Igitur inutile prorſus eſt lumen gloriæ ad videndum intuitive Deum.

Reſpondeo 1. non dari potentiam obedientialem immediate activam; alias homo abſque gratiæ auxilio poſſet v. g. elicere actum contritionis; quandoquidem potentia obedientialis nihil aliud eſt quam ipſa potentia naturalis, ut connotat agens ſupernaturale cui ſubjicitur: ſed ſi eſſet activa nihil recipiendo & ſe ſola & viribus naturalibus produceret actum ſupernaturalem, & quod quidem eſt ab omni mente alienum.

Reſpondeo 2. omnes auctoritates probare ſolum dari potentiam obedientialem paſſivam; activam vero tantummodo mediate; ideſt, creatura poteſt quidem recipere virtutem ſupernaturalem ad producendum effectum ſupernaturalem; vel tamquam cauſa principalis, uti intellectus creatus, qui ad videndum Deum elevari poteſt; vel etiam tanquam cauſa inſtrumentalis, ſicut aqua quæ recipit in baptiſmo virtutem ſupernaturalem ad regenerandum hominem: igitur creatura recipit immediate virtutem ad agendum, ſed operatur ſolum mediante illa virtute: igitur abſque luminis gloriæ auxilio, Beati non vident intuitive Deum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Lumen gloriæ neceſſarium eſt ad videndum intuitive Deum.

PRIMO: quia Pſal. 35. habetur: *Et in lumine tuo videbimus lumen.*

Secundo: intellectus per gratiam habitualem non eſt ſufficienter expeditus ad eliciendum actum, quandoquidem iſta gratia reſpicit immediate eſſe, non vero operari.

Tertio: ſicut præter gratiam ſanctificantem ad cognoſcendum in terris Deum requiritur fides, ita & opus eſt lumine gloriæ, cui fides cedit locum, ad videndum in cœlis intuitive Deum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO quidem, habetur paſſim in Prophetis Deum illuminare, & Beatos, & ſanctam Jeruſalem: ſed hoc profecto non ſic intelligitur ut Deus illuminet immediate per ſeipſum, verum potius mediante lumine gloriæ.

Secundo: dicitur etiam a ſanctis Doctoribus Dei eſſentiam uniri menti Beatorum, ut illam actu videant, & viſionis actum eliciant: ſed hoc adjutorium ſe tenet ex parte objecti, quod quidem per ſeipſum abſque ſpeciei impreſſæ adminiculo ſubjicitur ſanctorum intellectui; non vero ex parte potentiæ, quæ ulterius indiget in ſeipſa & actuari, & applicari ad videndum Deum intuitive.

Tertio: nonnulli multi faciunt potentiam obedientialem, quam quidem ad viſionem ſufficere, aut autumant, aut objiciunt. Aſt reſpondetur non dari potentiam obedientialem immediate activam, ſed tantum paſſivam; & hæc ineſt ſanctis ad recipiendum gloriæ lumen, abſque ulteriori prævia diſpoſitione, nuſquam vero ad videndum, ſecluſo iſto lumine, intuitive Deum.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Eſſentia Divina poſſit uniri intellectui creato per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, & hoc ut fiat ultimate potens ad videndum intuitive Deum.

OBSERVANDUM eſt multa prærequiri, ut intellectus humanus cognoſcat, v. g. arborem: quædam enim requiruntur ex parte potentiæ, quædam vero ex parte objecti: ex parte quidem potentiæ requiritur lumen naturale; & hoc ut determinetur facultas ad objectum percipiendum, & de facto illud percipiat: ſicut enim oculus corporeus nihil videt, quamdiu ſubſiſtunt umbræ noctis, & donec illuminetur objectum; ita pariter oculus mentis nihil abſque luminis naturalis ope percipiet in objecto, quod quidem tamdiu manebit abſconditum, quamdiu non illuminabitur. Quædam

dam etiam requiruntur ex parte objecti ut videatur. Requiritur 1. ut arbor mittat ſpeciem in oculum, & illa ſpecies dicitur ſenſibilis, quatenus a ſenſu percipitur; deinde eadem ſpecies tranſmittitur ad phantaſiam, quæ etiam aliam de objecto format imaginem, quæque phantaſma nuncupatur, in qua quidem relucet objectum non ſolum in vigilia, verum etiam & durante ſomno. Poſtea denique hæc ſpecies pervadit intellectum, qui illam ſua operatione exuit a conditionibus materialibus; ſpecie vero ſic fœcundatus alteram producit, in qua contemplatur veluti in ſpeculo objecti eſſentiam. Actio qua intellectus producit iſtam ſpeciem vocatur dictio & conceptio mentis: ſpecies vero producta, quæ eſt ejuſmodi actionis terminus, appellatur verbum, conceptus, ſpecies expreſſa, viva ſcilicet objecti imago atque effigies, ſed maxime verbum; quia ſicut oris noſtri verbum exprimit auditoribus ea quæ in mente habemus: ita pariter verbum intellectus naturam rei conceptæ interius exprimit, atque repræſentat.

Oſtenſum eſt in ſuperiori articulo lumen gloriæ perficere intrinſece intellectum creatum ad videndum intuitive Deum; nunc vero diſcutere juvat, quomodo idem perficitur intellectus ex parte objecti ad viſionis actum eliciendum; & quæritur utrum intellectus aliquam ſpeciem de divina natura creatam, qua mediante expeditus evadat, ad videndum intuitive Deum, producat? vel etiam utrum ad hoc munus ſubeundum, eſſentiam divinam illi uniri per modum ſpeciei impreſſæ aut expreſſæ ſufficiat: pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Eſſentia divina unitur menti beatorum per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, ut poſſint ſancti Deum intuitive videre: nec ulla pro hoc momento producitur de eſſentia Dei ſpecies creata.

Probatur auctoritate SS. Doctorum & ratione.

Primo, *Ex ſanctis Doctoribus*.

B. Aug. primus venit in teſtimonium: hic autem lib. 15. de Trinit. c. 9. ſic ait: " Cum Apoſtolus dicit, *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate*, Speculi „ & ænigmatis nomine quæcumque ſimi„ litudines ab ipſo ſignificatæ intelligi poſ„ ſunt, quæ acccomodatæ ſunt ad intel„ ligendum Deum. „ Igitur Beati non vident Deum per ſimilitudines creatas, quippe quæ ſint ænigmaticæ & tantummodo pro viatoribus accommodatæ. Igitur vident in ipſa eſſentia Deum; unde Auguſtinus, lib. 12. de Gen. ad litt. dicit Moiſen vidiſſe Deum in via per ſpeciem, quæ Deus eſt.

Aſtipulatur D. Thomas qui hic 1. part. qu. 12. art. 2. ſic loquitur: *Divina eſſentia non per aliquam ſpeciem ex parte divina eſſentia ab intellectu creato conſpicitur*. Ergo ipſa eſſentia unitur intellectui creato per modum ſpeciei, ut fiat ultimate viſionis Dei eliciendæ capax & expedita. Idem 3. part. qu. 19. art. 3. ad 3. ait: *Cognitio beata, non fit per ſpeciem qua ſit ſimilitudo divina eſſentia, vel eorum qua in divina eſſentia cognoſcuntur*. Igitur ex D. Thoma non datur ſimilitudo creata, in qua velut in ſpeculo eſſentia divina intuitive videatur: ſed vident, inquit S. Doctor, Beati Deum in ſe, & alia in Divina eſſentia. Unde ibidem 3. part. q. 3. art. 3. ait: *Eſſentia divina unitur menti beata, ſicuti intelligibile intelligenti*.

Secundo, *Ex Ratione*.

PRIMA. Deus videtur a ſanctis intuitive & in ſe: ergo immediate in ſua eſſentia, omni ſecluſa ſpecie creata & ſimilitudine; alias non in ſeipſo & ſicuti eſt, ſed in aliquo creato, velut in medio conſpiceretur.

Secunda adjicitur, & ſic procedit. Deus eſt ineffabilis, nec repræſentari poteſt: igitur Beati non producunt de Deo verbum, ſin minus illum dicerent, illum exprimerent & repræſentarent; veritas autem conſequentiæ iſta Scripturæ ſententia illuſtratur, Pſal. 64. *Te decet hymnus, Deus, in Sion*, Verſio Chaldaica pro verbo *hymnus*, reddit *ſilentium*.

Tertia ſic currit. Dionyſius ait ſuperiora non poſſe repræſentari per inferiora, neque incircumſcriptum per circumſcriptum & finitum: igitur nec Deus per ſpe-

ſpeciem creatam, quandoquidem nuſquam adæquaret objectum; unde ſi Deus videretur in ſimilitudine creata, profecto non videretur ſicuti eſt: ſed abſurdum conſequens: ergo antecedens: igitur Deus a Beatis abſque ulla ſpecie creata conſpicitur.

Quarta aliis prioribus ſuccedit. Species tum impreſſa tum expreſſa inutilis eſt ad videndum Deum intuitive: impreſſa quidem, quia objectum utpote de ſe ſufficienter immateriale, per ſe, ſecluſa omni ſpecie vicaria, unitur menti: expreſſa vero; namque Deus eſt obiectum ſemper intellectum in actu, immo & actus purus & nuſquam in potentia ad intellectionem ex parte ſui: igitur ſufficit eſſentiam divinam uniri intellectui creato, ut ipſe per iſtam cum beata eſſentia unionem ſic actuatus & fœcundatus, producat viſionis Beatificæ actum: ergo, &c.

Quinta & ultima hæc eſt. Intellectus debet determinari ad intelligendum & videndum unum objectum potius quam aliud per ipſum objectum, unde ad hoc requiritur ipſa objecti præſentia: & vero quare oculus corporeus arborem potius, v. g. quam hominem videat? niſi quia præſentia arboris movet potentiam per ſuam ſpeciem quam ingerit ſenſui ad illam, potius quam hominem abſentem, aſpiciendam: ſed eſſentia divina unita in priori viſionis intellectui creato ſufficienter illum determinat ad videndum intuitive Deum: ergo ad hoc momentum nuſquam requiritur ſpecies creata.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Joan. c. 3. v. 2. habetur: *Similes ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt*: Ergo Beati vident Deum in aliqua ſimilitudine creata. Suffragatur Auguſtin. qui lib. 14. de Trinit. c. 17. ait: *In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio.* Ergo eſſentia divina non unitur menti beatorum per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, ut videant intuitive Deum.

Reſpondeo, diſtinguendo conſequens: Beati vident Deum in aliqua ſimilitudine creata ſe tenente ex parte potentiæ, concedo: ſe tenente ex parte objecti, nego: duplex diſtinguitur, ſimilitudo, alia ſe tenens ex parte potentiæ, quæque in eo maxime ſita eſt, quod lumine gloriæ perfundatur intellectus, quo quidem mediante objectum fit præſens intellectui, & veluti unum cum ipſo in eſſe intentionali: altera vero ex parte objecti, & eſt ipſius expreſſio. Prima reperitur in Beatis, qui mediante lumine gloriæ ita Deo conjunguntur, ut ipſum videant ubique & in omnibus ſuis facultatibus velut diffuſum & imbibitum; quæ quidem unio vocatur transformatio, & teſte Bernardo, moralis Deificatio. De hac loquitur Apoſtolus cum ait: *Qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt*. Quoad alteram, in Deo nuſquam reperiri poteſt, propter rationes ſupra allatas.

Urgebis. Paulus tranſacto raptu multa & vidiſſe myſteria, & audiviſſe arcana quæ non licet homini loqui, teſtatus eſt: ſed iſta reminiſcentia ortum habet ex ſimilitudinibus multarum rerum, quas in ipſa divina vidit eſſentia: igitur & videndo Deum produxit ſimilitudinem, in qua quidem eum intuebatur.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: & iſta reminiſcentia ortum habebat ex rerum ſimilitudinibus, quas quidem B. Paulus viſa divina eſſentia in qua rationes rerum præexiſtunt, formaverat, concedo: ex ſimilitudine facta & producta de ipſa Dei eſſentia, nego: hæc eſt enim incircumſcriptibilis, adeoque per verbum creatum nec dici, nec exprimi valet. Sicut igitur viſo monte & auro, montis aurei formamus ideam, ita pariter, & proportione ſervata, viſa eſſentia divina, potuit Apoſtolus multorum myſteriorum ideas exprimere & excogitare; inſtructus quippe fuit a Domino ad Gentilium converſionem.

Solutio eſt D. Thomæ qui hic prima part. art. 9. ad 2. ſic reſpondet ad argumentum: " Dicendum quod aliquæ potentiæ cognoſcitivæ ſunt, quæ ex ſpeciebus primo " conceptis alias formare poſſunt, ſicut " imaginatio ex præconceptis ſpeciebus " montis & auri, format ſpeciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis & differentiæ, " format rationem ſpeciei, & ſimiliter " ex ſimilitudine imaginis, formare poſſumus in nobis ſimilitudinem ejus, cujus eſt imago. Et ſic Paulus, vel quicum-

,, cumque alius videns Deum, ex ipſa viſione eſſentiæ divinæ poteſt formare in ſe ſimilitudines rerum quæ in eſſentia divina videntur, quæ remanſerunt in Paulo, etiam poſtquam deſiit Dei eſſentiam videre: iſta tamen viſio, qua videntur res per hujuſmodi ſpecies ſic conceptas, eſt alia a viſione, qua videntur res in Deo.

Objicies 2. D. Thomas, hic qu. 27. art. 1. ait: " Quicumque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt cognitio rei intellectæ. ,, Rurſus de verit. qu. 4. art. 2. " Verbum eſt aliquid realiter progrediens ab altero, quod univerſaliter verum eſt de omni quod a nobis intelligitur, ſive per eſſentiam videatur, ſive per ſimilitudinem. ,, Sed viſio Beatorum eſt actus & operatio intellectus: igitur mens creata producit ſimilitudinem, ſeu ſpeciem Dei eſſentiam repræſentantem & exprimentem.

Reſpondeo diſtinguendo. Omne intelligens producit aliquando de re concepta verbum, concedo: ſemper, ſubdiſtinguo; ſi ſufficientem habeat virtutem ad objectum exprimendum, concedo: ſi non habeat, nego: & iſto modo axioma D. Thomæ eſt univerſaliter verum. Sic Deus ſuum generat verbum: ſic Angelus ſe cognoſcendo ſuæ naturæ exprimit ſimilitudinem, in qua quidem ſe contemplatur. Omne tamen intelligens aliquod producere de re quam intelligit verbum, neque opus eſt, neque poſſibile. Et vero prima, ſecunda & tertia in divinis perſona ſeſe cognoſcunt & intelligunt, ſolus tamen Pater generat Verbum; & hoc unum exemplum ſufficit ad perſtringendos Arianos, qui verbi divini negabant generationem; unde D. Thomas argumento irrefragabili deſumpto, ab iſto axiomate, *omne intelligens ex hoc ipſo quod intelligit, producit aliquid intra ipſum*, illos propellit & confodit.

Ad aliud vero quod dicitur. S. Doctorem velle Verbum produci ab eo qui divinam intuetur eſſentiam, reſpondeo illum loqui de Deo Patre, qui ſeſe contemplando ſuum mirabile generat Verbum, minime vero de Beatis qui eſſentiam divinam verbo creato exprimere non valent.

Objicies 3. Intellectus debet determinari per præſentiam objecti ad illud cognoſcendum & intelligendum: ſed determinatur per ſpeciem & ſimilitudinem vicariam objecti: ergo illam producit etiam in viſione beatifica.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſi objectum ipſum non uniatur immediate potentiæ, concedo: ſi uniatur, nego: dictum eſt autem eſſentiam divinam uniri per ſemetipſam intellectui, quia eſt per ſe intelligibilis, nec ad hoc indiget ope ſimilitudinis creatæ: ſic quia lux eſt per ſe viſibilis, inquit D. Thom. hic unitur per ſemetipſam oculo ut ab eo videatur, ipſe vero oculus illam abſque medio & ſpecie intuetur.

Inſtabis. Subſtantia Angeli eſt præſens intellectui Angelico, & tamen de ea producit Angelus verbum, in quo ſeipſum contemplatur: ergo a pari & Beati producunt verbum in quo Deum intuitive vident.

Reſpondeo negando paritatem, & quidem propter duo. Primo virtus Angeli adæquat ejus naturam, unde & illam exprimere poteſt. Secundo, ſubſtantia Angeli quamvis ſit habitualiter præſens ut intelligibilis, non tamen præſens ut actu intellecta, non enim actus purus eſt, & ideo ut cognoſcatur, opus eſt verbo illam exprimente: At vero neque virtus intellectus Beatorum adæquat eſſentiam divinam, neque ipſa Dei eſſentia eſt in potentia ad intellectionem, quin potius, eſt ſemper intellecta: & ideo de ea Beatus ſpeciem & ſimilitudinem exprimere non valet.

Inſtabis. Beati non vident ſemper Dei eſſentiam, ſed illam tantummodo intueri incipiunt quando cœlos ingrediuntur. Igitur eſſentia divina non eſt ſemper actu intellecta ſaltem a Beatis, adeoque requiritur verbum formatum, in quo illam intuitive & immediate contemplentur.

Reſpondeo diſtinguendo. Eſſentia divina non eſt ſemper actu intellecta ex parte Beatorum, & hoc unum probat objectio, concedo: ex parte ſui, nego: hæc enim actus purus, unde eo ipſo quo intellectui creato conjungitur & unitur, ab ipſis Beatis ipſo facto videtur.

Rurſus inſtabis. Actio intellectus debet producere terminum: ergo conſequenter & verbum de objecto concepto exprime-

re & neceſſe eſt, cum non alius excogitetur pro illa terminus.

Reſpondeo diſtinguendo. Actio intellectus debet producere verbum circa objectum finitum quod ſua virtute adæquare poteſt, concedo: verbum de eſſentia infinita, ſubdiſtinguo: debet illud producere quoad unionem, ſeu unitionem, concedo: quoad ſe, nego: Verbum exprimitur dupliciter. 1. quidem ſecundum ſe, & ſic a ſolo Patre æterno generatur in cœlis; deinde cum addito, ſeu ut unitum, ſic Beatiſſima virgo in tempore expreſſit Verbum, & generavit, non quidem ſecundum ſe, ſed ut humanitati noſtræ unitum, quatenus concurſus ejus paſſivus terminavit actionem Verbi ſibi naturam humanam conjungentis: unde Deus-homo dicitur terminus concurſus paſſivi Beatiſſimæ Virginis: ita pariter actio intellectus creati in beatitudine concurrit ad unionem cum eſſentia divina, & ideo terminus ejus eſt eſſentia divina ut unita & Deus viſus, igitur eſſentia divina in priori viſionis unita intellectui illum fœcundat, ut actu producat viſionem, & Deum intuitive contempletur. Cæterum cum verbum ſupponitur jam eſſe, quale eſt Verbum æternum, non opus eſt ut de novo exprimatur a Beatis; ſed tantummodo ut eorum uniatur menti, ut in ipſo tanquam in ſpeculo ſine macula, divinam videant eſſentiam.

Repones. Intellectus Beatorum non poteſt determinari ad viſionem Dei per unionem cum eſſentia divina: ergo, &c. Probatur antecedens. Primo quidem, quia Dei eſſentia eſt infinita, & ideo non eſt proportio inter eam & intellectum creatum, unde & ei uniri non poteſt. Secundo, quia in hypotheſi, circumſcriberetur ab intellectu: enimvero omnis forma perficiens intellectum in eo recipitur, unde & certis quibuſdam terminis concluditur: ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo: non eſt proportio entitativa, concedo: habitudinis, nego. Cæterum eſſentia divina unitur ad menſuram & modo finito menti Beatorum quam perficit, unde ſervatur & invenitur proportio.

Ad ſecundum, diſtinguo: forma accidentalis, recipitur & circumſcribitur ab intellectu, concedo: forma objectiva quæ eſt ens a ſe & actus purus, nego. Neque igitur eſſentia increata in intellectu Sanctorum recipitur, neque ab eodem perficitur, & circumſcribitur; ſed potius, menti tantummodo unitur, ut illum & actuet & perficiat.

Adhuc inſtabis. Ideo intellectus Beatorum videndo intuitive Deum, expreſſam non producit ſpeciem, quia objectum tum in ſe, tum in perfectionibus infinitum reſpicit; ſed hæc ratio nulla eſt: & probatur. Licet voluntas Beatorum in amando Deum tota occupetor, attamen vi actionis ſuæ, & impulſum & amorem, qui eſt ſuæ operationis terminus, producit: igitor & a ſimili, intellectus tametſi creatus verbum in quo repræſentetur Deus producere debet.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem, nego paritatem. Ratio eſt, quia impulſus ſe tenet ex parte potentiæ, adeoque ab ea producitur tanquam actionis ſuæ terminus: at vero Verbum ſe tenet ex parte objecti, quod cum ſit infinitum, ab intellectu creato produci nequaquam poteſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beati in viſione beatifica verbum non producunt.

PRIMO, Quia ex D. Thoma, non viderent Deum immediate & ſicuti eſt: ſed in aliqua tantum ſimilitudine.

Secundo, Ex Dionyſio ſuperiora ab inferioribus repræſentari nequeunt, adeoque Deus nequit in ſpecie creata exprimi.

Tertio, Ejuſmodi ſpecies foret inutilis, quandoquidem eſſentia divina unita intellectui Beatorum, illum ſufficienter actuat & determinat ad eliciendam viſionis actum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, *& ſolutionum.*

PRIMO: Legitur quidem in ſacris Codicibus: *Similes ei erimus*; hoc tamen non probat ſimilitudinis neceſſitatem ex parte objecti, ſed ſolum ex parte potentiæ per lumen gloriæ, ut dicit D. Thomas.

Secundo: Ex mente ejuſdem ſancti Doctoris

ctoris quicumque intelligit, producit verbum: aſt hoc per diſtributionem accommodam concipi debet. Senſus igitur axiomatis eſt, verbum quandoque produci ab intelligente, ſed non ſemper, maxime vero cum objectum excedit in immenſum potentiæ virtutem. Revera quidem intellectus creatus aliquam de eſſentia divina ſpeciem exprimere non poteſt, alias illam aut circumſcriberet, aut comprehenderet; neutrum eſt poſſibile, ut ſupra oſtenſum eſt.

Tertio: Objicitur actionem intellectus creati exigere terminum: ſed dico Deum reduplicative ut viſum potentiam intellectivam perfectiſſime terminare.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum oculus corporeus poſſit de potentia extraordinaria Deum intuitive videre.

CERTUM eſt oculum corporeum etiam adjutum & elevatum non poſſe de via ordinaria Deum intuitive videre, quandoquidem Deus purus ſpiritus eſt, adeoque ſolius intellectus objectum: ſed quæſtio circumfertur & fit de via extraordinaria, verius dicam de potentia Dei abſoluta; pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Oculus corporeus quantumvis elevatus, etiam de potentia Dei abſoluta eſſentiam divinam intuitive & immediate videre nequit.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam*. Primæ Corinth. 2. 9. *Oculus hominis non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Et iterum primæ ad Timoth. 6. v. 16. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Atqui genuinus Scripturæ ſenſus, maxime ultimi textus, ille eſt, nullus hominum vidit Deum oculis corporeis, nec videre poteſt: ergo, &c.

Secundo, *Ex patribus.*

ORIGENES, l. 7. contra Celſum, qui multa imponebat Chriſtianis: " Falſo, inquit, nobis imponit Celſus dicens nos ſperare oculis corporis Deum eſſe viſuros, & auribus vocem ejus audituros.

Athanaſius diſputans contra Arianos, qui ſolum Patrem inviſibilem dicebant, idem ſentit: " Æqualem, inquit Aug. Epiſt. 148. de Athanaſio loquens, Trinitatis viſibilitatem Scripturarum ſanctarum teſtimoniis & diligentia ſuæ diſputationis aſſeruit, conſtantiſſime ſuadens Deum non eſſe viſum niſi aſſumptione creaturæ ſecundum deitatis etiam ſcientiæ proprietatem omnino Deum eſſe inviſibilem ..... niſi in quantum mente ac ſpiritu noſci poteſt.

Cyrillus Jer. Catecheſi 9. in eodem loquitur ſenſu: " Carnis quidem oculis, inquit, contemplari Deum impoſſibile: quod etiam corporis eſt expers, in carnis oculos cadere nequit.

Hieronymus in caput 64. Iſaiæ ſuum addit calculum: " Nequaquam, ait, ſermonibus explicatur, nec oculo corporis contemplabilis eſt; ſed ab his videtur de quibus dictum eſt, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.

D. Thomas hoc ipſum ex profeſſo probat, hic prima part. quæſt. 12. art. 3. " Deus cum ſit omnino incorporeus, nullo exteriori vel interiori ſenſu per ſe cognoſci poteſt. " Jam ſic argumentor: Falſum eſt ex Origene Chriſtianos dicere Deum poſſe videri oculo corporeo: Deus ex Athanaſio ſolum oculo mentis cognoſci poteſt: ex Cyrillo cum ſit ſpiritualis, nequit in carnis oculos cadere: ex Hieronymo, non eſt contemplabilis oculis corporeis, &c. .... ergo a primo ad ultimum, Deus non poteſt abſolute videri ab oculo corporeo.

Tertio, *Ex Ratione, & quidem multiplici.*

PRIMA. Nulla potentia ferri poteſt extra objectum ſuum ſpecificativum & extenſivum: ſed Deus eſt extra objectum ſpecificativum oculi corporei; & probatur:

tur: objectum oculi corporei, eſt coloratum: ſed Deus non eſt coloratus & ſenſibilis, quandoquidem purus eſt Spiritus: igitur eſt extra objectum ſpecificativum oculi corporei.

Secunda hæc ſequitur. Quidquid videtur, ad modum videntis videtur, ideſt, ſi potentia eſt corporea & extenſa, objectum duntaxat corporale, & extenſum attingere poteſt; ratio eſt, quia objectum vel per ſe & immediate, vel per ſuam ſpeciem debet in priori viſionis uniri potentiæ, ut illam actuet & determinet ad ſui viſionem: atqui impoſſibile eſt, hoc poſito principio, oculum corporeum intuitive Deum videre, cum eſſentia divina, neque per ſe, neque per ſpeciem illam repræſentantem uniri poſſit oculo corporeo, ut illum determinet ad ſui viſionem; cum enim oculus ſit extenſus, formam nonniſi extenſam, qua actuetur ad viſionem objecti, aut recipit, aut recipere poteſt: ergo, &c.

Tertia adducitur. Nulla eſt proportio, aut entitatis, aut habitudinis, inter Deum & oculum corporeum: non quidem entitatis, nam Deus eſt infinitus: ſed neque habitudinis; Deus quippe eſt purus & ſummus Spiritus atque immaterialis; oculus vero eſt finitus & materialis: ergo, &c.

Quarta. Major eſt diſtantia & diſproportio inter Deum & oculum corporeum, quam inter objectum auris & oculum corporeum: atqui quamvis ſonus objectum auris, ſit finitum & ſenſibile, quia tamen eſt in alio ordine, & quid omnino diſparatum a colorato, non poteſt percipi ab oculo: ergo a fortiori nec Deus; ſiquidem infinite diſtat & in ordine, & in entitate, & in operatione ab oculo corporeo.

Quinta & ultima. Ab illa ſolum potentia Deus videri poteſt, per cujus actum & ſimiles illi erimus, & illum adoramus, & illum poſſidemus: atqui per ſolum intellectus actum ſimiles Deo erimus, ad ſolum quippe intellectum pertinet aſſimilari: per ſolum intellectus actum adjuncta voluntate, Deum adoramus, juxta illud Joan. 4. v. 24: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare*. Etiam per ſolum mentis actum poſſidemus Deum, dicente Chriſto Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Igitur per ſolam potentiam ſpiritualem, nuſquam vero per oculum corporeum Deus videri poteſt.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES. Ab actu ad poſſe valet conſequentia: ſed multi inter Patriarchas & Prophetas de facto oculis corporeis Deum intuitive viderunt; Abraham quidem ut legitur Geneſ. 15. Jacob, Gen. 32. Manue, Judicum 13. Item & ipſe Iſaias, c. 6. v. 1. ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum*. Ergo de potentia abſoluta Deus ab oculo corporeo videri poteſt.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, diſtinguo: Patriarchæ & Prophetæ viderunt Deum, vel in ſomnis, vel in vigilia ut in raptu, viſione imaginaria & in ſimilitudine, aut etiam in Angelis qui aſſumpto corpore loquebantur in ipſius perſona, concedo: viderunt Deum immediate & in ſeipſo, nego: Deus poteſt videri multipliciter, inquit D. Thom. 1. quidem in vigilia & in Angelis qui aſſumpto corpore illum repræſentant. 2. In raptu per ſimilitudines; vel etiam in ſomnis viſione quadam imaginaria. 4. immediate & in ſeipſo. Scriptura loquitur de viſione viatoribus conceſſa, adeoque de prima aut ſecunda, aut tertia: ſed non de quarta. Scriptura eſt ſui ipſius interpres, quandoquidem Geneſ. 18. habetur, Abraham tres vidiſſe viros, & unum tamquam Dominum adoraſſe. Item virum cum Jacob luctantem, & ipſum alloquentem Scriptura introducit: deinde hac facta viſione Patriarcha ſe vidiſſe facie ad faciem Deum aſſerit: quod certe, ut patet, de viſione intuitiva nuſquam intelligi poteſt. Eadem Scriptura Judicum 13. v. 13. mentionem facit de Angelo, qui Sampſonis nativitatem prædixit, quique poſtea inter flammas ſacrificii ab ipſo Manue Deo oblati, evanuit ab oculis eorum: poſtea adjicitur Manue ſuam uxorem ſic fuiſſe allocutum: *Moriemur quia vidimus Dominum*. Denique luce clarius apparet Iſaiam in ſimilitudine tantummodo vidiſſe Dominum, quandoquidem Deus neque eſt extenſus, neque ſedens tamquam homo & Rex ſuper ſolium excelſum & elevatum.

Obji-

Objicies 2. Job. c. 19. v. 25. ait: *Et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Job in carne vivens poſt reſurrectionem videbit Deum oculis mentis, concedo: oculis corporis, nego: ita D. Thom. hic. art. 3. ad primum ubi ſic reſpondet ad argumentum. " Dicendum, quod cum
" dicitur, *in carne mea videbo Deum Sal-*
" *vatorem meum*, non intelligitur quod
" oculo carnis ſit Deum viſurus: ſed quod
" in carne exiſtens poſt reſurrectionem vi-
" ſurus ſit Deum.

Reſpondeo 2. Job videbit oculis corporis Deum in carne aſſumpta, ſcilicet Chriſtum, qui poſt reſurrectionem veniet ad judicandum vivos & mortuos, concedo: videbit in ſe, ſubdiſtinguo, oculis mentis, concedo: oculis corporis, nego.

Inſtabis. Si Scriptura prima non intelligenda foret ad litteram, aliter ſeſe explicaret, cum de eadem materia redit ſermo: ſic in uno quidem loco prædicat Deum eſſe inviſibilem ut primæ ad Timoth. 1. v. 17. in altero vero aſſerit viſibilem, juxta illud ejuſdem Apoſt. primæ Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: Ex quo patet primam ſententiam ſecundum diſtributionem accommodam intelligendam eſſe, in eo nimirum ſenſu, quod Deus ſit inviſibilis viribus naturæ; ſed Job iterum loquens de Beatitudine, c. 42. v. 5. Deum ſenſibus percipi dicit: ſic enim loquitur: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*. Igitur loquitur de oculo corporeo, cum de viſione Dei intuitiva ſermonem habet.

Reſpondeo diſtinguendo: Job iterum aſſerit Deum ſenſu percipi, perceptione metaphorica, concedo: Perceptione vera, nego. Sanctus ille Propheta loquitur ad captum noſtrum, & per analogiam ad creata, ut mirabilem Dei nobis explicet viſionem. Et vero certum eſt, teſte Auguſtino, lib. 22. de Civit. Dei. c. 29. Deum videri tantummodo oculis cordis. Subſcribit ibidem D. Thom. art. 3. ad primum, his verbis: " Similiter quod dicitur *nunc oculus meus videt te*, intelligitur de oculo mentis: ſicut Epheſ. 1. dicit Apoſtolus: *Det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis veſtri*.

Objicies 3. Lucæ 3. v. 6. habetur: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Primæ Joan. 3. 2. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Primæ Corinth. 13. 12. *Facie ad faciem*. Videbit caro; ergo oculus corporeus videbit: videbimus faciem; ergo videbimus quid ſenſibile, adeoque oculis corporeis intuebimur Deum.

Reſpondeo negando utramque conſequentiam. Videbit quidem omnis homo beatus Chriſtum oculis corporis poſt reſurrectionem, ſed non ſecundum Divinitatem; ita Auguſtinus mox citatus ibidem. Ad ſecundum dico faciem ſumi metaphorice ad Dei viſionem intuitivam exprimendam, qua ſancti in patria donantur.

Objicies 4. Nihil eſt Deo impoſſibile: igitur oculus corporeus per potentiam abſolutam poteſt Deum intuitive videre. Confirmatur. Chriſtus luto liniens oculos cæci a nativitate, illi reſtituit viſum, quamvis lutum cum ſputo nullam habeat cum illuminatione connexionem, quin potius obcæcet facultatem viſivam, cum ipſi opponatur: ergo a ſimili, oculus corporeus poteſt elevari ad videndum intuitive Deum.

Reſpondeo diſtinguendo: Nihil eſt Deo impoſſibile, modo non ſit contradictio in opere, concedo: ſi ſit, nego: Porro implicat propter rationes ſupra allatas oculum corporeum elevari ad viſionem Dei intuitivam.

Ad confirmationem, nego paritatem, Ratio eſt quia lutum neque virtute propria, neque ut cauſa principalis, illuminavit cæcum, ſed tantum ut cauſa inſtrumentalis, & per virtutem ſalutiferam a Divinitate per humanitatem in lutum transfuſam; effectus autem non aſſimilatur cauſæ inſtrumentali, ſed principali: potuit igitur Chriſtus uti luto ad illuminandum cæcum, quoniam omnia ſerviunt ei. At vero non ſic de oculo corporeo ratiocinandum circa Dei viſionem intuitivam; ſiquidem in hypotheſi, quod ad tantum ſublimemque elevaretur actum, foret ejus cauſa principalis, & virtute ſua quamvis elevata ſe moveret ad objectum videndum; quod quidem non una aut altera ratione probavimus eſſe impoſſibile.

Inſtabis. Ideo lutum elevari potuit ad illu-

Digitized by Google

illuminandum cæcum, quia ratione potentiæ obedientialis ſuſcepit virtutem ſalutiferam ad tantum miraculum patrandum: atqui ineſt ſimiliter potentia obedientialis in oculo corporeo, ut virtutem ſuſcipiat, qua elevetur ad videndum intuitive Deum: ergo, &c. Confirmatur. Deus eduxit creaturas e nihilo: ergo a fortiori poteſt in oculo corporeo ita efficaciter operari, ut illum elevet ad ſui viſionem.

Reſpondeo, negando paritatem. Ratio diſcriminis eſt, ut non ſemel dictum fuit, quia oculus foret cauſa principalis, eaque activa actus viſionis: licet autem adſit potentia obedientialis paſſiva in luto ad patrandum illuminationis miraculum, non tamen activa: porro ad viſionem requireretur activa in oculo corporeo; quandoquidem non ſe haberet ut cauſa ſimpliciter mota, verum etiam ut ſe movens, & vitaliter producens actum, quem quidem nonniſi circa proprium objectum habere poteſt: ergo, &c.

Ad confirmationem, nego iterum paritatem. Et vero nihilum mere paſſive ſe habet reſpectu actionis creativæ; unde ut ex ipſo producatur aliquid, ſufficit ut actioni Dei ſubjiciatur.

Inſtabis. Ideo implicat oculum corporeum Deum intuitive videre, quia objectum debet commenſurari potentiæ viſivæ, ita ut ſit & extenſum & coloratum, ſi oculus eſt corporeus: atqui hæc ratio nulla eſt: & probatur: Anima tametſi ſpiritualis & nullo modo extenſa, videt tamen corpus: ergo non requiritur ut objectum per omnia potentiæ commenſuretur.

Reſpondeo, negando minorem. Ad probationem, nego paritatem; eo quod, teſte Dionyſio, ſuperiora contineant inferiora quæ illis ſubjiciuntur, ſed non e contra: igitur ſpiritus poteſt percipere corpus, minime vero oculus corporeus ſpiritum.

Inſtabis. Aqua licet corporea, attamen in baptiſmo virtute divina elevata, operatur in anima, illamque regenerat: igitur non eſt extra metam entis corporei circa ens incorporale operari: ergo nec conſequenter extra objectum oculi corporei Deum intuitive videre.

Reſpondeo, negando paritatem; nam ut dictum eſt ſupra, oculus corporeus foret actus viſionis cauſa principali, ſiquidem ab eo vitaliter procederet: at vero aqua in baptiſmo eſt cauſa duntaxat inſtrumentalis ad hominem regenerandum, quod quidem non implicat, cum effectus non aſſimiletur inſtrumento.

Inſtabis. Magna eaque infinita inter intellectum creatum & Deum eſt diſtantia: atqui tamen mens lumine gloriæ perfuſa & elevata fit capax & expedita ad Deum intuitive videndum: igitur a ſimili, non obſtante diſtantia, oculus corporeus ad actum viſionis eliciendum elevari poteſt.

Reſpondeo, negando paritatem. Ratio diſcrepantiæ in eo potiſſimum conſiſtit, quod licet non ſit inter Deum & intellectum creatum proportio entitativa, eſt tamen proportio habitudinis; ſiquidem Deus intra objectum intellectus, quod eſt omne verum, continetur: unde & ad Deum intuitive videndum elevari poteſt mens humana, nuſquam vero propter rationem oppoſitam oculus corporeus.

Inſtabis. Corpus animam in ſuis partibus operantem ſentit: igitur corporale poteſt attingere objectum ſpirituale: igitur & oculus corporeus ſummum & primum ſpiritum intuitive videre.

Reſpondeo diſtinguendo: corpus percipit animam mediate, nimirum in impreſſionibus aliiſque effectibus, quos in eo operatur, concedo: immediate, nego: non enim anima eſt ſenſibilis per ſe, ſed tantum per accidens, hoc eſt per effectus ſuos.

Inſtabis. Chriſtus in Euchariſtia oculis corporeis ſeipſum videt & quidem immediate, tametſi ejus corpus ibi ſit tantum definitive, & juxta modum exiſtendi rebus ſpiritualibus proprium. Igitur non implicat oculum corporeum elevatum rem ſpiritualem, qualis eſt Deus, immediate intueri.

Reſpondeo negando paritatem propter duo: primo quidem corpus Chriſti manet ſemper corpus in Euchariſtia, unde & eſt ſemper objectum oculi corporei, adeoque ab ipſo Chriſto attingi nihil vetat. 2. Ipſe oculus ſubeſt eidem exiſtendi modo; igitur eſt æqualitas & ex parte objecti, & ex parte potentiæ: Deus vero & res ſpirituales ſunt objecta reſpectu oculi corporei diſparata, qua de cauſa illum ab eo videri prorſus implicat.

Inſta-

Inſtabis: oculus Beatorum poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia; igitur & rem ſpiritualem. Probatur conſequentia: ſi oculus ens mere ſpirituale immediate intueri non valeret, maxime quia quidquid videtur ad modum videntis videtur: atqui hoc certum non apparet, quandoquidem oculus Beatorum extenſum eſt in ordine ad locum; corpus vero Chriſti in Euchariſtia minime, & tamen a Beatis videtur; quidni & oculus corporeus ens mere ſpirituale & Deum videre ſimiliter poterit?

Reſpondeo iſtam quoque negando paritatem; namque corpus Chriſti in Euchariſtia eſt ſemper corpus: igitur & objectum oculi; ideoque Deus poteſt diſtantiam, quæ intercedit inter corpus & objectum ratione modi exiſtendi vincere, & ita roborare oculum ut corpus intueri queat; maxime vero cum ſicut modum exiſtendi definitive per omnipotentiam habeat corpus, ita & per eandem oculus corporeus Beatorum poterit habere modum utique ſpecialem videndi objectum, cum & hunc modum habeat oculus Chriſti in Euchariſtia. Quid plura? homo de potentia extraordinaria, non utendo niſi oculis mentis, in via poteſt intuitive videre Deum: igitur & virtute ſupernaturali oculus corporeus, non utendo modo ſibi innato videndi res, videlicet per extenſionem in ordine ad locum, poterit videre corpus Chriſti in Euchariſtia, licet nonniſi in ordine ad ſe extenſum, nuſquam vero Deum & rem mere ſpiritualem, propter rationes ſuperius allatas.

Objicies 5. Qui donabitur poſt reſurrectionem gloria animæ, videbit intuitive Deum: atqui oculus corporeus habebit in cælo gloriam animæ: igitur poterit videre intuitive Deum, nam ab actu ad poſſe valet conſequentia. Probatur minor. Gloria animæ redundabit, inquit Div. Thomas, in ipſum corpus: ergo, &c.

Reſpondeo negando majorem; ad probationem, diſtinguo: gloria animæ redundabit in corpus per aliquos effectus ſecundarios, nimirum per claritatem, per agilitatem, & per incorruptionem, concedo: immediate, & per viſionem Dei intuitivam, nego. Oculus quidem corporeus poſt reſurrectionem videbit Deum in iſtis miris effectibus, ſed non immediate & in ſeipſo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Oculus corporeus Deum videre etiam de potentia abſoluta non valet.

Primo: Quia de illo maxime intelligitur illud primæ ad Timoth. v. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*, ſcilicet per oculum corporeum.

Secundo: Deus eſt purus ſpiritus, adeoque extra objectum tum ſpecificativum, tum extenſivum oculi corporei.

Tertio: Quidquid videtur ad modum videntis videtur, ita ut ſi potentia viſiva ſit extenſa & corporea, nonniſi objectum extenſum, & coloratum attingere poteſt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, *& ſolutionum.*

Primo: Verum quidem eſt Beatos poſt reſurrectionem viſuros in carne Deum, ſed oculis mentis.

Secundo: Verum etiam eſt eoſdem Deum ſenſibiliter tunc viſuros: ſed tantum in glorioſis dotibus quibus eorum corpora, corpori claritatis Chriſti mirum in modum configurabuntur.

Tertio: ſed neque diffiteri fas eſt intellectum Beatorum, non obſtante magna inter Deum & hominem diſtantia, elevari ad viſionem Dei intuitivam; Deus enim eſt intra objectum ſpecificativum intellectus humani; non idem profecto dicendum de oculo corporeo, propter rationem oppoſitam.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum Auguſtinus crediderit Deum poſſe videri intuitive ab oculo corporeo.

CONCLUSIO.

Auguſtinus nec credidit, nec docuit Deum poſſe videri intuitivè ab oculo corporeo.

Probatur ex variis Auguſtini textibus.

Primo quidem, in lib. de videndo Deo ad Paulinam ſic ſe explicat: "

„ Deum

„ Deum nemo vidit umquam : Vel in
„ hac vita ſicut ipſe eſt, vel in Angelo-
„ rum vita, ſicut viſibilia iſta, quæ cor-
„ porali viſione cernuntur . „ Quibus ver-
bis excludit a viſione corporea Deum ,
quandoquidem aſſerit Deum non videri vi-
ſione corporali, ſicut iſta viſibilia cernun-
tur , quod diſcrimen nullum ſane foret ,
ſi Deus poſſet ab oculo corporeo videri .
Idem repetit Aug. Epiſt. 112. c. 9. quæ
nunc eſt 147.

Secundo, S. Auguſt. anno 408. ſcribens ex propria ſententia Epiſt. 92. olim 6. ad Italicam viduam , negat Deum clare poſſe videri oculis corporis : “ Hoc, in-
„ quit, objectum, videre oculus corporis ,
„ neque nunc , neque tunc poterit . „
Idem anno 413. dicit in libro de videndo Deo ad Paulinam, ſeu Epiſt. 147. mox citata : idem iterum anno 415. Epiſt. 148. ad Fortunatum Epiſcopum , & Epiſt. ad Evodium .

Tertio , lib. 22. de Civit. Dei , c. 29: ubi ex profeſſo hanc tractat quæſtionem : num. 13. ſic loquitur . “ Sed utrum vi-
„ debunt & per oculos corporis , cum
„ eos apertos habebunt , inde quæſtio
„ eſt ? Si enim tantum poterunt in cor-
„ pore ſpiritali , eo utique modo etiam
„ ipſi oculi ſpiritales , quantum poſſunt
„ iſti quales nunc habemus ; procul dubio
„ per eos Deus videri non poterit . „
Sed oculus corporeus ſemper erit corporeus , nec ſuam amittet in beatitudine naturam : igitur ex Auguſt. Deum intuitive videre non poterit .

Quarto . Auguſtinus loca , quibus utebantur quidam Epiſcopus & alii tunc temporis ad opinionem contrariam ſtabiliendam, explicat excludendo Dei viſionem ab oculo corporeo : nam ibid. l. 22. de Civ. c. 29. num. 3. ſic explanat illud Job. 42. v. 5. & 6. *In ob auditu auris audiebam te prius , nunc autem oculus meus videt te ; propterea deſpexi memetipſum , & diſtabui , & exiſtimavi terram & cinerem* . “ Quamvis hic
„ nihil prohibeat oculum cordis intelli-
„ gi , de quibus oculis ait Apoſtolus, il-
„ luminatos oculos habere cordis veſtri :
„ ipſis autem videri Deum, cum videbi-
„ tur, Chriſtianus ambigit nemo , qui fi-
„ deliter accipit , quod ait Deus ille ma-
„ giſter , Beati mundo corde quoniam ipſi
„ Deum videbunt .

Numero 4. quatuor alia loca explicat , ſcilicet Lucæ 3. v. 6. *Videbit omnis caro ſalutare Dei* . Job. 19. v. 26. *In carne mea videbo Deum* . Pſal. 33. v. 6. *Accedite ad eum & illuminamini , & facies veſtra non confundentur* . Primæ Cor. v. 12. illud quod ait Apoſtolus : *Facie ad faciem* . Quatuor , inquam , illa loca explicat excludendo ſemper ab oculo corporeo viſionem Dei : ſic enim loquitur : “ Sed utrum
„ etiam corporalibus oculis ibi videa-
„ tur , *intellige* , *Deus in cælis* , hoc in
„ iſta quæſtione verſamus . Illud enim
„ quod ſcriptum eſt, & videbit omnis ca-
„ ro ſalutare Dei , ſine ullius nodo diffi-
„ cultatis , ſic intelligi poteſt ac ſi dictum
„ fuerit , & videbit omnis homo Chri-
„ ſtum Dei , qui utique in corpore viſus
„ eſt , & in corpore videbitur , quando
„ vivos & mortuos judicabit ..... illud
„ etiam quod ait ſupra memoratus Job ;
„ ſicut in exemplaribus quæ ex Hebræo
„ ſunt invenitur , & in carne mea vide-
„ bo Deum , reſurrectionem quidem car-
„ nis ſine dubio prophetavit , non tamen
„ dixit per carnem meam . Quod quidem
„ ſi dixiſſet , poſſet Deus Chriſtus intel-
„ ligi , qui per carnem in carne videbi-
„ tur : nunc vero poteſt & ſic accipi , in
„ carne mea videbo Deum . Et illud quod
„ ait Apoſtolus , *facie ad faciem* , non co-
„ git ut Deum , per hanc faciem corpo-
„ ralem , ubi ſunt oculi corporales , nos
„ viſuros eſſe credamus , quem ſpiritu ſi-
„ ne intermiſſione videbimus . Niſi enim
„ eſſet etiam interioris hominis facies ,
„ non diceret idem Apoſtolus , *nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes , in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam , tanquam a Domini ſpiritu ; nec aliter intelligimus quod in Pſalmo canitur , accedite ad eum & illuminamini & facies veſtra non erubeſcent* . Fide quippe accedi-
„ tur ad Deum , quam cordis conſtat eſſe ,
„ non corporis . „ Quibus verbis concludit Auguſt. Deum videri non oculis corporis , ſed tantummodo cordis .

Quinto . Idem Auguſtinus , Epiſt. 10. inſurgit adverſus eos qui dicunt Deum poſſe videri oculis corporis , & vocat eorum opinionem , “ inſipientiam , dementiam ,
„ ac perverſam ſententiam .

Sexto . Auguſtinus adhuc junior inſectatus eſt opinionem oppoſitam ; ſed , cum multi inter quos erat quidam Epiſcopus , qui de ſeveriori Auguſtini in hac mate-

ria ſtylo, querelas deferrent, ipſe charitatis motivo quaſi cedens, modeſte eorum refert opinionem: ita tamen ut ſemper & hanc ſuam eſſe indigitet, Deum ſcilicet non poſſe ab oculo corporeo intuitive videri; immo contrariam auctoritate Scripturæ nuſquam poſſe probari contendit. Sic enim loquitur, lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29. nu. 4. " Sed quia „ ſpiritale corpus neſcimus quantos habe- „ bit acceſſus, de re quippe inexperta „ loquimur, ubi aliqua, quæ aliter in- „ telligi nequeat, divinarum Scriptura- „ rum non occurrit & ſuccurrit auctori- „ tas, neceſſe eſt ut contingat in nobis, „ quod legitur in libro Sapientiæ, *cogita-* „ *tiones mortalium timidæ, & incertæ provi-* „ *dentiæ noſtræ*. Ibidem, n. 6. " Quod ullis „ exemplis, ſive Scripturarum Teſtimo- „ nis divinarum, vel difficile, vel im- „ poſſibile eſt oſtendere.

Septimo. S. Doctor ibidem. n. 6. recenſita contraria opinione, quam dicit nullo Scripturarum teſtimonio innixam eſſe, concludit ex propria ſententia Deum videri immediate ſolum a Spiritu, mediate vero, & in effectibus ſenſibilibus ab oculo corporeo, ſicut anima videtur ab eodem per vitam ſenſibilem, quam corpori confert & exhibet. " Quod eſt, *in-* „ *quit*, ad intelligendum facilius, ita „ Deus nobis erit notus atque conſpi- „ cuus, ut videatur a Spiritu, a ſingu- „ lis nobis in ſingulis nobis, videatur ab „ altero in altero, videatur in ſeipſo, „ videatur in cœlo novo & in terra no- „ va, atque in omni quæ tunc fuerit „ creatura, videatur & per corpora in „ omni corpore, quocumque fuerint ſpi- „ ritalis corporis oculi acie perveniente „ directi. Prius dixerat: " Sicut homi- „ nes, inter quos viventes, motuſque vi- „ tales exercentes vivimus, mox ut aſpi- „ cimus, non credimus vivere, ſed vide- „ mus; cum eorum vitam ſine corporibus „ videre nequeamus; quam tamen in eis „ per corpora, remota omni ambiguitate „ conſpicimus: ita quæcumque in ſpiri- „ tualia illa lumina corporum noſtrorum „ circumferemus, incorporeum Deum „ omnia regentem, etiam per corpora „ contuebimur.

Octavo. Qui negat Deum videri poſſe oculo corporeo, qui opinionem contrariam dicit inſaniam & nullo Scripturarum teſtimonio innixam, qui aſſerit illam ſectantes, rem defendere incertam, non credit Deum poſſe videri oculo corporeo: atqui ex dictis patet S. Auguſtinum taliter locutum fuiſſe: ergo non credidit ſanctus Doctor Deum poſſe videri oculo corporeo; immo Epiſt. ad Italicam dicit Deum non magis poſſe percipi ab oculo corporeo quam a cæteris ſenſibus, & ſic contra alios concludit: " „ Quouſque volunt, decipiunt; quanto „ nos melius eorum inſipientiæ termi- „ nos figimus? ſed ut deſipiant prorſus „ nolumus.

Nono. BB. Fulgentius & Thomas, qui præ cæteris Auguſtini mentem attigerunt, expreſſe propugnant S. Doctorem nuſquam ſenſiſſe Deum poſſe oculo corporeo videri: ergo, &c.... Probatur antecedens: Primus ad tertiam Ferrandi quæſtionem ſic „ loquitur: " Oculis corporalibus Deus „ ſpiritus non videtur; unde quoſdam B. „ Auguſtinus, qui hoc voluerunt de Chri- „ ſto credere, quod Deum Patrem oculis „ corporis videat in Epiſtola quam ad Ita- „ licam ſcripſit, licet brevi ſermone, „ ſufficienti tamen reſponſione convincit. „ Secundus, nimirum D. Thom. hic qu. 12. art. 3. docet ex profeſſo Deum non poſſe videri oculo corporeo: & ad hoc probandum affert Auguſt. auctoritatem ex l. de videndo Deo ad Paulinam; quam quidem retulimus inter cæteras primam. Uterque autem, ut norunt omnes, ſcripſit poſt Auguſtinum, cujus ſententiam in diverſis operibus non ſemel propoſitam ſciebat, & tamen omnibus æqua lance ponderatis, Deum non poſſe videri oculis corporeis eſſe Auguſtini ſententiam defendit: ergo, &c.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Auguſtinus, lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29. propoſita quæſtione, concedit quidem oculos corporeos quales nunc ſunt in viatoribus, non viſuros Deum, ſed addit in gloria robuſtiores evaſuros, ut Deum intuitive poſſint videre: ſic igitur loquitur de Beatis, n. 3. „ Sed „ utrum videbunt & per oculos corporis, „ cum eos apertos habebunt, inde quæ- „ ſtio eſt? ſi enim tantum poterunt in „ corpore ſpiritali, eo modo utique etiam „ ipſi oculi ſpiritales, quantum poſſunt, „ iſti

„ iſti quales habemus, procul dubio per „ eos Deus videri non poterit. Longe ita„ que alterius erunt potentiæ, ſi per eos „ videbitur incorporea illa natura, quæ „ non continetur loco, ſed ubique tota „ eſt: ergo, &c.

Reſpondeo, 1. Auguſtinum ſuam clare expoſuiſſe ſententiam in lib. de videndo Deum ad Paulinam & Epiſt. 10.

Reſpondeo 2. S. Doctorem charitatis motivo, propter quorumdam querelas, a modo rigidiori in ſua propugnanda ſententia declinaſſe, quaſi dubitaſſet contrariam ſententiam eſſe falſam, quam tamen conſtanter in Scriptura ſacra eſſe fundatam negat.

Reſpondeo 3. diſtinguendo: & loquitur Auguſtinus alteri indulgendo ſententiæ ex hypotheſi quod oculus corporeus, ſicut alii putabant, evaderet ſpiritalis, concedo: ſecus, nego. Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres; ibidem enim ſic loquitur: „ Longe itaque alterius erunt „ potentiæ, ſi per eos videbitur incorpo„ rea illa natura.

Inſtabis: Atqui Auguſtinus credidit abſolute Deum ab oculo corporeo poſſe videri: ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum ex eodem S. Doctore, qui ibidem, n. 3. ſubdit: „ Vis itaque præpollen„ tior oculorum erit illorum, non ut „ acrius videant, quam quidam perhiben„ tur videre ſerpentes vel aquilæ; quan„ talibet enim acrimonia cernendi eadem „ quoque animalia nihil aliud poſſunt vi„ dere quam corpora; ſed ut videant & „ incorporalia: ergo, &c.

Reſpondet D. Thom. hic. art. 3. ad hoc argumentum his verbis: “ Ad ſecundum „ dicendum quod Aug. loquitur in ver„ bis illis inquirendo & ſub conditione, „ quod patet ex hoc quod præmittitur, „ longe itaque potentiæ alterius erunt, „ ſcilicet oculi glorificati, ſi per eos „ videbitur incorporea illa natura: ſed „ poſtmodum hoc determinat dicens: val„ de credibile eſt ſic nos viſuros munda„ na tunc corpora cæli novi, & terræ „ novæ, ut Deum ubique præſentem, & „ univerſa etiam corporalia gubernantem „ clariſſima perſpicuitate videamus, non „ ſicut nunc inviſibilia Dei per ea quæ „ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, „ ſed ſicut homines, inter quos viven„ tes motuſque vitales exercentes vivimus, „ mox ut aſpicimus, non credimus vide„ re, ſed videmus. Ex quo patet quod „ hoc modo intelligit oculos glorificatos „ Deum viſuros, ſicut nunc oculi noſtri „ vident alicujus vitam; vita autem „ non videtur oculo corporali, ſicut per ſe „ viſibile, ſed ſicut ſenſibile per accidens; „ quod quidem a ſenſu non cognoſcitur, „ ſed ſtatim cum ſenſu ab aliqua alia vir„ tute cognoſcitiva. Quod autem ſtatim „ viſis corporibus, divina præſentia ex „ eis cognoſcatur per intellectum ex duo„ bus contingit, ſcilicet ex perſpicuitate „ intellectus, & ex reſulgentia divinæ „ claritatis in corporibus innovatis.

Inſtabis: Auguſtinus rejicit opinionem philoſophorum qui negabant res ſpirituales non cognoſci corporis ſenſibus: ibidem enim, n. 5. ſic loquitur: “ Ratiocina„ tio quippe illa philoſophorum, qua diſ„ putant ita mentis aſpectu intelligibilia „ videri, & ſenſu corporis ſenſibilia, „ ideſt, corporalia, ut nec intelligibilia „ per corpus, nec corporalia per ſeipſam „ mens valeat intueri, ſi poſſet nobis „ eſſe certiſſima, profecto certum eſſet „ per oculos; corporis etiam ſpiritualis „ nullo modo poſſe videri Deum. Sed „ Iſtam ratiocinationem & vera ratio & „ prophetica irridet auctoritas. „ Probat Deum videre corporalia, ſicut & omnes ſpiritus, illa aut cognoſcunt, aut poſſunt cognoſcere, adeoque falſa dicere illos Philoſophos, cum corporalia ſolum a corporalibus cognoſci aſtruunt: deinde venit ad aliam argumenti partem, in qua quidem corporalia a ſpiritalibus non cognoſci affirmabant: & hoc utique debellat dicendo: “ Sicut „ ergo conſtat videri corpora ſpiritu; „ quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis „ corporis ut corpore videatur & ſpiritus? „ Spiritus enim eſt Deus: ergo, &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Auguſtinus rejicit Philoſophorum ratiocinium propter malam illationem, concedo: ex eo præciſe quod dicerent ſpiritalia non cognoſci a corporalibus, nego: & vero iſti Philoſophi ex eo quod a corporalibus cognoſcantur tantummodo ſenſibilia, concludebant utique ſpiritum non poſſe corporalia cognoſcere, ſed ſolummodo intelligibilia attingere: peſſima ſane conſequentia: “ Quis enim, *inquit ibidem Auguſtinus*, ita ſit averſus a vero, „ ut

„ ut dicere audeat Deum corporalia iſta „ neſcire ? Numquid ergo corpus habet „ per cujus oculos ea poſſit addiſcere ? „ Sed non ideo concedit S. Doctor corporeum oculum poſſe videre ſpiritum, niſi in hypotheſi quod mutata natura evaderet ipſe ſpiritalis ; unde ibidem ſubdit : “ Quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis „ . . . . ut corpore videatur & ſpiritus?

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo : ex Auguſtino oculus corporeus videbit Deum mediate & in effectibus, concedo : immediate & in ſeipſo, nego : ſicut enim anima videtur in motu locali cujus eſt principium, quatenus effectus deſignat cauſam a qua profluit ; ſic oculus corporeus videndo gloriæ refulgentiam & claritatem in corpus redundantem, quodammodo videbit utique Deum. “ Quamobrem, „ ait Auguſtinus, fieri poteſt, valdeque „ credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mun„ dana tunc corpora, &c. „ adeoque & Deum quaſi ſenſibiliter ſe oculis objicientem.

Inſtabis : ibidem Auguſtinus dicit & docet viſionem, qua tunc oculus Beatorum corporeus donabitur, viſione Dei abſtractiva quam nunc habemus, fortiorem tunc evaſuram ; ſed viſio abſtractiva quam de Deo habemus in via, terminatur etiam ad Deum in ſe ; fides quippe illum immediate reſpicit. Igitur viſio futura pro oculo corporeo ex Auguſtino nedum effectus Dei, ſed & ipſum Deum in ſe attingere poterit.

Reſpondeo diſtinguendo : viſio corporea Beatorum erit poſt reſurrectionem viſione noſtra de Deo abſtractiva robuſtior, quantum ad aliquid, quia ſcilicet regulabitur viſione beatifica, noſtra vero ſolum per fidem dirigitur, concedo : erit robuſtior ita ut Deum in ſe attingat, nego : in iſto prorſus ſenſu D. Thomas hic explicat Auguſtinum in quantum ſcilicet oculus corporeus majori etiam tunc donabitur claritate, & ſanctam humanitatem per omnia refulgentem intuitive videbit, immo ipſi configurabitur, juxta illud Petri : *Expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Inſtabis : Auguſtinus abſque hypotheſi & nulla facta reſtrictione Deum ab oculo corporeo poſt reſurrectionem intuitive videndum eſſe aſſerit ; ſic enim Epiſt. 147. c. 20. n. 48. loquitur : *Oculi corporales in reſurrectione, mutata corporum qualitate conſpicient divinam eſſentiam.* Igitur ex propria Auguſtini ſententia oculus corporeus Deum intuitive videre poteſt.

Reſpondeo diſtinguendo : & loquitur Auguſtinus facta ſuppoſitione, quod mutata natura oculus evadat ſpiritualis, concedo : ſecus, nego : Sanctus Doctor eſt ſui ipſius interpres ; nam ſub finem epiſtolæ petit, “ utrum Divinam ſubſtantiam, ocu„ li corporales in reſurrectione mutata „ corporum qualitate conſpicient. *reſpon„ det*, “ viderint qui hoc poſſunt aſtrue„ re : me plus movet illius ſententia, „ quæ nec in ipſa reſurrectione hoc corpo„ ralibus oculis, ſed mundis cordibus tri„ buit. „ Et n. 49. “ Jam utrum poſſit hu„ jus corporis oculis videri aliquid quod „ in loco non videtur ab eis, qui hoc „ volunt differendo monſtrare, cum pa„ ce dilectionis audire paratus ſum, & „ quod me movet in commune conferre. „ Denique n. 50. ſic concludit poſt allata in contrarium Hieronymi & Ambroſii teſtimonia, quibus ſe adhærere velle confitetur. “ De corpore vero ſpiritali, *inquit*, „ ſi Dominus juverit, alio opere expe„ riemur, quid diſputare valeamus. „ Denique Epiſt. 148. videtur quidem Auguſtinus concedere oculo corporeo Dei aſpectum : ſed attende, docte Lector, eum loqui ſemper in aliena ſententia, & nihil definiendo aſſerere : ſic enim ſcribit n. 23. “ Si in tantam ſui diſſimilitudinem „ noſtra corpora mutabuntur, ut oculos „ habeant per quos videatur illa ſubſtan„ tia, quæ non per locorum ſpatia vel „ diffunditur, vel finitur . . . . longe aliud „ erunt hæc corpora : quapropter ſi vide„ bunt Deum, non iſtius corporis oculi vi„ debunt. „ Quid clarius. ? Concedit ad duritiam cordis oculum corporeum viſurum eſſe Deum, modo mutata natura fiat ſpiritus, quod ſane eſt impoſſibile. Cum multis Patribus, laudat eos qui ſimpliciter dicunt oculum etiam glorioſum non poſſe Deum videre in ſe, & poſtea concludit : “ Melius affirmamus, unde mi„ nime dubitamus, quod homo interior „ videbit Deum. „ Ergo Auguſtini ſententia conſtans & firma eſt, Deum ab oculo corporeo etiam elevato non poſſe immediate & intuitive videri.

Inſtabis : eſto quod opinio Auguſtini fuerit, oculum corporeum etiam elevatum non poſſe Deum intuitive videre ; attamen ſententiam contrariam S. Doctor exiſtimavit probabilem : igitur credidit oculum corporeum poſſe videre Deum . Probatur antecedens : 1. Serm. 277. de ſancto Vincentio , ait forte Deum in reſurrectione carnis oculis eſſe conſpiciendum . 2. lib. 22. de Civitate Dei , cap. 29. num. 6. relata ſententia oppoſita , quaſi concedendo ſubdit : " Et fortaſſe iſta virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in mortali iſto corpore oculis ſancti viri Job, quando ait ad Deum , in obauditu auris audiebam te prius , nunc autem oculus meus videt te . ,, affert hic in probationem auctoritatem ſancti Job. 3. Ibid. n. 6. poſt relatas iterum duas opiniones , ſic concludit : Quamobrem fieri poteſt , valdeque credibile eſt , ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora cœli novi & terræ novæ , ut Deum ubique præſentem & univerſa etiam corporalia gubernantem ... videamus . ,, Et adhuc ibidem paulo infra . " Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile , quo & incorporea natura cernatur , &c.... Ergo credidit hoc eſſe poſſibile .

Reſpondeo 1. Auguſtinum . l. 2. retractationum de hoc momento nullam facere mentionem , neque ſuam primam , quam anno 408. ſcripſerat ſententiam retractare , ſed quæſtionem remittere maturius examinandam , in l. 22. de Civit. Dei . Sic enim ait . l. 2. retract. c. 41. " De videndo Deum ſcripſi librum , ubi de ſpiritali corpore quod erit in reſurrectione ſanctorum , in inquiſitionem diligentiorem diſtuli , utrum vel quomodo Deus qui ſpiritus eſt , etiam per corpus tale videatur , ſed eam poſtea quæſtionem ſane difficillimam in noviſſimo , id eſt , in vigeſimo & ſecundo libro de Civit. Dei , ſatis quantum arbitror explicavi .

Reſpondeo 2. ubique Auguſtinum locis in objectone adductis loqui in aliena ſententia , loqui dubitanter & nihil concedendo ; nam ad primum locum ibidem ſubdit . " Hoc ergo dico quoniam tales oculi , nec poſſunt videre Deum , nec tunc poterunt .... hoc etiam donec de ſpiritali corpore diligentius requiratur , quod ut intelligatur , aut recte credatur, teneamus corpus reſurrecturum ,, Poſtea dicit non poſſe probari oculum corporeum Deum viſurum ex illo loco Lucæ , *videbit omnis caro ſalutare Dei* , & contendit quærenda eſſe loca pro hoc momento clariora . Deinde ſic concludit : Si autem caro illa tantam acceperit mutationem, ut poſſit per eam videri quod non videtur in loco , omnino ita ſit; ſed quærendum eſt unde doceatur , & ſi nondum docetur , nondum negetur, ſed certe vel dubitetur , ita tamen ut carnem reſurrecturam non dubitetur .

Ad ſecundum locum loquitur adhuc in aliena ſententia , & proponendo ſuam , explicat textum Job de oculo cordis , ſic enim ſubdit : " Quamvis hic nihil prohibet oculum cordis intelligi .

Ad tertium , mentionem facit de viſione Dei mediata & per creaturas , ut patet ex ipſis verbis , & ut jam explicavimus .

Ad quartum , nihil affirmat , immo negat hoc poſſe fieri , niſi in hypotheſi in qua daretur oculus in excellentia ſimilis menti , quod eſt difficile , immo impoſſibile probare per ſcripturas : unde controverſiam jam in multis operibus agitatam dirimit & concludit , dicendo oculum corporeum viſurum eſſe quidem Deum , ſed mediate & in effectibus , oculum vero mentis immediate & in ſeipſo : " Aut ergo , *inquit ibidem* , per illos oculos ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis ſive Scripturarum teſtimoniis divinarum , vel difficile , vel impoſſibile eſt oſtendere : aut quod eſt ad intelligendum facilius , ita Deus erit nobis notus atque conſpicuus , ut videatur ſpiritu a ſingulis nobis, videatur ab altero in altero , videatur in ſeipſo, videatur in cœlo novo & in terra nova , atque in omni quæ tunc fuerit creatura , videatur, & per corpora in omni corpore , quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perveniente directi : ergo , &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Auguſtinus non docuit Deum ab oculo corporeo poſſe intuitive videri.

PRIMO : quia Deus non videtur, ſicut mundana ab oculo corporeo conſpiciuntur, ita Epiſt. 149. c. 9.

Secundo : expreſſe ait oculum corporeum, neque nunc videre Deum intuitive, neque poſt reſurrectionem eſſe viſurum. Ita Epiſt. 92.

Tertio : contrariam ſententiam improbabilem prorſus exiſtimat ; & hoc in omnibus operibus ubi hanc movet quæſtionem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Quandoque Auguſtinus dicit Deum ab oculo corporeo poſſe intuitive videri, ſed loquitur ex aliena ſententia.

Secundo : inſinuare etiam videtur caſum eſſe poſſibilem : ſed ex hypotheſi quod oculus corporeus mutata natura evaderet menti in ſpiritualitate ſimilis.

Tertio : nonnumquam utique & hoc abſolute concedit, ſed pro viſione mediata & per effectus, nuſquam vero pro immediata.

S 2 DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
DE
ACTU VISIONIS BEATIFICÆ, EJUSQUE OBJECTO.

Contra Palamitas & Armenos.

PALAMITÆ contendunt Deum non videri a Beatis in ſe. Armeni quidam exiſtimant videri ſolum in quadam claritate. Sed contra profecto illud eſt quod Chriſtus dicit Matth. 18. 10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.*

Dogma de actu Viſionis. Beatificæ quatuor his rationibus probatur.

PRIMO: Quia ex Scriptura ſacra de facto Deus videtur intuitive a Beatis.

Secundo: Quia Beati vident Perſonas & Attributa.

Tertio: Quia vident etiam creaturas in Deo.

Quarto: Quia aliqui etiam in via, ut Moiſes & Paulus, viderunt intuitive Deum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus videatur intuitive a Beatis.

CERTUM eſt primo ſanctos Angelos eſſe in cœlo. 2. Chriſtum die Aſcenſionis ſuæ huc adduxiſſe Patriarchas & Prophetas. 3. Beatiſſimam Virginem hac donatam fuiſſe gloria tum pro dilecta anima, tum pro corpore ſuo, ut pie creditur. Non movemus hic quæſtionem, utrum gloria cæterorum ſanctorum in pace defunctorum differatur uſque ad extremum judicii diem, ſed an Beati qui ſunt in cœlo videant immediate & intuitive Deum.? Ad rei quæſitæ enodationem, ſit

CONCLUSIO CATHOLICA.

Beati qui ſunt in cœlo vident immediate & intuitive Deum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et iterum 1. Joan. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Et adhuc, primæ Corinth. c. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ex his auctoritatibus eruuntur multa argumenta Theologica quibus veritas magnifice comprobatur.

Primum eſt. Videre Deum, eſt eum intuitive videre, nam viſio, ut nomen ſonat, eſt cognitio clara & immediata, nullaque præter hanc dicitur viſio: ſed promittitur viſio Dei mundis corde: ergo ſancti qui ſunt in cœlo vident Deum immediate & intuitive.

Secundum ſic procedit. Quando aliquid oſtenditur, videtur intuitive; alias non eſſet oſtenſio rei: & vero, quis dicet ſe aliquam oſtendere perſonam, qui ſolam illius exhibet imaginem? atqui ex Scri-

Scriptura , ſancti expoſtulant , dum peregrinantur a Domino , ut eis oſtendatur in patria Deus: ergo, &c.

Tertium . Similitudo competit intellectui , & hoc ſolum per unionem immediatam cum objecto, quo quidem mens ita repletur, ut totaliter in ea reluceat: ſed in cœlo , Beati , ut oſtenſum eſt , ſimiles ſunt Deo , & ſunt ſimiles quia vident Deum: ergo quia vident immediate & intuitive.

Quartum depromitur ex eadem Scriptura. Videre Deum ſicuti eſt , eſt videre illum immediate & in ſeipſo : nemo enim dicitur videre cauſam in ſe , quam videt ſolum in effectu : atqui ex Scriptura , Sancti vident Deum ſicuti eſt ; hoc ipſum promittitur : igitur & executioni mandatur, juxta illud: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt*: ergo, &c.

Quintum utique fundatur in Scriptura . Beati deſiderant, & quidem non fruſtra, in Deum proſpicere: ergo in cœlo proſpiciunt Deum in ſe : alias forent anxii & inquieti , quod ſane Beatitudini repugnat.

Sextum . Viſio quæ eſt oppoſita figuræ & ænigmati eſt intuitiva & immediata : atqui ex Apoſtolo talis eſt viſio Beatifica : igitur ſancti in cœlo videut intuitive Deum.

Septimum denique . Videre faciem Dei eſt illum videre intuitive ; ſicut videmus hominem in ſe , quando ipſius intuemur faciem ; immo nomen faciei uſurpat Scriptura ſolum ad explicandam viſionem Dei claram & intuitivam per analogiam ad res creatas : ſed viſio beatifica eſt viſio Dei facie ad faciem : ergo , &c.

Secundo , *Ex Sanctis Patribus* .

IRENÆUS primum tenet locum , l. 4. c. 37. " Quemadmodum enim videntes lumen , intra lumen & claritatem ejus percipiunt ; ſic & qui vident Deum, intra Deum ſunt , percipientes ejus claritatem ..... vitam præſtat iis qui vident eum . „

Ambroſius ſequitur : nam l. 1. in Lucam col. 11. ait : " In poteſtate noſtra non eſt videre eum , *ſcilicet Deum* , ſed in poteſtate illius eſt apparere . „

Auguſtinus utique audiendus eſt : l. 1. de Trin. c. 9. ſic loquitur : " In viſione tota merces . „ Item Epiſt. 112. " Deſiderium autem veraciter piorum , quo videre Deum cupiunt , & inhianter ardeſcunt , non opinor in eam ſpeciem contuendam flagrat , qua , ut vult , apparet quod ipſe non eſt , ſed in eam ſubſtantiam , qua ipſe quod eſt . „ Rurſus , l. 22. de Civ. Dei , c. 29. Sicut illi vident , ſcilicet Angeli , ita & nos viſuri ſumus ; ſed non ita videmus .... Præmium itaque fidei nobis iſta viſio ſervatur . „ Et adhuc Manual. c. 17. " Verum ſuper hæc omnia eſt conſociari choris Angelorum .... Glorioſa ſunt hæc , ſed multo glorioſius eſt præſentem Dei vultum cernere , incircumſcriptum lumen videre ; ſuperexcellens gloria erit cum Deum videbimus in ſeipſo , videbimus & habebimus in nobis , quem cernere finis non erit . „

Gregorius in eadem ſententia verſatur , quandoquidem , l. 18. Moral. c. 28. ait : " Sciendum vero eſt quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis , in claritate quidem ſua conſpici , ſed in natura minime videri : quos nimirum minor inquiſitionis ſubtilitas feſellit : neque enim illi ſimplici , & incommutabili eſſentiæ aliud eſt claritas , & aliud natura : ſed ipſa ei ſua natura claritas , ipſa claritas natura eſt ; quia enim ſuis dilectoribus hæc Dei ſapientia ſe quandoque oſtenderet , ipſe pollicetur dicens: qui diligit me , diligetur a Patre meo ; & ego diligam eum , & manifeſtabo memetipſum illi: ac ſi patenter dicat , quia in veſtra me cernitis , reſtat ut in mea me natura videatis .

Bernardus eidem ſubſcribit veritati Serm. 4. in feſto omnium Sanctorum . " Tripliciter, *inquit*, in æterna illa , & perfecta beatitudine fruemur Deo , videntes eum in omnibus creaturis , habentes eum in nobis ipſis , & quod his omnibus ineffabiliter jucundius ſit atque beatius , ipſam quoque cognoſcentes in ſemetipſa Trinitatem , & gloriam illam ſine ullo ænigmate , mundo cordis oculo contemplantes . In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoſ-

Digitized by Google

„ camus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu, & videamus Deum ſicuti „ eſt, ideſt, non modo ſicuti ineſt, nobis „ videlicet, aut cæteris creaturis, ſed ſicut eſt in ſemetipſo.

Denique D. Thomas, prima part. q. 12. art. 2. ſic loquitur: “ Divina eſſentia non „ per aliquam ſimilitudinem, ex parte divinæ eſſentiæ ab intellectu creato conſpicitur. „

Tertio, *Ex Rationibus Patrum & D. Thomæ.*

PRIMA eſt. Qui vident Deum intra ſe, in ſeipſo & non in aliqua media claritate, ſed ſicuti eſt, vident eum intuitive: atqui Beati ex Patribus ſic vident Deum in cœlo: ergo, &c.

Secunda. Qui vident Deum ſine ullo medio & ſpecie creata, illum vident immediate & in ſeipſo: atqui ex D. Thom. hic, qu. 12. art. 2. Beati ſic vident Deum: ergo, &c.

Tertia. Beatitudo conſiſtit in altiſſima & nobiliſſima operatione: atqui ex D. Thom. ibidem a. 1. viſio Dei in ſemetipſo ejuſmodi eſt: ergo, &c.

Quarta hæc eſt, & quidem a priori. Omnis potentia attingit immediate ſuum objectum formale: ſed Deus in ſe viſus eſt objectum formale intellectus creati; quandoquidem eſt prima veritas, objectum vero mentis eſt omne verum: ergo, &c.

Quinta. Beatitudo eſt omnium appetituum ſatiativa: ſed homo ad finem ſupernaturalem elevatus deſiderat Deum intuitive videre: ergo, &c. Probatur major. Quidruplex diſtinguitur in homine deſiderium; alterum ſcilicet magnitudinis, alterum ſcientiæ, alterum caſtæ voluptatis, æternitatis vero alterum: ſed viſio Dei intuitiva omnia iſta replet deſideria: Primum quidem juxta illud primæ Joan. c. 3. *Similes ei erimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Secundum vero quia ſcriptum eſt Pſal. 31. v. 34. *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Et iterum alia Scriptura Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit ultra vir proximum ſuum .... omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum uſque ad maximum*. Tertium utique ſatiat juxtat illud Philippi ad Chriſtum: Joan. 14. *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Et Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Et iterum Pſal. 35. *Torrente voluptatis tua potabis eos*. Quartum denique implet: habetur enim Daniel. 12. v. 3. *Fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. S. Epiphanius dicit viſionem Dei immediatam eſſe impoſſibilem; ſic enim loquitur hæreſi 70. “ Deum qui„ dem videre, maxime humanæ naturæ „ impoſſibile eſt: „ ergo, &c.

Reſpondeo, 1. S. Epiphanium non loqui de impoſſibilitate abſoluta: nam immediate poſt verba laudata ſic loquitur: “ Neque „ quod viſibile eſt, ſed intueri poteſt quod „ eſt inviſibile. „ Quibus quidem verbis hoc unum intendit demonſtrare, ſcilicet Deum non videri in hac vita.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Viſio Dei comprehenſiva eſt homini impoſſibilis, concedo: intuitiva finita, ſubdiſtinguo: viribus naturæ, concedo: viribus gratiæ, nego. Loquitur S. Epiphanius ſolum de viſione comprehenſiva, ſiquidem immediate ante verba in objectione relata dicit Deum “ inviſibilem & incomprehenſi„ bilem eſſe .... ſed eundem rurſus poſ„ ſe quidquid velit facere, non enim „ quemquam voluntati ejus obſiſtere: na„ tura igitur inviſibilis, & ejus compre„ hendi non poteſt gloria; verum cum „ producto a ſe homini apparere volue„ rit, nihil ejus voluntati refragatur. „ Duo igitur docet S. Epiphanius, ſcilicet, Deum eſſe incomprehenſibilem, & tamen manifeſtum ſe facere homini quando ipſe vult.

Objicies 2. Cognitio Dei per viſionem, non eſt cognitio Dei intuitiva in creaturis: ergo non poteſt inferri Beatos videre intuitive Deum & immediate, ex eo quod Scriptura & Patres dicant Beatos videre Deum. Probatur antecedens. Iſaiæ 6. v. 1. dicit Propheta: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium, &c.* & tamen non vidit Deum in ſe: igitur cognitio quæ habetur per viſionem non eſt immediata.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Co-

Cognitio quæ habetur in via, quæque eſt per ſimilitudinem aliquam, non eſt intuitiva, concedo: viſio quæ conceditur in Patria, & quidem omni ſecluſa tum ſpecie tum ſimilitudine, nego. Primum patet, juxta illud Exod. 13. v. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet.* Quæ quidem verba excludunt viſionem Dei intuitivam in via. At vero alia Scriptura de viſione Beatorum loquens, primæ Corinth. 13. v. 12. ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Igitur viſio patriæ eſt immediata, quia eſt perfecta, dicente eodem Apoſtolo ibidem, v. 10. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Exemplum viſionis Iſaiæ nihil urget contra concluſionem, cum viſio Prophetæ fuerit ſolum per ſimilitudinem.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: Cognitio prophetica non eſt intuitiva, concedo: cognitio beatifica, nego: Prima fit quandoque in ſomniis, quandoque in vigilia, ſed ſemper ut plurimum per figuras & ſimilitudines, juxta illud Numerorum 12. v. 6. *Audite*, inquit Deus, *ſermones meos: ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* At vero cognitio Beatifica debet eſſe clara, adeoque immediata & intuitiva: de priori ſolummodo loquitur Iſaias.

Objicies 3. Si Beati vident intuitive Deum, maxime propter illud Apoſtoli effatum: *Tunc autem facie ad faciem*, intellige, *videbimus*: atqui ex illa ſententia non colligitur viſio Dei intuitiva; quandoquidem Deus, utpote purus Spiritus, non habet faciem ut homo: ergo &c.

Reſpondeo, negando minorem. Ad iſtud vero, Deus non habet faciem, diſtinguo: & iſto utitur vocabulo Apoſtolus, ut deſignet viſionem intuitivam, concedo: & eſſe impoſſibilem propugnat, nego. Hac igitur ſimilitudine eatenus demonſtrat Paulus viſionem immediatam, quatenus ſicut viſio hominis facie ad faciem eſt intuitiva, ita ſimiliter & viſio Dei in Patria. Eo prope modo S. Lucas per brachii vocabulum indigitat Dei fortitudinem: ſic enim c. 1. intonat B. Maria in ſuo Cantico: *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Solutio eſt D. Aug. lib. 22. de Civ. Dei, c. 29. explicans illa verba primæ Corinth. 13. v. 12. *Videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, ait: " Faciès Dei, manifeſtatio ejus in-
„ telligenda eſt, non quod tale mem-
„ brum quale nos habemus in corpore,
„ atque iſto nomine nuncupamus. „

Inſtabis. Ut viſio Dei ſit intuitiva, non requiritur ut ſit immediata: ergo quando Scriptura dicit, *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, non ſenſus eſt Deum videri in ſe & immediate, ſed tantum in quadam claritate ab ipſo promanante, juxta illud Pſal. 35. v. 10. *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Confirmatur, & quidem multipliciter. 1. Imago viva, tametſi ſolum imago, attamen ita repræſentat rem ut effigies ipſa dicatur perſona: in eo prorſus ſenſu Chriſtus Heb. 1. 3. vocatur imago & figura ſubſtantiæ paternæ, in qua ipſe pater videtur, juxta illud Chriſti effatum, Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* 2. Orator Regis, etiam ipſum repræſentat Regem: igitur & claritas ex Deo profluens ipſum menti Beatorum exhibet & repræſentat; unde illud Job. 19. v. 26. *& in carne mea videbo Deum meum*, de claritate corporum Beatorum D. Thomas interpretatur.

Reſpondeo, negando antecedens: Oſtenſum enim eſt ſupra, lumen ſe tenere ſolum ex parte potentiæ, unde ex ipſo ſolum non affulget objectum, ſed per illud conſpicitur. Lumen quidem ſolis adjuvat oculum corporeum ad videndum coloratum; ſed oculus aliud præter ipſum lumen intuetur: ita dicendum de viſione beatifica.

Ad primam confirmationem, diſtinguo. Imago quæ eſt entitative & eadem numero cum perſona, repræſentat rem ſicuti eſt, concedo: imago vacua, nego: unde nulla eſt paritas. Enimvero Filius Dei eſt imago, ſed viva, ſed Patri conſubſtantialis, unde & ipſum perfecte repræſentat; qua de cauſa Chriſtus reſpondit Philippo interroganti, Joan. 14. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*: aſt non idem dicendum eſt de claritate creata; nulla quippe ejuſmodi ſimilitudo Deum & circumſcribere & repræſentare poteſt; quamobrem nuſquam ſicuti eſt in claritate ab ipſo promanante videtur.

Ad ſecundam, diſtinguo. Orator repræſentat Regem moraliter & ſecundum quid, concedo: ſicuti eſt, nego: & ideo non eſt paritas; quandoquidem & Scriptura & Patres loquuntur de viſione Dei in ſe & ſicuti eſt. Cæterum D. Thom. loquitur ſolum de viſione Dei mediata & per effectus, ut non ſemel ſupra dictum eſt.

Inſtabis. Ut Deus videatur ſicuti eſt, non abſolute requiritur eum videri immediate, quod iſto probatur argumento. Prophetæ videbant Deum ſicuti eſt; namque l. 1. Reg. c. 9. dicuntur, *Videntes*: atqui tamen conſtat eos non vidiſſe Deum immediate & in ſeipſo, ſed modo in figuris, modo in ſimilitudinibus, & ſemper in claritate. Ergo, &c.

Reſpondeo, negando ſubſumptum: ad probationem, nego utique Prophetas Deum vidiſſe ſicuti eſt, ſed tantummodo in ſimilitudinibus. Ad id vero quod ſubjungitur *Videntes* nominari in Scripturis, diſtinguo: nominantur *Videntes* propter prophetiæ & viſionis certitudinem, concedo: propter viſionem Dei intuitivam, nego: Veritas dupliciter revelatur: 1. quidem obſcure & mediantibus Scripturis quæ verbum Dei continent: alio vero modo obſcure quidem ex parte objecti, ſed clare & evidenter ex parte atteſtantis; nempe cum aliquis vel videt, vel audit Angelum in perſona Dei loquentem, & myſteria aliqua exponentem: iſte modus obſcuritatem quidem ex parte myſterii, ſed evidentiam in atteſtante habet. Primo modo habemus rerum revelationem; ſecundo vero modo Prophetæ, & ideo *videntes* recte appellantur.

Objicies 5. Ideo aſtruitur viſio beatifica intuitiva & immediata pro Beatis, quia eſt ſatiativa: atqui hæc ratio nulla eſt: nam & claritas Beatorum implet cuncta deſideria; in ipſa enim velut in ſpeculo, & eſſentia & attributa videntur: ſed viſio Dei & attributorum omnem ſatiat appetitum: ergo, &c.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem, nego utique claritate omnem impleri appetitum: ad ulteriorem probationem, diſtinguo: eſſentia Dei & attributa videntur in claritate abſtractive & per effectum, concedo: immediate & in ſeipſis, nego. Sola autem viſio Dei intuitiva & in ſe replet deſiderium Sanctorum & perfecte ſatiat, nuſquam vero viſio mediata & abſtractiva; viſis enim tantum effectibus & quidem cum anxietate deſideramus intueri & poſſidere cauſam.

Objicies 6. Plurimi Theologi, alias doctiſſimi, propugnant Beatos producere ſpeciem expreſſam de Deo; & tamen Deum intuitive & ſicuti eſt a ſanctis videri pro ſocis & aris defendunt: igitur viſio Dei poteſt eſſe clara abſque eo quod ſit immediata: igitur non eſt inconveniens Deum in quadam claritate a Beatis in Patria conſpici.

Reſpondeo, admittendo hypotheſim, diſtinguo. Et ſpecies ſe tenet ex parte objecti prius in ſe viſi, concedo: & non ſe tenet, nego. Beati ſecundum horum ſententiam vident Deum in ſe, licet per iſtum viſionis actum producant ſpeciem creatam de divina eſſentia, in qua veluti in ſpeculo ſine macula Deum contemplantur; ſed Palamitæ non ſic: propugnant enim ſicut & Armeni Beatos non videre Deum ullo modo, ſed ſolum quamdam claritatem ex ipſo refulgentem & emanantem: dictum eſt autem illam claritatem ſe tenere ex parte principii, ſcilicet ex parte intellectus creati, qui ea adjuvatur & elevatur ad videndum Deum.

Objicies 7. Si Beati vident Deum intuitive, immediate & in ſe, habent eamdem de Deo cognitionem quam Deus habet de ſeipſo: Falſum conſequens: ergo & antecedens.

Reſpondeo, diſtinguendo: habent eamdem ſecundum quid, concedo: ſimpliciter, nego. Viſio beatifica terminatur quidem ad idem objectum, in ſe, ſed non adæquate: quia Beati non vident omnia poſſibilia, nec comprehendunt Deum; unde eorum viſio eſt ſolum finita; immo & comparative ad viſionem quam Deus habet de ſeipſo, inadæquata nuncupatur.

Inſtabis: Viſio Dei in aliqua claritate & ſimilitudine, eſt magis homini conveniens & proportionata potentiæ viſivæ quæ eſt finita: ergo non debet admitti intuitiva, eaque immediata.

Reſpondeo, diſtinguendo: eſt magis proportionata potentiæ materialiter ſumptæ, concedo: Formaliter ſumptæ, &c

ut

ut movetur per inclinationem, nego: enimvero ineſt appetitus ad ſummum bonum animæ, adeoque non ſatiatur niſi perfecta ipſius poſſeſſione: licet igitur quod eſt finitum ſit magis proportionatum potentiæ creatæ in ratione entis, non tamen in ratione appetentis, ideſt, non ſatiat appetitum: appetitum autem fruſtraneum eſſe implicat: igitur potentia gratia & lumine gloriæ elevata debet videre Deum in ſe.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beati vident Deum intuitive & immediate in ſeipſo.

PRIMO, Quia ex Apoſtolo, nunc in ænigmate, inquit, tunc autem facie ad faciem videbimus: igitur clare & in ſeipſo; alias viſio patriæ non foret cognitione viæ excellentior.

Secundo, Quia ex Patribus, Beati vident Deum ſicuti eſt; ex D. Aug. & D. Thom. vident ſine medio: ergo, &c.

Tertio, Quia potentia attingit immediate ſuum objectum formale, maxime quando ejus actus perfectus eſt, & nullo irretitur impedimento: porro potentia talis eſt in Patria: ergo, &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Epiphanius dicit Deum a Sanctis non videri immediate: ſed profecto loquitur tantum de viſione comprehenſiva, eamque ab eis excludit.

Secundo. Legitur utique in Scriptura Prophetas vidiſſe Deum, & conſtare eorum viſionem non fuiſſe immediatam: ſed & hoc ultro concedimus; omnis quippe viſio non eſt intuitiva, præcipue vero ſi fiat per ſimilitudines, qualis fuit prophetarum viſio; ſed eam quæ fit in patria eſſe immediatam conſtat ex probationibus.

Tertio. Dicitur etiam in Scriptura Deum videri in claritate, ſed intellige tamquam in medio ex parte potentiæ ſe tenente: ſicut enim lumen ſolare reddendo aerem diaphanum, adjuvat oculum ad videnda objecta ſenſibilia & colorata; ita & Beati in lumine vident Deum: ſed aliud præter ipſum lumen vident, nimirum Dei eſſentiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Beati videant omnia quæ ſunt in Deo.

PRIMARIUM viſionis Beatificæ objectum eſt Deus: ſed in Deo multa ſunt, ſcilicet eſſentia, perſonæ & attributa: de iis procedit difficultas, & quæritur utrum hæc omnia videant Beati.

CONCLUSIO.

Beati vident eſſentiam, Perſonas, & attributa divina.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura.*

MATTH. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Primæ Joann. cap. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*. Et iterum Joan. in Evang. cap. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me*, inquit Chriſtus, *videt & Patrem*. Et ante c. 10. v. 30. *Ego & Pater, Unum ſumus*: Ergo Beati vident Deum, vident Perſonas & attributa; ſiquidem omnia iſta ſunt Deus.

Secundo, *Ex ſanctis Doctoribus.*

AUGUSTINUS, lib. 2. de Civit. Dei, cap. 21. " Quid videbimus, *inquit*, niſi „ Deum & omnia illa quæ nunc non vi- „ demus? credentes ..... videbitis, in- „ quit Chriſtus, & gaudebit cor veſtrum „ ... hic creditis; ibi videbitis. „ Idem l. 10. de Trinit. c. 8. ait: " Sive audia- „ mus, oſtende nobis filium; ſive audia- „ mus, oſtende nobis Patrem; tantum va- „ let, quia neuter poteſt ſine altero oſten- „ di, unum quippe ſunt. „ Et iterum in Pſal. 105. n. 31. " Patris, *inquit*, & Fi- „ lii ſeparari non poteſt viſio; ubi non ſe- „ paratur natura & ſubſtantia, viſio ſe- „ parari non poteſt: „ Ergo, &c.

D. Thomas ſuffragatur: nam 2. 2. qu. 2. art.

art. 8. ad 3. ait : " Summa bonitas Dei „ ſecundum modum quo nunc intelligi- „ tur per effectus, poteſt intelligi abſque „ Trinitate Perſonarum : ſed ſecundum „ quod intelligitur in ſeipſo prout vide- „ tur a Beatis, non poteſt intelligi ſine „ Trinitate Perſonarum. „ Idem 3. par. „ quæſt. 3. art. 3. proſequitur : " Intel- „ lectus dupliciter ſe habet ad divina, „ uno modo ut cognoſcat Deum ſicuti eſt, „ & ſic impoſſibile eſt quod circumſcri- „ batur per intellectum aliquid a Deo, „ & quod aliud remaneat, quia totum „ quod eſt in Deo eſt unum, ſalva diſtin- „ ctione perſonarum. „ Ergo Beati omnia divina in Deo vident.

Tertio, *Ex Ratione, eaque multiplici*.

PRIMA ſic ſe habet. Viſio Dei eſt intuitiva & quidditativa : ſed viſio intuitiva & quidditativa objecti, attingit totum quod eſt in objecto, totum ſaltem eſſentiale & neceſſario illi annexum, alias non foret viſio objecti ſicuti eſt : atqui & Perſonæ, & Attributa ſunt eſſentialiter & neceſſario cum natura Dei annexa & conjuncta : igitur Beati videndo eſſentiam, vident utique & perſonas & attributa.

Secunda. Ex Scriptura, Beatitudo eſt appetitus rationalis ſatiativa ; cum omne Beatorum impleat deſiderium : ſed Beati deſiderant videre non ſolum Dei eſſentiam, verum etiam & Perſonas & Attributa : igitur Beati hæc omnia in Deo intuentur.

Tertia. Ex Scriptura, Omnia quæ ſunt in Deo faciunt unum, juxta illud Joan. 14. v. 9. *Ego in patre, & pater in me eſt* ; ex Concilio Rhemenſi, ſunt ipſe Deus : ſed beati vident intuitive Deum : igitur conſequenter & Perſonas & Attributa.

Quarta. Quæ videntur in una eademque ſpecie, videntur ſimul & eodem viſionis actu : atqui Beati vident in eadem ſpecie, nimirum in eſſentia, velut in ſpeculo, quidquid eſt Deus tum in ſe, tum in perfectionibus : igitur vident, &c. Hæc ratio eſt D. Thom. qui hic prima part. qu. 12. art. 10. ſic loquitur : " Ea „ quæ videntur in Deo non videntur ſin- „ gula per ſuas ſimilitudines, ſed omnia „ per unam eſſentiam Dei, unde ſimul „ & non ſucceſſive videntur. „ Hoc ipſum innuit Auguſtinus, l. 15. de Trinit. „ cap. 16. " Non erunt volubiles noſtræ „ cogitationes, ab aliis in alia euntes & „ redeuntes : ſed omnem ſcientiam no- „ ſtram uno ſimul conſpectu videbimus. „ Certum eſt Beatos poſſe videre Perſonas : igitur de facto eas vident, videndo eſſentiam.

Quinta ſequitur ad alias. Abſtracta & concreta in divinis, ex D. Thom. 1. part. qu. 39. art. 5. ſunt unum & idem : igitur non poteſt videri eſſentia quin videantur ſimul & Perſonæ & Attributa.

Sexta. Ea omnia beati vident in Deo, quæ in via per fidem cognoverunt ; ſiquidem viſio ſuccedit Fidei ; ſed per fidem hic in terris non ſolum Deum, ſed & Perſonas, & Attributa fide contemplamur : igitur & in Patria Sancti vident eſſentiam, vident Perſonas & Attributa ; maxime vero quia ſcriptum eſt Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me . . . . Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus* ; quæ quidem divinarum perſonarum manſio fit perfecte, & conſummatur in patria : quis autem Perſonas ad nos venientes, nobis eſſe ignotas aſſerere audeat ?

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Chriſtus eſt Deus : ſed Angeli Beati Chriſtum non ſemper cognoverunt : igitur Beati non vident Perſonas. Probatur minor : Iſaiæ 63. v. 1. Angeli ſic loquuntur : *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra ?* Quæ quidem verba de Chriſto intelliguntur : igitur cum Angeli ſciſcitarentur quiſnam eſſet, ipſum nondum agnoverant.

Reſpondeo diſtinguendo : Chriſtus eſt Deus incarnatus, concedo : Deus ſolum, nego : unde diſtinguo ſimiliter minorem. Angeli Deum ut Incarnatum non ſemper cognoverunt, concedo : Deum ut ſic & ſecundum ſe, nego. Duplicis generis ſunt in Deo objecta, quædam eſſentialia & neceſſario cum ipſo Deo connexa, quædam vero libera. Eſſentia, Perſonæ, & Attributa, pertinent ad prima objecta ; unde viſo Deo, utique & videntur ; myſteria vero ad extra ſpectant alia objecta ; ſed latent in voluntate Dei, adeoque a Beatis abſque revelatione non cognoſcuntur ;

Digitized by Google

tur; maxime vero quia his etiam non viſis Angeli ſancti eſſe beati non deſinerent, inquit Auguſtinus: non mirum igitur beatos illos Spiritus non ſemper cognoviſſe Incarnationis myſterium, adeoque tempore congruo circa illud fuiſſe illuminatos. Quod autem Iſaias de Deo tantum Incarnato loquatur, patet ex reſponſione immediate ſequente: *Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.*

Objicies 2. Beati non vident omnipotentiam, immo nec juſtitiam & bonitatem, ſaltem perfecte. Ergo beati non vident attributa. Probatur antecedens: 1. quidem non vident omnia quæ Deus poteſt facere; igitur eos Omnipotentia latet: item nec vident punitiones quas exercebit Deus in fine ſæculorum contra improbos; igitur & juſtitia utique eis abſcondita videtur: item nec conſpiciunt miſericordias erga juſtos futuras, igitur ignota eſt eis & bonitas.

Reſpondeo, negando antecedens: ad primam probationem, diſtinguo: non cognoſcunt omnipotentiam entitative, nego: extenſive, ſubdiſtinguo: quoad omnes ejus effectus, concedo: quoad aliquos, nego. Tria ſunt diſtinguenda in Omnipotentia ſicut & in cæteris attributis. 1. quidem, omnipotentia, ut attributum & perfectio eſt. 2. Ejus quantitas & extenſio totalis & adæquata. 3. Eadem extenſio quoad aliquos effectus. Beati cognoſcunt omnipotentiam primo modo; ſiquidem eadem eſt cum eſſentia entitas: illam cognoſcunt utique extenſive, ſaltem quoad aliquos ejus effectus ſecundarios, puta in executione myſteriorum tum Incarnationis, tum prædeſtinationis ſanctorum, tum etiam propriæ glorificationis. Ultro fatemur Beatos Omnipotentiam non cognoſcere ſecundum omnem extenſionem; alias omnia etiam poſſibilia viderent, & ſic Deum ipſum comprehenderent, quod quidem eſt impoſſibile: attamen cognoſcunt Deum omnia poſſe, & hoc ſufficit, ut ejus cognoſcant Omnipotentiam. Idem proportionaliter reſpondendum ad cæteras de Juſtitia & bonitate objectiones: enimvero cognoſcunt Juſtitiam erga reprobos quos certe Deo privatos eſſe nemo ex eis non novit: miſericordiam vero erga omnes electos intuentur cum & ipſi electi tantæ miſericordiæ ſint & monumenta & trophæa.

Inſtabis: Deus denominatur formaliter omnipotens & juſtus ab effectibus: ergo ſi beati non cognoſcunt ſingulos & omnes effectus, neque vident omnipotentiam & juſtitiam reduplicative & formaliter ut tales: igitur, &c.

Reſpondeo 1. negando antecedens. Virtus enim non denominat ſubjectum præciſe per id quod eſt ſecundarium, ſcilicet per effectum, ſed per ſeipſam & quod eſt in ea primarium, & ideo dicitur forma perficiens: unde, inquit D. Thomas, liberalitas denominat hominem liberalem per animi præparationem, quam illi dat ut benefaciat aliis; unde pauper qui hunc habet affectum, dicitur formaliter liberalis, licet ad executionem defectu divitiarum non veniat. Sic Deus a ſeipſo & non a terminis creatis denominatur formaliter Omnipotens, in quantum eſt ens a ſe a quo omnia: *Juſtus*, quia eſt Sanctitas ineffabilis oppoſita malo: Bonus, eo quod ipſe ſit ſummum bonum: igitur Beati videndo Deum, ſimul & in eodem inſtanti vident eſſe formaliter & vere Omnipotentem, eſſe Juſtum & Bonum. Unde

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Deus denominatur formaliter Omnipotens, Juſtus, &c. ab effectibus, ſecundario, concedo: primario, nego. Denominatur quidem agens ab agendo; ſed denominatur Omnipotens, Juſtus & Bonus a ſeipſo; actio enim ſupponit principium & cauſam: porro difficultas præſens de principio & virtute cauſæ, quæ operatur quando vult, procedit. Præterea ſufficit Beatos cognoſcere in genere effectus attributorum; unde videndo Omnipotentiam, Juſtitiam & Bonitatem, cognoſcunt Deum poſſe creare, punire, & miſereri: non requiritur igitur ad hoc ut videant omnes effectus & eorum ideas, ut ſciant Deum eſſe Omnipotentem, Juſtum & Bonum; ſed ſatis eſt ſi cognoſcant eſſentiam divinam infinitis modis ad extra participabilem.

Inſtabis: Judæi unum cognoſcebant Deum, ſed non ut Trinum: igitur non eſt implicantia Beatos videre eſſentiam non viſis perſonis.

Reſpondeo 1. Majores inter Judæos, ut Patriarchas & Prophetas Deum etiam ut Trinum agnoviſſe; Fides enim omnia attingit myſteria; ſi quis vero ea ignorat,

tat, non eſt defectu Fidei, ſed ſui: unde bene dicit Auguſtinus, Beatos videre omnia quæ Fides perfecta credit.

Reſpondeo 2. negando paritatem: quia hic ex parte prophetamus & cognoſcimus, inquit Apoſt. Et vero cognitio eſt imperfecta vel defectu ſtudii & applicationis, vel etiam defectu inſtructionis: ſed cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt; viſio autem beatifica eſt perfecta: igitur omnia divina attingit, eſſentiam ſcilicet, perſonas, & Attributa.

Inſtabis: Deus eſt liber in largitione gloriæ: igitur poteſt facere ut Beati videant eſſentiam ſine Perſonis: igitur & ruunt probationes, quæ iſto potiſſimum innituntur principio, nimirum Beatos videre & Perſonas & Perfectiones, quia neceſſariam habent cum eſſentia connexionem.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: Deus poteſt facere potentia antecedenti ut Beati eſſentiam ſecluſis perſonis videant, concedo: potentia conſequenti & hypothetica, nego. Deus in priori viſionis poterat concedere, vel non concedere gloriam; ſed ſuppoſito quod velit viſione ſui intuitiva Beatos remunerare, in iſta hypotheſi & conſequenter ad decretum, Sancti vident intuitive Eſſentiam; in ea vero & Perſonas & Attributa; quandoquidem viſio Dei intuitiva & ſicuti eſt, hæc omnia importat.

Inſtabis. Ut Viſio terminetur ad Deum ſicuti eſt, ſufficit objectum eſſe præſens: ſed in hac hypotheſi non requiritur, ut omnia quæ ſunt in objecto videantur: Ergo, &c. Probatur minor. Petrus, v. g. videns a longe Jacobum, videt quidem eum ſe movere; ſed neque diſtinguit eſſe hominem, neque etiam ejus diſtinguit figuram & magnitudinem: igitur objectum poteſt videri ſicuti eſt, licet omnia quæ in ipſo ſunt non conſpiciantur.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem, nego paritatem; quia viſio objecti diſtantis eſt imperfecta, tum ex parte potentiæ, tum ex medii, tum etiam ex parte rei viſæ: ex parte quidem potentiæ, oculus enim habet ſolum pro objecto coloratum, non vero rationem ſpecificam hominis; unde non mirum ſi Petrus aſpiciens a longe hominem non diſtinguat, utrum homo ſit vel fera: ex parte medii, quia aut turbatur medium, aut magna intercedit diſtantia; & ideo non ſatis clare ſpecies objecti diffunditur, ut ad potentiam viſivam pertingat: ex parte etiam rei viſæ; nam cum creatura non ſit ſuum eſſe & vivere, poteſt videri ſecundum unam perfectionem & non ſecundum alteram. At vero objectum oculi intellectualis Beatorum adæquatum, eſt omne verum: ſub quo continentur & Perſonæ & Attributa. Quid plura? Beati habent lumen gloriæ pro medio: igitur quidquid eſt in Deo intuentur, maxime vero quia omne quod eſt in Deo eſt Deus; unde implicat Sanctos videre Deum, & non videre Perſonas & Attributa.

Inſtabis: Ideo dicimus Beatos videndo Eſſentiam videre & Perſonas & Attributa, quia ſunt de entitate eſſentiæ: atqui hoc non videtur verum; Perſonæ enim in abſtracto & ſecundum ſe ſunt modi eſſentiæ, ſeu ipſius ſubſiſtentiæ; attributa vero ſunt proprietates ad eſſentiam conſequentes, ſed non ipſa eſſentia: igitur Eſſentia poteſt videri abſque Perſonis & Attributis.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Perſonæ & Attributa non ſunt de quidditate objectiva, nego: de quidditate entitativa, ſubdiſtinguo; de quidditate metaphyſica, concedo: phyſica, nego. Triplex eſt quidditas: alia objectiva, & eſt objectum in tota ſua latitudine, ſcilicet verum pro intellectu: alia metaphyſica, & eſt conceptus formalis eſſentiæ: alia phyſica & eſt ipſa rei entitas, ut eſt a parte rei. Perſonæ & Attributa non ſunt quidem de quidditate metaphyſica eſſentiæ, habent enim conceptum formalem diverſum, qua de cauſa dicuntur modi & proprietates eſſentiæ: at vero ſunt de quidditate phyſica, quandoquidem faciunt unicam cum eſſentia divina entitatem: igitur cum Deus videatur a Beatis ſicuti eſt, videntur quoque & Perſonæ & Attributa.

Inſtabis. Quæ habent diverſum conceptum objectivum, & diverſum conceptum formalem non cognoſcuntur ſimul: atqui Eſſentia, Perſonæ & Attributa ſic habent: ergo, &c. probatur minor. 1. quidem habent diverſum conceptum objectivum, quandoquidem diſtinguuntur inter

ter ſe virtualiter, adeoque ſunt plura virtualiter objecta: habent etiam diverſum conceptum formalem, nam conceptus unius, non eſt conceptus alterius; & vero Perſonas ut quid relativum concipimus, eſſentiam vero ut quid abſolutum. Confirmatur. Licet in creatis anima & corpus unicum conſtituant compoſitum, optime tamen concipitur anima abſque corpore: ergo a ſimili eſſentia poteſt & cognoſci & videri, tum abſque Perſonis, tum etiam abſque attributis.

Reſpondeo, diſtinguendo: quæ habent conceptum objectivum & formalem adæquate diverſum, unum ſecluſo alio cognoſci poteſt, concedo: quæ habent diverſum tantummodo inadæquatum, ſubdiſtinguo: non poteſt cognoſci a viatoribus, concedo: a comprehenſoribus, nego: Dictum eſt Eſſentiam, Perſonas, & Attributa unicam eſſe & ſimpliciſſimam entitatem ſeu rem, quæque reſpective ad Deum & ejus proprietates eſt ſumma Veritas: igitur hæc omnia, & unicum conſtituunt adæquatum intellectus objectum, & unico concluduntur conceptu adæquato tum objectivo, tum etiam formali: quod vero multiplici a Viatoribus concipiatur, illud fit, & propter noſtræ cognitionis imperfectionem, ſiquidem hic ex parte cognoſcimus in ænigmate; & propter noſtræ mentis debilitatem: at vero in patria objectum illud mirabile ſubjicitur oculo mentis ſecundum omnes partes, & ſicuti eſt, & ideo unico & ſimplici intuitu a Beatis attingitur & videtur.

Ad confirmationem, nego paritatem. Dictum eſt enim cognitionem viæ eſſe imperfectam, & ideo indiviſa dividimus. Cæterum ſi homo concipitur in concreto ſeu totaliter, unico quoque attingitur conceptu.

Objicies 3. Ideo viſio beatifica attingit ea omnia quæ recenſuimus, quia eſt ſatiativa: ſed hæc ratio nulla eſt. Et probatur: Deus, ut præintelligitur Perſonis, eſt ſummum bonum & finis ultimus, adeoque & beatitudo: igitur ut viſio ſit ſatiativa, non requiritur quod attingat Eſſentiam ſimul & Perſonas & Attributa.

Reſpondeo negando minorem. Qui enim videret eſſentiam ſine perſonis foret anxius, ſiquidem eas videre deſideraret, juxta illud Philippi ad Chriſtum: *Oſtende nobis Patrem*. Ad probationem, diſtinguo: Deus eſt ſummum bonum & finis ultimus, ut dicit perſonas & attributa, concedo: ſecus, nego. Et vero Deus eſt beatitudo, ut habet naturam ſubſiſtentem & omnibus numeris abſolutam; quod quidem habet per perſonas & attributa; perſonæ enim ſunt ſubſiſtentiæ relativæ, attributa vero perfectiones abſolutæ. Porro Deus eſt beatitudo & ſummum bonum ſecundum quod eſt a parte rei; beatitudo ut Deus Pater, ut Deus Filius, juxta illud Chriſti Joan. 17. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Igitur viſio beatifica terminatur ad Patrem, ad Filium, & conſequenter ad Spiritum ſanctum. Cæterum Deus non præintelligitur Perſonis prioritate in quo, & dependentiæ ſeu durationis, ſed ſolum prioritate originis & emanationis, quæ quidem non impedit, quin Perſonæ videantur cum Eſſentia.

Inſtabis. Eſſentia divina communicatur Filio, minime vero paternitas: item ſecunda Perſona unitur hypoſtatice & ſubſtantialiter & immediate ſanctæ Humanitati; nuſquam vero prima & tertia: igitur a ſimili eſſentia poteſt cognoſci & videri abſque Perſonis: ergo, &c.

Reſpondeo negando utramque paritatem. Primam quidem, quia Paternitas opponitur relative Filio, qua de cauſa Pater generalis, vi actionis generativæ ſuam non communicat Filio Paternitatem: at vero nulla eſt, nequidem relativa, oppoſitio in ratione cognitionis, quandoquidem & Pater & Filius ſub eodem intellectus objecto quod eſt verum, continentur: igitur eodem actu poſſunt videri, immo & debent, juxta illud Philoſophorum axioma: *Relativa ſunt ſimul natura & cognitione*. Alteram vero, quia unica Perſona utpote in ratione ſubſiſtendi infinita, ad terminandam humanitatem ſufficiebat, & ideo Patrem & Spiritum ſanctum utique incarnari opus non fuit: at vero cum Perſonæ & Attributa neceſſariam habeant cum eſſentia connexionem, neceſſe eſt etiam eas eodem viſionis actu & attingi & poſſideri.

S Y-

Digitized by Google

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beati vident Eſſentiam & Perſonas, & Attributa.

PRIMO, Quia, qui vident Filium, vident & Patrem juxta illud Joan. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.*

Secundo, Quia Deus in beatitudine oſtendit omne bonum, juxta illud Exod. 33. v. 19. *Oſtendam omne bonum tibi.*

Tertio, Quia Beati vident Deum ſicuti eſt; & omnia quæ ſunt in Deo, Unum ſunt: ergo, &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Chriſtus non ſemper viſus eſt ut homo ab Angelis ſanctis: ſecus vero ut Deus.

Secundo. Ultro fatemur Beatos non videre in Deo omnia poſſibilia, neque etiam omnia creata & creanda, eaque libera; quia ad cognitionem omnium poſſibilium opus eſt comprehenſione; nulla autem creatura Deum comprehendere poteſt; creata vero non habent cum Deo neceſſariam connexionem; unde ad beatitudinem non eſt neceſſe ea intueri & videre: at vero Deus cognoſcitur a Beatis ad menſuram, & quidem cum Perſonis & Attributis; quippe quæ neceſſario cum ipſo Deo connectantur: ergone ſequitur Beatos non videre Omnipotentiam & Bonitatem, eo quod non videant Creaturas, ad quas ejuſmodi terminantur attributa? minime; quia creaturæ ſunt ſolum termini ſecundarii: vident igitur Sancti Omnipotentiam in generatione Verbi, ut in fonte primigenio; bonitatem in proceſſione Spiritus ſancti, &c.

Tertio. Perſonæ & attributa habent diverſum conceptum inadæquate, ſed non adæquate; unde ſi cognitio eſt perfectiſſima & clara, qualis eſt beatifica, ad ſingula ſimul pertingit.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Beati videant in Deo creaturas.

CREATURÆ aliæ ſunt mere poſſibiles, & ſunt ipſa eſſentia divina ut diverſimode ad extra participabilis: aliæ futuræ, ut gloria ſanctorum qui nondum nati ſunt: aliæ præſentes, ſed abſconditæ, ut ſecreta cordium: aliæ patentes, tales ſunt preces quas fundimus Sanctis, ut divinam pro nobis implorent miſericordiam. Certum eſt Sanctos non videre in Deo omnia poſſibilia, cum ad hoc requiratur eſſentiæ divinæ comprehenſio: certum eſt etiam illos non videre futura libera niſi ea Deus illis revelet; cum enim non habeant neceſſariam cum eſſentia divina connexionem, latent in decretis & in Dei voluntate; unde quidam Angeli nondum de Incarnatione inſtructi apud Iſaiam c. 63. clamant: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* Ideo dicit Dionyſius & poſt ipſum D. Thom. hic. qu. 12. Angelos purgari, illuminari, & perfici circa futura: quæſtio igitur præſens movetur de aliquibus poſſibilibus, de futuris quæ Deus vult revelare, & de præſentibus, maxime de iis quæ pertinent ad Beatorum ſtatum & gloriam. Pro cujus reſolutione ſit.

CONCLUSIO.

Beati vident in eſſentia divina, tamquam in ſpeculo, aliqua poſſibilia; vident præſentia, quæ ad ſuum ſpectant ſtatum; vident præterita & futura, quando Deus ea revelare congruum & opportunum judicat.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

DEUS promittit Sanctis omnem ſcientiam, juxta illud Jeremiæ 31. v. 34. *Non docebit ultra vir proximum ſuum, omnes enim cognoſcent me a minimo uſque ad maximum.* Igitur Beati edocentur & vident in Deo ea quæ ad ſuum pertinent ſtatum. Hinc Pſal. 47. v. 7. legitur: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civi-*

Digitized by Google

civitate Domini virtutum. Ex his iſtud conficitur argumentum. Multa nunc audimus de rebus naturalibus, multa de gratiæ myſteriis, Incarnationis, Trinitatis, &c..... multa de creatione, de mundi imperiis, de legibus, de amicis & parentibus, &c....... ſed ex Propheta ſicut audivimus, ſic videbimus in civitate Domini virtutum; igitur Beati vident in Deo multa poſſibilia, multa futura, multa præſentia. Hic 2. Machabæorum c. 15. v. 12. & 14. Jeremias & Daniel defuncti orant pro populi calamitatibus ſublevandis, quas cognoſcebant eſſe graviſſimas. Item ſecundæ Petri c. 1. v. 15. *Dabo*, inquit Petrus, *operam*, *& frequenter habere vos poſt obitum meum*, *ut horum memoriam faciatis*. Immo Elias tametſi nondum mortuus, ſed in loco incognito reſervatus, cognovit tamen facta mala Regis Joram qui & ab ipſo accepit litteras, quibus prædicebat illi exterminium, in pœnam prævaricationum ſuarum; ita refertur 2. Paralipomen. c. 21. Igitur Beati intuentur in eſſentia divina aliqua poſſibilia, vident & præſentia, præterita & futura, prout Beatorum exigit conditio.

Secundo, *Ex Conciliis*.

FLORENTINUM declarat Deum videri a Sanctis & eos eſſe perfecte beatos: ſed ſi aliquid ſpectans eorum ſtatum ipſos lateret, non forent perfecte Beati, quandoquidem Beatitudo teſte Boetio eſt bonorum omnium aggregatio, tum quia forent anxii, & deſiderarent multa ſcire: ergo, &c.

Senonenſe, in Decreto fidei, ſic loquitur: *Beatis pervium eſt uniforme illud divinitatis ſpeculum*, *in quo quidquid illorum intereſt*, *eluceſcit*. Ad hujus definitionis intelligentiam ſciendum eſt Beatum poſſe conſiderari tripliciter. 1. ut partem univerſi, & ſic ſpectatus debet cognoſcere res omnes naturales. 2. Ut ad finem ſupernaturalem elevatum, & ſub iſto reſpectu conſideratus exigit omnia cognoſcere myſteria. 3. ut perſonam privatam publicam, & ſub iſta conſideratione debetur illi cognitio eorum quæ ſpectant familiam, quæ ſpectant parentes & amicos; ſi vero eſt princeps, debet cognoſcere quæ ſuum pertinent ad regnum, ut precibus & apud Deum interceſſione adjuvet miſeros: ſed ex Concilio Beati cognoſcunt in eſſentia ut in ſpeculo, quidquid illorum intereſt: ergo, &c.

Tertio, *Ex ſanctis Patribus*.

AMBROSIUS de obitu Valentiniani, ait: " Tunc nihil latebit proximum „ in proximo, nec erit quod ſuis quiſque „ aperiat, abſcondat alienis, ubi nullus „ erit alienus. „ Loquitur de beatitudine ſanctorum: ergo, &c.

Baſilius de vera Virginitate, pag. 741. tom. 1. " Quid per ſingula pergam? ipſas „ Angelorum infinitas multitudines, & „ una ſanctorum Patrum beatiſſimos ſpiritus. Nullus enim ex his eſt, qui non ſingula ubique conſideret. Etſi enim oculis „ carneis minime conſpicui ſunt; in corporeis tamen obtutibus ad agnitionem „ complectuntur omnia & comprehendunt. „

Auguſtinus eodem prope modo diſcurrit, lib. 11. de Civit. Dei. c. 7. „ ſeipſa decoloratior eſt, ut ita dicam, (cognitio „ quippe creaturæ) in quam cum in Dei „ ſapientia cognoſcitur, velut in arte „ qua facta eſt. Ideo veſpera congruentis „ & quam nox dici poteſt. „ Idem lib. 4. de Geneſi ad litteram. c. 29. ait: " procul dubio univerſam creaturam, „ in qua ipſi ſunt principaliter conditi, „ in ipſo verbo Dei prius noviſſe, in „ quo ſunt omnium etiam quæ temporaliter facta ſunt omnia, ac deinde in „ ipſa creatura. „ Hæc de ſanctis Angelis quos omnia & in Deo, & in rerum ipſarum ideis cognoſcere docet.

Gregorius Magnus, homil. 40. aſtipulatur: " Qui creatoris ſui claritatem vi„ dent, nihil in creatura agitur quod vi„ dere non poſſint. „ Et in 4. Dialog. " Quid eſt quod non videant, qui videntem omnia vident?

Bernardus, lib. 2. de Conſid. cap. 2. " Creatura cœli non indiget ſcala creaturarum ut aſcendat in cœlum, ſicut creatura mundi. Quid enim opus ſcala tenenti ſolium? Videt verbum, & in „ verbo facta per verbum. „ Et Serm. Nativit. B. V. de ea ſic effatur. " Mater „ amabilis, Mater miſericordiæ, Virgo clemens. In omnibus ſiquidem & per omnia providens miſeris, trepidationem no-

„ noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem „ roborat, diffidentiam abigit, erigit „ puſillanimitatem. „ Igitur noſtras co„ gnoſcit miſerias ut nobis ſuccurrat. Idem, lib. 3. de Conſid. cap. 4. “ Quid„ ni, *inquit*, videatur ibi cor Dei, quid„ ni ibi probetur quæ ſit voluntas Dei bo„ na, & beneplacens, & perfecta? Pa„ tent viſcera miſericordiæ, patent cogi„ tationes pacis, divitiæ ſalutis, myſte„ ria bonæ voluntatis „ Et Ser. 33. Vul„ tum tuum Domine requiro; vultus tuus „ meridies; meridies clara tui, & intui„ tiva viſio. „ Igitur, &c.

D. Thom. hic, quæſt. 12. art. 8. ait: “ „ Horum quæ Deus fecit, vel facere po„ teſt, tanto aliquis intellectus cognoſcit, „ quanto perfectius Deum videt. „ Et 3. part. quæſt. 10. art. 2. eidem ſubſcribit veritati his verbis „ Nulli beato deeſt, „ quin cognoſcat in verbo omnia quæ ad „ ipſum ſpectant.

Albinus Flaccus, lib. de divino officio, & c. de celebratione Miſſæ, ait: “ Nec „ dubitandum eſt Fidelium petitiones a „ juſtorum ſpiritibus ſciri: quia qui intus „ Dei claritatem vident, non eſt creden„ dum, quia ſit aliquid foris quod igno„ rent. „ Ergo, &c.

Quarto, *Ex rationibus Theologicis.*

PRIMA ſic exponitur. Quæ ex Dei voluntate pendent, nobis manifeſtantur per Scripturam & Patres: ſed Scriptura dicit Beatos ab ipſo Deo edoceri, Patres vero dicunt eoſdem nihil ignorare, quod quidem debet intelligi, ſaltem de eo quod illorum intereſt: igitur, &c.

Secunda ſic delineatur. Qui vident ſpeculum in quo omnia ſunt bona, utique & in illo vident quæ eorum ſpectant ſtatum, quæque eorumdem vel augent beatitudinem, vel ad eam complendam conducunt: atqui eſſentia divina eſt ſpeculum, in quo cuncta patent, etiam futura & libera, ſi Deo placuerit: igitur cum Beati videant Dei eſſentiam, in ea utique vident objecta quæ eorum ſpectant ſtatum.

Tertia. Deus eſt principium omnium rerum, quæ in ipſo, ut effectus in cauſa, continentur: ſed Beati vident intuitive illam cauſam, ſcilicet Deum: igitur & accedente revelatione ſeu Dei beneplacito vident, &c.

Quarta. Omnia ex D. Aug. & S. Tho. præſentia ſunt in æternitate Dei: ſed Beati florent in æternitate. Ergo, &c.

Quinta. Omnia in Verbo vita ſunt, ideſt, habent eſſe: ſed Beati vident Verbum, & ipſum loquens ſine fine audiunt: ergo in ipſo vident quæ ſuum ſpectant ſtatum.

Sexta. Intellectus Beatorum debet perfici omnibus modis circa verum cognoſcendum: ſed & poſſibilia, & futura ſub tali objecto præcontinentur: ergo, &c.

Septima ex D. Thom. depromitur. Duplex eſt ex S. Doctore in Beatis ſcientia. Altera matutina, veſpertina altera. Illa eſt viſio Dei principalis adeoque matutina, ſeu prima ſcientia: iſta vero eſt creaturarum cognitio, veſpertina ſane ſeu ſecundaria ſcientia, quæque ab eodem D. Thom. triplex diſtinguitur, ſcilicet ſcientia infuſa Myſteriorum, infuſa rerum naturalium; utraque fuit in Angelis & in primis parentibus: tertia naturalis acquiſita ſeu rerum naturalium, juxta illud Dionyſii: *Diſcite in terris quod ſcientia perſeveret in cœlis*. Sed iſtæ omnes ſcientiæ verſantur circa myſteria, circa mundi fabricam, uno verbo circa poſſibilia, futura, & præſentia: igitur cum non ſint vacuæ & inutiles, dicendum eſt Beatos hæc omnia videre ad menſuram in Deo.

Ex his ſequitur Beatos cognoſcere res in Deo multipliciter. 1. in ideis, ſeu in eſſentia ut eſt ad extra participabilis. 2. in decretis Dei. 3. in æternitate. 4. per infuſionem ſpecierum. 5. per ſcientiam acquiſitam.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Beati non cognoſcunt omnia poſſibilia: ergo nulla omnino. Probatur conſequentia. Unum poſſibile non poteſt cognoſci ſine altero, quia in eadem idea, ſcilicet in eſſentia divina repræſentantur omnia: ergo, &c.

Reſpondeo, negando conſequentiam: ad probationem, reſpondet D. Thom. 1. part. qu. 12. non eſſe neceſſe omnia videri quæ ſunt in ſpeculo, niſi ſpeculum ipſum comprehendatur. Beati autem non compre-

hen-

hendunt eſſentiam divinam, unde inquit S. Doctor ſecundum quod magis vel minus perfecte vident Deum, plura vel potiora de rebus poſſibilibus in eo intuentur, maxime cum res poſſibiles non præexiſtant in Deo ſecundum proprias ideas, ſed ſint ipſa eſſentia divina diverſimode ad extra participabilis. Unde ad id quod dicitur omnia poſſibilia in eadem idea repræſentari, diſtinguo: in eadem entitative, concedo: in eadem formaliter, nego. Idea in Deo eſt quidem eadem entitas, ſed non eodem modo participabilis; unde cum intellectus Beati non poſſit exhaurire modos participabilitatis divinæ eſſentiæ utpote infinito, nequit videre & cognoſcere omnia poſſibilia, tametſi videat intuitive Dei eſſentiam.

Inſtabis: Eſſentia divina non habet relationem ad poſſibilia; quandoquidem neque ſunt neque erunt: igitur Beati nulla poſſunt videre poſſibilia in eſſentia divina.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: Beati non cognoſcunt poſſibilia in eſſentia ut in cauſa, concedo: nullum eſt enim pro eis emiſſum decretum, nulla proinde pro eis futuritio, & conſequenter nulla relatio effectus ad cauſam: non cognoſcunt ut in ſpeculo & in idea, nego. Igitur ut aliqua poſſibilia cognoſcant Beati, ſufficit eis cognoſcere eſſentiam divinam tali vel tali modo participabilem.

Objicies 2. non poſſunt cognoſci myſteria in tempore facta, abſque ordine ad creaturas; v. g. verbum ut incarnatum abſque aliqua ad humanitatem relatione: ſed hoc implicat: igitur Beati non cognoſcunt futura. Probatur minor. Ex hoc ſequeretur Deum a creaturis dependere: abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem diſtinguo, Deus dependeret a creaturis improprie & terminative, concedo: proprie & ſubjective, nego. Cauſa terminatur quidem ad effectum, ſed ab ipſo non dependet, verum potius effectus a cauſa, ſiquidem & eſſe, & operari ab ea accepit.

Inſtabis. Beati non vident omnia futura libera: ergo nulla conſpiciunt & intuentur. Probatur conſequentia. Si viderent aliqua, viderent omnia: atqui cuncta non vident: ergo, &c. Probatur major, & quidem multipliciter. 1. Quia ea aliqua viderent in decreto, in quo cætera continentur. 2. Quia viderent in æternitate in qua utique omnia ſunt præſentia: ergo, &c.

Reſpondeo negando ant. ad prob. nego maj. ad cujus primam probationem diſtinguo: viderent aliqua in decreto, & illud decretum pro diverſis eſt diverſum, concedo: & non eſt, nego. Non unum eſt pro omnibus futuris decretum, ſed virtualiter multiplex, unde non ſequitur, Beatos omnia in Deo videre futura, niſi & ſimul cuncta de illis cognoſcant decreta, quæ quidem Deus nonniſi ad nutum revelat: ad ulteriorem probationem, diſtinguo: futura ſunt in æternitate præſentia adjuncto decreto concedo: non adjuncto, nego. Dictum eſt multiplex eſſe pro diverſis rebus decretum; unde niſi Deus ſuam manifeſtet de futuro aliquo voluntatem, Beati illud cognoſcere neutiquam valent.

Inſiſtes Si Beati non cognoſcerent omnia futura, ſed tantum aliqua, jam eſſet in eis cognitio intuitiva ſimul & abſtractiva: ſed hoc repugnat Beatitudinis ſtatui, ſic verbi gratia rationalitas & irrationalitas in eodem reperiri ſubjecto non poſſunt: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: eſſet in Beatis cognitio intuitiva ſimul & abſtractiva de diverſis objectis, concedo: de eodem, nego. Et ſic diſtincta minore, nego paritatem. Et vero rationalitas opponitur privative irrationalitati, illamque ab eodem ſubjecto prorſus excludit: ſed viſio abſtractiva & intuitiva ſunt de diverſis objectis, nec private opponuntur: unde non eſt par ratio.

Perſiſtes. Si Beati viderent aliqua tantum futura, forent anxi: ſed hoc non eſt admittendum: ergo, &c. Probatur major, viſa cauſa deſiderarent utique omnes effectus videre: ergo, &c.

Reſpondeo, negando majorem: ad probationem, diſtinguo. Viſa cauſa, deſiderarent videre effectus, ſi neceſſariam & eſſentialem haberent cum ipſo Deo connexionem, qualem habent & Perſonæ & Attributa, concedo. Si non habent, nego. Cum igitur creaturæ ſint quid ex-

tra Deum, Deus vero ſit ipſe & in ſe ſummum bonum, ſufficeret beatis ſolum Deum intueri & poſſidere. Solutio eſt D. Thom. hic, 1. part. qu. 12. art. 8. ad 4. his verbis: " Si ſolus Deus videretur qui „ eſt fons & principium totius eſſe & „ veritatis, ita repleret naturale deſide- „ rium ſciendi quod nihil aliud requirere- „ tur. Unde dicit Auguſtinus 5. Confeſſ. „ Infelix homo qui ſcit omnia illa, te „ autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, „ etiam ſi illa neſciat: qui vero te & il- „ la novit, non propter illa beatior, ſed „ propter te ſolum beatus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beati cognoſcunt creaturas quæ eorum ſpectant ſtatum.

Primo. Quia ex Propheta, ſicut audivimus, ſic videbimus in civitate Dei noſtri. Nunc autem per ſcientias naturales mundi fabricam cognoſcimus, per fidem vero myſteria. Ergo, &c.

Secundo. Quia ex Patribus omnia collucent in eſſentia divina ut in ſpeculo, quod quidem ſpeculum ſanctorum ſubjicitur oculis: igitur accedente revelatione, cuncta quæ ſuum ſpectant ſtatum, intuentur & vident.

Tertio. Quia intellectus Beatorum omnibus modis debet perfici: igitur & divina & creata in patria cognoſcunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

Primo. Verum quidem eſt poſſibilia non habere relationem ad eſſentiam divinam tamquam ad cauſam, ſed habent ut ad rerum omnium ideam, unde in ea percipi poſſunt.

Secundo. Nulla ſequitur implicantia aliquod futurum non viſis aliis contueri, quandoquidem eſt diverſum pro diverſis decretum.

Tertio. Nec ſequitur Beatos eſſe anxios, licet multa de creaturis ignorent, quia in viſione Dei ex Auguſtino tota merces.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Moiſes & Paulus in via viderint oculis mentis divinam eſſentiam.

DEUS apparuit Patriarchis & Prophetis, immo & iis multifarie locutus eſt, nimirum quandoque in ſomnis per phantaſmata, quandoque in vigilia etiam per phantaſmata & quamdam ſpecierum ordinationem, quæ illum ut Regem in throno ſedentem repræſentabant, ut Iſaiæ c. 5. refertur: vel etiam per Angelos qui eis loquebantur in perſona Dei, & tamquam ejus Oratores, quique ad hoc figuris ſenſibilibus utebantur, ut ſeipſos ſenſibiles hominibus exhiberent: ſed difficultas eſt utrum aliqui inter homines in via habuerint ſaltem tranſeunter & pro aliquo tempore viſionem Dei intuitivam: negant multi etiam ex antiquis Patribus, ſed docet ex profeſſo Auguſtinus, & poſt ipſum D. Thom. de Moyſe & Paulo, quibus lubentiſſime aſſentimur: unde ſit

CONCLUSIO.

Moyſes & Paulus viderunt in via oculis mentis intuitive Deum.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura.*

LIB. Num. 12. v. 2. habetur: *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſen, num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter locutus eſt? Quod cum audiſſet Dominus .... dixit ad eos: audite ſermones meos, ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Ibi gloriantur Maria & Aaron quod locutus ſit eis Dominus, ſicut locutus fuerat Moyſi: Deus partes ſuſcipit Moyſis, dicendo ſe aliis quidem Prophetis locutum eſſe, ſed per ſomnium, ſed in figuris, & ænigmatibus, os vero ad os ſoli Moy-

ſi:

ſi : certe loquitur de viſione excellenti, quæ & figuras & ſomniorum viſiones ænigmaticas excludit : igitur de intuitiva loquitur : alias nihil haberet Moiſes ſupra alios Prophetas. Cum tamen oppoſitum aſſerat Deus : igitur Moiſes vidit adhuc Viator eſſentiam divinam,

Secundo, Paulus Corinth. c. 12. de ſeipſo dicit *: Scio hominem ante annos quatuordecim , ſive in corpore neſcio , ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit , raptum hujuſmodi uſque ad tertium cælum . Et ſcio hujuſmodi hominem , ſive in corpore , ſive extra corpus neſcio , Deus ſcit , quoniam raptus eſt in Paradiſum , & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui* . Porro non eſt raptus in Paradiſum terræ Apoſtolus , ſed in cœli Paradiſum , qui eſt locus beatitudinis , ubi videtur Deus intuitive : igitur de facto Deum vidit Paulus ; quod certe denotat etiam verba illa ſequentia : *Audivit arcana quæ non licet homini loqui* ; quare? Niſi quia vidit quod nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit , quæ præparavit Deus diligentibus ſe . Unde Actuum 26. Chriſtus ſic alloquitur Apoſtolum : *Surge & ſta ſuper pedes tuos ; ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum , ac teſtem eorum quæ vidiſti ; & eorum in quibus apparebo tibi* .

Secundo , *Ex ſanctis Doctoribus* .

AUGUSTINUS , l. 12. de Geneſ. ad Litt. cap. 26. n. 54. poſtquam modum ineffabilem videndi Deum oculis mentis, etiam in via , non utendo phantaſmatibus & ſenſibus protulit , ſic concludit pro Moiſe ſervo Dei : *Ibi videtur claritas Domini , non per viſionem ſignificantem , ſive corporalem , ſicut viſa eſt in Monte-Sina , ſive Spiritualem , ſicut vidit Iſaias , vel Joannes in Apocalypſi : ſed per ſpeciem , non per ænigmata , quantum ea capere mens humana poteſt , ſecundum aſſumentis Dei gratiam , ut os ad os loquatur ei , quem dignum Deus tali colloquio fecerit , non os corporis, ſed mentis ſicut intelligendum arbitror quod de Moiſe ſcriptum eſt* , lib. Numerorum 12. Ibi S. Doctor triplicem diſtinguit viſionem in Beatis , aliam corporalem , per Angelos qui aſſumebant corpora , ut ſe proderent ſenſibiles hominibus , ut in Monte Sina factum eſt : aliam ſpiritualem , per ſpecies infuſas Deum ſenſibiliter repræſentantes, ſic Iſaias vidit Deum ut Regem ſedentem in ſolio ; ſic Joannes Chriſtum Deum ut agnum habentem cornua ſeptem , & oculos ſeptem : tertiam mere ſpiritualem per ſpeciem ab omni phantaſmate & ænigmate exutam, qua Deus os ad os loquitur , hancque conceſſam aſſerit Moiſi ; & in probationem affert locum libri Numerorum, cap. 12. ubi Deus ipſe fecernit viſionem Moiſi ſervo ſuo conceſſam abſque omni figura : igitur ex Auguſtino Moiſes vidit intuitive Deum . Idem , cap. 27. n. 55. myſterium totum explicat & explanat , diſtinguendo viſiones quas habuit Moiſes in Sina & in tabernaculo , ab ea quam habuit lib. Numerorum , cap. 12. dicendo priores fuiſſe figuratas, iſtam vero claram, eamdemque Moiſen deſideraſſe Exod. 33. v. 13. obtinuiſſe tamdem Numerorum 13. ſic igitur loquitur de Moiſe *: Concupiverat enim ſicut in Exod. legitur videre Deum , non utique ſicut viderat in Monte , nec ſicut videbat in tabernaculo , ſed in ea ſubſtantia qua Deus eſt , nulla aſſumpta corporali creatura quæ mortalis carnis ſenſibus præſentetur , neque in ſpiritu figuratis ſimilitudinibus corporum ; ſed per ſpeciem ſuam , quantum eam capere creatura rationalis & intellectualis poteſt , ſevocata ab omni corporis ſenſu & ab omni ſignificativo ænigmate Spiritus : ſic enim ſcriptum eſt* Exod. 33. v. 13. *Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo , oſtende mihi temetipſum manifeſte, ut videam te : cum paulo ſuperius legatur , locutus eſt Dominus ad Moiſen facie ad faciem, ſicut quis loquitur ad amicum ſuum . Sentiebat ergo quid videbat , & quod non videbat , deſiderabat : nam & paulo poſt cum dixiſſet ei Deus , inveniſti enim gratiam in conſpectu meo & ſcio te præ omnibus ; reſpondit ei , oſtende mihi claritatem tuam , & tunc quidem reſponſum accepit a Domino , figuratum . . . . . tegam manum meam ſuper te donec tranſeam ; & auferam mane & tunc videbis poſteriora mea , nam facies mea non apparebit tibi . . . . niſi tamen concupitam & deſideratam Dei claritatem Moiſes videre meruiſſet* , non iu l. Num. *diceret Deus ad Aaron & Mariam fratres ejus , audite verba mea , ſi fuerit Propheta Domini in-*

ter vos, in viſione illi cognoſcar, & in ſomno loquar illi, non ita quomodo famulus meus Moiſes in tota domo mea fidelis eſt. Os ad os loquar ad illum in ſpecie, & non per ænigmata, & claritatem Domini vidit; neque enim hoc ſecundum ſubſtantiam corporis quæ carnis ſenſibus præſentatur, intelligendum eſt. Quibus verbis ex profeſſo excludit omnem viſionem figuratam ſanctus Doctor, ut propugnet Moiſen claram habuiſſe: igitur ex Aug. Moiſes vidit intuitive Deum in via.

Idem, c. 28. num. 56. aſtruit viſionem claram & diſtinctam a viſione corporali & a ſpiritali per ſimilitudines creatas. Pro Moiſe & Apoſtolo ſic loquitur: *Quapropter ſi hoc tertium viſionis genus quod ſuperius eſt, non ſolum omni corporali quo per corporis ſenſus corpora ſentiuntur, verum etiam omni illo ſpiritali quo ſimilitudines corporum ſpiritu & non mente cernuntur, tertium cœlum appellavit Apoſtolus. In hoc videtur claritas Dei, cui videnda corda mundantur, unde dictum eſt, beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt, non per aliquam corporaliter vel ſpiritualiter figuratam ſignificationem tamquam per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem, quod de Moiſe dictum eſt, os ad os; per ſpeciem ſcilicet, qua eſt Deus quidquid eſt, quantuncumque cum mens, quæ non eſt quod ipſe etiam ab omni terrena labe mundata, & ab omni corpore & ſimilitudine corporis alienata & abrepta, capere poteſt, a quo peregrinamur mortali & corruptibili onere gravati, quamdiu per fidem ambulamus, non per ſpeciem & cum hic juſte vivimus: cur autem non credamus quod tanto Apoſtolo Doctori gentium rapto uſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem voluerit Deus demonſtrare vitam, in qua poſt hanc vitam vivendum eſt in æternum?* Ibi loquitur de viſione per ſpeciem qua eſt Deus, quod ſane non poteſt intelligi, niſi de clara viſione eſſentiæ divinæ quæ unitur menti beatorum per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ. Igitur ex Aug. Moiſes & Paulus viderunt eſſentiam Dei intuitive in via. Idem expreſſe docet Epiſt. 112. ad Paulinam, c. 13.

Secundo. D. Th. 2. 2. qu. 174. ar. 4. idem propugnat: *Moiſes*, ait, *fuit ergo aliis* (Prophetis) *excellentior. Primo quidem quantum ad viſionem intellectualem: eo quod vidit ipſam Dei eſſentiam.* Idem de B. Paulo ex profeſſo docet ibidem qu. 175. art. 3. *Paulus uſque ad tertium cælum divina virtute raptus Deum per eſſentiam vidit.* Ergo, &c. Idem repetit Comment. in c. 12. 2. ad Cor. lect. 1.

Tertio, *Ex Ratione, eaque multiplici.*

RATIO in divinis ſcripturis allata pro Moyſe, eſt privilegium ſpeciale quo donatus eſt ſupra cæteros Prophetas, & hanc affert rationem ipſe Deus dicens, quod iſtis loqueretur ſolum in ſomnis & figuris, Moyſi vero palam & os ad os. Et certe ſi vidiſſet Deum eo ſolum modo quo alii viderant, nullam habuiſſet prærogativam, quandoquidem cæteri Prophetæ Deum utique viderant in figuris & in ſimilitudinibus. Pro Paulo vero, raptus eſt in cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quod quidem deſignat ſupremam & excellentiſſimam contemplationem.

Rationem exhibet Auguſtinus dicendo a Moyſe viſum eſſe Deum viſione excellentiori quam figurativa quæ fit per ſenſus, etiam excellentiori ipſa quæ fit per ſimilitudines interiores, *vidit*, inquit, *per ſpeciem, qua Deus eſt quidquid eſt.*

Ratio D. Thomæ petitur eo quod Moyſes fuerit inter Prophetas excellentior, & Magiſter Judæorum, Paulus vero Doctor Gentium; ex quo concludit Deum ab utroque viſum fuiſſe intuitive.

Ratio altera exponitur. Scriptura, ipſo teſte Auguſtino, litteraliter explicanda eſt, quando nullum inde ſequitur inconveniens: ſed nullum de facto ſequitur explicando locum libri Numerorum c. 12. v. 13. & locum 2. ad Corinth. c. 12. v. 2. de viſione Dei intuitiva conceſſa & Moyſi & Paulo: ergo uterque vidit intuitive Deum, etiam in via. Probatur antecedens: ſi eſſet inconveniens maxime vel propter corpus quod aggravat animam, vel propter paſſiones quæ mentem obnubilant: atqui iſtæ rationes nullæ ſunt, cum anima virtute divina ita rapi & alienari a corpore poſſit, ita poſſit ſupra paſſiones elevari, ut nullo modo aut ligetur, aut impediatur a contemplatione perfectiſſima in qua Deum in ſe videat

deat

deat & intueatur: ergo in hoc nulllum ſequitur inconveniens.

Probatur antecedens, & quidem quoad primum. Nempe fieri poſſe animam per corpus non diſtrahi & aggravari, ne videat Deum; & hoc ex Auguſtino, qui l. 12. de Gen. ad litt. c. 26. n. 53. ſic loquitur. " Quapropter cum rapitur anima " in ea viſa, quæ ſpiritu cernuntur ſimi- " lia corporalibus, ita ut omnino a ſenſi- " bus corporis avertatur amplius quam in " ſomno ſolet, ſed minus quam in mor- " te, jam divinæ admonitionis eſt & " adjutorii, ut ſe non corpora, ſed viſa " corporum ſimilia ſpiritaliter noverit cer- " nere, ſicuti quæ ſe in ſomnis videre " etiam antequam evigilent, ſciunt. Ibi " ſi etiam videntur futura, ita ut omni- " no futura noſcantur, quorum imagines " præſentes videntur, ſive ipſa hominis " mente divinitus adjuta, ſive aliquo in- " ter ipſa viſa quid ſignificent exponen- " te, ſicut in Apocalypſi Joanni expone- " batur, magna revelatio eſt, etiamſi for- " te ignoret ille cui hæc demonſtrantur, " utrum e corpore exierit, an adhuc ſit " in corpore, ſed ſpiritu a ſenſibus corpo- " ris alienato iſta videat: poteſt enim ſic " raptus id ignorare, ſi ei & hoc non oſten- " datur.

Probatur ſecundum momentum ex eodem Auguſtino docente, animam in hoc extaſis ſtatu nullis paſſionum illecebris concuti, immo nec diſtrahi: ſic enim proſequitur num. 54. " Porro autem ſi quemadmo- " dum raptus eſt a ſenſibus corporis, ut " eſſet in illis ſimilitudinibus corporum " quæ ſpiritu videntur, ita & ab ipſis " rapiatur, ut in illam quaſi regionem in- " tellectualium vel intelligibilium ſubve- " hatur, ubi ſine ulla corporis ſimilitudi- " ne perſpicua veritas cernitur, nullis " opinionum falſarum nebulis obfuſcatur: " ibi virtutes animæ non ſunt operoſæ ac " laborioſæ; neque enim opere tempe- " rantiæ libido frænatur ... Una ibi & " tota virtus eſt amare quod videas, & " ſumma felicitas habere quod amas; ibi " enim beata vita in fonte ſuo bibitur, in- " de aſpergitur aliquid huic humanæ vitæ, " ut in tentationibus hujus ſæculi tempe- " ranter, fortiter, juſte, prudenterque " vivatur. Propter illud quippe adipiſcen- " dum ubi ſecura quies erit, & ineffabi- " lis viſio veritatis, labor ſuſcipitur, & " continendi a voluptate, & ſuſtinendi " adverſitates, & ſubveniendi indigenti- " bus, & reſiſtendi deſipientibus. " Ibi probat S. Doctor vitam tunc in fonte ad tempus deguſtari, paſſiones non cruciare; immo ex hoc ineffabili cum Deo conſortio virtutem mirabilem in anima imprimi, qua in reliquo vitæ mortalis ſpatio carnem domare, paſſiones compeſcere facile queat. Igitur neque corpus, neque paſſiones tunc temporis impediunt quin anima oculo mentis & cordis videat intuitive Deum.

Solvuntur Objectiones generales.

OBJICIES 1. Legitur 1. ad Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria*. Sed Patres hanc pro hac vita intelligunt ſententiam: igitur nullus hominum in terris vidit intuitive eſſentiam divinam; alias propoſitio Apoſtoli non foret vera: igitur Moyſes & Paulus in terris degentes non viderunt intuitive Deum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Deus eſt inviſibilis in hac vita viribus naturæ, concedo: viribus gratiæ, ſubdiſtinguo: ordinarie, concedo: abſolute, nego; fieri enim poteſt ut aliqui per privilegium iſta donentur gloria; ita Moyſi & Paulo conceſſum fuiſſe propugnamus. Enimvero de primo legitur Exod. 33. v. 17. *Inveniſti enim gratiam coram me, & teipſum novi*. De ſecundo, Actuum 9. v. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte*. Nulla eſt igitur regula tam generalis, quæ aliquam non habeat exceptionem, maxime vero cum Scriptura & ſancti Doctores affirment gratiam, de qua movetur controverſia, Moyſi & Paulo fuiſſe conceſſam.

Inſtabis: quamdiu ſumus in via, peregrinamur a Domino, & per fidem ambulamus, juxta illud 2. Corinth. 5. *Scientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*. Igitur abſque ulla exceptione Deus eſt inviſibilis in hac vita omnibus hominibus; alias non eſſet verum omnes peregrinari in hac vita a Domino.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: præſens ſtatus omnem excludit viſionem intuitivam permanentem, concedo: omnem tran-

tranſeuntem, nego. Cum autem a tranſeuntibus non fiat denominatio, ideo Moyſen & Paulum, quamvis viſione Dei in hac vita donatos, ſemper tamen in regno fidei permanſiſſe aſſeritur: nec mirum, ſiquidem viſionem Dei ſolum tranſeunter habuerunt.

Inſtabis. Scriptura univerſim dicit & pro omnibus 1. Joan. 3. *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus*. Igitur Moyſes & Paulus nequidem tranſeunter viderunt in terris intuitive Deum; alias non eſſet verum dicere: *Nondum apparuit quid erimus*; quandoquidem illis ſaltem apparuiſſet ſe eſſe beatos.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: non apparuit nobis quid erimus, concedo: non apparuit Moyſi & Paulo, nego. Evangeliſta loquitur in genere, & de via ordinaria, minime vero de privilegiatis: nonne Apoſt. de ſe ipſo loquens ait: *Audivitque arcana verba, quæ non licet homini loqui?*

Inſtabis Joan. c. 1. v. 18. abſque ulla reſtrictione negat ab ullo homine in terris viſum eſſe Deum; ſic enim loquitur: *Deum nemo vidit umquam; Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Igitur ex Joan. ſolus Filius vidit in gloria Deum: Et vero, ſi Moyſes vidiſſet intuitive Deum, cum multis ſæculis poſt ipſum ſcripſerit Joannes, Evangeliſta non dixiſſet: *Deum nemo vidit unquam*. 2. Ibidem ponit diſcrimen inter Moyſen & Chriſtum, quod lex per Moyſen data ſit, gratia vero & veritas per Jeſum Chriſtum facta. Rationem cur veritas per Jeſum Chriſtum, facta ſit, hanc exhibet, quia *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*: quaſi diceret, ideo lex ſolum per Moyſen data eſt, quia non vidit Deum; ideo vero gratia & veritas ſimul facta ſunt per Chriſtum, quia ſolus Unigenitus nobis enarravit quid eſt Deus. Igitur ratio Joannis non valeret, ſi Moyſes vidiſſet intuitive Deum.

Reſpondeo diſtinguendo: nemo vidit Deum comprehenſive, concedo: intuitive in via & finito modo, ſubdiſtinguo: permanenter, concedo: tranſeunter, nego. Patres intelligunt ibi viſionem comprehenſivam: ita Chryſoſtomus in Homiliis contra Anomæos, in quibus, ut ſupra dictum eſt, per viſionem in ſinu, intelligit viſionem comprehenſivam & conſubſtantialem, quæ quidem ſoli Filio & Spiritui Sancto competit. Quod autem hic ſit genuinus Evangeliſtæ ſenſus, patet ex ſcopo quem habet, quique in eo ſitus eſt, ut Chriſti probet divinitatem: quod quidem momentum duobus validiſſimis perficit argumentis: 1. quidem oſtendendo viſionem in ſinu Patris, eamque comprehenſivam, ſoli Filio convenire: deinde vero demonſtrando veritatem & gratiam a ſolo Chriſto fuiſſe factam: ex quibus dilucide ſequitur Chriſtum eſſe Deum; ſolus quippe Deus ſeipſum comprehendit; item & ad illum ſolum pertinet dare gratiam & gloriam, juxta illud Pſal. 83. 12. *gratiam & gloriam dabit Dominus*. Igitur objectiones illatæ nihil contra concluſionem urgent.

Inſtabis. Impoſſibile eſt homini viatori videre intuitive Deum, juxta illud primæ ad Timoth. 6. v. 16. *quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*. Confirmatur: ſi Apoſtolus Deum intuitive vidiſſet, non diceret in iſta Epiſtola *quem nullus hominum vidit*: quandoquidem annis 13. poſt raptum ſcripſit primam ad Timoth. anno ſcilicet Chriſti 57. ut ait Baronius, eodem ſcilicet anno quo primam ad Corinth. raptus vero ejus contigit annis 14. ante ſecundam ad Cor. ut ipſe Paulus ibi teſtatur c. 12. ſcripſit vero eam anno Chriſti 58. ut ait Baronius; ex quo numero ſi demas quatuordecim annos, habebis in reſiduo annum Chriſti 44. pro anno raptus, qui conſequenter præceſſit Epiſtolam primam ad Timoth. annis 13. & annis 8. poſterior fuit ipſius converſione, quæ ſecnndum Baronium contigit anno 36. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum: certe ſi verba ad litteram ponderentur, nullus etiam viribus gratiæ Deum intuitive videre poterit, quandoquidem ſic Joannes ſcribit, *quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*; nam ultimæ particulæ phyſicam ſonant impoſſibilitatem.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt, viribus naturæ, concedo: viribus gratiæ ſaltem tranſeunter & in via, nego; hoc enim non eſt impoſſibile, quandoquidem conſtat ex Auguſtino ſupra laudato, Deum poſſe videri in hac vita oculis men-

tis,

tis, non ſolum viſione quæ eſt per ſimilitudines, ſed ea etiam quæ eſt per ſpeciem, *qua Deus eſt*, inquit S. Doctor, *quidquid eſt*. Præterea poſt reſurrectionem, animæ ſanctorum conjungentur corporibus, & tamen Deum oculis cordis videre intuitive non ceſſabunt: quidni & potuerit Paulus viator eumdem intuitive videre oculis mentis? nam Deus poteſt per gratiam ſuam ligare & corpus & paſſiones, ne deprimant animam, ipſo teſtante Auguſtino, qui l. 12. de Gen. ad litt. c. 26. n. 54. ſic loquitur: *Virtutes animæ non ſunt operoſæ ac laborioſæ: neque enim opere temperantiæ libido frænatur ..... una ibi & tota virtus eſt amare quod videas, & ſumma felicitas habere quod amat.*

Reſpondeo ad confirmationem diſtinguendo: ſi Apoſtolus cogitaſſet hoc poſſibile, non dixiſſet, *quem nullus hominum vidit*: & loquitur ibi de viſione comprehenſiva, quæ quidem competit Chriſto, ut Deus eſt, concedo: de viſione intuitiva finita, ſubdiſtinguo: permanente, concedo: tranſeunte & privilegiata, nego. Quod vero loquatur Apoſtolus de viſione comprehenſiva, patet ex antecedentibus, ubi probat Chriſtum eſſe verum Deum; ſic enim loquitur Timotheo a verſu 14. uſque ad 16. incluſive: *Serves mandatum ſine macula, irreprehenſibile uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens Rex Regum, & Dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*; Ideſt, quem nullus hominum vidit comprehenſive, nec videre poteſt. Quæ quidem verba concinunt cum iſta Joannis ſententia, *Deum nemo vidit unquam*. Cæterum Apoſtolus loquitur de via ordinaria, eodem quippe modo explicanda ſunt illa verba, *quem nullus hominum vidit*; ac iſta, *lucem inhabitat inacceſſibilem*; inviſibilis eſt quidem Deus viribus naturæ, ſed non gratiæ.

Dices: ſi Apoſtolus viderat Deum in raptu, qui multis annis evenit antequam ſcriberet primam ad Timoth. ad vitandum mendacium non debuit dicere, *quem nullus hominum vidit*: ergo, &c.

Reſpondeo, Apoſtolum non veniſſe in mendacii periculum, cum iſtam protulit ſententiam, *quem nullus hominum vidit*, propter multas rationes. 1. Quidem, quia ſententia intelligitur de via ordinaria; unde apud Juriſconſultos, non ceſſat legis generalis oraculum, licet aliquam ſuſcipiat exceptionem: potuit igitur Apoſtolus ſuam ſilere viſionem, & hoc etiam in humilitatis exemplum. 2. A tranſeuntibus non fit denominatio. 3. Raptus magis pertinebat ad prophetiam quam ad viſionem; unde viſionis nomine noluit illum celebrare; tum quia etiam ejus anima tranſacto raptu rediit ad modum ordinarium intelligendi divina, ſcilicet dependenter a corpore & a phantaſmatibus; unde fatetur ſe ignoraſſe ſui raptus naturam & modum, his verbis: *Scio hujuſmodi hominem, ſive in corpore ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit; quoniam raptus eſt in paradiſum*. Quid plura? vox *paradiſum*, ſufficienter denotat Paulum habuiſſe viſionem Dei intuitivam. Idem ipſe Deus de Moyſe teſtatur.

Objicies 2. Exod. 33. Moyſi poſtulanti videre Deum intuitive reſpondit Dominus: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*. Ergo homo non poteſt videre in hac vita intuitive Deum; & hæc veritas ab iſto Dei oraculo tranſiit in proverbium: *Nemo videbit Deum, & vivet*. Unde Judicum 13. v. 22. habetur: Cum Manue vidiſſet Angelum de medio flammæ ſacrificii aſcendere in cœlum, dixit uxori ſuæ: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.*

Reſpondeo 1. hoc non eſſe impoſſibile, cum, ut dictum eſt, poſſit Deus per gratiam ſuam ita ſanctificare corpus & ligare paſſiones per quamdam gloriæ qualitatem, qualis futura eſt pro corporibus glorioſis, ut non impediant ſupremam contemplationem, in qua anima videat eſſentiam divinam. Ita Aug. l. 12. de Gen. c. 26. n. 54. his verbis: *Si quemadmodum raptus eſt a ſenſibus corporis, ut eſſet in iſtis ſimilitudinibus corporeum, quæ ſpiritu videntur, ita & ab ipſis rapiatur, ut in illam quaſi regionem intellectualium vel intelligibilium ſubvehatur, ubi ſine ulla corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur*. Exemplum Manue nihil urget contra nos: enimvero teſtatur ſe vidiſſe Deum: igitur ſi ad litteram locus uſurparetur, veniret & in probationem pro noſtra concluſione; ſed ex Scriptura conſtat Ma-

nuc vidiſſe tantummodo Angelum..

Reſpondeo 2. diſtinguendo : nemo videbit Deum, & vivet : vita ſenſibili & animali concedo : vita intellectuali & ſenſibus abſtracta, nego. Vita duplex diſtinguitur in præſenti ſtatu ; altera animalis, qua anima operatur dependenter a corpore & phantaſmatibus, & ſic multum diſtrahitur, immo & deprimitur, ſive per corpus, quod illam aggravat, ſive per paſſiones quæ illam ad terrena ſæpiſſime dejiciunt : altera vero ſpiritalis & contemplativa, qua anima per viſionem objecti ſpecioſi illam ſuaviter rapientis a ſenſibus abſtracta, vivit non ſibi, ſed ubi amat, juxta illud Apoſtoli ad Galatas c. 2. v. 20. *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus* ; & iterum alia Scriptura Matth. 6. v. 21. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*.

D. Auguſtinus Epiſt. 112. ad Paulinam ſic reſpondet ad argumentum : " Deinde poteſt movere quomodo jam ipſa Dei ſubſtantia videri potuerit a quibuſdam in hac vita poſitis, propter illud quod dictum eſt ad Moyſen : *Nemo poteſt faciem meam videre, & vivere*; niſi quia poteſt humana mens divinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per iſtam communem mortem carne ſolvatur. Sic enim raptus eſt qui audivit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui : ubi uſque adeo facta eſt ab hujus vitæ ſenſibus quædam intenſionis averſio, ut ſive in corpore, ſive extra corpus fuerit, qualis in plena morte contingit, neſcire ſe diceret. Ita fit ut & illud verum ſit quod dictum eſt, *Nemo poteſt faciem meam videre, & vivere*; quia neceſſe eſt mentem abſtrahi ab hac vita, quando in illius ineffabilitatem viſionis aſſumitur, & non ſit incredibile quibuſdam ſanctis nondum ita defunctis, ut ſepelienda cadavera remanerent, etiam iſtam excellentiam revelationis ejus conceſſam fuiſſe . . . . . Quod autem dicere inſtitueram, deſiderio ejus etiam illud quod petierat fuiſſe conceſſum, in libro Numerorum poſtea monſtratum eſt, ubi Dominus arguit contumaciam ſororis ipſius, & dicit aliis Prophetis in viſione ſe apparere, & in ſomno ; Moyſi autem per ſpeciem, non per ænigmata : ubi etiam addidit dicens: *Gloriam Domini vidit*. Quid ergo eſt, quod eum ſic fecit exceptum, niſi forte quia illa contemplatio, ut dignum etiam tunc habuit populi ſui talem rectorem ac miniſtrum in tota domo ſua fidelem, ut quemadmodum concupiverat videre Deum ſicuti eſt, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur? "

Inſtabis. Anima operans in corpore, & dependenter a phantaſmatibus nequit videre Deum : ſed non poteſt perfecte abſtrahi a corpore in raptu : igitur neque in raptu poteſt videre Deum. Probatur minor. Si perfecte abſtraheretur a corpore, jam ſequeretur mors, & tunc non eſſet amplius in via, adeoque non eſſet verum, ab homine viatore videri Deum. Ergo, &c.

Reſpondet Apoſtolus ſecundæ Corinth. c. 12. ſe ignorare an hoc fiat extra corpus, vel intra.

Reſpondeo Auguſtinus alienationem eſſe majorem quam in ſomno, neque eſſe per repræſentationes corporales, neque etiam per operationem intellectualem mediantibus ſimilitudinibus creatis : ſed per operationem omnimode ſpiritualem, per excellentiſſimam contemplationem, quæ fit per ſpeciem. *qua Deus eſt quidquid eſt* ; non tamen mors ſequitur, quia anima ut ſenſitiva, eſt ſemper in corpore. Quod autem corpus non impediat animam, patet ex eo quod in extaſi nonnumquam rapiatur & elevetur ſupra terram ſurſum ; Apoſtolus enim ſe dicit raptum uſque ad tertium cœlum.

Reſpondeo 2. diſtinguendo : anima non poteſt perfecte abſtrahi a terrenis abſtractione ſenſuum, concedo : abſtractione intellectuali, nego. Anima poteſt conſiderari dupliciter : 1. ut forma corporis ; 2. ſecundum ſe, &, ut dicunt. Doctores myſtici, ſecundum ſupremam mentis aciem. Primo modo manet ſemper in corpore, & habet functiones pure animales, & ulla abſque reflexione : ſecundo modo eſt extra corpus, & ubi amat ; ſolum cogitat de ſponſo, ut habetur Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Et iterum c. 3. v. 4. *Tenui eum nec dimittam*.

Inſtabis. Auguſtinus vocat iſtam viſionem, revelationem in locis laudatis : ſed revelatio eſt viſio prophetica, eaque obſcura & non intuitiva : ergo, &c.

Re-

Reſpondeo diſtinguendo : eſt revelatio prout revelatio idem ſonat ac gratia & privilegium indebitum a Deo conceſſum, concedo : prout dicit cognitionem obſcuram, nego. Licet enim iſta viſio reducatur ad prophetiam, eminet tamen in claritate : ſic Petrus loquens de viſione gloriæ ſanctæ humanitatis, quam cum Joanne & Jacobo in monte Thabor donatus eſt, ait omnem ſuperexcedere prophetiam, his verbis ſecundæ Epiſt. c. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem : cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

Inſtabis. Viſio intellectualis quæ eſt ſupra corpoream, & etiam ſupra mentalem per ſimilitudines, non eſt intuitiva in hac vita : igitur ruit fundamentum poſitum. Probatur antecedens. Hæc viſio eſt contemplatio, quam Doctores myſtici vocant contemplationem per ſimplicem intuitum, ut Bernardus, vel ut alii, orationis donum, quo Deus ita ſecrete communicatur animæ, ut ex mirabili iſto commercio Dei Optimi Maximi ſponſa nuncupetur, fitque per effuſionem tum ſpecierum ad cognoſcendam unico intuitu veritatem, tum gratiæ ſpecialiſſimæ, qua anima transformatur myſtice in Deum. Cum autem Prophetæ hanc gratiam ſeu orationis donum haberent, ideo *videntes* in Scripturis vocantur : ſic Samuel l. 1. Regum c. 9. *videntis* nomine celebratur : *Eamus*, inquit Saul puero ſuo, *ad videntem*, Ergo cum Auguſtinus ſolum diſtinguat triplex viſionis genus ; unum per repræſentationes corporeas, quibus Angeli aſſumentes figuras humanas, etiam oculis præſentium patebant ; alterum per phantaſmata & in imaginatione ; tertium per ſpeciem mere ſpiritalem, non tamen viſionem intuitivam inferentem ; dicendum ſanctum Doctorem non admittere pro hac mortali vita viſionem Dei immediatam.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem diſtinguo : & præter viſionem ſpiritalem & myſticam, quæ habetur in oratione mentali, datur alia ex Auguſtino per ſpeciem qua videtur id quod eſt ipſe Deus, concedo ; nam eſſentia divina unitur immediate menti per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ : & non datur, nego. Auguſtinus triplicem commemorat viſionem, ſed tacet eam quæ datur Sanctis in oratione, & loquitur de ſupremo contemplationis gradu qui erat ad propoſitum, ſcilicet ut demonſtraret a Moyſe viſum eſſe immediate Deum ; ſic enim loquitur de eo c. 27. n. 55. in l. 12. de Gen. ad litt. "Concupierat enim,
„ ſicut in Exodo legitur, videre Deum,
„ non utique ſicut viderat in monte,
„ nec ſicut videbat in tabernaculo, ſed
„ in ea ſubſtantia qua Deus eſt . . . .
„ claritatem Domini vidit ; neque enim
„ hoc ſecundum ſubſtantiam corporis quæ
„ carnis ſenſibus præſentatur, intelligen-
„ dum eſt . . . . . illo ergo modo in illa
„ ſpecie qua Deus eſt, longe ineffabili-
„ ter, ſecretius & præſentius loquitur
„ locutione ineffabili. „

De Moyſe in particulari.

OBJICIES. Primo, Exodi 33. habetur : *Ingreſſo* (ſcilicet Moyſe) *Tabernaculum Fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium . . . Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum . . . . Si ergo inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam . . . . . oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit : Ego oſtendam omne bonum tibi . . . . . rurſumque ait : Non poteris videre faciem meam ; non enim videbit me homo, & vivet . . . . . videbis poſteriora mea.* Ex his multa eruuntur argumenta, quibus adverſarii probare ſatagunt a Moyſe viſum non eſſe Deum.

Primum eſt : ſi Moyſes vidit intuitive Deum, maxime quia hanc petiit & concupivit gratiam ; ſed illi denegata eſt, utpote in hac vita impoſſibilis, *non enim*, inquit Deus, *videbit me homo, & vivet*. Quod certe non intelligitur de morte myſtica : ſi enim hæc mors ad hoc ſufficeret, cum eſſet poſſibilis per abſtractionem a ſenſibus, & raptum ſeu extaſim, non dixiſſet Deus, *Non enim videbit me homo, & vivet*.

Secundum. Ideo colligitur a Moyſe viſum eſſe Deum intuitive, quia vidit facie ad faciem, quia os ad os locutus eſt ei Dominus, ut amicus amico ; ſed ejuſmodi viſio non eſt intuitiva, ut patet Exodi 33. ubi Deus Moyſi ſic loquitur : *Non poteris videre faciem meam ; non enim vide-*

videbit me homo, & vivet. Ergo, &c.

Tertium. Profecto Moyſes non vidit intuitive Deum, Exod. 33. cum eum viderit in nube & in Tabernaculo; Auguſtinus enim dicit viſionem in nube & in Tabernaculo eſſe figuratam; ſed Scriptura Num. 12. loquens de viſione Dei conceſſa Moyſi, quamque aſſerimus intuitivam eſſe, ait in nube & in Tabernaculo fuiſſe factam: igitur & iſta viſio fuit tantum per ſimilitudines. Probatur minor; ſic enim habetur in Scriptura: *Egredimini vos tantum tres ad Tabernaculum Fœderis; cumque fuiſſent egreſſi* (ſcilicet Moyſes, Aaron, & Maria) *deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu Tabernaculi, vocans Aaron & Mariam. Qui cum iiſſent, dixit ad eos: Audite ſermones meos: ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini; in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.... Quare ergo non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi? Iratuſque contra eos abiit: nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper Tabernaculum*.

Quartum. Viſio intuitiva divinæ eſſentiæ Moyſi conceſſa colligitur ex iſto potiſſimum loco: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes.... ore enim ad os loquar ei*. Atqui hæc Scripturæ verba viſionem Dei intuitivam Hebræorum Legiſlatori non aſtruunt; inde enim etiam concluderetur, Moyſen non una aut altera vice, ſed ſemper & in omni colloquio extatico vidiſſe intuitive Deum, quod nullus certe dixerit; habetur enim Exod. 33. poſteriora tantum Dei, & non faciem vidiſſe: igitur iſte modus expreſſionis, *os ad os loquor*, excellentiorem præ cæteris Prophetis habuiſſe viſionem ſolummodo indigitat.

Quintum denique. Non conſtat a Moyſe Deum intuitive viſum fuiſſe, Num. 12. non enim alio modo ei tunc locutus eſt Dominus, quam Aaron & Mariæ fuerat locutus, ſcilicet in nube & in Tabernaculo, juxta illud: *Egredimini vos tantum tres ad Tabernaculum Fœderis*. Ergo, &c.

Reſpondeo, conſtare ex probationibus a Moyſe viſum eſſe intuitive Dominum: enimvero ſi ſolum per ſimilitudines vidiſſet eſſentiam divinam, nullum habuiſſet in hoc ſupra alios Prophetas privilegium.

Ad primum diſtinguo: Et Moyſi non datum tunc eſt quod petebat, concedo: & non datum eſt alia vice, nego. Ut autem intelligeret gloriam, viatoris non convenire conditioni, ſed magnum eſſe privilegium, dixit Dominus: *Non videbit me homo, & vivet*.

Ad ſecundum diſtinguo minorem. Viſio faciei ad faciem, non eſt ſemper intuitiva, concedo: non eſt aliquando & ut plurimum, nego. Scriptura ſacra determinat viſionem faciei ad faciem quandoque ad viſionem figuratam & per ſimilitudines, quandoque etiam ad viſionem Dei immediatam, maxime vero quum eam vocat viſionem Dei ſicuti eſt: quum ab eadem excludit figuras & ſimilitudines, ſicut de facto excludit a viſione Moyſi conceſſa, Num. 12. quæque, teſte Auguſtino, facta eſt per ſpeciem qua Deus eſt quidquid eſt: igitur viſio Moyſi conceſſa pro hac vice fuit intuitiva.

Ad tertium, diſtinguo. Moyſis viſio, quæ Exod. 33. refertur, non fuit intuitiva, quia expreſſe ibi habetur non Deum in ſe, ſed ſolum ejus vidiſſe poſteriora, concedo: quia facta eſt præciſe in nube & in Tabernaculo, nego. Verum quidem eſt Deum ſolitum fuiſſe manifeſtum ſe præbere Moyſi in nube & in Tabernaculo, modo viſione imaginaria & per ſimilitudines, modo etiam per Angelos tanquam per oratores in ſua perſona loquentes; ſed potuit & in nube & in Tabernaculo Moyſi ſe præbere intuitive & immediate videndum, ut legitur Num. 12. Et vero quum Moyſes vacabat orationi & contemplationi, potuit iſta mirabili donari viſione.

Ad quartum. Nemo ſcit utrum vel pluries, vel ſemel tantum viſione Dei intuitiva donatus ſit Moyſes, neque id aſſerere audemus: ſufficit una vice, ſicut refertur Num. 12. vidiſſe intuitive Deum, ut Auguſtini & D. Thomæ ſententia de hoc momento vera ſit: non ſequitur igitur Moyſen in quacumque viſione, Deum in ſe & immediate fuiſſe intuitum.

Ad quintum. Neque etiam ſcire quis poteſt tempus quo Moyſes viſione Dei intui-

tuitiva donatus ſit: unum ſcimus, una ſaltem vice, ut refertur Num. 12. Deum intuitive & immediate conſpexiſſe.

Inſtabis. Hoc ipſum negat Evariſtus Papa Epiſt. 1. Decretali, his verbis: " Deus Filius in luce inacceſſibili ſimul „ cum Patre habitare credendus eſt, „ quem nullus modo noſtrum in hoc mor- „ tali corpore conſtitutus poteſt aliquate- „ nus contueri: ſed cum apparuerit, tunc „ vere illum videbit ſicuti eſt, qui ejus „ conſpectibus dignus fuerit coaptari; & „ non ſicut Moyſes, cæterique Prophe- „ tæ, per ænigmata & figuram. „ Ibi ſummus Pontifex loquitur ex cathedra & definiens; dicit enim, credendus eſt Filius Dei in luce inacceſſibili cum Patre habitare; immo ex hoc concludit, & Moyſen & Prophetas vidiſſe Deum tantummodo per ænigmata.

Reſpondeo 1. Epiſtolam Decretalem Evariſti eſſe dubiam. 2. dato & non conceſſo eam eſſe genuinam, reſpondemus Evariſtum ibi loqui ut Doctorem particularem, ſaltem pro Moyſis facto, quandoquidem Eccleſia nihil de fide circa iſtud momentum definivit, immo licentiam fecit in ſcholis diſputandi in utramque partem. Et vero vox, *credendus*, appellat ſupra lucem inacceſſibilem, & hunc reddit ſenſum: de fide eſt Deum non poſſe viribus naturæ videri a creatura, vel etiam quantumvis gratiis ornata ab eadem comprehendi. Quid plura? Summus Pontifex attendit ad viſionem de qua ſermo habetur Exod. 33. minime vero ad eam de qua Num. 12.

Iterum inſtabis. Dionyſius de cœleſti Hierarchia cap. 4. p. 3. viſionem etiam intuitivam abnegat Moyſi; namque ait: " Si quis vero dicat quibuſdam San- „ ctis immediate Deum ex ſe apparuiſ- „ ſe, diſtat etiam hoc aperte ex Scriptu- „ ris ſacris, illud ipſum quod Dei eſt oc- „ cultum neminem vidiſſe, neque viſu- „ rum, ſed apparuiſſe Sanctis Deum oſten- „ dentem ſe, ut eum decebat per viſa „ quædam ſacra, an non etiam ſacram „ illam legiſlationem ab ipſo Deo fuiſſe „ Moyſi traditam divina ſcripta tradide- „ runt?.... quinimmo ſapienter etiam „ Theologia docet, eam per Angelos ad „ nos dimanaſſe. Ergo, &c.

Reſpondeo ut ſupra, aliquos Patres tenere opinionem contrariam probabilem; nos vero adhærere Auguſtino & D.Thomæ gloriamur.

Reſpondeo 2. Dionyſium loqui de viſionibus, quas habuit Moyſes in monte, ubi accepit Legem, ut ipſius referunt verba; tunc autem videbat Angelum: ſed non excludit viſionem intuitivam, quæ habetur Num. cap. 12. Simili modo explicatur ipſe Aug. tractatu 5. in Joan. ubi dicit: *Deum nemo vidit unquam*; Moyſen vidiſſe Deum in nube per Angelum & ignem, *quæ typum Domini gerebant, non præſentiam exhibebant*.

Adhuc inſiſtes. D. Thom. 1. 2. qu. 98. art. 3. ad 2. ſic loquitur: " Dicendum „ quod ſicut Auguſtinus dicit, 12. ſuper „ Gen. ad litt. in Exod. dicitur: *Locu-* „ *tus eſt Dominus Moyſi facie ad faciem*; & „ paulo poſt ſubditur: *Oſtende mihi gloriam* „ *tuam*. Sentiebat ergo quod videbat; & „ quod non videbat, deſiderabat. Non „ ergo videbat ipſam Dei eſſentiam, & „ ita non immediate a Deo inſtruebatur. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens. Moyſes non vidit tunc Dei eſſentiam, concedo: loquitur enim D. Thomas de loco Exodi 33. quem explicat; ſed obſervat ex Auguſtino Moyſen aliud deſideraſſe, quod teſte eodem Auguſtino, datum eſt illi poſtea: non vidit alio tempore, nego. Cæterum dato & non conceſſo D. Thomam loco citato aliquid contrarium dixiſſe, ſe retractavit 2. 2. quæſt. 174. art. 4. ubi expreſſe dicit Moyſen vidiſſe intuitive Deum.

De B. Paulo in particulari.

OBJICIES. Viſio imaginaria attenditur ex Auguſtino l. 12. ſuper Geneſ. c. 27. ſecundum quaſdam ſimilitudines: ſed B. Paulus vidit in ſuo raptu ſimilitudines Cœli & Paradiſi: igitur habuit tunc viſionem ſolummodo imaginariam.

Reſpondeo 1. Scripturam non dicere Paulum vidiſſe ſimilitudinem Cœli, ſed raptum fuiſſe uſque ad tertium Cœlum & in Paradiſum.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Paulus vidit ſimilitudinem Cœli, tranſeat: ſimilitudinem Dei, nego; unde D. Thomas hic qu. 175. art. 3. ſic loquitur: " Quidam „ dixerunt Paulum in raptu non vidiſſe „ Dei eſſentiam, ſed quamdam reſulgen- „ tiam

„ tiam claritatis ipſius . Sed contrarium
„ manifeſte Auguſtinus determinat , non
„ ſolum in libro de videndo Deum , ſed
„ etiam 12. ſuper Gen. ad litt. „ Unde
ad argumentum ſic reſpondet ibidem : “
„ Dicitur raptus (*ſcilicet Paulus*) ad ter-
„ tium Cęlum , non quia raptus ſit ad vi-
„ dendum ſimilitudinem alicujus rei cor-
„ poreæ , ſed propter quod locus ille eſt
„ contemplationis Beatorum : unde gloſſa
„ dicit ſecundæ ad Corinth. cap. 12. quod
„ Cœlum tertium eſt ſpirituale Cœlum ,
„ ubi Angeli & ſanctæ animæ fruuntur
„ Dei contemplatione , ad quod cum di-
„ cit ſe raptum , ſignat quod Deus oſten-
„ dit ei vitam in qua videndus eſt in
„ æternum . „

Inſtabit . Apoſtolus dicit primo ſe meminiſſe multorum : 2. audiviſſe arcana , non vero vidiſſe : 3. ſe ignoraſſe ſuum ſtatum : ſed memoria eſt eorum quæ videntur per ſimilitudines rerum creatarum ; ſed audire , non eſt videre ; ſed ignorare , non eſt beatum eſſe ; alias beatus foret anxius : igitur , &c.

Reſpondeo diſtinguendo : B. Paulus recordatus eſt multorum quæ Gentilium vocationis myſteria ſpectabant , ut illos de fide in Chriſtum inſtrueret , concedo : recordatus eſt eſſentiæ divinæ , quam quidem intuitive viderat , nego . Nec mirum ; viſio Dei absque ulla ſpecie creata habetur ; Apoſtolus vero locutus eſt poſt raptum , adeoque , juxta modum diſcurrendi de rebus per phantaſmata , ſeu ſimilitudines & ſpecies creatas , homini viatori accommodatas .

Ad ſecundum , diſtinguo . Audivit Paulus arcana videndo Dei intuitive eſſentiam , concedo ; verbum enim divinum in Beatis loquitur : in ipſo ſiquidem omnia patent : non videndo , nego . Porro arcana non videntur , ſed audiuntur ; unde bene dicit Apoſtolus ſe audiviſſe arcana , quæ non licet homini loqui , inter quæ primas tenet partes Dei ineffabilis viſio .

Ad tertium . Utique B. Paulus ignoravit ſtatum ſuum mirabilem poſt raptum , concedo : in raptu , nego . Et vero anima ejus tranſacto raptu intelligebat divina per ſimilitudines , ut modo diximus ; unde non mirum ſi non potuerit aut oratione deſcribere , aut exprimere ſermonibus mirabile Sanctorum cum Deo intuitive viſo conſortium : ipſe enim Apoſtolus primæ ad Corinth. 2. v. 9. loquens de beatitudine ait : *Oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* .

Inſiſtes . Actuum 10. habetur , cecidiſſe ſuper Petrum mentis exceſſum : ſed iſte raptus per ſimilitudines factus legitur : igitur idem dicendum de raptu Pauli .

Reſpondeo negando paritatem : enimvero habetur expreſſe , raptum Petri factum fuiſſe per ſimilitudines quadrupedum & ſerpentium ſanctificatorum ; qua quidem viſione manifeſtabatur Apoſtolo vocatio Gentilium ad Chriſti fidem : e contra vero eadem Scriptura dicit Paulum raptum fuiſſe in Paradiſum , qui quidem eſt Beatitudinis locus ; & ideo iſtud vocabulum , viſionem Dei intuitivam Paulo ad tempus fuiſſe conceſſam indigitat . Solutio eſt D. Thomæ , qui hic q. 175. art. 3. ad 1. ſic reſpondet ad argumentum : “ Mens
„ humana divinitus rapitur ad contem-
„ plandam veritatem divinam , triplici-
„ ter : uno modo ut contempletur eam
„ per ſimilitudines quaſdam imaginarias ;
„ & talis fuit exceſſus mentis qui ceci-
„ dit ſupra Petrum . Alio modo , ut con-
„ templetur veritatem divinam per in-
„ telligibiles effectus , ſicut fuit exceſſus
„ David dicentis : *Ego dixi in exceſſu meo* ,
„ *Omnis homo mendax* . Tertio modo , ut
„ contempletur eam in ſua eſſentia , &
„ talis fuit raptus Pauli , & etiam Moy-
„ ſis ; & ſatis congruenter : nam ſicut
„ Moyſes fuit primus Doctor Judæo-
„ rum , ita Paulus fuit primus Doctor
„ Gentium . „

Urgebis iterum . Si Paulus vidiſſet intuitive Deum , gloriæ claritas in corpus ejus refulſiſſet , ſicut legimus de Chriſto , cum in monte Thabor transfiguratus eſt : atqui nullus hoc affirmavit de B. Paulo . Ergo , &c.

Reſpondeo negando majorem . Chriſtus enim a primo conceptionis momento erat beatus quoad animam , minime vero quoad corpus : non eſt igitur inconveniens Paulum hanc habuiſſe gratiam tantummodo pro anima in raptu .

Reſpondeo 2. diſtinguendo : qui eſt beatus permanenter & in patria , poſt reſurrectionem habebit etiam in corpore gloriæ redundantiam ſeu refulgentiam , concedo : qui eſt ſolum beatus tranſeunter ſicut fuit in raptu Paulus , nego : unde

Digitized by Google

ex D. Thom. ejus viſio magis pertinebat ad prophetiam quam ad gloriæ ſtatum.

Inſtabis de novo. Qui eſt beatus, amittit fidem: ſed Paulus non amiſit fidem, quandoquidem tranſacto raptu credebat myſteria ſicut antea. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Qui eſt beatus habitualiter, amittit fidem, concedo: qui eſt ſolum tranſeunter, ſubdiſtinguo: amittit fidem actualem, concedo: habitualem, nego. Habitus opponitur habitui; unde gloria permanens & habitualis excludit ipſum fidei habitum: actus vero ſimiliter opponitur actui; qua de cauſa cum Paulus habuerit viſionem Dei intuitivam tantummodo tranſeuntem, retinuit fidei habitum, quo uſus eſt tranſacto raptu.

Multi Theologi jure merito tenent Beatam Virginem in momento Conceptionis Chriſti, viſione Dei intuitiva fuiſſe donatam, ut generationem Verbi temporalem exprimeret ſuper generationis ejuſdem Verbi in ſinu Patris ideam. Non idem de viſione Beati Stephani autumant: nam Humanitatem ſanctam tantummodo apertis Cœlis vidiſſe non ſine fundamento arbitrantur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Moyſes & Paulus viderunt intuitive Deum in hac vita oculis mentis.

PRIMO. Num. 12. de Moyſe legitur, habuiſſe Dei viſionem, non per ænigmata & figuras: de ſecundo vero, 2. Cor. 12. raptum fuiſſe in Paradiſum.

Secundo. Ita cenſent Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad litt. c. 26. & in libro de videndo Deum ad Paulinam; ita D. Th. 1. p. q. 12. art. 7.

Tertio. Quia ex D. Thoma Moyſes conſtitutus eſt Magiſter Judæorum, Paulus vero Doctor Gentium: ex quo concludit conſentaneum fuiſſe utrumque edoceri per Verbum intuitive viſum, ut ab ipſo Deo illuminati cæteros erudirent in doctrina ſana & fide.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Legitur quidem tum in Scriptura tum in Patribus, Deum non poſſe a viatore conſpici: ſed loquuntur de via ordinaria & ſecluſo privilegio, quod quidem regula generalis ſuſcipere poteſt; maxime vero quia ex Auguſtino homo poteſt ita a ſenſibus abſtrahi, ut poſſit Deum intuitive videre.

Secundo. Scriptum eſt Moyſen locutum fuiſſe Deo in nube & in Tabernaculo, & eum ſic vidiſſe: ſed quamvis viſio in nube & in Tabernaculo pro more ſolito facta ſit per ſimilitudines, potuit tamen, ut legitur Num. 12. etiam fieri immediate.

Tertio. Habetur etiam de D. Paulo, & ignoraſſe ſuum ſtatum, & memoriam multorum ex raptu habuiſſe: quæ quidem omnia ſpirant & ſapiunt viſionem per ſimilitudines: ſed & hæc concedimus tranſacto raptu, minime vero in ipſo raptus intervallo: tunc enim & Deum, & omnia in Deo immediate vidiſſe conſtat.

D I S-

DISSERTATIO TERTIA
DE
MENSURA VISIONIS BEATIFICÆ.

Contra Anomæos, Jovinianiſtas, Beguardos, & Beguinas.

ANOMÆI, Jovinianiniſtæ, & Beguardi viſionem in omnibus Sanctis parem & æqualem eſſe propugnabant. Primi quidem tantam ſibi tribuebant de Deo notitiam, quantam ipſe Deus de ſe habet: Jovinianiſtæ vero, cum omnia peccata eſſe æqualia crederent, ita & merita, conſequenter & æqualem pro Beatis coronam propugnabunt: Beguardi utique, quandoquidem gloriam animæ rationali debitam eſſe autumabant, ſed contra quod dicitur primæ Cor. 15. v. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt claritate: ſic & reſurrectio mortuorum;* ideſt gloria & præmium.

Dogma inæqualitatis viſionis beatificæ quatuor iſtis momentis oſtenditur.

PRIMO: Quia non datur viſio beatifica ſecundum conatus animæ naturales.
Secundo: Quia viſio beatifica eſt homini in ſe relicto indebita.
Tertio: Quia eſt finita.
Quarto: Quia datur ad menſuram.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo per ſuas vires naturales & ſine gratia, poſſit Deum intuitive videre.

CONCLUSIO CATHOLICA.

Anima ſecundum vires naturales nequit Deum videre.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Iſaiæ 64. v. 5. *Oculus non vidit, Deus, abſque te quæ præparaſti diligentibus te.* Et primæ ad Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili.* Rurſus ibidem cap. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inacceſſibilem.* Sed qui diligentibus Deum parata abſque Dei auxilio nequit videre, Deum ipſum ſine gratia intuitive videre non poteſt, quandoquidem Deus dicitur & inviſibilis, & lucem inhabitare inacceſſibilem: igitur anima viribus ſuis Deum intuitive conſpicere non valet: Enimvero legitur Rom. 6. v. 26. *Gratia Dei vita æterna.* Et Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ex his ſequitur iſtud in probationem argumentum; quod eſt gratia, non eſt homini connaturale: ſed ex Scriptura, viſio beatifica eſt gratia omnium maxima: ergo, &c. Legitur etiam Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Rurſus primæ Corinth. 3. v. 5. *Non quod ſufficientes ſimus aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Qua de cauſa Concilium Arauſi-

Ca-

Digitized by Google

canum ſecundum tanquam de fide definivit, hominem viribus naturæ nequidem poſſe ſuam initiare ſalutem. Igitur & a fortiori nec Deum intuitive videre.

Secundo, *Ex Conciliis, & ſummis Pontificibus.*

PRÆTER hoc Concilium citatum, & alia contra Pelagianos adunata, unum Vinnenſe impræſentiarum adducimus. Enimvero damnat ſpecialiter & Berguardos & Beguinas, eo quod contrarium aſſererent: unde & definivit, lumen gloriæ eſſe abſolute neceſſarium ad videndum intuitive Deum. Ita habetur in Clementina, *Ad noſtrum, de Hæreticis*; in qua quidem Clemens V. hanc damnat Propoſitionem: *Quinto quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata.*

Tertio, *Ex Patribus.*

DIONYSIUS, de divinis nominibus c. 1. dicit ideo Angelos illuminari circa divina, quia & Deus, & Perſonæ, & attributa excedunt naturalem mentis aciem: " Intelligibilis vero, *inquit*, ipſius il-
" luminationibus, in paſſionis & ma-
" teriæ experte mente, participes facti,
" nec non conjunctionis ejus, quæ men-
" tem excedit, in ſplendidiſſimorum ra-
" diorum ignotis ac beatis immiſſionibus,
" atque in diviniore quadam imitatione
" ſupercœleſtium mentium. "

Origenes eidem ſubſcribit veritati lib. 1. de Principiis, c. 1. " Mens noſtra, *in-*
" *quit*, ipſum per ſe Deum, ſicut eſt,
" non poteſt intueri. "

Epiphanius eſt ejuſdem labii, hæreſi 70. c. 7. " Deum videre eſt impoſſibile, *in-*
" *quit*, præſertim naturæ hominis, ne-
" que ei quod aſpectabile eſt, id quod vi-
" deri omnino non poteſt, intueri licet:
" verum inviſibilis Deus pro ſua benigni-
" tate ac potentia imbecillitatem vi ſua
" corroborare dignatus eſt, ut quod inviſi-
" bile eſt, cerneret. "

Ambroſius alter eſt ejuſdem veritatis teſtis: enimvero Comment. in Lucam c. 1. ſic loquitur: " In poteſtate noſtra non eſt
" Deum videre, ſed in poteſtate illius eſt
" apparere. "

Auguſtinus Soliloq. c. 36. ait: " Quo-
" niam apud te eſt fons vitæ, & in lumi-
" ne tuo videbimus lumen; quale autem
" lumen? lumen immenſum, lumen in-
" corporeum. " Et l. 19. de Civ. Dei c. 25.
" Sicut non eſt a carne, ſed ſupra car-
" nem, quod jam facit vivere, ſic non
" eſt ab anima, ſed ſupra animam, quod
" eam faciet beate vivere; quia ut vita
" carnis anima eſt, ita beata vita hominis
" Deus eſt. " Et l. de peccatorum meritis c. 19. " Verumtamen ſi percepto baptiſ-
" mate de hac vita emigraverit, ſoluto
" reatu, cui originaliter erat obnoxius,
" perficientur in illo lumine veritatis, quod
" incommutabiliter manens, in æternum
" juſtificatos præſentia Creatoris illumi-
" nat. "

Cæteris accedit D. Thomas, qui ex profeſſo ſic concludit hic 1. p. q. 2. c. 4. " Cum divina, *inquit*, eſſentia ſit ſupra
" conditionem cujuſcumque creati intelle-
" ctus, non poteſt intellectus creatus per ſua
" naturalia ipſum cognoſcere, ſed tantum
" per gratiam. " Si igitur, ſecundum Dionyſium, Angeli indigent aliquo confortari lumine ad videndum Deum intuitive, ſi, ſecundum Epiphanium, Ambroſium, Auguſtinum & D. Thomam, indigeant & alii Beati, certum eſt animam viribus naturæ Deum intuitive videre non poſſe.

Quarto, *Ex ratione multiplici.*

PRIMA. Quod eſt ſupra naturam, non poteſt attingi per vires naturæ: atqui viſio Dei intuitiva eſt ſupra naturam; & probatur. Gratia eſt ſupra naturam: ſed hæc viſio eſt gratia, & quidem conſummata, juxta illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Igitur eſt ſupra naturam.

Secunda ſic proponitur. Quod eſt extra objectum connaturale facultatis, non poteſt naturæ conatibus pertingi: atqui Deus in ſe viſus eſt extra objectum connaturale intellectus creati, quandoquidem, teſte Apoſtolo, *lucem inhabitat inacceſſibilem*: ergo, &c.

Tertia. Media & finis ſunt ejuſdem ordinis: atqui media ad finem ſupernaturalem conſequendum ſunt ſupra naturam; hoc enim non ſemel definitum eſt in Conciliis contra Pelagianos adunatis: enimvero ſunt actus tum fidei, tum ſpei

&

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA
DE
MENSURA VISIONIS BEATIFICÆ.

Contra Anomæos, Jovinianiſtas, Beguardos, & Beguinas.

ANOMÆI, Jovinianiſtæ, & Beguardi viſionem in omnibus Sanctis parem & æqualem eſſe propugnabant. Primi quidem tantam ſibi tribuebant de Deo notitiam, quantam ipſe Deus de ſe habet: Jovinianiſtæ vero, cum omnia peccata eſſe æqualia crederent, ita & merita, conſequenter & æqualem pro Beatis coronam propugnabunt: Beguardi utique, quandoquidem gloriam animæ rationali debitam eſſe autumabant, ſed contra quod dicitur primæ Cor. 15. v. 41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt claritate: ſic & reſurrectio mortuorum*; ideſt gloria & præmium.

Dogma inæqualitatis viſionis beatificæ quatuor iſtis momentis oſtenditur.

PRIMO: Quia non datur viſio beatiſica ſecundum conatus animæ naturales.

Secundo: Quia viſio beatifica eſt homini in ſe relicto indebita.

Tertio: Quia eſt finita.

Quarto: Quia datur ad menſuram.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo per ſuas vires naturales & ſine gratia, poſſit Deum intuitive videre.

CONCLUSIO CATHOLICA.

Anima ſecundum vires naturales nequit Deum videre.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Iſaiæ 64. v. 5. *Oculus non vidit, Deus, abſque te quæ præparaſti diligentibus te.* Et primæ ad Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili.* Rurſus ibidem cap. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inacceſſibilem.* Sed qui diligentibus Deum parata abſque Dei auxilio nequit videre, Deum ipſum ſine gratia intuitive videre non poteſt, quandoquidem Deus dicitur & inviſibilis, & lucem inhabitare inacceſſibilem: igitur anima viribus ſuis Deum intuitive conſpicere non valet: Enimvero legitur Rom. 6. v. 26. *Gratia Dei vita æterna.* Et Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ex his ſequitur iſtud in probationem argumentum; quod eſt gratia, non eſt homini connaturale: ſed ex Scriptura, viſio beatifica eſt gratia omnium maxima: ergo, &c. Legitur etiam Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Rurſus primæ Corinth. 3. v. 5. *Non quod ſufficientes ſimus aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Qua de cauſa Concilium Arauſi-

ca-

Digitized by Google

canum ſecundum tanquam de fide definivit, hominem viribus naturæ nequidem poſſe ſuam initiare ſalutem. Igitur & a fortiori nec Deum intuitive videre.

Secundo, *Ex Conciliis, & ſummis Pontificibus.*

PRÆTER hoc Concilium citatum, & alia contra Pelagianos adunata, unum Vinnenſe imprætentiarum adducimus. Enimvero damnat ſpecialiter & Berguardos & Beguinas, eo quod contrarium aſſererent: unde & definivit, lumen gloriæ eſſe abſolute neceſſarium ad videndum intuitive Deum. Ita habetur in Clementina, *Ad noſtrum, de Hæreticis*; in qua quidem Clemens V. hanc damnat Propoſitionem: *Quinto quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata.*

Tertio, *Ex Patribus.*

DIONYSIUS, de divinis nominibus c. 1. dicit ideo Angelos illuminari circa divina, quia & Deus, & Perſonæ, & attributa excedunt naturalem mentis aciem: " Intelligibilis vero, *inquit*, ipſius il„ luminationibus, in paſſionis & ma„ teriæ experte mente, participes facti, „ nec non conjunctionis ejus, quæ men„ tem excedit, in ſplendidiſſimorum ra„ diorum ignotis ac beatis immiſſionibus, „ atque in diviniore quadam imitatione „ ſupercœleſtium mentium. „

Origenes eidem ſubſcribit veritati lib. 1. de Principiis, c. 1. " Mens noſtra, *in„ quit*, ipſum per ſe Deum, ſicut eſt, „ non poteſt intueri. „

Epiphanius eſt ejuſdem labii, hæreſi 70. c. 7. " Deum videre eſt impoſſibile, *in„ quit*, præſertim naturæ hominis, ne„ que ei quod aſpectabile eſt, id quod vi„ deri omnino non poteſt, intueri licet: „ verum inviſibilis Deus pro ſua benigni„ tate ac potentia imbecillitatem vi ſua „ corroborare dignatus eſt, ut quod inviſi„ bile eſt, cerneret. „

Ambroſius alter eſt ejuſdem veritatis teſtis: enimvero Comment. in Lucam c. 1. ſic loquitur: " In poteſtate noſtra non eſt „ Deum videre, ſed in poteſtate illius eſt „ apparere. „

Auguſtinus Soliloq. c. 36. ait: " Quo„ niam apud te eſt fons vitæ, & in lumi„ ne tuo videbimus lumen; quale autem „ lumen? lumen immenſum, lumen in„ corporeum. „ Et l. 19. de Civ. Dei c. 25. „ Sicut non eſt a carne, ſed ſupra car„ nem, quod jam facit vivere, ſic non „ eſt ab anima, ſed ſupra animam, quod „ eam faciet beate vivere; quia ut vita „ carnis anima eſt, ita beata vita hominis „ Deus eſt. „ Et l. de peccatorum meritis c. 19. " Verumtamen ſi percepto baptiſ„ mate de hac vita emigraverit, ſoluto „ reatu, cui originaliter erat obnoxius, „ perficientur in illo lumine veritatis, quod „ incommutabiliter manens, in æternum „ juſtificatos præſentia Creatoris illumi„ nat. „

Cæteris accedit D. Thomas, qui ex profeſſo ſic concludit hic 1. p. q. 2. c. 4. " Cum divina, *inquit*, eſſentia ſit ſupra „ conditionem cujuſcumque creati intelle„ ctus, non poteſt intellectus creatus per ſua „ naturalia ipſam cognoſcere, ſed tantum „ per gratiam. „ Si igitur, ſecundum Dionyſium, Angeli indigent aliquo confortari lumine ad videndum Deum intuitive, ſi, ſecundum Epiphanium, Ambroſium, Auguſtinum & D. Thomam, indigeant & alii Beati, certum eſt animam viribus naturæ Deum intuitive videre non poſſe.

Quarto, *Ex ratione multiplici.*

PRIMA. Quod eſt ſupra naturam, non poteſt attingi per vires naturæ: atqui viſio Dei intuitiva eſt ſupra naturam; & probatur. Gratia eſt ſupra naturam: ſed hæc viſio eſt gratia, & quidem conſummata, juxta illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Igitur eſt ſupra naturam.

Secunda ſic proponitur. Quod eſt extra objectum connaturale facultatis, non poteſt naturæ conatibus pertingi: atqui Deus in ſe viſus eſt extra objectum connaturale intellectus creati, quandoquidem, teſte Apoſtolo, *lucem inhabitat inacceſſibilem*: ergo, &c.

Tertia. Media & finis ſunt ejuſdem ordinis: atqui media ad finem ſupernaturalem conſequendum ſunt ſupra naturam; hoc enim non ſemel definitum eſt in Conciliis contra Pelagianos adunatis: enimvero ſunt actus tum fidei, tum ſpei

& charitatis: igitur & a fortiori viſio Dei intuitiva omnium finis in immenſum excedit naturæ vires. Ergo, &c.

Quarta hæc eſt. Agentia cognoſcitiva alia ſunt in materia penitus immerſa, ut belluæ: alia independentia quidem a materia phyſica ut ſubſiſtant, non tamen ut operentur; tales ſunt homines: alia independenter quidem a materia phyſica, ſed non a metaphyſica agunt; ſic Angeli: licet enim ſint puri ſpiritus, componuntur tamen ex eſſentia & exiſtentia: alia denique a materia etiam metaphyſica ſunt immunia, ut Perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis: Deus enim eſt actus purus, & ſuum eſſe & exiſtere: igitur ſolus Deus per vires ſibi connaturales ſeſe poſſidet & cognoſcit, minime vero alia agentia: non quidem prima, Deum enim non poſſunt cognoſcere, cum circa materialia tantummodo verſentur: neque ſecunda viribus ſuis Deum attingere valent, ſiquidem a materia in operando dependent; unde niſi gratia confortentur & adjuventur, non poſſunt ita a materia phyſica abſtrahere, ut Deum ipſum intueantur; immo nec ipſi Angeli, quia materiæ metaphyſicæ concluduntur terminis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Dionyſius lib. de divinis nominibus cap. 4. ſic loquitur: " Angelus eſt ſpeculum purum, clariſſimum, ſuſcipiens totam, ſi fas eſt dicere, pulchritudinem Dei." Sed unumquodque videtur, dum videtur ejus ſpeculum: ergo cum Angelus ſe cognoſcat per ſua naturalia, etiam per ſua naturalia poteſt intuitive videre Deum.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: unumquodque per ſpeculum cognoſcitur, ſi ſpeculum ſit ejuſdem ordinis, concedo: ſi non ſit, nego. Duplex diſtinguitur ſpeculum Dei: aliud ipſi æquale & conſubſtantiale, & eſt Verbum Patris, ab Apoſtolo Hebr. 1. figura ſubſtantiæ paternæ, & viva imago nuncupatum: aliud vero inadæquatum & diminutum, & eſt creatura ſpiritualis, quæ quidem per ſua naturalia repræſentat Deum ut naturæ auctorem, per gratiam vero ut ejuſdem gratiæ largitorem. Hæc autem dicitur a Dionyſio perfectiſſimum ſpeculum comparative ad creaturas corporales, quippe quæ Deum perfectius exprimat; ſed non abſolute, cum nullo modo Deum adæquate repræſentare valeat. Ita D. Thom. hic quæſt. 12. art. 4. ad 1. ubi ad argumentum reſpondens, dicit Angelum ſe cognoſcendo, cognoſcere quidem Deum, ſed per ſimilitudinem tantummodo creatam, adeoque nec ſicuti eſt, nec intuitive.

Inſtabis. Deus eſt per ſe intelligibilis, ſiquidem eſt ipſa lux & veritas: igitur Angelus per ſua naturalia poteſt cognoſcere Deum, quandoquidem non opus eſt confortatione ad videndum lumen, eo quod ſit per ſe viſibile. Confirmatur. Angelus nullum habet defectum, ut ipſius impediat circa objectum operationem; ſiquidem, teſte Aug. l. 4. de Civit. Dei c. 27. ſolum peccatum mortale impedit ne Deum videamus.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus eſt per ſe intelligibilis reſpectu ſui, concedo: reſpectu noſtri, ſubdiſtinguo: ut auctor naturæ, concedo: ut auctor gratiæ, nego; lucem enim inhabitat inacceſſibilem. Solutio eſt D. Thom. ibidem art. 4. his verbis: " Impoſſibile eſt quod aliquis intellectus creatus per ſua naturalia eſſentiam Dei videat; cognitio enim contingit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente, cognitum autem eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis."

Ad confirmationem, diſtinguo. Angelus non habet defectum privativum ad cognoſcendum Deum, concedo: phyſicum & negativum, nego. Defectus privativus eſt a peccato, & reddit creaturam Dei viſione indignam; unde & dicitur defectus moralis: phyſicus ſeu negativus eſt incapacitas, quæ ineſt ſubjecto ad objectum excedens vires & ſupereminens. Ita D. Thomas ibidem ad ſecundum, his verbis: " Dicendum quod intellectus Angeli non habet defectum, ſi defectus accipiatur privative, ut ſcilicet careat eo quod habere debet. Si vero accipiatur negative, ſic quælibet creatura invenitur deficiens, Deo comparata, dum non habet illam excellentiam quæ invenitur in Deo." Ad auctoritatem Auguſtini, dico illum loqui de defectu morali, nec excludere phyſicum; unde niſi intellectus lumine gloriæ perfundatur, Deum intuitive videre nuſquam valebit, ut non ſemel dictum eſt ſupra.

Obji-

Digitized by Google

Objicies 2. Qnod eſt menti præſens, poteſt ab ipſa videri: ſed Deus eſt præſens animæ, etiam ſecuudum ſe & naturaliter ſumptæ: igitur poteſt videri ab ipſa ſecundum vires ejus innatas.

Reſpondeo diſtinguendo: quod eſt preſens naturaliter, & facie ad faciem, concedo: quod eſt ſolum præſens per immenſitatem, nego; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Deus eſt præſens animæ naturaliter ſumptæ ſolum per immenſitatem, ideſt, ut ens replens omnia, ut cauſans omnia: ut cognoſcens & conſervans omnia ſpecialiter vero ad beatificandam illam, tantummodo per lumen gloriæ.

Inſtabis. Deus iu ſe eſt objectum proportionatum intellectui creato: ergo anima per ſuas vires naturales poteſt videre intuitive Deum. Probatur antecedens: objectum intellectus eſt omne verum; ſed objectum eſt potentiæ proportionatum, alias non poſſet ullo modo ab ea attingi: ſic oculus corporeus per hanc rationem nequidem divinitus poteſt videre eſſentiam divinam: ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens: Deus enim in ſe tranſcendit totum naturæ ordinem. Ad probationem, diſtinguo: objectum proportionatum eſt omne verum naturale, concedo: omne ſupernaturale, nego; agitur autem impræſentiarum de vero ſupernaturali. Porro ut potentia non ſit fruſtranea, ſufficit ut illud mediante lumine gloriæ attingere queat. Sic licet anima in corpore concreta non poſſit videre Angelum, non ſequitur Angelum eſſe extra ſphæram illius objecti; poteſt enim illum videre ut eſt a corpore ſeparata.

Ad exemplum adductum, nego paritatem. quod enim oculus corporeus non poſſit abſolute videre eſſentiam divinam, non eſt ſolum quia eſſentia eſt objectum diſproportionatum, ſed quia eſt etiam diſparatum, & diverſi ordinis tam generice quam ſpecifice. Licet autem intellectus creatus non ſit ejuſdem ordinis ſpecifici cum eſſentia divina, ſiquidem eſt quid naturale; eſt tamen intra ordinem genericum, quandoquidem intellectus eſt & immaterialis, & ad quodcumque verum cognoſcendum idoneus; unde poteſt elevari, ut Deum mediante lumine gloriæ videat. Solutio eſt D. Thomæ hic a. 4. ad tertium.

Dices: Licet ſonus ſit ordinis naturalis, nequit tamen oculus corporeus elevari ad videndum ſonum: ergo ſi attendatur diſproportio, etiam intellectus creatus non poterit elevari ad videndum intuitive Deum; quod eſt eroneum: igitur ſicut non-obſtantie diſtantia poteſt elevari ad videndum intuitive Deum, ita poterit a pari, non obſtante diſproportione illum per vires naturales intueri.

Reſpondeo negando utique & iſtam paritatem. Ratio eſt quia oculus in materia totaliter immerſus eſt, igitur & ad unum ſingulare determinatus, unde videre ſonum nullo modo poteſt: at vero intellectus eſt univerſalium, ſiquidem eſt ſecundum ſe immaterialis; hinc omne verum attingere poteſt, naturale quidem viribus innatis, ſupernaturale vero viribus gratiæ adjutus. Solutio eſt Divi Thomæ, qui ibidem ad 3. ſic loquitur: “ Senſus „ viſus, quia omnino materialis eſt, nullo „ modo elevari poteſt ad aliquid imma„ teriale; ſed intellectus noſter vel An„ gelicus, quia ſecundum naturam a ma„ teria aliqualiter elevatus eſt, poteſt ul„ tra ſuam naturam per gratiam ad aliquid „ altius elevari; & hujus ſignum eſt quia „ viſus nullo modo poteſt in abſtractione „ cognoſcere id quod in concretione co„ gnoſcit: nullo enim modo poteſt per„ cipere naturam, niſi ut hanc; ſed intel„ lectus noſter poteſt in abſtractione con„ ſiderare quod in concretione cognoſcit. „

Objicies 3. Intellectus ſufficienter cenſetur elevatus per gratiam ſanctificantem quæ reſidet in anima, & per concurſum ſimultaneum; igitur non requiritur aliud auxilium præter vires naturales.

Reſpondeo 1. quæſtionem procedere de intellectu in ſe relicto, adeoque abſque ulla gratia tum ſanctificante, tum etiam abſque gratia extrinſeca, qualis eſt concurſus ſupernaturalis.

Reſpondeo diſtinguendo. Intellectus ſufficienter elevatur radicaliter per gratiam ſanctificantem, concedo: formaliter, nego: hoc enim habet tantummodo per lumen gloriæ, juxta illud Pſal. 35. v. 10. *& in lumine tuo videbimus lumen*. Neque ad hoc ſufficit concurſus ſimultaneus; cum enim ſit extrinſecus, & ſe teneat ex parte effectus producendi, manet potentia immediate & formaliter impotens, utpote non proportionata.

Objicies 4. Homo per vires naturales ſuum

ſuum poteſt comparare finem: atqui Deus intuitive viſus, eſt finis illius: igitur homo poteſt per vires innatas Deum intuitive videre. Major patet; alias homo foret ipſis belluis in conditione deterior, quandoquidem ipſæ per conatum naturæ ſuum aſſequuntur finem. Minor eſt utique Divi Thomæ: nam 3. contra Gentes c. 50. varias affert rationes, quibus probat hanc viſionem eſſe poſſibilem: tum quia etiam homo habet appetitum naturalem ad viſionem Dei, qui quidem appetitus non eſt fruſtraneus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Homo viribus innatis poteſt acquirere finem naturalem, concedo; unde non eſt in conditione belluis deterior, ſed potius excellentior, quandoquidem nobiliorem aſſequitur finem. Homo viribus naturæ poteſt attingere finem ſupernaturalem, nego. Similiter diſtinguo minorem: Deus intuitive viſus eſt finis ſupernaturalis, concedo: naturalis, nego. Deus ut auctor naturæ eſt finis naturalis ad quem homo naturalem habet appetitum, qui certe non eſt fruſtraneus, quandoquidem inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicimus. Porro quando D. Thomas ratione probat viſionem Dei eſſe poſſibilem, vel loquitur tantummodo de viſione Dei abſtractiva, & per creaturas comparata: vel ſi de intuitiva, hanc ſolum probat poſſibilem conjecturaliter: ſimili modo probat generationem Verbi eſſe poſſibilem ex iſto principio, omne intelligens producit verbum. Quæ quidem probatio, tametſi ſolum conjecturalis, ſufficiebat tamen, ut Gentilibus oſtenderet noſtra non repugnare myſteria.

Inſtabis. Angelus cognoſcendo oculum corporeum, cognoſcit naturaliter illum poſſe attingere omne coloratum; igitur & a ſimili cognoſcendo potentiam hominis intellectivam, cognoſcit utique eam poſſe attingere omne verum, adeoque & Deum ut gratiæ auctorem: maxime vero quia cognoſcit intellectum non ſe habere mere paſſive reſpectu viſionis beatificæ.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio eſt, quia omne coloratum eſt ordinis naturalis; unde cum Angelus non ſolum cognoſcat, ſed & comprehendat oculum corporalem, cognoſcit conſequenter omne coloratum poſſe ab eo attingi: at vero Deus intuitive viſus eſt ſupernaturalis veritas, unde neque Angelus ſine gratia cognoſcere poteſt intellectum humanum videre Deum, neque intellectus creatus abſque lumine gloriæ Deum intuitive videre poteſt. Ad probationem, diſtinguo: intellectus elevatus non ſe habet mere paſſive reſpectu viſionis gloriæ, concedo: non elevatus, nego. Igitur Angelus ipſe abſque elevatione intellectum humanum active ſe habere reſpectu viſionis beatificæ, cognoſcere non valet propter rationem allatam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Intellectus creatus non poteſt viribus naturæ intuitive videre Deum.

PRIMO: Quia Deus ut auctor gratiæ omnem naturæ ordinem tranſcendit.

Secundo: Quia media ad videndum intuitive Deum ſunt ſupernaturalia.

Tertio: Omnis intellectus creatus eſt in materia ſaltem metaphyſica concretus; unde ſine gratia actum purum in ſe intueri non valet.

SYNOPSIS OBJECTIONUM. ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Angelus cognoſcit quidem divinitatis ſpeculum viribus naturæ, ſed hoc intelligitur de ſpeculo Dei ut auctoris naturæ.

Secundo. Intellectus elevatur quidem per gratiam & concurſum ſimultaneum, ſed tantummodo radicaliter per illam, & ſolum extrinſece per iſtum: unde præter iſta, opus habet lumine gloriæ ad videndum intuitive Deum.

Tertio. Hominem habere appetitum naturalem ad Deum ut auctorem naturæ, ultro fatemur, ſed non ad Deum ut gratiæ auctorem: unde intellectus creatus ſine auxilio ſupernaturali Deum intuitive videre non poteſt.

AR-

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Viſio Beatifica ſit debita homini ſecundum ſe conſiderato, aut ſaltem eſſe poſſit.

BECUARDI & Beguinæ Dei viſionem naturæ humanæ propter ſuam ſuper bellnas excellentiam & elevationem, debitam eſſe exiſtimabant. Quidam etiam inter Theologos ſtatus puræ naturæ poſſibilitatem, ex quo eruimus gratiæ gratuitatem, & conſequenter viſionis beatificæ, abnegare audent. Certum aſt viſionem beatificam eſſe juſto homini propter ipſius merita debitam, & hoc ex Dei miſerentis promiſſione: ſed difficultas eſt an ſit homini ſecundum ſe ſpectato debita, ut volebant Beguardi: contra quos ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Viſio beatifica eſt homini ſecundum ſe conſiderato indebita.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Pſal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; ideſt, Deus ſolus eſt cauſa gloriæ: igitur nulli debetur creaturæ. Et iterum Pſal. 38. v. 7. *tanquam nihilum ante te*. Senſus eſt: homo habet ex ſe ſolummodo nihilum naturæ & gratiæ. Succinit Iſaias c. 64. v. 6. *quaſi pannus menſtruatæ, univerſæ juſtitiæ noſtræ*, inquit.

Adſtipulatur Apoſtolus Rom. 11. v. 6. *Si autem ex gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia*. Et primæ Corinth. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ibidem c. 15. v. 10. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Item 2. Corinth. 6. v. 1. *Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Ibidem c. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis Angelus Satanæ, qui me colaphizet; propter quod Dominum ter rogavi ut diſcederet a me, & dixit mibi: Sufficit tibi gratia mea*. Et iterum Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt*. Ex his omnibus multa eruuntur argumenta, quibus gratuitas gratiæ, & conſequenter viſionis beatificæ, quæ eſt gratia conſummata, comprobatur.

Quod eſt Deo proprium & connaturale, non poteſt eſſe homini debitum: atqui ex Scriptura, gloria eſt quid ſoli Deo proprium. Primo, quia Deus eſt ens a ſe, ex quo omnia bona connaturaliter fluunt. Secundo, ſolus excelſus ſuper omnes Gentes. Tertio, ſolus purus & ſanctus per eſſentiam; juſtitiæ vero hominum velut pannus menſtruatæ, inquit Iſaias. Quarto, gratia eſt donum: igitur & gloria, quandoquidem media & finis ejuſdem ſunt ordinis: unde ſi gratia eſt indebita, a fortiori finis, ſeu gloria. Probatur nunc antecedens, videlicet gratiam eſſe prorſus indebitam. Et vero ſi eſſet debita, jam non foret gratia, immo illam orationibus expoſtulare Paulus edocet: porro quod debitum eſt, precibus non petitur, inquit Auguſtinus. Quinto, nemo ſeſe diſcernere poteſt, nec aliquod bonum conducens ad vitam eternam ſe ſolo facere: igitur ſicut gratia eſt indebita, ita & gloria. Poſtremo, gratis ſalvati ſumus; igitur viſio beatifica non eſt homini in ſe relicto debita.

Secundo, *Ex Conciliis, & ſummis Pontificibus.*

OMNIA Concilia adunata contra Pelagianos, v. g. Dioſpolitanum, Milevitanum, Romanum, definierunt gratiam neque eſſe homini debitam, neque hominem ex ſe poſſe aliquid bonum ad vitam æternam conducens operari. Idem definierunt Innocentius I. & Zoſimus. Igitur & gratia & viſio beatifica non debentur homini in ſe relicto. Hoc expreſſe definivit Concilium generale Viennenſe; hoc Clemens V. Clementina *Ad noſtrum. De Hæreticis*. Contra Beguardos.

Tertio, *Ex S. Auguſtino.*

S. DOCTOR Serm. 61. de verbis Domini, ait: " Gratia quippe Dei donum „ eſt. Donum autem maximum Spiritus

„ ſanctus eſt, & ideo gratia dicitur, quia
„ gratis datur: ideo gratis datur, quia
„ non quaſi merces redditur poſt diſcuſ-
„ ſionem meritorum, ſed donum datur
„ poſt veniam delictorum. „ Rurſus Epiſt.
109. ad Bonifacium: Natura humana,
„ etiamſi in illa integritate in qua con-
„ dita eſt, permaneret, nullo modo ſei-
„ pſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſer-
„ varet. „ Et iterum Serm. 1. de verbis
Apoſtoli, ait: " Juſtificati gratis per ſan-
„ guinem ipſius, quia gratis, ideo gratia;
„ quia nihil boni feceramus, ut inde ta-
„ lia bona mereremur magis quam non
„ gratis inferretur ſupplicium. „ Et
adhuc lib. de vera innocentia c. 297.
" Si debetur, *inquit*, merces bonis
„ operibus, ſi fiant, ſed gratia quæ
„ non debetur, præcedit ut fiant. „ Un-
„ de ſic argumentor ex Aug. Gratia gra-
tis datur: igitur non debetur homini ſecundum ſe ſpectato viſio beatifica, quia non datur, *inquit*, niſi bonis operibus; non dantur autem bona opera, niſi præcedat gratia quæ gratis datur. Ex eodem, nequidem innocens homo potuiſſet abſque Dei auxilio ſeſe in juſtitia conſervare, Ergo, &c. Mitto alias ſanctorum Doctorum rationes, Hilarii ſcilicet, Proſperi & D. Thomæ, qui omnes una voce & uno veluti calamo probant gratiæ gratuitatem.

Quarto, *Ex ratione multiplici*.

PRIMA. Quod dependet ex pura Dei voluntate & liberalitate, non eſt debitum: ſed elevatio hominis ad finem ſupernaturalem; ſed gratia quæ eſt cauſa viſionis; ſed ipſa viſio Dei intuitiva dependent ex pura Dei voluntate & liberalitate: igitur viſio beatifica nequit eſſe debita homini ſecundum ſe ſine gratia & bonis operibus conſiderato. Major patet. Probatur minor multipliciter: 1. ex ſummis Pontificibus, Pio V. Gregorio XIII. qui hanc damnarunt Baii propoſitionem: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio* 2. Ex Auguſtino, qui lib. 3. de libero arbitrio c. 22. ſic loquitur contra Pelagianos, qui dicebant regnum cœlorum deberi hominibus quos ſine peccato eſſe eſſutiebant: " Ignorantia & diffi-
„ cultas, etiamſi eſſent hominis primordia
„ naturalia; nec ſic culpandus Deus, ſed
„ laudandus eſſet. „ Quibus verbis docet liberum fuiſſe Deo abſque ſanctitatis læſione condere hominem in ſtatu naturæ puræ, & ſine elevatione ad finem ſupernaturalem. Ratio eſt, quia homo ſecundum ſe ſpectatus, & ut pars univerſi, eſt ſicuti ſunt cæteræ creaturæ, ideſt ordinis naturalis, cui conſequenter debetur finis duntaxat naturalis, qui in cognitione Dei abſtractiva potiſſimum ſitus eſt. Ergo elevatio, ergo gratia, & viſio beatifica non ſunt homini debitæ, ſed ex ſumma & ineffabili Dei miſericordia promanant.

Secunda ſic ſe habet. Viſio eſt hæreditas filiis adoptivis promiſſa: ſed filii adoptivi ex ſe non habent jus ad hæreditatem: ergo, &c.

Tertia. Viſio beatifica eſt præmium & corona: ſed ſi foret debita homini in ſe ſpectato, jam non eſſet præmium & merces, juxta illud Auguſtini axioma: Merces non imputatur, cui ex jure naturali debetur: ergo, &c.

Quarta. Viſio intuitiva eſt ſupra naturam, quandoquidem, teſte Apoſtolo, Deus inhabitat lucem inacceſſibilem: ſed quod eſt ſupra naturam, eſt prorſus indebitum: ergo, &c.

Quinta & ultima ſic delineatur. Viſio eſt matrimonium myſticum animæ cum Deo, juxta illud Oſee 2. c. 2. v. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*: ſed liberum eſt ſponſo aſſumere & eligere ſponſam: ergo & Deo dare viſionem beatificam, &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Non eſt poſſibilis ſubſtantia creata intrinſece ſupernaturalis, cui connaturaliter debeantur gratia & gloria.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra*.

HABETUR Iſaiæ 48. v. 11. *Gloriam meam alteri non dabo*. Rurſus Deuteronomii 32. v. 39. *Videte quod ſim ſolus*. Et Pſal. 112. v. 4. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus*. Et iterum Exod. 8. *Ego ſum qui ſum*. Ex quibus

illud

Digitized by Google

illud conficitur argumentum : Si eſſet creatura, cui deberetur naturaliter gratia & gloria ; hæc dona non eſſent Deo propria ; quinimmo velut incaſſum gloriaretur dicendo : *Ego ſum qui ſum* ; quandoquidem creatura ab ipſo foret in beatitudine independens : hinc & cum Lucifero adulando ſibi diceret : *Nullius indigeo, ſuper aſtra aſcendam, ſimilis ero Altiſſimo*. Sed hæc omnia manifeſtam declarant & contradictionem & blaſphemiam. Ergo, &c.

Secundo, *Ex Patribus*.

PRIMUS occurrit *Dionyſius Alexandrinus*, qui l. 1. in Joannem ſic loquitur : " Creata quippe & ſerva natura ad res ſupernaturales vocatur ſolo nutu ac voluntate Patris. "

Fulgentius alter eſt veritatis iſtius teſtis, l. de fide ad Petrum c. 3. ubi ſic loquitur : " Deus, quia ſumme bonus eſt, dedit omnibus naturis quas fecit, ut bonæ ſint, non tamen tantum bonæ quantum Creator omnium bonorum, qui non ſolum ſumme bonus eſt, ſed etiam ſummum atque incommutabile bonum. "

Gregorius l. 5. Moralium c. 25. " Omnis quippe creatura, *inquit*, quia ex nihilo facta eſt, & per ſemetipſam ad nihilum tendit, non ſtare habet, ſed defluere. "

D. Thomas hic 1. p. q. 12. a. 1. ad 3. probat concluſionem his verbis : " Diſpoſitio ad formam ignis non poteſt eſſe naturalis niſi habenti formam ignis ; unde lumen gloriæ non poteſt eſſe creaturæ naturale, niſi creatura eſſet naturæ divinæ, quod eſt impoſſibile. " Quibus poſitis, ſequitur iſtud ratiocinium: quod ex puro Dei nutu dependet, non poteſt eſſe creaturis connaturale : atqui gratia & gloria ex puro Dei placito dependent, juxta illud Scripturæ : *Gratiam & gloriam dabit Dominus* : igitur non poſſunt eſſe creaturæ connaturales, maxime vero quia ex Fulgentio Deus dat ſua bona ad menſuram ; ex Gregorio, creatura tendit ex ſe ad nihilum, & ex D. Th. nullus poteſt habere diſpoſitionem ad gratiam, niſi ab ipſa gratia actuali, & Deo donante. Ergo, &c.

Tertio, *Ratione*.

IMPOSSIBILIS eſt creatura quæ ſit ejuſdem cum Deo immaterialitatis, quæ ſit ex natura ſua ſancta & impeccabilis ; etenim quod eſt ex nihilo, de ſe tendit & proprio pondere ad defectum : ſed ſi daretur ſubſtantia creata intrinſece ſupernaturalis, eſſet hæc omnia, &c. Probatur minor. 1. Eſſet ejuſdem immaterialitatis cum Deo, cum Deus in ſe viſus eſſet ipſius connaturale objectum : potentia autem eſt ejuſdem immaterialitatis cum ſuo primario & connaturali objecto, utpote ejuſdem cum ipſo ordinis. 2. Foret etiam ex ſua natura ſancta ; ſanctitas enim eſt a gratia : gratia autem ab illa creatura naturaliter promanaret. Idem dicendum de impeccabilitate, quæ eſt gratiæ proprietas : igitur ſi daretur ſubſtantia creata intrinſece ſupernaturalis, foret ejuſdem immaterialitatis cum Deo, eſſet eſſentialiter & intrinſece ſancta & impeccabilis; immo inde ſequeretur quod nihil foret ſupernaturale, quia nihil exiſteret ſupra naturam, ſed cuncta ab ea profluerent.

Solvuntur objectiones contra primam Concluſionem militantes.

OBJICIES 1. Gen. 1. v. 7. homo dicitur factus ad Dei imaginem : ſed omnes prototypi dotes debentur imagini : igitur gratia & gloria debentur homini.

Reſpondeo diſtinguendo majorem : homo eſt ad imaginem Dei formatus, analogice, concedo : univoce, nego. Imago duplex diſtinguitur ; una analoga, univoca altera. Analoga participat ſolum in aliqua linea prototypi perfectiones ; univoca vero habet & perfectiones, & ipſam prototypi naturam. Homo dicitur quidem imago Dei ſecundum memoriam, ſecundum intellectum & voluntatem : nobiliori vero modo per gratiam : ſed utroque modo diminute : primo quidem modo ex natura rei, ſed ſecundo per miſericordiam : unde nec in ordine ſupernaturali, abſque ſumma in eum miſericordia, eſt imago Dei viva. Ita colligitur ex Aug. qui ſerm. de Imagine in principio ſic loquitur : " Quæ ima-

,, imago diligentius ex interioris hominis
,, nobilitate conſideranda eſt: 1. ſiquidem
,, ut ſicuti eſt unus ſemper, ubique to-
,, tus (*ſcilicet Deus*) & omnia vivificans,
,, movens & gubernans, ſicut Apoſto-
,, lus confirmat, quod in eo vivimus, mo-
,, vemur & ſumus: ſic anima in ſuo
,, corpore ubique tota viget, vivificans
,, illud, movens & gubernans. Eſt
,, quoque & alia ſimilitudo Trinitatis
,, in ea qua ad imaginem ſui condi-
,, toris, perfectæ quidem & ſummæ
,, Trinitatis quæ eſt in Patre, & Fi-
,, lio, & Spiritu ſancto, condita eſt:
,, & licet unius ſit illa naturæ, tres ta-
,, men in ſe dignitates habet, ideſt,
,, intellectum, voluntatem & memoriam,
,, &c.

Objicies 2. Auguſtinus loquens de Deo creatore, ait: " Erat condens naturam, ,, & largiens gratiam. ,, Igitur gratia fuit homini debita. Confirmatur. Adamus in juſtitia perſeverans, ad poſteros tranſmiſiſſet juſtitiam originalem, ita ut filii naſcentes, utique & cum gratia fuiſſent nati: ſed quod eſt a nativitate, debitum cenſetur naturæ. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus erat largiens gratiam miſericorditer, concedo: ex debito, nego: ita Aug. in omnibus contra Pelagianos operibus: igitur gratia fuiſſet miſericordiæ, & non naturæ donum.

Ad confirmationem, diſtinguo. Poſteri Adæ nati fuiſſent cum gratia ex miſericordia quæ voluiſſet gratiam hominis innocentis transfundi ad filios, concedo: ex debito naturæ, nego. Natura humana eſt perfecta eo ipſo quo habet omnes facultates naturales, & poteſt ſuum naturalem aſſequi propriis viribus finem: homo in puris conditus, potuiſſet hæc omnia. Gratia igitur non fuiſſet debita filiis Adæ, ipſo perſeverante in innocentia, niſi ex pacto Dei qui promiſerat hoc privilegium innocentiæ primi parentis.

Inſtabis. S. Auguſtinus Enchiridii c. 11. ſic habet: " Nihil aliud eſſet malum, ,, quam naturalium privatio bonorum. ,, Loquitur de peccato originali quod hominem gratia & donis ſpoliavit: ſed illa vocat bona naturalia: ergo gratia eſt debita & connaturalis.

Reſpondeo diſtinguendo: & ibi Aug. illud vocabulum, *naturalium*, ſumit pro eo quod habetur ab ortu & nativitate, concedo: pro eo quod eſt debitum, nego. Cum igitur Adam omnium bonorum in creatione habuerit ſupellectilem, merito Auguſtinus vocat peccatum, naturalium privationem bouorum, ideſt bonorum quæ Adamus in creatione habuerat.

Oppones 3. Perfecta ſunt Dei opera: atqui ſine gratia homo non eſſet perfectus: igitur gratia eſt homini debita.

Reſpondeo diſtinguendo: perfecta ſunt in ſua linea ſuoque ordine, concedo: perfecta ſunt, ideſt, perfectiones naturam excedentes habere debent, nego. Homo in ſua linea & in ratione hominis eſt perfectus, nec profecto eſt alius homo ſpecifice perfectior eminentiorve: igitur gratia nullo modo illi debita eſt, nec niſi miſericorditer datur.

Inſtabis. Omnipotentiam & ſapientiam Dei decet, hominem in omni linea perfectum condere: igitur ſuppoſita hominis creatione, gratia illi debita cenſeuda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo: decet ex miſericordia, concedo: ex debito, nego. Cæterum Dei attributa ſufficienter in creatione hominis collucent, puta bonitas, amor, & omnipotentia.

DICES. Saltem ſuppoſita hominis elevatione ad finem ſupernaturalem, debita eſt illi gratia: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt debita ex miſericordia & Chriſti meritis, immo & ipſa elevatio eſt magnum & pretioſum miſericordiæ argumenuum, concedo: debita eſt ex juſtitia, nego.

Rurſus inſtabis. Ex D. Th. 1. 2. q. 109. art. 6. facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam: unde q. 14. de veritate, c. 11. ad primum aſſerit Deum independenter a noſtris meritis conferre nobis media ad ſalutem conducentia. Ergo gratia eſt debita, ſaltem ſuppoſita elevatione.

Reſpondeo diſtinguendo: Facienti quod in ſe eſt viribus gratiæ actualis Deus non denegat gratiam ſanctificantem, concedo: viribus naturæ, nego. Ita definiere Concilia contra Pelagianos adunata, & eſt genuinus Divi Thomæ ſenſus. Ultro etiam cum eodem S. Doctore concedimus Deum nobis dare media ſuf-

fi-

ficentia ad ſalutem, ſed propter dilecti Filii ſui merita, nuſquam vero ex naturæ debito.

Diluuntur objectiones quæ contra ſecundam Concluſionem proponuntur.

OBJICIES 1. Natura Dei per gratiam ſanctificantem homini communicatur in ordine accidentali: igitur & poteſt in ordine ſubſtantiali exhiberi.

Reſpondeo negando paritatem: Etenim communicatio per gratiam eſt ſolum communicatio ſecundum quid, communicatio analoga & diminuta; ſed altera foret univoca, quia ſubſtantialis eſſet; unde creatura ex ratione eſſentiali & intrinſeca haberet omnia dona, immo & reſpiceret Deum in ſe, quod convenit ſolum Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis.

Inſtabis. Verbum ſubſtantialiter communicatur Humanitati, ita ut Chriſtus ſit vere Deus: igitur Deus poteſt communicari creaturæ ita ſpecialiter, ut homo ſit ſubſtantia ſupernaturalis.

Reſpondeo negando paritatem, propter duo: 1. Verbum ſolummodo terminat Humanitatem, ſupplendo vices ſubſiſtentiæ creatæ, quæ eſt quid incompletum ſecundum ſe; at vero Deus deberet dare & communicare totam ſuam ſubſtantiam formaliter ut completam, ſicut communicat ſuo Filio, quia creatura illa deberet eſſe ſubſtantialiter ſupernaturalis, ſcilicet tam ſecundum naturam, quam ſecundum ſubſiſtentia. 2. Alia eſt diſparitas: Chriſtus quippe non eſt Deus ſecundum naturam humanam, ſed per unionem Verbi cum Humanitate; creatura autem ſubſtantialiter ſupernaturalis, foret Deus per eſſentiam & ſecundum ſuam naturam, quandoquidem ab ea fluerent ut a fonte connaturali & primævo, omnia attributa Deo eſſentialia.

Urgebis. Proprietas ſuperioris poteſt univoce communicari inferiori; ſic lux ſolis communicatur lunæ, & tamen luna non eſt ſol: ergo licet Deus ſuas communicaret perfectiones ſpecificas creaturæ, ipſa non ideo foret Deus.

Reſpondeo negando antecedens: alias non eſſet eſſentiarum diſtinctio, ſed confuſio; conſtitutivum rei eſt ſimul diſtinctivum, adeoque incommunicabile univoce. Ad exemplum, nego lucem ſolis communicari univoce lunæ, lux quippe ſolis non eſt quæcumque lux, ſed lux cum tali & tali virtute quam habet ut fluit a tali natura. Per reflexionem quidem apparet in luna, ſed certe aliam & nobiliorem, & efficaciorem virtutem habet in ſole; defert enim radius ad ſodinas virtutem ſolis, & ibi producit aurum, quod lux non facit in luna. Præterea lux ſolis non eſt intrinſece in luna, quæ de ſe eſt corpus opacum; ſed ſolum ſuper eam ſuos reflectit ſeu emittit radios.

Inſiſtes, Non requireretur ut illa ſubſtantia ſupernaturalis eſſet ejuſdem immaterialitatis cum Deo: ergo ruit præcipuum inconveniens ad negandam ipſius poſſibilitatem. Probatur antecedens. Angelus inferior non eſt ejuſdem immaterialitatis cum Angelo ſuperiori, & tamen illum cognoſcit. Ergo a pari, ut creatura eſſet ſubſtantialiter ſupernaturalis, non requireretur eam eſſe ejuſdem immaterialitatis cum Deo.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, nego paritatem, propter duo. 1. Quia Angelus inferior eſt ſubſtantialiter in eadem linea cum ſuperiori; eſt enim purus ſpiritus, & forma per ſe ſubſiſtens: creatura vero ex ratione creaturæ eſt ſubſtantia eſſentialiter Deo inferior: igitur in hypotheſi illa creatura non eſſet creatura. 2. Angelus inferior eſt ejuſdem immaterialitatis univoce generice cum ſuperiori, licet non ſpecifice, quia eſt ex natura ſua purus ſpiritus, unde poteſt cognoſcere Angelum ſuperiorem per ſua naturalia: ſed creatura ex ſe non poteſt eſſe univoce ejuſdem immaterialitatis cum Deo, niſi ſit Deus; ſi enim eſt ens ab alio, jam non poteſt per ſe & connaturaliter cognoſcere ens infinitum in ſe, ens irreceptum & incircumſcriptum.

Oppones. Poteſt creari intellectus, ex quo fluat connaturaliter lumen gloriæ: ergo & poteſt dari ſubſtantia creata, cui gratia ſit & debita, & connaturalis. Probatur antecedens: intellectus creatus potentiam habet obedientialem, qua ſubditur omni impreſſioni agentis infiniti, licet id quod operatur illud agens, ſit ſupra naturæ vires: igitur virtute illius agentis poterit lumen gloriæ connaturaliter ab intellectu humano profluere. Confirmatur. Dantur accidentia ſupernaturalia, ſcilicet fides, ſpes & charitas,

Digitized by Google

tas, quæ connaturaliter ad gratiam ſanctificantem conſequuntur. Ergo a pari accidens ſupernaturale poteſt ab alio accidente connaturaliter promanare, proindeque lumen gloriæ ab intellectu creato.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: intellectus creatus habet potentiam obedientialem paſſivam, concedo: activam & immediatam, nego. Prior importat dependentiam ab agente ſupernaturali cui talis creatura ſubjicitur, unde mere paſſive ſe habet; recipit quidem cauſæ ſuperioris impreſſionem, ſed non agit, nec fit potentia activa quæ virtute innata actum producit. Si ergo foret activa, profecto & gratia & lumen gloriæ a natura velut a primigenio fonte fluerent, quod eſt impoſſibile. Eſto quod accidentia ſupernaturalia, puta charitas, dona Spiritus ſancti, a gratia ſanctificante promanent; ſed gratia eſt ejuſdem ordinis cum eis, non implicat igitur ea dona ad eam ſequi, ut proprietates ad eſſentiam. Unum tamen annotes velim, gratiam non eſſe cauſam donorum productivam, ſed activam. Non eodem modo de lumine gloriæ philoſophandum eſt, in hypotheſi quidem quod gratia eſſet debita, lumen gloriæ a natura connaturaliter promanaret.

Inſtabis. Intellectus divinus poteſt ſe communicare in ordine ſupernaturali, ſicut de facto ſe communicat in ordine naturali abſque eo quod creatura ſit Deus; & probatur: iſta communicatio eſſet finita, immo & a Deo emendicata: igitur creatura in hypotheſi non foret Deus.

Reſpondeo diſtinguendo: intellectus divinus poteſt ſe communicare per gratiam in ordine ſupernaturali, concedo: ſine gratia, nego: immo hoc implicat; ſi enim communicaret quid ſupernaturale, jam illud ſupernaturale non foret naturale. Ad probationem, diſtinguo: communicatio eſſet finita in ſe; hoc enim potius ſupponitur quam probatur, concedo: eſſet finita in principio, nego. Lumen gloriæ habet pro cauſa principali & connaturali ſolum Deum, propter rationes in probationibus allatas.

Repones. Accidentia ſupernaturalia connaturaliter ſubjectantur in intellectu: ergo lumen gloriæ poteſt ab ipſo connaturaliter fluere.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ideſt, inhærent, concedo: ideſt, ſunt in ſubjecto ſibi connaturali, ſubdiſtinguo: ſuppoſita & prævia potentiæ elevatione, concedo: non ſuppoſita, nego. Duo potiſſimum conveniunt accidenti ſupernaturali; primum quidem, inhærere; alterum vero, eſſe in connaturali ſubjecto: inhærere, tribuitur eis quatenus accidentia ſunt: eſſe in ſubjecto, quatenus ſunt formæ. Igitur intellectus eſt ſubjectum connaturale ejuſmodi accidentium ratione gratiæ per quam elevatur; alias tale non foret, quandoquidem neque habitudinem, neque proportionem ullam cum eis haberet. Sed dato, & non conceſſo intellectum poſſe recipere accidens ſupernaturale, non inde ſequitur fore cauſam ipſius effectivam principalem. Eſto, quod ad primum ſufficeret potentia obedientialis, non certe ad ſecundum; cauſam quippe ſuum præcontinere effectum opus eſt; nemo enim dat quod non habet. Igitur ab intellectu nonniſi elevato lumen gloriæ fluere poteſt.

Iterum Inſtabis. Res ſpiritualis tam diſtat a corporea, quam naturalis a ſupernaturali: ſed hoc non obſtante, anima eſt forma corporis: ergo a ſimili, intellectus poterit eſſe cauſa naturalis luminis gloriæ: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: res ſpiritalis tam diſtat a corporea, quam ſupernaturalis a naturali in ratione entis, concedo: in ratione habitudinis, nego; falſum eſt enim quod tam diſtet in ratione habitudinis; immo res corporea ſe habet ad ſpiritualem ut perfectibile ad ſuum perfectivum; & poteſt, immo exigit ab ea perfici, maxime cum anima ſit quid incompletum: igitur exigit uniri corpori ut ſuæ comparti: ſed implicat effectum intrinſece ſupernaturalem fluere a cauſa naturali.

DICES. Licet lumen gloriæ flueret connaturaliter ab intellectu, non inde ſequeretur intellectum eſſe infinitum: igitur nulla eſt in hoc implicantia. Probatur antecedens. Homo ut ens naturale, participat Creatoris attributa, quæ ſunt infinita, ipſe tamen manet ſemper finitus, ergo a pari, &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo. Homo attributa Dei participat, puta bonitatem, ſapientiam, &c. accidentaliter, concedo: ſubſtantia-

tialiter, nego: unde non eſt paritas. Enimvero cum homo participet Creatoris perfectiones ſolum accidentaliter, participat finito modo, & ideo creatura in ſuo ſemper remanet ordine. At vero ut creatura ſit ſubſtantia ſupernaturalis, duo requiruntur; 1. ut habeat perfectiones ſpecificas & Deo eſſentiales, nempe eſſe ens a quo omnia fluunt; 2. illas debet habere ſubſtantialiter, ita ut viſio beatifica in ipſa ſit ipſum ſuum ens, ſicut in Deo eſt ipſe Deus, quod eſt impoſſibile.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Non poteſt de potentia abſoluta dari creatura, quæ ſit ſubſtantialiter ſupernaturalis.

PRIMO, Quia ſolus Deus dat gratiam; unde & ipſi ſoli propria & connaturalis eſſe poteſt.

Secundo, Quia ipſe Deus per os Moyſis ait: *Gloriam meam alteri non dabo*; quæ quidem verba hunc præ ſe ferunt ſenſum: nullum ens præter Deum, eſt aut eſſe poteſt ſubſtantialiter ſupernaturale.

Tertio, Quia in hypotheſi creatura foret ipſe Deus, ſiquidem gratia ab ea connaturaliter emanaret.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Verbum quidem unitur hypoſtatice Humanitati ſanctæ, ſed ſolum terminando: unde licet Chriſtus ſit Deus, non tamen Chriſti Humanitas.

Secundo. Eſſentia divina etiam unitur in gloria menti Beatorum per modum ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, ſed objective tantum & in eſſe intentionali; unde non ſequitur Beatos per hanc unionem eſſe ſubſtantialiter ſanctos, ſed tantummodo accidentaliter.

Tertio. Attributa Dei, puta ſapientia, potentia, immo & gratia, communicantur juſto, ſed non ſubſtantialiter, verum potius ſolum accidentaliter; & ideo juſtus totum hunc ſublimem ſtatum habet ab extrinſeco.

Diximus etiam gratiam & gloriam eſſe homini in ſe relicto indebitam, ſiquidem Deus non tenebatur hominem condere ad finem ſupernaturalem: plura de hoc momento dicemus in Tractatu de Gratia.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Beati videant Deum comprehenſive.

COMPREHENSIO ſumitur dupliciter, late ſcilicet & ſtricte. Late dicit aſſecutionem objecti: ſtricte dicit cognitionem objecti ex omni parte adæquatam, ita ut cognoſcatur quantum eſt cognoſcibile, tam extenſive & ſecundum id omne quod poteſt, quam intenſive & ſecundum id omne quod eſt. De comprehenſione iſto modo ſumpta impræſentiarum agimus. Anomæi putabant tantam ſe habere de Deo cognitionem, quantam Deus habet de ſe ipſo; contra quos ſit.

CONCLUSIO.

Deus eſt incomprehenſibilis abſolute a creatura.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

HABETUR Job 9. v. 10. *Qui magna facit & incomprehenſibilia*. Ibidem cap. 11. v. 7. *Forſitan veſtigia Dei comprehendis, & uſque ad perfectum Omnipotentem reperis?* Item Pſalm. 8. v. 2. *Magnificentia tua ſuper cælos*. Rurſus Pſ. 47. v. 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*. En Pſalm. 146. v. 5. *Sapientia ejus non eſt numerus*. Jeremiæ 32. v. 19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*. Unde Eccleſiaſtici 33. v. 34. dicitur: *Ne laboretis, non enim comprehendetis*. Denique Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

Ex his omnibus iſtud eruitur argumentum. Qui facit incomprehenſibilia, qui vias tenet inveſtigabiles, qui magnificentiam ſuper cœlos exaltatam habet, qui eſt magnus Dominus, & non poteſt ſatis laudari, quique ab intellectu creato concipi nequit, profecto eſt incomprehenſibilis.

bilis : atqui ex Scriptura , Deus eſt hæc omnia : ergo comprehendi non valet . Et vero ſi conſilia & viæ Dei non poſſunt ab Angelo & ab homine comprehendi , a fortiori nec ipſe Deus a mente creata comprehendetur .

Secundo , *Ex Conciliis* .

CONCILIUM LATERANENSE ſub Innocentio III. capite *Firmiter* , ſic habet : “ Simpliciter confitemur quod unus , verus eſt ſolus Deus , æternus , incomprehenſibilis . ” Et capite *Damnamus* , additur : “ Nos , ſacro approbante Concilio , credimus & confitemur cum Petro (*ſcilicet Lombardo*) quod una ſumma quædam res eſt , incomprehenſibilis . ” Porro Magiſter Sententiarum intelligebat Deum eſſe omnino incomprehenſibilem .

Baſileenſe eamdem confirmat veritatem ; ſiquidem anno 1435. quo tempore legitimus aderat Pontifex , damnavit propoſitionem Auguſtini de Roma , in qua dicebat Hæreticus ille Humanitatem Chriſti comprehendere eſſentiam divinam . Certe ſi ex Concilio , ſancta Humanitas Chriſti nequit Deum comprehendere , idem prorſus dicendum a fortiori de cæteris creaturis .

Tertio , *Ex Traditione Patrum* .

DIONYSIUS agmen ducet libro de divinis nominibus c. 1. “ Neque ſenſus eſt ejus , neque phantaſia , neque opinio , neque ratio , neque ſcientia ; ” ideſt , comprehenſiva .

Clem. Alex. l. 7. Hipp. apud Oecumenicum : “ Apparuit , *inquit* , Angelis (*ſcilicet Filius Dei*) quippe inviſibilem Divinitatis naturam ne illi quidem videbant ; ” ideſt , comprehendebant .

Origenes tertii ſæculi Doctor ſic habet l. 1. Periarcon. c. 1. “ Si quid enim illud ens , quod ſentire , vel intelligere de Deo potuerimus , multis longe modis eum meliorem eſſe ab eo quod ſenſimus , neceſſe eſt credi . ”

Cyrillus Hieroſ. Catecheſi 6. “ Quid igitur , dicet aliquis , nonne ſcriptum eſt quod Angeli Cęlorum vident ſemper faciem Patris mei , qui in Cęlis eſt ? at vident Angeli , non ſicut Deus eſt , ſed quatenus ipſi capere poſſunt . . . . . Vident igitur Angeli quantum capaces ſunt , & Archangeli poſſunt ; Throni & Dominationes plus quam illi primi , minus tamen quam majeſtas illa mereatur . ”

Gregorius Nyſſenus prioribus ſubſcribit ; nam contra Eunomium ſic loquitur : “ Non eſt in hominum natura vis ad accuratam perceptionem divinæ ſubſtantiæ . ”

Chryſoſtomus ſuffragatur in Homiliis contra Anomæos ; in quarta quippe ſic multa concludit argumenta : “ Poſtquam nuper oſtendimus Deum incomprehenſibilem , etiam ipſis Cherubim & Seraphim ; quid reſtat ut oſtendamus Dei exquiſitam comprehenſionem habere non poſſe Angelos , aut ullam creaturam ? ”

Epiphanius hæreſi 70. rem totam *in*comprehenſibilitatis explicat his verbis : “ Veluti ſi quis per anguſtum foramen cęlum aſpiciat , ac dicat : Video cęlum ; non utique mentietur : videt enim revera cęlum . Quod ſi quis prudenter ei dicat : Non vidiſti cęlum ; neque iſte mentietur : tam enim qui ait vidiſſe , non mentitur , quam qui ei dicit , *non* ipſum vidiſſe , vera loquitur : quippe non vidit illius exporrectionem , neque latitudinem . ” Hoc præclaro exemplo probat Deum eſſe , minime vero comprehenſibilem .

Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Domini cap. 3. ait : De Deo loquimur ; quid mirum ſi non comprehendis ? Si enim comprehendis , non eſt Deus . Sit pia confeſſio ignorantiæ magis quam temeraria profeſſio ſcientiæ : attingere aliquantulum mente Deum , magna beatitudo eſt ; comprehendere autem omnino impoſſibile . ”

Gregorius eodem modo loquitur lib. 18. Moral. c. 28. “ Videbimus igitur Deum , non tamen ita videbimus , ſicut videt ipſe ſeipſum . Longe quippe diſpariliter videt Creator ſe , quam videt creatura Creatorem ; nam quantum ad immenſitatem Dei , quidam nobis modus præfigitur contemplationis , quia eo ipſo pondere circumſcribimur , quo creatura ſumus . ”

D. Thomas hic ex profeſſo 1. p. q. 12. art. 7. docet concluſionem his verbis : “

“ Cum

" Cum lumen gloriæ, quo perfuſi divi-
" nam intuentur eſſentiam, infinitum non
" ſit, impoſſibile eſt quemquam creatum
" intellectum illum comprehendere &
" ipſum cognoſcere, quantum cognoſcibi-
" lis eſt. " In tertiam ſent. diſt. 14.
" q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. & in quar-
" tam diſt. 49. q. 2. art. 3. idem docet,
" ſed præcipue ad Annibaldum diſt. ea-
" dem art. 1. ad 2. " Quando, *inquit*,
" eſſentia rei cognoſcitur ſecundum mo-
" dum ſuæ cognoſcibilitatis, tunc res com-
" prehenditur: ſed hoc in viſione Dei eſſe
" non poteſt, quia claritas divinæ eſſen-
" tiæ, per quam eſt cognoſcibilis, eſt in-
" finita; modus autem intellectus creati
" videntis non poteſt eſſe infinitus, &
" ideo non comprehenditur, non quia to-
" tum non videat, ſed quia totaliter non
" videt; videt enim finite quod de ſe eſt
" viſibile infinite. "

Quarto, *Ex ratione multiplici*.

PRIMA. Ex Dionyſio, non eſt ſcientia adæquata de Deo. Ex Clemente, non apparuit Angelis beatis ſecundum id omne quod eſt tam intenſive quam extenſive. Ex Origene, Deus eſt adhuc melior quam a creatura cogitatur. Ex Gregorio Nyſſ. nullus, ſive Angelus, ſive homo beatus, habet ſufficientem vim ad habendam exquiſitam & ex omni parte perfectam de Deo cognitionem. Ex Epiphanio, Deus videtur totus, ſed non totaliter. Ergo concludendum cum his, & cum Chryſoſtomo, Auguſtino & S. Thoma, Deum eſſe & ineffabilem, & incomprehenſibilem.

Secunda. Deus videtur per lumen gloriæ, & ſecundum ipſius menſuram; ſed lumen gloriæ collatum Beatis eſt quid finitum: ergo & viſio; effectus enim non ſuperat cauſæ ſuæ virtutem & efficaciam, maxime vero cum potentia intellectiva ſit utique finita.

Tertia. Nulla potentia ultra ſuam virtutem poteſt agere: igitur cum potentia intellectiva & lumen gloriæ ſint quid finitum, Deum comprehendere nuſquam valent Beati. Probatur conſequentia. Comprehenſio Dei eſt viſio infinita, ſiquidem eſt viſio Dei omnibus abſoluta numeris: igitur Sancti Deum comprehendere non poſſunt.

Quarta. Comprehenſio objecti eſt viſio adæquans omnem objecti & quantitatem virtualem, & cognoſcibilitatis modum: atqui nulla creatura quantumvis elevata hanc poteſt habere de Deo viſionem: ergo, &c. Probatur minor. 1. Deus eſt ens a ſe, creatura vero eſt ens ab alio, & dependens, adeoque non poteſt pertingere ad quantitatem illius virtualem. 2. Deus eſt ens infinitum & immenſum; immo & æternum atque incommutabile; creatura vero finita, locis circumſcripta ſicut & tempore, immo & mutationi plurimum obnoxia: quod autem eſt finitum eſſentialiter, nequit cognoſcere adæquate ens infinitum, æternum & immenſum; ſiquidem neque tanti entis initium & principium, neque eſſentiam & finem capere poteſt, juxta illud Salomonis de Sapientia increata effatum: *Cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus*; ideſt, cæcutit mens, & illam aut dicere aut cogitatu comprehendere non valet. 3. Deus eſt actus purus & ineffabilis, e contra vero creatura; unde ſupra dictum eſt Beatos de Deo verbum non poſſe elicere & producere: ſi autem Deum comprehenderent, utique & eumdem circumſcriberent, nam & conceptu adæquarent; quod quidem eſt impoſſibile. Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Ad Philip. c. 3. v. 13. *Sequor autem, ſi quomodo comprehendam*. Igitur ex B. Paulo, Beati comprehendunt Deum.

Reſpondeo diſtinguendo: ſequor ut comprehendam, ideſt, aſſequar & poſſideam, concedo: ideſt, cognoſcam ſecundum omnem objecti virtutem & quantitatem, nego. Apoſtolus loquitur de comprehenſione late ſumpta, & ut ſumitur pro ſimplici aſſecutione. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 1. ad 1. ubi ſic reſpondet ad argumentum: " Ad primum, dicendum
" quod comprehenſio dicitur dupliciter;
" uno modo ſtricte & proprie ſecundum
" quod aliquid includitur in compre-
" hendente, & ſic nullo modo Deus
" comprehenditur nec intellectu, nec
" aliquo alio; quia cum ſit infinitus,
" nullo finito includi poteſt, ut aliquid
" finitum eum infinite capiat, ſicut ipſe
" infinitus eſt, & ſic de comprehenſione
" nunc quæritur. Alio modo comprehenſio
" lar-

„ largius ſumitur ſecundo quod comprehen-
„ ſio inſecutioni opponitur ; qui enim at-
„ tingit aliquem , quando tenet ipſum ,
„ comprehendere cum dicitur . „ Aſt ſic Deus comprehenditur a Beatis, ſecundum illud Cantic. 3. *Tenui eum , nec dimittam .*

Objicies 2. Primæ Corinth. 2. habetur : *Oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum : nobis autem revelabit Deus per Spiritum ſuum ; Spiritus enim omnia ſcrutatur , etiam profunda Dei* . Unde ſic argumentor . Comprehendere Deum , eſt profunda ejus ſcrutari : atqui Apoſtolus dicit hæc abſcondita ſe cognoviſſe per revelationem & ſpiritum gratiæ , quia ſpiritus omnia ſcrutatur , etiam profunda Dei : igitur Beati a fortiori & Deum comprehendunt.

Reſpondeo diſtinguendo : comprehendere , eſt omnia profunda ſcrutari adæquate , concedo : inadæquate, nego . Omnia quidem ſcrutatur Spiritus per Sanctos in quibus operatur, ſed non cuncta & adæquate cognoſcunt Sancti ; neque enim omnia ſcire poſſibilia , neque ipſam divinæ eſſentiæ quantitatem virtualem capere poſſunt. Apoſtolus autem eſt ſui ipſius interpres, Rom. 11. his verbis : *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei ! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus , & inveſtigabiles viæ ejus* ! Igitur excludit a creaturis viſionem Dei comprehenſivam .

Inſtabis . Comprehendere aliquod objectum , eſt ſcire quænam ſit latitudo , longitudo, & profundum ejus : ſed Apoſtolus ſic Deum cognoſcebat , immo & ſic cognoſci docebat , juxta illud Epheſ. 3. v. 18. *Ut poſſitis* , inquit , *comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo , & longitudo , & ſublimitas , & profundum* . v. 19. *& ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti , ut impleamini in omnem Dei plenitudinem* . Sed ſcire omnem Dei plenitudinem , & profunditatem , atque longitudinem , eſt Deum comprehendere . Ergo , &c.

Reſpondeo diſtinguendo : & loquitur Apoſtolus de fide & revelatione Dominicæ Incarnationis , concedo : de comprehenſione Dei , ſubdiſtinguo : inadæquata , concedo : adæquata , nego . Verba Apoſtoli idipſum explicant ; ſiquidem fides docet quænam ſit longitudo crucis , demonſtrando ſanguinem Chriſti fuſum eſſe pro omnium & ſingulorum hominum ſalute ; quæ ſit latitudo , oſtendendo merita Chriſti ſe extendere ab Oriente ad Occidentem , & ad omnes totius orbis nationes ; quod profundum , nobis aperiendo Chriſti mortem eſſe pro peccatoribus quantumvis impiis , & Chriſtum ſpoliaſſe inferos . Cæterum Sancti in omnem Dei implentur plenitudinem , cum vitam aſſequuntur æternam , quam utique Apoſtolus alibi vocat plenitudinem ætatis Chriſti .

Reſpondeo 2. Iterum , ſed aliter diſtinguendo : comprehendere objectum , eſt ſcire latitudinem , longitudinem , & profunditatem tam intenſive quam extenſive , ſeu in ſpecie & in individuo , concedo : in genere ſolum , nego ; & ſic diſtincta minore , nego conſequentiam . Apoſtolus per fidem cognoſcebat Deum eſſe infinitum , immenſum , ſed non infinito modo , ſicut nec ipſi Beati cognoſcunt . Igitur creatura cognoſcit ſolum in genere , ſed non adæquate , virtualem eſſentiæ divinæ quantitatem .

Oppones 3. Clemens Alex. l. Strom. 1. Origenes lib. 6. contra Celſum , Gregorius Nazianzenus orat. 25. & 34. & alii aſſerunt Beatos comprehendere Deum ; & de facto ab omnibus Theologis dicuntur *Comprehenſores* . Ergo , &c.

Reſpondeo diſtinguendo : comprehendunt Deum late , concedo : ſtricte , nego . “ Si-
„ cuti igitur , *inquit Epiphanius* , ille dici-
„ tur videre cœlum , qui illud per fora-
„ men tantum intuetur , licet non vi-
„ deat totam ipſius latitudinem ; ita Beati
„ dicuntur comprehenſores , & compre-
„ hendere Deum , tametſi finito tantum
„ modo eum intueantur : „

Inſtabis . Habere ſolummodo partem agri , non eſt totum poſſidere agrum : ſed Beati ex Apoſtolo non ex parte cognoſcunt Deum ; nam primæ Corinth. 13. v. 9. loquendo de viatoribus ait : *Ex parte cognoſcimus , & ex parte prophetamus* ; quando autem loquitur de Beatis , hæc ſubjicit : *Cum autem venerit quod perfectum eſt , evacuabitur quod ex parte eſt* . Igitur , &c.

Reſpondeo negando paritatem : qui enim partem agri ſolum poſſidet , altera parte privatur . Hic de facto per fidem ex parte , ideſt obſcure cognoſcimus ; at vero in gloria videbimus eum ſicuti eſt ;

ex

Digitized by Google

ex quo patet Apoſtolum per vocem iſtam, *ex parte*, ſolum diſtinguere cognitionem obſcuram a clara viſione: nullatenus vero loquitur de viſione comprehenſiva. Solutio eſt D. Thomæ hic art. 7. ad 1. ubi ſic ait: " Sic intelligu*n*tur auctoritates Apo-
„ ſtoli de comprehenſione, intellige la-
„ te ſumpta, & hoc modo comprehen-
„ ſio eſt una de tribus dotibus animæ,
„ quæ reſpondet ſpei, ſicut viſio fidei,
„ & fruitio charitati; non enim apud
„ nos omne quod videtur, jam tene-
„ tur, vel habetur, quia viden-
„ tur interdum diſtantia, vel quæ non
„ ſunt in poteſtate noſtra, neque iterum
„ omnibus quæ habemus fruimur; vel
„ quia non delectamur in eis; vel quia
„ non ſunt ultimus finis noſtri deſiderii,
„ ut deſiderium noſtrum impleant & quie-
„ tent: ſed hæc tria habent Beati in Deo,
„ quia & vident Deum ipſum, & viden-
„ do tenent ſibi ipſum præſentem, in
„ poteſtate habentes ſemper eum videre,
„ & tenentes fruuntur ſicut ultimo fine
„ deſiderium implente.

Urgebis. Auguſtinus Epiſt. 112. ad Paulinam dicit: „ Illud comprehenditur quod
„ ita totum videtur, ut nihil ejus lateat
„ videntem; ſed Beati vident totum Deum:
„ ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: ut nihil objecti lateat tam quoad entitatem quam quoad intenſionem & extenſionem virtutis, concedo: quoad entitatem ſolum, nego. Non ſufficit videre objectum, ſed requiritur ut videatur ſecundum ipſius modum, & virtutis quantitatem; modus autem & quantitas virtutis & eſſentiæ divinæ eſt infinitus, ad quem non poteſt pertingere oculus creatus & finitus; unde licet Beati videant totum Deum, non tamen totaliter, quia latet ipſos modus cognoſcibilitatis Dei; eſt enim infinita; unde uſque ad illam aſcendere non valent.

Reſponſio eſt D. Thomæ, qui ibidem ad ſecundum, ſic ſolvit argumentum: " Di-
„ cendum quod non propter hoc Deus in-
„ comprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid
„ ejus ſit quod non videatur, ſed quia
„ non ita perfecte videtur ſicut viſibilis
„ eſt; ſicut cum aliqua demonſtrabilis pro-
„ poſitio per aliquam probabilem ratio-
„ nem cognoſcitur, non eſt aliquid ejus
„ quod non cognoſcatur, nec ſubjectum,
„ nec prædicatum, nec compoſitio, ſed
„ tota non ita perfecte cognoſcitur, ſi-
„ cut cognoſcibilis eſt: unde Auguſtinus
„ definiendo comprehenſionem dicit,
„ quod totum comprehenditur videndo,
„ quod ita videtur, ut nihil ejus lateat
„ videntem, aut cujus fines circumſpici vel
„ circumſcribi poſſunt; tunc enim fines
„ alicujus circumſpiciuntur, quando ad fi-
„ nem in modo cognoſcendi illam non per-
„ venitur.

Opponet. 3. Res ſimpliciſſima, qualis eſt Deus, non poteſt videri, quin tota videatur; alias ſi quid lateret, videretur per partes: ergo Deus comprehenditur a Beatis, illum quippe totum & intuitive vident.

Reſpondeo diſtinguendo: quin tota videatur entitative, concedo: tota quantitative, nego. Homo videt Petrum præſentem intuitive, & totum, non tamen totaliter; nec enim videt ſecreta cordis, nec penetrat ipſius virtutem: ſic Beati vident totum Deum, ſed non comprehendunt virtutem & quantitatem tum eſſentiæ, tum perfectionum, utpote infinitam.

Inſtabis. Comprehendere, eſt videre ſecundum modum objecti: ſed Beati vident modum eſſentiæ divinæ; vident enim attributum infinitatis: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: Beati vident modum objecti divini, ſcilicet infinitatem, & finito modo cognoſcunt, concedo: & infinito modo, nego. Vident quidem in genere perfectiones Dei eſſe infinitas, & non habere terminum, ſed eas non ideo comprehendunt. Solutio eſt D. Th. ibidem ad tertium his verbis:
" Dicendum quod totaliter dicit modum
„ objecti, non quidem ita quod totus mo-
„ dus objecti non cadat ſub cognitio-
„ ne, ſed quia modus objecti non eſt
„ modus cognoſcentis: qui igitur videt
„ Deum per eſſentiam, videt hoc in eo quod
„ infinite exiſtit, ut ſcilicet ipſe infinite
„ cognoſcat; ſicut aliquis probabiliter ſcire
„ poteſt aliquam propoſitionem eſſe demon-
„ ſtrabilem, licet ipſe eam demonſtrative
„ non cognoſcat. „

Inſtabis. Ad comprehenſionem non requiritur ut objectum cognoſcatur ſecundum omnem ſuam cognoſcibilitatis quantitatem: ſed ſufficit ut cognoſcatur ſicuti eſt in ſe: atqui Beati vident Deum ſicu-

ta.

Digitized by Google

ti eſt, igitur & comprehendunt. Probatur major, in qua eſt difficultas: nomen comprehenſionis a vaſe aliquid continente & comprehendente deſumitur; ſed vas fictile, v. g. continet nummum aureum: attamen non adæquat nummi valorem: igitur ut viſio ſit comprehenſio, non requiritur ut adæquet objecti cognoſcibilitatem.

Reſpondeo negando majorem: ad probationem, nego paritatem. Diſparitas eſt quod vas comprehendat nummum ratione quantitatis externæ, quam ſua ſuperat, unde illum continet & comprehendit; nec enim habet relationem ad valorem nummi: ſed comprehenſio objecti attenditur ſecundum ipſius cognoſcibilitatem, quam certe non exhaurit viſio Beati in objecto divino & infinito: igitur ut ſit paritas, ſicut quantitas vaſis adæquat quantitatem nummi aurei, & illum comprehendit, ita quantitas cognoſcitivæ virtutis deberet adæquare quantitatem cognoſcibilitatis objecti, ut illud comprehenderet; quod cum ſit impoſſibile intellectui creato reſpectu Dei, ſemper fide tenendum & dicendum eſt, Beatos non poſſe Deum comprehendere.

Inſiſtes. Si requiritur ad comprehenſionem objecti, ut potentia cognoſcitiva adæquet ejus cognoſcibitatem; ſequetur Angelum inferiorem, immo & ſuperiorem non comprehendere muſcam: abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Probatur ſequela quoad utramque partem. 1. Angelus inferior non comprehendet muſcam, quia licet illam cognoſcat, nobiliori tamen modo cognoſcitur ab Angelo ſuperiore. 2. Sed neque Angelus ſuperior comprehendet, quia non comprehendit potentiam obedientialem muſcæ; Deus enim poteſt multa patrare mira & miracula in vili creatura, quæ ſuperant captum Angeli: ergo, &c.

Reſpondeo negando utramque ſequelam: ad probationem primæ partis diſtinguo: Angelus ſuperior cognoſcit muſcam modo nobiliori ſe tenente ex parte medii, concedo: ſe tenente ex parte objecti, nego. Uterque Angelus comprehendit muſcam; ſed ſuperior eam cognoſcit medio ſimpliciori, quatenus ſpecies habet objectorum univerſaliores: ſic Doctor ſeu Magiſter & diſcipulus eamdem cognoſcunt concluſionem Theologicam: ſed Doctor unico intuitu & per intelligentiam concluſionem cognoſcit in principio; alter vero per fuſiorem diſcurſum.

Ad ſecundam probationem, nego Angelum ſuperiorem non comprehendere muſcam; licet enim non comprehendat ejus potentiam obedientialem paſſivam, cum ad hoc requireretur ut comprehenderet Dei omnipotentiam, cui omnis creatura ſubjicitur, comprehendit tamen entitatem naturalem muſcæ, & omne quod eſt in ea.

Dices. Saltem eſſentia divina comprehenditur ab Humanitate Chriſti: ergo, &c. Probatur antecedens, 1. ex Iſidoro, quin Exod. cap. 2. ait: " Sola ſibi integre nota eſt Trinitas & Humanitati " aſſumptæ. " 2. D. Thomas 3. p. q. 10. aſſerit Hominem aſſumptum cuncta quæ ſunt in Deo cognoſcere: ſed cognitio omnium infert eſſentiæ divinæ comprehenſionem: ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo: ſola ſibi Trinitas integre nota eſt, & Humanitati aſſumptæ, ratione perſonæ in qua ſubſiſtit, concedo: ratione ſui, nego. Iſidorus loquitur de Homine in Chriſto ratione perſonæ aſſumentis, & eſt ſui ipſius interpres; ſubdit enim, " quæ eſt ſecunda " in Trinitate perſona. " Igitur ſenſus illius Patris genuinus ille eſt: Chriſtus ut Deus divinam comprehendit eſſentiam.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo: Humanitas aſſumpta cuncta cognoſcit poſſibilia, nego: omnia præſentia & futura, ſubdiſtinguo: quantum ad numerum ſcitorum, concedo: quantum ad omnem extenſionem & intenſionem, nego. Jam vero Humanitas videt illa omnia in Deo, quia Chriſtus eſt caput omnium: ſed Deus plura intenſive & extenſive cognoſcit, ſiquidem cognoſcit quidquid ſua omnipotentia poteſt facere in creaturis præſentibus & futuris; minime vero Humanitas, quia nec comprehendit potentiam eorum obedientialem, nec ſcit omnia poſſibilia.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus non poteſt comprehendi a creatura, etiam beata.

PRIMO. Quia viſio Dei datur Beatis ad men-

menſuram, & ſecundum luminis gloriæ quantitatem, quod quidem lumen eſt finitum: igitur & viſio.

Secundo. Deus non poteſt circumſcribi; ſed ſi ab intellectu humano comprehenderetur, quibuſdam concluderetur terminis.

Tertio. Cognitio adæquata objecti infiniti eſt utique infinita: atqui creatura non eſt viſionis infinitæ capax: ergo, &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Scriptum eſt Deum comprehendi a creatura; ſed hoc intelligendum eſt de comprehenſione, quæ eſt objecti & aſſecutio & poſſeſſio.

Secundo. Videtur etiam Deus totus a Beatis, ſed non totaliter, quia creatura non pertingit ad omnem objecti infiniti quantitatem virtualem.

Tertio. Licet ens ſimplex & indiviſibile tam entitative quam metaphyſice non cognoſcatur, niſi totum videatur; ſecus, ſi ſit virtualiter multiplex ut Deus.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Viſio Beatifica ſit æqualis in omnibus Beatis.

ÆQUALITAS duplex diſtinguitur, alia ſpecifica, alia accidentalis. Specifica deſumitur per ordinem ad objectum; cum enim actus ſpecificentur per relationem ad objectum ad quod tendunt, ſi reſpiciunt unum & idem formale objectum, erunt omnes idem ſpecifice: ſic actus intellectus Petri & Jacobi ſunt idem ſpecifice, omnes quippe reſpiciunt verum: æqualitas vero accidentalis deſumitur ex quibuſdam circumſtantiis, maxime a quantitate virtutis potentiæ, quæ quandoque majorem conatum habet circa objectum, quandoque minorem, quandoque etiam in multis: ſic potentia viſiva eſt quidem eadem ſpecifice in juvene & ſene, ſed diverſa accidentaliter; etenim licet ambo videant idem objectum coloratum, tamen fortior eſt conatus juvenilis quam ſenilis oculi in objectum. Porro in duobus juvenibus ubi erit æqualis conatus oculi, erit utique viſio æqualis, tam accidentaliter, quam eſſentialiter & ſpecifice.

Omnes conveniunt viſionem beatificam æqualem eſſe ſpecifice in omnibus Beatis, quia omnes habent eamdem ſpecie & gratiam & charitatem, idem ſpecie lumen gloriæ: vident omnes idem formale objectum ſicuti eſt, ſcilicet Deum: tota igitur difficultas movetur de æqualitate & inæqualitate accidentali. Jovinianus, ut dictum eſt ſupra, poſuit viſionem eſſe in omnibus Beatis æqualem, tam ſpecifice quam intenſive & extenſive: contra quem ſit

CONCLUSIO.

Viſio beatifica non eſt æqualis intenſive & extenſive in omnibus Sanctis, ſed ſolum in eis in quibus eadem eſt quantitas meritorum, eadem quantitas gratiæ & luminis gloriæ.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR Matth. 25. *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem. . . . . Poſt multum vero temporis venit Dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis; & accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum; ait illi Dominus ejus: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo ſuperlucratus ſum; ait illi Dominus ejus: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Apud Lucam autem cap. 16. ſervus, cujus mna decem mnas acquiſivit, conſtituitur propter hoc ſuper decem civitates; ille vero, cujus mna acquiſivit ſolum quinque, conſtituitur utique ſuper quinque civitates. Quæ parabola explicat alteram; & utraque ſecundum Sanctorum Patrum interpretationem,

ex-

explicat diverſa ſtipendia meritorum, adeoque diverſos gloriæ gradus. Scriptum eſt adhuc Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Igitur ubi eſt major charitas & amor, ibi majus præmium, & in tempore per remiſſionem peccatorum, & in æternitate per majorem gloriam. Rurſus Jo. 14. v. 2. *In domo Patris mei*, inquit Chriſtus, *manſiones multa ſunt*. Porro illæ diverſæ manſiones, viſionis beatificæ inæqualitatem deſignant. Paulus eidem ſuffragatur veritati pluribus in locis, ſed maxime 1. Corinth. 3. his verbis: *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem . . . . . Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fænum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit*. Rurſus 2. Corinth. cap. 9. v. 6. *Qui parce ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Et iterum 1. Corinth. 15. myſterium inæqualitatis viſionis ſecundum intenſionem & extenſionem totum his verbis concludit: *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum*. Stella non differt a ſtella in claritate ſpecifica; omnes enim ſtellæ ſunt claræ, verum potius in eo quod claritas eſt major vel minor in una potius quam in altera: ſimili prope modo, teſte Apoſtolo, gloria Sanctorum in omnibus eadem eſt ſpecifice: omnes enim vident Dei eſſentiam, vident Perſonas & attributa; ſed eſt major vel minor intenſive, ſecundum majorem vel minorem charitatem & amorem.

Secundo, *Ex Conciliis*.

CONCILIUM MEDIOLANENSE anno circiter 389. damnavit Jovinianum propter varios errores, & præcipue quia dicebat viſionem beatificam eſſe in omnibus Sanctis omnimode æqualem.

Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. eidem ſuffragatur veritati: " Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces eſt ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda; hæc enim corona illa juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aſſerebat Apoſtolus a juſto judice ſibi reddendam, non ſolum ſibi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus. „ Igitur ſi gloria ex Concilio Tridentino ſecundum bonorum operum menſuram datur, ſi merita ſunt diverſa in diverſis, utique & diverſa viſio & felicitas eſt.

Tertio, *Ex Patribus*.

HIERONYMUS primus venit in teſtimonium, quippe qui ex profeſſo refutaverit Joviniani errores. In primis lib. 2. totus eſt in refutatione erroris de æqualitate viſionis, quam propugnabat Hæreſiarcha; explicans enim verſum 8. primæ ad Corinth. cap. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*: rurſus explanans verſum 13. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit*, ait: " Si is cujus opus arſit & periit, & damnum ſuſtinuit laboris ſui, perdet quidem laboris præmium, ſed ipſe ſalvabitur, non tamen abſque probatione ignis: ergo is cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, ſine ignis probatione ſalvabitur: & inter ſalvationem & ſalvationem utique erit diverſitas aliqua. „ Idem explicans verſum 18. c. 9. eiuſdem Epiſtolæ: *Quæ eſt ergo merces mea? ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio, &c.* ſubdit: " Numquid poteſt dicere, peccare eos qui vivunt de Evangelio, & qui de ſacrificiis participantur? &c. Apoſtolus autem, qui non abutitur hac licentia, ſed laborat manibus ſuis, ne quemquam gravet, & die ac nocte operatur, & miniſtrat eis qui ſecum ſunt; utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat. „

B. Polycarpus, ut in Actibus eius martyrii dicitur, Judicem ſic allocutus eſt: " Merita mea doloris æſtimatione penſabo; quanto graviora pertulero, tanto majora præmia penſabo. „

Irenæus lib. 1. cap. 61. " Si plus dilexerimus. . . . . clariores erimus apud Deum. „

Ter-

Digitized by Google

Tertullianus in Scorpiace c. 6. “ Quomodo, *inquit*, multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? „

Hilarius in Pſal. 64. “ Itaque non res indiſcreti judicii electio eſt, ſed ex meriti defectu facta diſcretio eſt .... non ob id bonorum cęleſtium ſpes adimitur, ſi non omnes ad cohabitationem Dei eligentur. Plures enim manſiones diverſæ dignitati habitantium præparautur: ſed licet diverſa ſit dignitas, differt enim ſtella ſtellæ in gloria; tamen quotquot habitationibus variis licet digni habebuntur, fidei fructum & honorem cœleſtis gloriæ ſortientur. „

Auguſtinus l. de ſanctis Virg. idem docet, & Tractatu 67. in Joan. ſic loquitur: “ Multæ manſioues diverſas meritorum in una vita æterna ſignificant dignitates. Alia eſt enim gloria ſolis, alia gloria lunæ, alia gloria ſtellarum; ſtella enim a ſtella differt in gloria; ſic & reſurrectio mortuorum: tanquam Sancti diverſas manſiones, diverſas claritates, tanquam in cęlo, ſortiuntur in Regno. „

Ambroſius l. 5. in Lucam col. 86. eumdem loquitur ſermonem: “ Cum fueris, *inquit*, in regno cęlorum, tunc proceſſus eſt manſionum; etſi unum regnum, diverſa tamen merita ſunt in regno cęlorum. „

Nec prætermiſerim Chryſoſtomum, qui Homil. 41. in primam ad Corinthios dicits: “ Tametſi in regno celeſti ſint omnes, non omnes tamen iiſdem potiri præmiis, illa ſimilitudine ſtellarum; uti nec in gehenna peccatores omnes eadem tormenta patientur. „ Intellige, *ſignificatur*.

Theodoretus explicans eumdem Apoſtoli locum: “ Non omnes, *inquit*, Juſti ejuſdem præmii erunt participes, ſed recte factis congruam habebunt remunerationem. „

Suam ſententiam utique dicix *Fulgentius* l. de Trinitate: “ Tantum amplius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit, præceptiſque ejus obediens fuit. „

Gregorius Papa l. 4. Moral. c. 31., “ Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in illa procul dubio diſcretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat; unde iu Evangelio Veritas dicit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* „

D. Thomas his omnibus accedit; nam hic 1. p. q. 12. art. 6. ex profeſſo eamdem docet veritatem; ſic enim ait: “ Cum videntium divinam eſſentiam unus alio majori lumine gloriæ illuſtretur, perfectius etiam unus alio ipſam videbit.

Quarto, *Ratione, & quidem multiplici.*

PRIMA generalis eſt, ex auctoritate Patrum, qua probant viſionis inæqualitatem ex inæqualitate meritorum, quæ ſunt diverſa in diverſis.

Secunda. Pęnæ ſunt inæquales ex eiſdem Patribus, immo & ex Scriptura, juxta illud Sapientiæ 6. v. 7. *Potentes potenter patientur tormenta: fortioribus fortior inſtat cruciatio*. Et illud Apocal. 18. v. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Sed eadem eſt lex contrariorum: igitur ſicut pęna inæqualis eſt, ita & merces.

Tertia. Deus eſt cauſa principalis viſionis, & teſte Apoſtolo, juſtus Judex qui rerribuit unicuique juxta opera ejus; quod quidem attenditur ſecundum Juſtitiam diſtributivam: ſed Juſtitia vult & exigit ut qui plus & laboraverunt, & Deo ſervierunt, majori donentur præmio: ergo, &c.

Quarta. Deus non eſt ita injuſtus, ut obliviſcatur laboris noſtri, ut ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. “ Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino; non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſter'iſtis in nomine ipſius. „ Sed ſi viſio foret æqualis in omnibus Beatis, obliviſceretur ſaltem ex parte Deus laborum Juſti, quandoquidem ille Juſtus majorem non reciperet mercedem pro exantlatis magnæ & diuturnæ pœnitentiæ laboribus, quam ille qui in brevi poſt peccatorum confeſſionem contritus ad aliam evocaretur vitam, ſiquidem omnium eſſet tam intenſive quam extenſive eadem merces, idemque præmium. Ergo cum neſas ſit Deum aut obliviſci laborum Juſti, aut non compenſare

ſecundum Juſtitiæ diſtributivæ apices; dicendum eſt, viſionem in Sanctis eſſe inæqualem; ubi ſunt inæqualia merita.

Quinta. Sic Deus Pater-familias compenſat operarios, ut nulli præbeat aut negligentiæ, aut ſupini torporis anſam: ſed ſi viſio beatifica foret æqualis, hoc eveniret; ad quid enim diceret aliquis ſervare conſilia, cum ſufficiant mandata, & æquali omnes donentur præmio? ergo, &c.

Sexta. Cauſa viſionis eſt gratia ſanctificans, per quam homo fit filius Dei, & hæres regni cœleſtis, juxta illud Rom. 8. v. 17. *Si autem filii & hæredes*. Eſt amor, juxta illud Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Eſt labor & opus miſericordiæ, juxta illud Matth. 25. v. 35. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Eſt in tentatione fidelitas, juxta illud Apocal. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen novum*. Eſt ipſum gloriæ lumen, juxta illud Pſal. 35. v. 10. *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Sed gratia, ſed amor, ſed opus bonum, ſed fidelitas & in debellandis Dei hoſtibus magnanimitas, ſed lumen gloriæ, & alia hujuſmodi ad vitam æternam conducentia, ſunt diverſa in diverſis; quis enim rerum æſtimator non putet hominem ſanctum, qui per totam vitam deſudavit, ut & præcepta & conſilia obſervaret, non majorem habuiſſe gratiam, majorem Dei amorem, fidelitatem in promiſſis exequendis firmiorem, & conſequenter majus gloriæ lumen in cœlis habere, quam qui vitam ſolum duxit communem; aut qui poſt unum aut alterum annum laboris, vita functus eſt? Ergo, &c.

Septima. Gloria datur ut corona: ſed major eſt corona Beatiſſime Virginis, quam corona Apoſtolorum, & iſtorum major quam cæterorum Sanctorum; ſic enim docet Eccleſia, quæ majori cultu Beatiſſimam veneratur Virginem, quam cæteros cœleſtis Jeruſalem Sanctos; & ſic proportionaliter diſcurrendo de Apoſtolis, poſtea de Martyribus, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Matth. 20. v. 11. legitur de operariis, qui primi ad vineam Domini venerant laboraturi. *Et accipientes murmurabant adverſus Patrem-familias, dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus*. Querela in eo fundatur, quod ultimi operarii qui tardius venerant, æqualem cum aliis recepiſſent mercedem: igitur viſio per iſtam deſignata parabolam, eſt in omnibus Sanctis æqualis.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: viſio eſt æqualis ſpecifice in omnibus Sanctis, omnes ſiquidem vident idem objectum, concedo: eſt æqualis intenſive & extenſive, nego. Ex Chryſoſtomo, Homilia 65. Parabolæ ſecundum diſtributionem accommodam intelligendæ ſunt. Senſus igitur eſt, omnes Sanctos ſalute æterna donari. Ita Hieronymus, qui l. 2. contra Jovinianum col. 548. ſic loquitur: " Unus „ autem denarius non eſt præmium, ſed „ una vita & una de gehenna liberatio. Et Epiſt. 146. " Et tu, *inquit*, „ qui hora ſexta conductus es, noviſſimo invides, cur tecun denarium, „ id eſt æqualem conſequatur ſalutem, li„ cet ſalutis pro labore diverſa ſit glo„ ria.„

Reſpondeo 2. multos Patres hanc explicare parabolam de vocatione Gentilium, qui poſt Judæos venientes æqualem conſecuti ſunt ſalutem per magnos fidei labores: cui concinit illa Libri Sapientiæ ſententia de Juſto, qui divino exæſtuans amore, uno aut altero anno tot comparat merita, quot per multos Juſtus tepidus acquirit: *Conſummatus in brevi*, inquit Sapiens, *explevit tempora multa*. Obmurmuratio autem denotat admirationem; demirati ſunt quippe Judæi Gentiles ad fidem Dei converſos ſanguinis effuſione & martyrio, ad hanc provectos fuiſſe gloriam, quam Patres veteris Teſtamenti pro longa operum ſucceſſione habuerant.

Oppones 2. Joan. 3. habetur: *Videbimus eum ſicuti eſt*. Sed viſio Dei ſicuti eſt, æqualis in omnibus dicitur. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: æqualis eſt ex parte objecti, concedo, ex parte potentiæ, nego; diverſus enim eſt diverſæ facultatis in objectum conatus. Solutio eſt D. Thomæ hic q. 12. art. 6. ad primum: " Cum dicitur, *videbimus eum*

„ *eum ſicuti eſt*, hoc adverbium, *ſicuti*, „ determinat modum viſionis ex parte „ rei viſæ; ut ſit ſenſus: videbimus ita „ eum eſſe, ſicuti eſt, quia ipſum eſſe „ ejus videbimus, quod eſt ejus eſſentia; „ non autem determinat modum videndi „ ex parte videntis; ut ſit ſenſus, quod „ ita perfectus erit modus videndi, ſicut „ eſt in Deo perfectus modus eſſendi. „

Inſtabis. Auguſtinus l. 83. quæſt. q. 32. dicit unam rem non poſſe ab uno magis intelligi quam ab altero, maxime ſi objectum eſt indiviſibile: ſed omnes Beati vident intuitive Deum: ergo & æqualiter etiam ex parte potentiæ: alias ſequeretur illos qui inter Beatos ſubtiliori pollent ingenio, magis etiam videre Deum: ſed abſurdum iſtud conſequens, ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo: una res non poteſt magis intelligi ab uno quam ab altero objective ſeu entitative, concedo: intenſive, nego. Et vero quis neget juvenem objectum aliquod magis intenſive & etiam extenſive videre, quam ſenem ætate provectum. Primum duntaxat probat objecti indiviſibilitas; ita D. Thom. hic ad 2. " Cum enim dicitur quod rem „ unam unus alio melius non intelligit, „ hoc habet veritatem, ſi referatur ad „ modum rei intellectæ; quia quicum- „ que intelligit rem eſſe aliter quam ſit, „ non vere intelligit: non autem ſi re- „ feratur ad modum intelligendi, quia „ intelligere unius eſt perfectius quam „ intelligere alterius. „ Ad confirmationem, nego ſequelam; quandoquidem viſio non menſuratur ſecundum naturalem mentis aciem, bene vero ſecundum lumen gloriæ, quod eſt in diverſis diverſum.

Objicies 3. D. Auguſtinus ſerm. 59. de verbis Domini c. 4. ait: " Denarius il- „ le vita æterna eſt, & in vita æterna „ omnes æquales erunt. „ Sed vita æterna eſt viſio Dei, juxta illud Chriſti Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo ut ſupra: vita æterna eſt æqualis in omnibus ſpecifice, concedo: intenſive, nego. Solutio eſt ipſius Auguſtini, qui verbis ſubſequentibus ſic ſe explicat: " Quamvis enim meri- „ torum diverſitate fulgebunt, alius ma- „ gis, alius minus, quod tamen ad vi- „ tam æternam pertinet, æqualis erit „ omnibus; non enim alteri erit longius, „ alteri brevius, quod pariter ſempiter- „ num eſt, quod non habet finem, nec „ tibi habebit, nec mihi. „ Idem repetit 67. in Ioan. " Quo utique denario vi- „ tâ ſignificatur æterna, ubi amplius ne- „ mo vivit, quoniam vivendi non eſt di- „ verſa in æternitate menſura; ſed multæ „ manſiones diverſas meritorum in una „ vita æterna ſignificant dignitates. „

Inſtabis. Si viſio eſt inæqualis, qui minori donantur, erunt anxii: ſed anxietas repugnat beatitudini: ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: tum quia omnes Sancti vident Deum ſummum bonum, tum quia omnes vident ſecundum juſtitiæ menſuram; cum autem ſinguli floreant & in æternitate & in charitate Dei, nulli ineſt de majori gloria proximi invidia.

Dices: Iuſtitia Chriſti eſt cauſa viſionis: ſed juſtitia Chriſti eſt eadem: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo, eſt cauſa efficiens, concedo: formalis & ſpecificans, nego: exigit enim concurſum cauſæ ſecundæ, a qua ſpecificatur actus, non quidem ſecundum naturalia, ut ſacra Facultas Pariſienſis anno 1267. definivit, proſcribendo iſtam Propoſitionem: " Cujus „ meliora fuerint naturalia, neceſſario „ major erit gratia & gloria: „ ſed ſecundum lumen gloriæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Viſio eſt inæqualis intenſive in Beatis.

PRIMO: Quia datur ſecundum gratiæ menſuram.

Secundo: Quia datur ut corona.

Tertio: Quia datur ſecundum merita, quæ quidem omnia ſunt diverſa in diverſis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

OMNES auctoritates tum Scripturæ, tum Patrum, immo & ipſa ratio denotant ſolum viſionem Dei eſſe in omnibus Beatis ſpecifice æqualem, ſed non intenſive & extenſive.

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA

DE

TEMPORE QUO SANCTI DONANTUR VISIONE BEATIFICA.

Contra Millenarios.

QUIDAM attendentes ad ficta commenta Iudæorum, qui Meſſiam in temporali Davidis ſolio aliquaodo ſeſſurum expectant, in alias etiam impegerunt fabulas, exiſtimantes Iuſtos omnes & Sanctos, licet ab omni labe puros, nihilominus mille annis regnaturos fore cum Chriſto in terris poſt reſurrectionem, ut viſione Humanitatis ſanctæ quaſi gradu quodam pergerent ad viſionem Dei intuitivam.: ſed contra iſtos Millenarios eſt illud Chriſti ad Latronem Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Dogma beatitudinis Sanctorum abſque ulla mora pro iis qui ſunt vel ſufficienter ab omni labe puri, cum de hac migrant vita, vel plene ab omni reatu pœnæ in Purgatorio emendati, quatuor præcipue argumentis comprobatur.

PRIMO. Quia regnum mille annorum eſt fictitium.

Secundo. Quia ſanctorum animæ ex hoc mundo ab omni ſorde puræ migrantes, non ultra patiuntur in præmio moram.

Tertio. Quia nec utique moram aliquam experiuntur animæ illæ, quæ ignis Purgatorii cruciatibus ſufficienter emendatæ ſunt.

Quarto. Quia Ioannes XXII. contrarium non definivit.

ARTICULUS PRIMUS.

HISTORIA CRITICA MILLENARIORUM.

ORTUS.

HÆRESIS Millenariorum ſic dicta ex eo quod in primis & ſubſequentibus ſæculis non pauci, etiam inter Patres, animas Iuſtorum cum Agno ſpatio mille annorum prius in terris, deinde in cœlis regnaturas autumarent, ortum habuit & duxit a Papia Hieroſolymitano Antiſtite, & Ioannis Evangeliſtæ auditore percelebri, qui attendens ad quaſdam fabulas Iudæorum, qui Chriſtum ſuper ſedem David, ut iterum reſtauraretur & renovaretur Ieruſalem terreſtris, cum gloria & apparatu multo ſedere volebant, regno mille annorum cum Agno animas ſanctas primo, deinde viſione Dei intuitiva donari, veluti Iudæis indulgens, conceſſit; maxime vero cum in capite decimo-octavo Apocalypſeos de regno millenario ſanctorum cum Agno quædam fiat mentio. Hæc ſecta potiſſimum ſub Adriano Imperatore, & Xiſto I. ſummo Pontifice, ſe prodidit circa annum Chriſti 130.

Verum non una fuit Millenariorum circa iſtud regnum fictitium opinio & explicatio; quidam enim illud interpretati ſunt de ſpatio quo animæ Iuſtorum e vita migrant, uſque ad univerſalem hominum re-

reſurrectionem, quo quidem tempore animæ ſua reſumentes corpora viſione Dei donandas eſſe exiſtimabant; & hæc fuit multorum Patrum ſententia: quidam vero regnum iſtud etiam poſt ultimum judicii diem differri cenſuerunt. Jam vero etiam de bonis iſtius regni fuit magna inter omnes & diſceptatio & diſſonantia; alii quippe delicias etiam corporeas, quid dicam? immo & obſcænas admittere non erubeſcebant; ita Cerinthus, & ejus ſectatores: alii tantummodo ſpirituales & caſtas; ſic ipſe Papias, & inter Patres multi, qui ei adhæſerunt.

PROGRESSUS.

SICUT cancer ſerpit & creſcit in pejus, ita utique hæreſis Millenariorum crevit in interitum animarum. Carnales homines, ut ſuis indulgerent paſſionibus, ne aut de ipſis erubeſcerent, aut horrore factorum irretiti peccare ceſſarent, beatitudinem totam ſenſualem excogitare, immo & adſtruere moliti ſunt; hinc & nuptias novas, & mulieres ſupra modum forma decoras ad omnem uſum in regno millenario introducere non erubuerunt. Aliquos in hunc ſaltem ex parte impegiſſe errorem tempore Chriſti enarrat Evangelium. Verum acrius poſtea exarſit controverſia; Cerinthus enim & alii ipſi adhærentes, ut refert Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. c. 22. ex profeſſo illum docebant. De Cerintho ſic ſcribit R. P. Alexander ſæc. 1. Hiſt. Eccleſ. art. 5. " Poſt reſurrectionem ,, carnis humanæ regnum Chriſti terreſtre ,, futurum, & Hieroſolymis homines car- ,, nis cupiditatibus & voluptatum illece- ,, bris ſervituros effutiebat; & numerum ,, mille annorum in nuptiarum feſtis & ,, celebritate conſumendum: hinc ejuser- ,, roris ſectatores Chiliaſtæ, ideſt Mille- ,, narii ſunt nuncupati. ,, Aſt de hoc viri cordati erubeſcebant: hinc ſoli viri aut ſtolidi, aut impii per fas & nefas Millenariorum hæreſim iſto modo propugnare audebant. Quantum vero ad aliam partem, ſeu ad alium eandem hæreſim propugnandi modum, videlicet cum deliciis ſolummodo ſpiritualibus, plures & celebriores habuit patronos; multi ſiquidem primorum ſæculorum Patres in hoc adhærere Papiæ non dubitarunt, quippe qui vir probus & ſanctus haberetur. Eo igitur illuſi ſunt, ut virum alias juſtum, & Joannis diſcipulum, in hoc puncto non errare pie crederent, maxime vero cum ipſe Joannes regnum mille annorum pro animabus ſanctorum Agno Dei duce ſtabilire videatur. Inter eos annumerantur Juſtinus, Irenæus, Nepos Epiſcopus in Ægypto, & alii permulti. Eundem renovavit errorem Lutherus.

INTERITUS, ſeu PROSCRIPTIO.

SUSCITAVIT Dominus ſpiritum multorum Patrum, qui decurſu ſæculorum errorem Millenariorum ubi graſſabatur, debellarent. Chriſtus Dominus in principio præmatura ſententia ſtupidam Cerinthi & ſuorum proſcripſit opinionem de obſcœnis in regno Agni deliciis; ſic enim habetur Matth. 22. 30. *in reſurrectione neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Dionyſius de cœleſti Hier. c. 7. Millenariorum placita vocat hæreticorum fabulam. Eodem ſtylo cenſorio illa perſtringunt Caius Romanus apud Euſebium lib. 3. c. 18. Origenes Prologo in Cantica. Sed inter omnes eminet Dionyſius Alexandrinus, qui libellum Nepotis Epiſcopi Ægyptii, Millenariorum erroribus ſcatentem, duobus aliis operibus inſectatus eſt. Inſurrexerunt utique adverſus Millenarios Gregorius Nazianzenus orat. 51. & 52. Epiphanius hæreſ. 77. n. 96. Quid plura? Benedictus XII. Millenariorum opinionem damnavit, & poſt ipſum Concilium Florentinum. Enimvero ſummus Pontifex & Concilium Juſtorum animas, quæ nihil purgandum habent, ſine mora Deum in cœlis poſſidere definierunt. Hæc ſententia catholica ubique poſtea prævaluit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum detur in terris regnum cum Agno mille annorum pro animabus juſtis defunctorum, antequam viſione Dei intuitiva donentur.

CONCLUSIO.

Regnum mille annorum in terris cum Agno eſt fictitium.

Probatur auctoritate & ratione.

QUÆ a ſupremi numinis nutu pendent, comperta fiunt per Scripturam, per Patres, & utique per rationem: atqui ex illo triplici capite conſtat regnum mille annorum eſſe fictitium: ergo nullo modo eſt admittendum.

Probatur primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

JOAN. 8. v. 36. legitur: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, inquit Chriſtus. Item Lucæ 6. v. 33. *Regni ejus non erit finis*. Quod Concilium Conſtantinopolitanum ſuo adſcivit Symbolo propter Apollinariſtas, qui regnum mille annorum admittebant in terris pro ſanctis. Rurſus Lucæ 23. v. 43. *Venite*, ait Chriſtus Juſtis, *benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi ..... Diſcedite a me maledicti; & ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Matth. 22. v. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt omnes ſicut Angeli Dei*. Joan. 14. v. 17. *Regnum Dei non eſt eſca & potus*. Ex his omnibus ſex eruuntur argumenta.

Primum. Regnum quod aſſerunt Millenarii, eſt regnum Sanctorum cum Agno ſeu Chriſto in terris: ſed ex Scriptura regnum Chriſti non eſt de hoc mundo: igitur regnum mille annorum pro animabus Juſtorum in terra fictitium eſt.

Secundum. Regnum de quo controverſia vertitur, eſt regnum mille tantum annorum: ſed regnum Chriſti eſt, teſte Scriptura, ſine fine, & regnum omnium ſæculorum, & Chriſtus dat illud Sanctis ſuis; ſic enim habetur Lucæ 22. v. 30. *Ut ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Et Matth. 25. *Poſſidete paratum vobis regnum*. Ergo, &c.

Tertium. Illud regnum non eſt verum, ſi Sancti donentur beatitudine eadem die qua migrant e vita: atqui hoc quandoque evenit, ut legitur pro Latrone: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Ergo, &c.

Quartum. Eadem eſt ratio pro punitione ac pro mercede, maxime cum Deus proclivior ſit ad præmiandum, quam ad puniendum: ſed Deus ſine mora æternis afficit ſuppliciis improbos morientes: igitur cum eadem ſit contrariorum lex, utique nulla interjecta mora, Deus gloria æterna compenſat ſanctos ab omni reatu pœnæ immunes.

Quintum. Delicias carnales primi Chiliaſtæ admittunt in iſto regno: ſed ex Scriptura Beati in regno Chriſti neque nubent, neque nubentur; immo, teſte Hieronymo, in uxoribus apparet turpitudo; & in Evangelio, omnes erunt ſicut Angeli Dei: rurſus ex Apoſtolo, regnum Dei non eſt eſca & potus. Ergo, &c.

Sextum. Eccleſia nullo decreto, nullaque ſententia iſtud comprobavit regnum. Ergo non eſt admittendum.

Secundo, *Ex Patribus eadem Minor probatur.*

DIONYSIUS de cœleſti Hierarchia c. 7. vocat opinionem Millenariorum, hæreticorum fabulam.

Hermas in l. *Paſtoris*, docet animas Juſtorum ab omni labe puras cito poſt mortem frui Dei viſione.

Clemens Romanus in ſua ad Corinthios Epiſtola, Ignatius Martyr, Clemens Alexandr. Cyprianus, & alii Patres tum Græci, tum Latini, quorum teſtimonia in Articulo ſequenti referemus, idem docent.

Caius, Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui floruit tertio ſæculo, apud Euſebium lib. 3. c. 28. perſtringit Cerintum, eo quod regnum mille annorum admitteret, eumque vocat ſacrarum Scripturarum hoſtem & defloratorem.

Origenes Prologo in Cantica, vocat illam opinionem, fabulam, eamque irrepſiſſe ex ſiniſtra Scripturarum interpretatione aſſerit; in quantum quidam crederent etiam poſt reſurrectionem fore connubia & menſas cibis carnalibus refertas. Idem l. 2. de principiis c. 12. & alibi refert.

Dio-

Dionyſius Alex. inter omnes celebris eſt in refutatione Millenariorum; libellum enim Nepotis Epiſcopi Ægyptii, qui adhærebat Millenariis, duobus libris inſectatus eſt: opuſculum etiam adverſus Irenæum Millenarium compoſuit. Ita ſcribit Euſebius l. 7. c. 24.

Euſebius ipſe l. 3. c. 34. vocat opinionem Millenariorum, fabulam: S. Ephrem opuſc. 3. ſtultam: Baſilius pag. 293. ridiculam & fabuloſam. Gregorius Nazianzenus oratione 51. & 52. dicit Millenariorum dogmata eſſe debilia; Epiphanius hæreſ. 77. n. 36. Scripturis contraria. Hieronymus l. de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 18. præfatione in Iſaiam, commentariis in caput 31. Jeremiæ, ea ex profeſſo debellat: item Cyrillus Alex. Gennadius, Fulgentius, & alii iſtos hæreticos eodem modo inſectantur.

Probatur eadem minor iſto ratiocinio. Illud regnum eſt fictitium, quod Patres primorum ſæculorum non ſolum non agnoverunt, ſed refutarunt: atqui Patres primorum & ſubſequentium ſæculorum debellare non ceſſarunt illud regnum, rejiciendo opinionem Millenariorum, alii ut fabulam, alii ut hæreſim, &c.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIUNT Millenarii vigeſimum Apocalypſeos caput, quod eſt apud eos palmare. In illo capite, inquiunt, fit mentio de duplici reſurrectione: poſt primam quidem animæ decollatorum regnabunt cum Agno mille annis; poſt ſecundam vero, Judicium generale fiet, Judice ſupplicia impiis, præmia vero juſtis decernente; ſic enim habetur: *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem . . . . qui eſt diabolus, & ligavit eum per mille annos . . . . . ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni, & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu . . . . & vicerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis: cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus & ſanctus qui habet in reſurrectione prima: in iis ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis, & cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo: & exibit, & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam; & deſcendit ignis de cælo a Deo, & devoravit eos: & Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & Pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Et vidi Thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cujus conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inventus in eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu Throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum: & dedit mare mortuos qui in eo erant: & Mors & Infernus dederunt mortuos ſuos qui in ipſis erant: & judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Et Infernus & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. Et qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Atqui, inquiunt Chiliaſtæ, iterum atque iterum verbis expreſſis ſtatuitur regnum mille annorum cum Chriſto pro ſanctis, antequam decernatur eis & gloria & triumphus: atqui hunc habebunt ſolummodo poſt judicium, quando ſcilicet aperietur liber vitæ, ut eorum diſcutiantur opera: igitur datur regnum mille annorum; 1. quia de facto in illo capite ſtatuitur; 2. gloria datur poſt bonorum operum examen, quod fiet tantum in judicio univerſali; 3. pœna malorum ſtatuitur ſolumodo poſt judicium, juxta illud quod pro illo tempore dicitur: *Qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*; e contrario præmium tunc dabitur ſolum ſanctis; 4. ſi gloria ante hoc tempus daretur ſanctis, judicium generale eſſet inutile: quæ cum ita ſint, admittendum eſt regnum mille annorum, ſaltem ante judicium univerſale; Chiliaſtæ dicunt, poſt reſurrectionem.

Reſpondeo 1. opponendo ſcripturam quam attulimus, quæ omni ſemota ambiguitate, ſanctis Doctoribus ſic interpretan-

tibus, excludit regnum mille annorum, quale a Chiliaſtis admittitur.

Reſpondeo 2. opponendo ipſum Apocalypſeos caput, quod manifeſte contrarium eſt Chiliaſtis; ipſi enim, teſte Irenæo l. 5. c. 35. ſolum poſt reſurrectionem generalem admittebant regnum mille annorum cum Chriſto; Joannes vero illud de quo loquitur, ſtatuit ante ipſum generale judicium: ex quo ſequitur, præter judicium generale, dari particulare ante reſurrectionem: nullum enim præmium, quale eſt regnum mille annorum cum Chriſto, conceditur ante bonorum operum diſcuſſionem, ut judicium de eorum valore & meritis fiat. Cum ergo Joannes ponat ejuſmodi regnum ante reſurrectionem, ſequitur judicium particulare præcedere & ipſum præmium, ſcilicet regnum mille annorum, & ipſam reſurrectionem generalem: unde ruunt penitus conficta Chiliaſtarum fundamenta.

Reſpondeo 3. ad ſingula momenta; ad primum quidem ſic diſtinguendo: per regnum mille annorum cum Agno intelligitur gloria quam animæ ſanctorum habent in cœlis cum Chriſto; vident enim intuitive & Chriſtum & eſſentiam divinam, quæ quidem felicitas a ſancto Joanne vocatur reſurrectio prima, quatenus Sancti a ſtatu miſeriæ ad beatam tranſierunt vitam, concedo: & intelligitur regnum in terris poſſidendum, nego. Eatenus quippe regnum mille annorum gloria prima dicitur, quatenus longo tempore præcedit ſecundam, videlicet gloriam corporis; non enim ſemel Scriptura ſacra vocem, *mille*, ad ſignificandam longam durationem aſſumit, ut Deut. 7. 9. & 1. Paral. 16. 15. rurſus Pſal. 144. 8. ubi ſic habetur: *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille generationes*. In eodem prorſus ſenſu Auguſtinus l. 20. de Civ. c. 7. iſtam interpretatur ſcripturam, immo & Apocalypſeos ſententiam. Cæterum ſecunda reſurrectio, eſt reſurrectio perfecta, quæ quidem fiet poſt judicium univerſale per conjunctionem animæ cum corpore. Quod autem glorificatio plena immediate poſt judicium futura ſit, hoc inſinuat Apoſtolus ad Theſſ. 4. his verbis: *Nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus: itaque conſolamini invicem in verbis iſtis*. Igitur Iuſti & cum Chriſto, & cum Deo Patre erunt: magnum ſane conſolationis argumentum in eo quod ſine mora videbunt intuitive Patrem cum Filio & Spiritu Sancto; poſt hæc vero Diabolus & antichriſtus cum reprobis in inferno includentur pro tota æternitate, neminemque aut offendere aut lædere poterunt. Obiter notandum eſt, juſtificationem quandoque etiam reſurrectionem vocari, juxta illud Apoſtoli ad Coloſſ. 3. v. 1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram*. Igitur cum reſurrectio nonnunquam ſumatur pro juſtificatione, a fortiori & poterit ſumi pro glorificatione animæ. Ex quo patet Chiliaſtas divina abuſos fuiſſe Scriptura, cum *reſurrectionis* vocem ad ſolam generalem reſurrectionem reſtrinxerunt.

Reſpondeo 4. ad inſtantias, & quidem ad primam: regnum mille annorum ſtatuitur Apocalypſ. 20. Diſtinguo: ideſt, gloria animæ, donec perfectam & integram homo integer habeat, concedo: ideſt regnum millenarium in terris poſſidendum, nego.

Ad ſecundam. Gloria datur tantummodo poſt examen operum in primo & peculiari judicio faciendum, videlicet cum anima ſolvitur a corpore; deinde in die judicii univerſalis, & hoc ſolum ad majorem ſanctorum glorificationem, concedo: nullo modo fit die mortis, nego. Duplex examen operum ſtatuitur; aliud particulare, quod eſt regula judicii generalis, & illud fit in die mortis, ita ex Traditione patet; aliud publicum & ſolemne, ad confirmationem primi, & ſanctorum juſtificationem, & hoc in fine ſæculorum, juxta illud Sapientiæ 5. v. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes; hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum . . . . ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*.

Ad tertiam. Pœna ſtatuitur ſolummodo poſt judicium: diſtinguo: ad majorem ſolemnitatem, & judicii particularis confirmationem, concedo: abſolute ſubdiſtinguo: pœna integra & conſummata, concedo: ita ut nulla præceſſerit, nego. Pœna duplex diſtinguitur, altera animæ, altera vero corporis & animæ ſimul, Prima do-

nan-

nantur reprobi, prolata judicii particularis ſententia; altera vero poſt ultimi judicii oraculum retribuetur. Jam vero poſt iſtud judicium, teſte Joanne, omnibus afficientur ſuppliciis dæmones, tum quia in terris ultra non dominabuntur, tum quia in lacu inferiori, a quo non amplius egreſſuri ſunt, includentur.

Ad quartam. Nego ſequi judicium univerſale inutile eſſe, tametſi præceſſerit primum & particulare, & hoc propter multa momenta. 1. quidem, quia gloria dabitur corpori ſolum poſt reſurrectionem. 2. Tunc lex Chriſti aſtantibus & Angelis & hominibus juſtificabitur, & reprobi præ anguſtia ſpiritus gementes ultro ſuam confitebuntur culpam, dicendo ut habetur Matth. 25. v. 44. *Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? &c.* 3. Ut electi, qui obſcuri, qui afflicti, & ſæpius etiam in opprobriis & tormentis pro amore Chriſti fuerunt, cum ipſo & exaltentur & conglorificentur, juxta illud Pſalmiſtæ: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.*

Reſpondeo 5. ad omnes capitis vigeſimi Apocalypſeos difficultates, ſingula momenta breviter explanando, & hoc ſecundum ſenſum ſpiritalem & myſticum, quem textus præ ſe fert.

Primo quidem, Angelus alligans Draconem per mille annos, ut non ſeducat Gentes, repræſentat Chriſtum, qui ſuo adventu alligavit fortem armatum, compeſcendo potentiam dæmonis, qui per omnem terram etiam apud Judæos ita dominabatur, ut filios & filias ſuas illi immolarent. Hinc primæ Joan. c. 3. 8. de Chriſto dicitur: *In hoc venit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*: & merito, omnia quippe, ſua in crucem exaltatione traxit; magnificatum eſt nomen ejus coram Regibus terræ, & in nomine Jeſu omne genuflectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Mille anni deſignant tempus a morte Chriſti uſque ad ſecundum ejus adventum; tunc enim diabolus per victoriam crucis ligatus & vinculis obſtrictus eſt, gratia ſiquidem Chriſti ſuperabundavit, ubi abundaverat delictum; hinc fracti hoſtis impetus, hinc converſi ad fidem Gentiles, hinc & ipſa crux, teſte Auguſtino, in fronte Regum rutilat: ſolvetur autem per aliquod temporis ſpatium Satanas, quia tempore Antichriſti licentiam habebit de novo exercendi fideles, & tunc tribulatio tanta erit, qualis non fuit ab initio mundi, inquit Chriſtus, ita ut niſi breviarentur propter electos dies illi, vix ſalva fieret omnis caro.

Secundo. Animæ decollatorum ſunt animæ Juſtorum in pace Chriſti defunctorum, quæ pœnitentia ſumma, eaque continua, Draconem, ſcilicet Dæmonem, devicerunt; ſiquidem carnem crucifixerunt cum concupiſcentiis; qua de cauſa regnant in Cœlis cum Chriſto, & hoc mille annorum ſpatio, ideſt uſque ad reſurrectionem generalem; tempus enim finitum ibi pro indefinito ſumitur, quæ loquendi ratio in Scriptura ſacra communis & frequens eſt. Cæteri vero mortui, ideſt reprobi, ex omni parte mortui cenſentur, & quia eorum animæ ſunt a corpore ſolutæ, & quia a Deo ſunt in perpetuum ſeparatæ, & quia etiam ſunt in inferno, ubi fletus ac perpetuus & ſempiternus horror inhabitat: iterum tamen vivent vita naturali, quatenus corpori iterum conjungentur in reſurrectione judicii, & hoc ut totus homo reprobus luat in æternum pro peccatis commiſſis pœnas.

Tertio. Gloria quam Juſti in exitu, ſive mundi, ſive purgatorii, recipiunt, eſt vera, ſiquidem a B. Joanne conclamantur Beati; maxime vero quia mors ſecunda, videlicet infernus, non habet poteſtatem in eos: iſta gloria dicitur utique reſurrectio prima, in quantum anima Juſti tranſit a ſtatu miſeriæ ad æternam felicitatem; reſurrectio vero ſecunda eſt gloria tum animæ, tum corporis, quæ poſt judicium & reſurrectionem ita completa erit. Reprobi etiam reſurgent, ſed ut in æternum toti emoriantur, ideſt, ſecundum corpus & animam; quatenus anima decreto dato & publicato, in æternum Deo privabitur, corpus vero exquiſitis cruciabitur tormentis, juxta illud Joan. 5. 29. *Qui mala fecerunt, procedent in reſurrectionem judicii*, ideſt in reſurrectionem damnationis & ſupplicii æterni: quod utique in eodem explicat ſenſu Apoſtolus primæ Corinth. 15. v. 51. *Omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Re-

vera

vera quidem reprobi non immutabuntur: mortui & afflicti reſurgent in ſempiternum de novo & cruciandi & affligendi; electi vero e contra; ſic enim intonat Apoſtolus: *Seminatur corpus animale*, *ſurget ſpiritale*, non quidem amittendo quod erat in ſe, ſed recipiendo quod non habebat, videlicet dotes ſupra modum glorioſas; ſcriptum eſt enim: *Juſti autem in perpetuum vivent*, *& apud Dominum eſt merces eorum*.

Inſtant Chiliaſtæ. Regnum de quo B. Joannes mentionem facit, ſubſequetur ultimum Judicium: ſed illud eſt regnum mille annorum; & probatur. Ibidem v. 4. habetur: *Vidi ſedes*, *& ſedentes ſuper eas*, *& judicium datum eſt*. Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: ad probationem, diſtinguo: & illi ſedentes ſunt Apoſtoli, qui cum Chriſto ut aſſeſſores judicabunt in ultimo judicio tribus Iſrael, concedo: qui regnabunt poſt judicium, ſubdiſtinguo: in gloria & in æternum, concedo: in terris ſolum, & ſecluſa viſione beatifica, nego. Auguſtinus l. 20. de Civ. Dei c. 9. interpretatur verba Joannis de præpoſitis Eccleſiæ, qui ligant & ſolvunt pœnitentes, ſecundum quod convenit cujuſlibet ſtatui.

Solvuntur objectiones ex aliis Scripturæ ſacræ locis & Patribus deprompta.

OBJICIUNT Millenarii. Terra Chanaan promittitur Abrahæ & ſemini ejus, ut habetur Gen. 13. v. 26. Item Pſalm. 131. promittitur filiis David ſedes patris, ſi cuſtodierint teſtamentum Dei: ſed Chriſtus eſt filius Abrahæ & Davidis, nec tamen poſſedit, dum inter homines viveret, patrum ſuorum hæreditatem: igitur cum Sanctis eam poſt judicium poſſidere æquum eſt.

Reſpondeo 1. filios Iſrael in poſſeſſionem habuiſſe terram Chanaan Abrahæ funiculum, & filios David ſediſſe ſuper ſedem patris ſui uſque ad Chriſtum natum, quandoquidem regnum Judæorum, penes Judæ tribum fuit, ut alibi fuſius demonſtrabimus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo alteram minoris partem: Chriſtus viator patrum ſuorum non poſſedit hæreditatem temporaliter, concedo: ſpiritualiter, nego: ſua quippe morte & devicit fortem armatum & ejecit foras; quinimmo omnia traxit ad ſe. Quid plura? In ſuo ſecundo adventu judicabit orbem terrarum, & ipſos Angelos, cunctiſque per omnia dominabitur in æternum.

Objicies 2. Apocal. 21. 5. de Chriſto legitur: *Dixit qui ſedebat in throno*: *Ecce nova facio omnia*: ſed iſta Jeruſalem inſtauratio & renovatio non facta eſt in Chriſto, cum erat in terris ſuperſtes: igitur fiet poſt judicium in regno mille annorum.

Reſpondeo 1. iſtud argumentum nimis probare. Et vero ſequeretur inde Chriſtum ne quidem nunc in cœlis regnare, quod aperte divinis adverſatur Scripturis, quæ illum ad dexteram Patris ſedere conclamant.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Chriſtus reſtaurabit Jeruſalem cœleſtem reparando ruinas Angelorum, & eorum ſedes vacuas per novum electorum genus implendo, concedo: Jeruſalem terreſtrem, ſubdiſtinguo: nova lege qua formavit, qua format quotidie, & formabit uſque ad conſummationem ſæculorum fideles qui Deum in ſpiritu & veritate adorent & colant, concedo: lege carnali, nego. "Venit enim, *inquit Fulgentius*, ut triumpharet occiſus."

Inſtabis Matth. 5. v. 6. habetur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, *quoniam ipſi ſaturabuntur*. Sed iſta ſaturatio non poteſt intelligi niſi in regno mille annorum. Ergo, &c. Confirmatur. Ibidem cap. 26. v. 29. legitur: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*. Et cap. 19. v. 29. *Qui reliquerit domum*, ... *centuplum accipiet*. Sed in his & aliis ejuſmodi ſententiis promittitur & menſa, & aliquid a gloria diſtinctum, quod ſoli terreſtri regno convenit. Ergo, &c.

Reſpondeo, verba allata intelligi de gloria regni celeſtis, quæ omnia implet Sanctorum deſideria; tanta enim eſt in videndo Deo felicitas & ſatietas, ut de hoc cogitare ſenſus ſit conſummatus. Porro Spiritus Sanctus rebus quandoque utitur ſenſibilibus, quæ nobis plurimum placent, ut promiſſam indigitet beatitudinem, quæ quidem in immenſum cuncta ſuperat terrena; unde ad eam ſuſpirans Propheta, Pſal. 36. v. 17. ait; *Melius eſt me-*

Digitized by Google

modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. Et iterum Pſal. 83. v. 11. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Igitur cuncta ad myſtici ſenſus trutinam menſurari debent.

Ad iſtam vero Chriſti ſententiam: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei*; diſtinguo: poſt reſurrectionem meam, quando in terris degens in multis argumentis ad meam comprobandam reſurrectionem, apparebo vobis, concedo: donec bibam poſt meam in Cælum aſcenſionem, nego. Igitur ſecundum interpretes loquitur Chriſtus de tempore a Reſurrectione ad Aſcenſionem ſuam, quo quidem ſpatio non ſemel apparuit Apoſtolis, & coram illis manducavit & bibit, ut hac operatione ſuam irrefragabiliter demonſtraret reſurrectionis veritatem.

Objicies 3. Papias auditor Joannis in Apocalypſim, Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes cap. 31. Tertullianus l. de orati. c. 5. l. de anima c. 34. Lactantius lib. 7. inſtit. c. 24. Severus Sulpitius in dialogo cui nomen *Gallus*, & alii probant regnum mille annorum pro animabus Sanctorum in terris poſſidendum. Ergo eſt admittendum. Confirmatur. Quod ex traditione procedit, tenendum eſt, maxime ſi ex antiquis deducatur Patribus: atqui talis eſt pro regno mille annorum traditio: ergo, &c.

Reſpondeo Patres quoſdam quandoque habuiſſe nævos, unde nec eorum dictis aut ſcriptis ſemper ſubſcribendum eſt. Porro Papias in litteris ſacris, ut multi autumant, non ſatis verſatus, a quibuſdam illuſus eſt Judæis, quorum ſuggeſtione in errorem Millenariorum impegit: quia vero & venerabilis admodum erat, & ſuum etiam pro Chriſti fide effudit ſanguinem, ideo multi Patres bona fide ſecuti ſunt errantem: alii tamen fortiter impugnavere fabulam de regno mille annorum ejus, ut Dionyſius Alex. Euſebius, Hieronymus, Epiphanius, Auguſtinus, & inter omnes Baſilius, qui Epiſt. 74. ad Epiſcopos Occidentales de Papia ſic loquitur: " Scri„ pſit & de reſurrectione quædam fabu„ loſe, immo Judaice compoſita, in qui„ bus dicit nos iterum ad cultum a lege „ præſcriptum reverſuros; ita ut iterum „ & circumcidamur, & ſabbatum obſer„ vemus, & cibis in lege prohibitis ab„ ſtineamus, ſacrificiaque Deo offeramus, „ & in Templo Hieroſolymis adoremus, „ atque prorſus ex Chriſtianis Judæi red„ damur; quibus quidnam poterit ridicu„ lum magis, immo alienius ab Evange„ lico dogmate dici? „

Ad confirmationem, diſtinguo: quod eſt ex traditione divina & Apoſtolica, tenere debemus, concedo: ex traditione humana & fallaci, nego. Traditio quidem, teſte Tertulliano l. de præſcriptionibus hæreticorum c. 31. deſumitur ex eo quod antiquis eſt. Enimvero dicit, " id „ eſſe Dominicum & verum, quod eſt „ prius traditum: id autem extraneum & „ falſum, quod ſit poſterius immiſſum. „ Adde requiri 1. ut quod ex traditione tenetur, ſit univerſaliter receptum; 2. ut Eccleſia non refragetur; quæ quidem duæ conditiones pro regno Millenariorum deſunt. Prima quidem; namque Patres ipſi Papiæ, Juſtino, & Irenæo coævi contrarium tenuere, ut Hermas, Dionyſius, qui putatur Areopagita, Clemens Romanus, Caius Presbyter, & alii: altera vero; quia contrarium definivit Eccleſia in Concilio Florentino.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Regnum Millenariorum eſt fictitium.

PRIMO. Juxta ipſius Chriſti oraculum, regnum meum non eſt de hoc mundo.

Secundo. Regnum Chriſti non habet finem, juxta illud Symboli Nicæni: *Cujus regni non erit finis*.

Tertio. Præmium a Chriſto Sanctis promiſſum non eſt regnum terrenum, ſed ipſa Dei omnipotentis viſio; ſic enim habetur Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Apocal. 20. ſermo habetur de regno Millenariorum cum Agno; ſed profecto Patribus interpretantibus, numerus ille finitus numerum deſignat indefinitum, & ideo ſumitur pro intervallo glo-

riæ

Digitized by Google

riæ animæ uſque ad gloriam corporis poſt reſurrectionem dandam.

Secundo. Patres multos in errorem Millenariorum impegiſſe non diffitemur; ſed ſtandum eſt & traditioni Apoſtolicæ, & ſummorum Pontificum atque Conciliorum definitionibus, quibus animas Sanctorum nihil purgandum habentes, gloria cœleſti ſine mora donandas eſſe compertum habemus.

Tertio. Mentio quidem & menſæ & epularum in regno Chriſti, fit in Evangelio; ſed hæc figurative & myſtice intelligi debere, ratio Theologica evincit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum animæ Sanctorum ab omni labe pura, quibus nihil eſt pro peccatis neque in hac, neque in alia vita expiandum, ſtatim poſt mortem videant intuitive Deum.

CONCLUSIO.

Animæ Sanctorum, quibus nihil eſt expiandum, ſtatim poſt mortem & abſque mora, donantur viſione beatifica.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

PRIMO. Eccleſiaſtici 11. v. 29. legitur: *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas*. Ibidem v. 28. *In fine hominis denudatio operum ejus*. In primo loco Spiritus Sanctus, ut Juſtos provocet ad pie operandum, demonſtrat præmium dandum ſtatim poſt mortem, dicendo hoc non eſſe Deo impoſſibile, immo facile. In ſecundo, fieri judicium operum aſſerit, & quare? niſi ut unuſquiſque accipiat prout geſſit, præmium vel ſupplicium.

Secundo. Lucæ 23. 42. Chriſtus Dominus dicit Latroni penitenti: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Quæ quidem verba non poſſunt intelligi neque de Paradiſo terreſtri, in quo ſane non fuit Chriſtus, neque de Cœlo Empireo ubi ſunt Beati, quandoquidem Chriſtus ſolum poſt quadraginta dies aſcendit & penetravit Cœlos: igitur de viſione beatifica. Ergo, &c.

Tertio. Actuum 7. v. 43. S. Stephanus ſic loquitur: *Video Cœlos apertos, & Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei*. En viſio beatifica Chriſti. Poſtea addit: *Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum*. Quibus verbis petit viſionem beatificam divinitatis. Ergo, &c.

Quarto. Epheſ. 4. legitur: *Chriſtus aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Sed ſi animæ juſtorum, quibus nihil eſt expiandum, manerent viſione Dei privatæ, eſſent captivæ ea captivitate qua patres antiquæ legis captivi fuerant ante ipſius Chriſti adventum; quam tamen captivitatem Chriſtus tum ſatiſfaciendo, tum Cœlos adaperiendo, tum etiam Patres in regno ubi ſedebat in Cęlis, utique ſedere concedendo, abſtulit. Ergo, &c.

Quinto. Hebr. 12. *Non acceſſiſtis*, inquit Apoſtolus, *ad montem Sion* . . . . . *ſed ad Sion montem, & Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & ſpiritus Juſtorum perfectorum*. Quam ſententiam exponit Anſelmus de beatitudine & de Eccleſia triumphante. Ergo, &c.

Sexto. Apocal. 7. v. 9. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas & dealbaverunt eas in ſanguine Agni: ideo ſunt ante Thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in Templo ejus*. Clare ibi deſignat S. Joannes animas quibus nihil eſt expiandum, dicendo ſuas in ſanguine Agni dealbaſſe ſtolas: dicit eas eſſe ante Dei Thronum & in Templo ejus, ſcilicet in regno Cęlorum: ſubjicit, die ac nocte, ſive in perpetuum coram Deo aſſiſtere. Ergo, &c.

Secundo, *Ex ſummorum Pontificum Decretis.*

INNOCENTIUS III. c. *Apoſtolicam*. *Extra. de Presbytero non baptizato*, definit animas ſanctorum, quibus nihil eſt expiandum, nunc frui Dei viſione intuitiva.

Clemens IV. in quadam Fidei profeſſione ad Palæologum Græcorum Imperatorem directa ann. 1267. quæ eadem cum Formula Fidei in Concilio Lugdunenſi rece-

cepta eſt, aſtruit juſtos viſione beatifica ſtatim ab obitu perfrui. Idem declarant Nicolaus III. & IV. idem definivit, matura prævia diſcuſſione, Benedictus XII. in Extravag. *Benedictus Deus*.

Tertio, *Ex Conciliis*.

LUGDUNENSE, in Formula Fidei tum a Græcis, tum a Latinis recepta, ſic loquitur: " Credimus illorum animas qui „ poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam, vel in „ ſuis manentes corporibus, vel eiſdem „ exutæ ſunt, purgatæ, mox in cœlum „ recipi. „

Florentinum ſeſſ. ultima in Decreto Unionis, idem declarat & ſtatuit.

Tridentinum ſeſſ. 25. ſic habet: " Mandat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, „ & cæteris docendi munus curamque „ ſuſtinentibus, ut juxta Catholicæ & „ Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, a primævis „ Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum interceſſione, invocatione, Reliquiarumque veneratione, & legitimo Imaginum uſu, „ fideles diligenter inſtruant, docentes „ eos, Sanctos una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas Deo pro hominibus „ offerre, bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare: & ob beneficia „ impetranda a Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui „ ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, „ ad eorum orationes, opem auxiliumque „ confugere. Illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes, „ invocandos eſſe; aut qui aſſerunt, vel „ illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, „ invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique „ honori unius mediatoris Dei & hominum Jeſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in „ Cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare; impie ſentire. „ His probat ſancta Synodus omnibus momentis viſionem Dei intuitivam ſine dilatione pro Sanctis ab omni labe puris, conferendam.

Quarto, *Ex traditione Patrum Græcorum & Latinorum*.

PRIMUM SÆCULUM. *Ex Græcis Hermas*, cujus meminit Paulus in Epiſt. ad Rom. l. 3. dicit ſimilitudine 8. n. 3. Juſtos e vita migrantes, ſi nihil expiandum habeant, ſtatim coronari in Cœlis.

Ex Latinis, *Clemens Romanus*, de quo Apoſtolus etiam mentionem facit in Epiſt. ad Philipp. c. 4. v. 3. hortando ad patientiam: " Accipiamus, *inquit*, præ oculis „ noſtris bonos Apoſtolos..... Petrus „ multos ſuſtinuit labores, atque ita Martyr effectus, diſceſſit ad debitum gloriæ „ locum: Paulus patientiæ præmium obtinuit. His viris, qui divinam vitam „ duxerunt, aggregata eſt ingens electorum multitudo. „ Sed locus gloriæ eſt Cœlum; ſed gloria eſt viſio Dei intuitiva: igitur ex Clemente, Sancti e vita decedentes ſine mora fruuntur Deo, ſi nihil habeant prius in Purgatorio expiandum.

Secundum ſæculum. *Ex Græcis Ignatius* Epiſt. ad Rom. " Aqua viva, *inquit*, manens in me intrinſecus mihi dicit, Veni „ ad Patrem..... Sinite me puram lucem aſpicere; illuc perveniens, homo Dei ero. „ Et iterum: " Miſerabilis ſum, donec Deum merear adipiſci. „

Dionyſius l. de Eccleſ. Hierarch. c. 7. pag. 1. loquens de Sanctis defunctis: " „ Norunt, *inquit*, profecto ſe totos percepturos exactiſſimam ad Dei ſpeciem, „ requiem, cum ad præſentis vitæ finem pervenerint, viamque ad immortalitatem ſuam e vicino jam clarius intuentes, Divinitatis laudant munera, divinaque lætitia geſtiunt, non jam ad „ deteriora converſionem metuentes, ſed „ parata bona firmiter perpetuoque habituros probe noſcentes. „ Ibidem pag. 3. dicit animas Sanctorum eſſe in regione vivorum in ſinu Abrahæ, ubi habent & poſſident præmia, quæ oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

Polycarpus Epiſt. ad Philipp. apud Euſeb. lib. 3. cap. 36. ait de Paulo, & cæteris Apoſtolis: " Non fruſtra laborarunt, „ ſed in fide ac juſtitia ingreſſi ad locum „ Adæ ſibi debitum pervenerunt. „ Paulus ipſe

ipſe locum ſibi ex juſtitia debitum in Cę-
lo affirmat: *Videmus nunc*, inquit, *per ſpe-
ciem & in ænigmate, tunc autem facie ad
faciem.*

Athenagoras in Apologia pro Chriſtia-
nis: “ Perſuaſi ſumus nos hac mortali de-
„ functos vita, alteram hac terreſtri me-
„ liorem, nempe cœleſtem, eſſe victu-
„ ros, ut apud Deum, & cum ipſo &c.
„ Unde ſic reſumo. Ignatius dicit ſe ad
Patrem vocari, lucem puram, ſolutis vi-
tæ mortalis vinculis, ſe velle recipere.
Dionyſius pronuntians ad requiem Chriſti
ſtatim pervenire Juſtos ab omni labe pu-
ros, ubi bona tanta ſunt, quanta nec in
cor hominis aſcenderunt. Polycarpus aſſe-
rit Apoſtolos ad debitum præmii locum
perveniſſe. Athenagoras vocat vitam cę-
leſtem, qua Sancti donantur poſt obitum.
Igitur non regnum terreſtre, ſed ipſam
Dei viſionem intuitivam poſſident San-
cti.

Tertium ſæculum. Ex Græcis, *Clemens
Alex.* lib. 5. Strom. ſuper iſta verba Dei
ad Moyſen: *Nemo videbit faciem meam,
& vivet;* ait: “ Clarum eſt neminem
„ unquam vitæ tempore Deum evidenter
„ comprehendere; qui autem ſunt mundo
„ corde, Deum videbunt, poſtquam ad
„ extremum finem pervenerint. „

Origenes l. 6. contra Celſum ſic habet: “
„ Habemus Pontificem maximum dicen-
„ tem germanis Diſcipulis electurum ſe
„ illos ſupra mundana omnia; ait enim:
„ *Ut quo ego vado, ibi & vos ſitis.*
„ Quamobrem poſt exactos labores hujus
„ vitæ ac certamina, ſperamus nos in Cę-
„ lum evaſuros. „

Ex Latinis, *Cyprianus* l. de exhort. Mar-
tyrii cap. ultimo, ſic ait: “ Quis non
„ omnibus viribus elaboret, ut cum Chri-
„ ſto ſtatim gaudeat? ut poſt tormenta
„ & ſupplicia terrena, ad præmia divi-
„ na perveniat. . . . Clauduntur oculi in
„ perſecutionibus terræ, ſed patet Cœ-
„ lum; minatur Antichriſtus, ſed Domi-
„ nus Chriſtus tuetur, mors infertur, ſed
„ immortalitas ſequitur; occiſo mundus
„ eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibe-
„ tur; vita temporalis extinguitur, ſed
„ æterna reparatur. Quanta eſt dignitas
„ & quanta ſecuritas, exire hinc lætum,
„ exire inter preſſuras & anguſtias glo-
„ rioſum; claudere in momento oculos,
„ quibus homines videbantur & mundus,
„ & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus vi-
„ deatur & Chriſtus! Tam velociter mi-
„ grandi quanta felicitas, ut terris repen-
„ te ſubtraharis, ut in regnis cęleſtibus
„ reponaris! „ Jam ſic argumentor. Vi-
dere intuitive Deum ad extremum vitæ,
videre poſt exactos labores, videre ſtatim
in regnis cęleſtibus, eſt videre intuitive
ſine dilatione & nulla facta mora: atqui
ex iſtis Patribus, talis eſt ſors Sanctorum:
ergo, &c.

Quartum ſæculum. Ex Græcis, *Athana-
ſius* de vita S. Antonii num. 60. pro cer-
to habet quod Antonius narrat, ſcilicet
ſe vidiſſe animam Ammonis Monachi
ſtatim poſt obitum in Cœlum evolan-
tem.

Baſilius homil. in 40. Martyres: “ Vos
„ non terra occubuit, ſed Cęlum ſuſce-
„ pit, apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ. „
Et orat. in Gordium Martyrem: “ Erat
„ enim affectus, non ut qui in lictoris
„ manus deventurus eſſet, ſed velut An-
„ gelorum manibus ſe ipſum commiſſu-
„ rus, qui ſtatim ipſum recens mactatum,
„ aſſumptum ad beatam vitam translatu-
„ ri eſſent. „

Gregorius Nazianzenus orat. in Baſilium:
“ Tu obiter e Cęlo nos reſpice, & da-
„ tam mihi renum debilitatem, & arti-
„ culorum dolorem vel jube diſcedere,
„ vel adjuva & hortare, ita me æquo ani-
„ mo ferre, ut hinc demum diſcedentem
„ me in æterna tabernacula recipias, &
„ beatam Trinitatem eo quo eſt modo,
„ tecum pariter contemplari valeam. „

Gregorius Nyſſenus adſtipulatur; ſic enim
habet orat. in S. Ephrem: “ Tu vero aſ-
„ ſiſtens divino altari, vitæque principi,
„ & ſacroſanctæ una cum Angelis ſacri-
„ ficans Trinitati, omnium noſtrum re-
„ cordare, nobiſque peccatorum veniam
„ impetra. „

Ex Latinis Hieronymus in epiſt. ad Mar-
cellam de obitu Leæ: “ Nunc, *inquit*,
„ pro brevi labore æterna beatitudine
„ fruitur, excipitur Angelorum choris,
„ Chriſtum ſequitur, & dicit, quæcum-
„ que audivimus, vidimus in civitate Do-
„ mini virtutum. „ Ex quibus omnibus
illud efformatur argumentum. Qui orant
pro nobis in Cęlis, quique aggregati ſunt
choris Angelorum in civitate Dei, jam
fruuntur viſione beatifica: atqui ex Patri-
bus, Sancti ſunt cum Angelis in Cęlis, im-

mo

mo & orant pro nobis Deum : ergo : &c.

Quintum ſeculum . *Ex Græcis Epiphanius* Hier. 78. " Sancti; *inquit*, ſunt in hono-,, re, quies ipſorum in gloria . Profecto ,, hinc in perfectioue ſors ipſorum in ,, beatitudine , in manſionibus ſanctis , ,, tripudium cum Angelis , dicta in ,, Cœlo . ,,

Theodoretus l. 8. ad Græcos , qui eſt de Martyribus, ſic loquitur : " Si Cœlum ſe-,, des illorum eſt, qui pie vixerunt, hunc ,, profecto finem curſus ſui & Martyres ,, jam conſecuti ſunt ; his enim magis ,, pium eſſe nihil poteſt . ,, Idem dicit Euſebius l. 4. v. 15. de S. Polycarpo .

Ex Latinis , *S. Proſper* l. 1. de vita contemplativa c. 1. ſic habet : " Secundum ,, Scripturæ ſermonem, tota humana vi-,, ta tentatio eſt ſuper terram : tunc eſt ,, tentatio finienda, quando finitur & ,, pugna, quando poſt hanc vitam pugnæ ,, ſuccedet ſecura victoria, ut omnes mi-,, lites Chriſti, qui uſque in finem vitæ ,, præſeutis divinitus adjuti ſuis hoſtibus ,, infatigabiliter reſtiterunt , laborioſa ,, jam peregrinatione tranſacta regnent ,, felices in patria, cujus hoc erit totum ,, præmium, ut vitæ contemplativæ ſimul ,, compos effecta inexplebiliter auctorem ,, beatitudinis ſuæ conſpiciat , de illo gau-,, deat , de illo quod ſperavit obtineat , ,, & in eo ad quod ſancte vivendo per-,, venerit , ſine fine permaneat . ,, Ex illis Patribus , Sanctorum animæ ſunt in honore , in requie , in patria, in Cœlo , ubi auctorem vitæ , quem videre concupierunt, tandem intuitive vident . Ergo , &c.

Sextum ſæculum . *E Latinis* , *Fulgentius* ſerm. de S. Stephano , ſic de eo loquitur : " Hodie miles de tabernaculo corporis ,, exiens , triumphator migravit in Cœ-,, lum . ,, Similia dicunt Patres ſubſequentium ſeculorum . Ex ſeptimo ſæculo , Gregorius Magnus l. 4. c. 5. Ex octavo, Damaſcenus in hiſtoria de Barlaan & Joſaphat . Ex nono , Aimo in caput ſextum Apoc. Ex decimo , Oecumenius in caput nonum Epiſt. ad Hebr. Ex undecimo , Theophilactus in caput 23. Lucæ , ubi ſic loquitur : " Dicendum eſt idem eſſe Para-,, diſum & regnum Cœlorum : nam La-,, tro eſt in Paradiſo ac regno ; alioqui ,, non frueretur perfecta bonorum parti-,, cipatione . ,, His omnibus accedit D. Thomas, qui 4. contra Gentes c. 91. ex profeſſo probat gloriam animæ ad ultimum uſque diem non differri .

Quinto , *Ex Ratione* , & *quidem multiplici* .

PRIMA . Quod eſt de fide definitum in pluribus Conciliis , debet teneri tanquam quid certiſſimum : ſed eſt definitum de fide in Floreutino & Tridentino , animas Sanctorum ab omni labe puras, in fine vitæ ſine mora videre intuitive Deum : ergo de facto ulla abſque mora Sancti fruuntur viſione beatifica .

Secunda . Illud eſt certum, quod Eccleſia nobis proponit in canonizatione Sanctorum : atqui Eccleſia proponit , decernit , & definit per Decretum Canonizationis , Sanctos eſſe in patria, & frui viſione beatifica ; ſic enim loquitur Leo X. in Bulla Canonizationis Sancti Franciſci de Paula : " Ad honorem omnipotentis Dei ,, ... de Fratrum noſtrorum ſpeciali con-,, ſilio & aſſenſu , decernimus & defini-,, mus, bonæ memoriæ Franciſcum de Pau-,, la , ejuſdem Ordinis Minimorum Inſti-,, tutorem , in cœleſti Jeruſalem inter Bea-,, torum choros jam receptum , æternæ-,, que gloriæ fuiſſe condonatum , ac ſan-,, ctorum Confeſſorum catalogo adſcriben-,, dum fore ; ipſumque hujuſmodi catalogo ,, impræſentiarum adſcribimus , & eum ,, tanquam Sanctum publice privatimque ,, colendum eſſe declaramus atque manda-,, mus, ſtatuentes ejus Feſtum die 2. men-,, ſis Aprilis ab univerſali Eccleſia an-,, nuatim celebrandum fore, & ab eo ſuf-,, fragia a Chriſti fidelibus implorari & ,, expectari poſſe . ,,

Tertia . Qui peregrinantur tantum a Domino, quando corporis ergaſtulo includuntur , illi vident Deum intuitive , cum ſunt a corpore ſoluti ; tunc enim præſentes ſunt cito citius ad Dominum , ſi nihil expiandum pro peccatis habeant : atqui Sancti ſolum in hac mortali vita peregrinantur a Domino , quandoque vero eorum animæ ab omni labe puræ exeunt ex hoc mundo : igitur dicendum firmiterque tenendum eſt animas Sanctorum de hac vita migrantes cito videre Deum intuitive , ſi nihil habent prius in Purgatorio juſtitiæ divinæ faciendum ſatis . Major patet , quia ex Apoſtolo primæ Corinth. 13. fides & ſpes evacuantur

poſt

poſt hanc vitam : & ſola remanet charitas. Probatur minor ex eodem Apoſtolo, qui ſecundæ Corinth. 5. ſic loquitur : *Dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino ; per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. Et iterum : *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Chriſtus autem aſcendit in Cælum, & ibi permanet, donec veniat judicare vivos & mortuos. Ex quibus ſententiis duo potiſſimum eruuntur : primum quidem, dum ſumus in corpore corruptibili, peregrinamur a Domino ; ſecundum vero, quod audemus & voluntatem habemus diſſolvi a corpore, & eſſe cum Chriſto : Ergo, &c.

Quarta. Lex juſtitiæ petit ut merces detur ſine mora mercenario, juxta illud Levitici 9. *Non morabitur apud te opus mercenarii tui uſque mane*. Et Prov. 3. *Spes quæ differtur, affligit animam*. Sed gloria debetur Sanctis propter pactum Dei, immo talis remuneratio eſt actus juſtitiæ ; ſic enim loquitur Apoſtolus ſecundæ ad Tim. 4. v. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolum mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus*. Ergo ſi Juſti e vita migrent ab omni labe puri, ſine mora viſione Dei intuitiva donantur, quæ eſt merces promiſſa ; alias ſi eſſent adhuc in ſpe, affligerentur, & quidem abſque cauſa, cum ſupponantur ab omni & culpæ & pœnæ reatu immunes. Iſta ratio eſt D. Thomæ, qui 4. contra Gentes ſic loquitur num. 2. " In vi-
,, ta iſta eſt ſtatus merendi, vel deme-
,, rendi ; unde comparatur militiæ & die-
,, bus mercenarii, ut patet Job 7. *Mili-*
,, *tia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut*
,, *mercenarii dies ejus*. Sed poſt ſtatum mi-
,, litiæ & laborem mercenarii, ſtatim de-
,, betur præmium . . . unde & Levit. 19.
,, dicitur : *Non morabitur opus mercenarii*
,, *tui apud te uſque mane*. Dominus etiam
,, dicit Joelis ultimo : *Cito velociter red-*
,, *dam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum*.
,, Statim igitur poſt mortem animæ vel
,, præmium conſequuntur, vel pœnam : ,,
tum quia, ut ibidem S. Doctor dicit, animæ ſunt viſionis Dei capaces ; tum quia, ut ſubdit, fuerunt cauſæ meriti principales, unde inconveniens foret, ſi corporis iteratam conjunctionem expectarent, ut gloria donarentur æterna.

Solvuntur objectiones ex Scriptura ſacra deſumptæ.

OBJICIES 1. Gloria ſeu viſio Dei eſt regnum celeſte : ſed illud regnum promittitur ſolum pro ſecundo Chriſti adventu, juxta illud Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*. Agitur ibi de ultimo Judicio ; nam ſubdit Chriſtus : *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* ; tum quia omnes Evangeliſtæ, cum de Juſtorum remuneratione inſtituunt ſermonem, aſſignant diem Judicii univerſalis pro illa comparanda gloria. Idem habet ſanctus Petrus Epiſt. 2. cap. 2. ſimiliter & Paulus Rom. 2. v. 5. Igitur non eſt verum dicere animas Sanctorum ſine mora videre intuitive Deum in exitu mortis.

Reſpondeo diſtinguendo : regnum Dei completum promittitur pro fine ſæculorum, concedo : incompletum, nego. Gloria animæ dicitur quidem regnum Dei, ſed incompletum eſt : gloria vero animæ ſimul cum corpore, completum vocatur ; tunc enim homo erit totaliter beatus. De iſto ſolum intelligi debent Scripturæ, cum aſſerunt gloriam in Judicio univerſali eſſe donandam ; quod autem non excludant gloriam ab anima ſtatim atque ſolvitur a corpore, ſi ſit ab omni reatu & culpæ & pœnæ pura, patet ex dictis, maxime ex illo Apoſtoli ad Philipp. cap. 1. v. 23. *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Et vero ſi gloria danda foret animæ tantum poſt reſurrectionem, ad quid Apoſtolus deſideraret ſolutionem a corpore ? ſed potius animæ cum corpore iteratam unionem concupiſceret.

Objicies 2. Matth. 28. operarii recipiunt ſolum ad veſperam denarium pro mercede : ſed veſpera ſignificat finem ſæculorum, denarius vero gloriam : ergo, &c.

Reſpondeo 1. Parabolas non eſſe quoad omnia quæ continent, adamuſſim & litteraliter explicandas, ut ſupra monuimus, & ut notat Chryſoſtomus in caput 20. Matth.

Reſpondeo 2. prædictam Parabolam a multis Patribus intelligi de vocatione Gen-

Digitized by Google

Gentilium, qui ad veſperam Legis Moſaicæ venientes, receperunt fidem, & in hoc ſenſu æqualem cum Judæis gratiam, qui primi laboraverant in vinea Domini, perceperunt. 3. Alii interpretantur de Judicio particulari, & de gloria quæ tunc datur quandoque æqualis ei qui in brevi magna charitate explevit tempora multa, qualis confertur illi qui multis quidem vixit annis, ſed non tam ferventer ſuam operatus eſt ſalutem. 4. Ab aliis exponitur etiam de gloria completa, ſcilicet de gloria tum corporis, tum animæ.

Objicies 3. Hebræorum 11. de Patribus veteris Legis dicitur: *Hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Sed repromiſſio eſt gloria, quæ quidem conſummabitur ſolum in fine ſæculorum. Ergo Patres nobiſcum illam accipient: igitur tantum poſt Judicii ſupremi diem.

Reſpondeo diſtinguendo: nam acceperunt repromiſſiones ſine Chriſto; namque dilatæ ſunt uſque ad primum ejus adventum; tunc enim aperuit Cœlos, & Deo quid melius providente, aſcenderunt cum Chriſto in Cœlum triumphantes, concedo: dilatæ ſunt uſque in diem Judicii, ſubdiſtinguo: quoad conſummationem, ordinavit enim Deus ut ſimul nobiſcum a dilecto Filio ſuo hanc publice acciperent, concedo: dilatæ ſunt quoad omnia, nego. Ita Aug. Tractatu 49. in Joan. "Notanda ſunt, inquit Bellarminus l. 1. de beatitudine Sanctorum c. 3. illa verba: *Ne ſine nobis conſummarentur*; non enim ait, ne ſine nobis remunerarentur, ſed ſine nobis conſummatam habeant mercedem."

Objicies 4. 1. Joan. 3. habetur: *Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Sed Chriſtus apparebit ſolum in fine ſæculorum, & tunc tantum ſimiles ei erimus. Rationem reddit, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Igitur ante Judicium univerſale, animæ Sanctorum non videbunt Deum; namque ſi jam viderent, jamque utique ſimiles ei eſſent, quod tamen eſt contra Apoſtolum, qui hanc ſimilitudinem rejicit uſque ad tempus quo apparebit Chriſtus cum poteſtate magna ad judicandum orbem terrarum.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: cum apparuerit Chriſtus, ſimiles ei erimus, tam ſecundum animam quam ſecundum corpus quod tunc temporis aſſimilabitur glorioſo Chriſti corpori: hoc ipſum indigitat Apoſtolus ad Philipp. c. 3. dicens: *Expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*; unde eſt ſermo de beatitudine completa, concedo: ſimiles ei erimus ſolummodo penes animam, nego. Quid plura? Animæ Sanctorum eatenus ſimiles Deo in exitu corporis etiam fieri dicuntur, quatenus tunc temporis vident Deum ſicuti eſt.

Reſpondeo iterum aliter diſtinguendo: cum apparuerit Chriſtus in hominum conſpectu, tunc ſane quid erimus & quomodo juſti, apparebit; tunc ſimiles Chriſto facti in gloria, cum ipſo judicabimus impios, immo & Angelos malos, concedo: cum apparuerit Chriſtus præciſe, nego. Vox, *apparuerit*, non refertur ad Chriſtum tantummodo ſecundum Apoſtoli mentem, ſed etiam ad nos juſtos. Similis eſt iſte ad Coloſſ. 3. locus, ut Beda monet: *Mortui eſtis, vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo; cum autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Ex quo ſequitur, locum primum intelligi de gloria conſummata; nunc autem ignoti ſunt impiis Sancti, ſed in reſurrectione apparebit quid ſunt juſti, quidve peccatores, juxta illud Sapientiæ 5. *Stabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt . . . videntes turbabuntur timore horribili, dicentes .... ii ſunt quos habuimus aliquando in deriſum .... ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.*

Objicies 5. Apocal. 6. v. 9. legitur: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* v. 10. *Clamabant voce magna, dicentes: Uſquequo, Domine, ... non judicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Sed eſſe ſub altare, eſt expectare gloriam; ſed petere judicium & vindictam, deſignat honoris dilationem uſque ad Judicium univerſale. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Bedam intelligere per altare, Chriſtum, ita ut ſenſus ſit: vidi animas quæ ſub Chriſto duce defenderunt & gloriam Dei, & ejus legem contra mundum,

dum, contra diabolum, contra paſſiones. Sic 2. Machab. 7. Machabæi dicuntur occiſi ſub teſtamento Dei, ideſt, pro teſtamento Dei, pugnantes duce lege contra principem mundi; & ſic ſenſus redditur duplex: vidi animas ſubtus altare, ideſt pugnantes Chriſto duce, vel pugnantes pro nomine & gloria Chriſti: igitur ſubtus non excludit gloriam.

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem: eſſe ſubtus altare, eſt expectare gloriam conſummatam; hoc ipſum patet ex eo quod animæ illæ petant judicium & vindictam ad juſtificationem & purgationem canonicam omnibus notam, quæ quidem uſque ad finem mundi reſervatur, concedo: eſt expectare gloriam animæ, nego; unde poſt verba in objectione allata, additur: *Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*. Stola alba ſignificat gloriam partialem, quæ data eſt animabus Sanctorum, donec Deus publice eorum vindicaret ſanguinem, propter quod illis dictum eſt, *ut requiſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum*.

Objicies 6. 1. Cor. 15. Apoſtolus probat nullam mercedem expectandam eſſe, ſi mortui non reſurgunt; & in hac hypotheſi homines omnium creaturarum miſerrimas pronuntiat: *Si mortui non reſurgunt*, inquit, *neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt, ſi in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Sed ibi merces aſſignatur ſolummodo poſt Judicium univerſale: igitur gloria nedum corporis, ſed & animæ, ad reſurrectionis uſque tempus rejicienda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ſi merces ſeu corona danda eſt poſt reſurrectionem noſtram, concedo: ſi tantum poſt Chriſti reſurrectionem, nego. Scopus Apoſtoli non eſt probare dilationem gloriæ animæ juſtæ, ſed reſurrectionem mortuorum contra negantes, ut patet ex ipſius verbis ibidem: *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Probat autem iſtud duplici momento, quia ſcilicet Chriſtus ipſe reſurrexit; deinde quia reſurrectio ejus eſt cauſa & noſtræ juſtificationis, & noſtræ propriæ reſurrectionis: juſtificationis quidem, ait enim: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*. Et iterum Rom. 4. v. 25. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: reſurrectionis vero, juxta illud ad Philipp. 3. *Expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Igitur gloria Juſtorum veteris legis dilata eſt uſque ad Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti; ſed Juſtorum gloria profecto non differtur uſque ad diem Judicii, niſi ſermo ſit de completa.

Objectiones ex ſanctis Patribus.

OBJICIES. Præter Patres qui admiſere regnum mille annorum poſt reſurrectionem, ſunt alii permulti etiam primorum ſæculorum percelebres, qui gloriam animæ differri uſque ad ultimum & univerſale Judicium cenſent: ſic ex conſtanti traditione patet non ſtatim poſt mortem Sanctos donari gloria: igitur animæ etiam ab omni labe puræ non vident intuitive Deum in exitu mortis. Probatur hæc traditio 1. ex Græcis Patribus. Origenes homil. 7. in Leviticum ſic loquitur: " Nondum Sancti receperunt lætitiam ſuam, nec Apoſtoli quidem, ſed & ipſi expectant ut ego lætitiæ eorum particeps fiam." Theodoretus in caput 11. ad Heb. " Sanctorum ergo tot & tanta fuerunt certamina, ſed hi tamen nondum coronas acceperunt." Theophilactus in eumdem locum: " Sancti, *inquit*, nihil adhuc celeſtium promiſſionum ſunt aſſecuti" Oecumenius in eumdem locum ſic ſcribit: " Omnes Sancti teſtimonium promeriti, quod per fidem placuerunt Deo, nondum conſecuti ſunt bona juſtis promiſſa." 2. Ex Patribus Latinis. Lactantius l. 7. c. 21. " Ne quiſquam putet, *inquit*, animas poſt mortem protinus judicari; nam omnes in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen." Victorinus Martyr in caput 6. Apocal. " Animas autem occiſorum dicit ſe vidiſſe ſub ara, ideſt ſub terra .... in noviſſimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventu-

„ ra

„ ra eſt damnatio . „ Prudentius in Hymno defunctorum, docet animas Juſtorum in exitu mortis abire vel in Paradiſum terreſtrem, vel in ſinum Abrahæ, quem dives ille ardens longe conſpexit ; ſic enim canit de anima juſta :

Recubabit ut illa Lazari ,
Quem floribus undique ſeptum
Dives procul aſpicit ardens , &c.

Mitto Hilarium , Ambroſium , Auguſtinum , Chryſoſtomum , Bernardum , de quibus redibit infra quæſtio ſpecialis ; unde ſic argumentor . Animæ quæ expectant gloriam , quæ nihil receperunt de promiſſionibus quæ ſunt ſub terra , certe non vident intuitive Deum in exitu mortis , tametſi ſint ab omni labe tum culpæ, tum pœnæ immunes ; ſed animæ Juſtorum , ex Patribus , expectant gloriam , nihil de promiſſionibus receperunt , & ſub terra jacent : ergo , &c.

Reſpondeo 1. generaliter traditionem ſumendam eſſe & ex unanimi Patrum conſenſu , & ex definitione Eccleſiæ : conſtat autem ex dictis , Patres celebriores tenuiſſe animas Sanctorum ab omni labe puras ſine mora donari viſione Dei intuitiva in exitu vitæ præſentis ; conſtat ex multis Patribus primorum ſæculorum , qui etiam ex propoſito & abjecerunt ut fabulam opinionem Millenariorum , & eam impugnarunt ; conſtat denique ex definitione Eccleſiæ .

Reſpondeo 2. traditionem abſolute loquendo , non ſumi ſolum ex ſcriptis Patrum , ſed ex conſuetudine perpetua Eccleſiæ ; eſt enim tranſmiſſio vivæ vocis oraculo oris ad os alicujus veritatis & dogmatis firmati uſu Eccleſiæ : jam vero Eccleſia Chriſti nunquam credidit tale regnum mille annorum ; immo a primis ſæculis invocavit Martyres ut cœli concives : licet igitur Patres aliqui contrarium docuerint , nihil in hoc ex traditione illa de veritate iſtius dogmatis detrahitur ; quia tamen nihil adhuc tunc temporis de fide determinatum erat , hæreſeos nota illos infuſcare non audemus , ſed eos ſolum qui poſt ſummorum Pontificum & Conciliorum definitionem , in erronea perſeverarunt ſententia .

Reſpondeo 3. quandoque Patres faviſſe Millenariorum ſententiæ propter venerationem erga Papiam , alias virum ſanctum , ſuſpenſos , aut pendulos circa hoc momentum manſiſſe , propter opiniones diverſas , quarum quælibet ſuos habebat diſenſores etiam graviſſimos : ſed ſi quæ loca dubia & obſcura ſint in eis , immo & dura , per clariora interpretari juvat & conveniens eſt .

Reſpondeo 4. in forma diſtinguendo : ſunt alii Patres præter primos , qui docent dilationem coronæ ad finem uſque mundi , vocetenus , & re minus examinata atque diſcuſſa , concedo : vere exacte , ſubdiſtinguo : aliqui & in parvo numero , qui & poſſunt benigne explicari , concedo : omnes , nego : immo multo plures docent contrarium .

Ad Origenem , dico eum loqui de beatitudine conſummata , quandoquidem lib. contra Celſum aſſerit beatitudinem dari Sanctis poſt exactos labores : certum eſt autem nullos eſſe adimplendos pro Juſtis ab omni reatu pœnæ puris poſt mortem , juxta illud Apocal. 14. verſ. 13. *Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant a laboribus ſuis ; opera enim illorum ſequuntur illos* .

Ad Theodoretum , ſimiliter reſpondeo diſtinguendo : Sancti nondum receperunt coronas completas , ſcilicet tum pro anima , tum pro corpore , concedo : pro anima ſimpliciter & ſolitarie , nego . Cum igitur homo non ſit completus , niſi corpus ſit cum anima conjunctum , corona pariter non cenſetur plena , donec Deus coronet corpus ſicut coronat & animam : quia vero homo in concreto ſolum eſt perfectus , & vocabulum , *ſanctus* , dicit concretum , etiam verum eſt dicere Sanctos nondum recepiſſe coronam , ſiquidem vox , *ſanctus* , dicit totum hominem ; ſed bene dicitur in abſtracto . Cum igitur anima ſit abſtractum , vera eſt iſta propoſitio : animæ Sanctorum jam ſunt beatæ , licet in rigore logico dici non poſſit , Sanctus eſt beatus , ſi *ſanctus* ſumatur ut ſonat , videlicet in concreto ; in quo tantum ſenſu loquitur Theodoretus , etenim lib. 8. ad Græcos dicit ſedem Martyrum nunc eſſe Cœlum .

Ad Theophilactum , utique diſtinguo : Sancti in abſtracto nihil receperunt de promiſſionibus , nego : in concreto , ſubdiſtinguo : pro corpore , concedo : pro anima ,

ma, nego: namque in caput 23. Lucæ, dicit bonum Latronem eſſe in Paradiſo, & Paradiſum idem eſſe ac regnum Cęlorum: a fortiori dicendum de ſanctis Martyribus, qui triumphant coronati in Cęlis. Neque vero plus urget Oecumenii auctoritas; eodem enim modo reſpondendum eſt, Sancti in concreto nondum receperunt bona promiſſa, ideſt, totus homo nondum eſt beatus, concedo: in abſtracto ideſt anima non eſt beata, nego. Quod autem hic ſit germanus Oecumenii ſenſus, patet ex ipſo, qui ſui ipſius interpres, in caput 9. ad Hebræos ſcribit non ſolum Chriſtum eſſe in Cęlo, ſed etiam, cum illuc aſcendit, multos ſecum adduxiſſe Patres & Sanctos veteris legis. Porro ſi Sancti iſti nunc ſint in gloria, etiam Sancti novæ legis ſecundum mentem tanti Doctoris, debent ibi & manere & triumphare.

Ad Prudentium, diſtinguo ſimiliter: animæ Sanctorum in exitu mortis abeunt in Paradiſum terreſtrem myſtice ſumptum, concedo: terreſtrem abſolute, nego. Loquitur parabolice Prudentius, quippe qui ſecundum captum rudiorum, explicat cœlum per vocem illam, *Paradiſum terreſtrem*; Cœlum enim poteſt dici figurative Paradiſus terreſtris, in quantum Deus plaſmaverat ab initio primum hominem, ut ex hoc loco, ſi fidelis permanſiſſet, tranſiret ad Cœlum: tum quia etiam Cęlum ſucceſſit Paradiſo terreſtri dato Adæ, in quo ſenſu poteſt a Prudentio dici Paradiſus terreſtris. Quod autem ille Pater non intelligat ſimpliciter & abſolute Paradiſum terræ, patet ex duobus: 1. in eodem Hymno dicit animam requieſcere in ſinu Abrahæ, ubi eſt Lazarus, a quo dives guttam aquæ petiit ad refrigerandam linguam; Lazarus autem ſecundum Evangelium per Angelos ſanctos in ſinum Abrahæ (*ſcilicet Dei*) translatus eſt. 2. In alio Hymno in honorem Beatiſſimæ Virginis hæc canit Prudentius:

O Virgo felix, o nova gloria,
Cæleſtis arcis nobilis incola.

Ad ultimum argumentum diſtinguo: Sancti expectant coronam completam, & ſunt ſub terra ratione corporis tantum, nihilque receperunt pro illo, concedo: expectant coronam animæ, & iſta eſt ſub terra, nego.

Reſpondeo denique ipſos Patres quos Millenarii pro ſe computant, non ſatis in hoc ſibi cohærere; namque Irenæus l. 1. c. 2. dicit quoſdam juſtos propter bona opera claritate æterna circumdari. Juſtinus q. 75. aſſerit verbis alioquin clariſſimis Judicium fieri poſt mortem, & Sanctos ſine mora coronari, impios vero damnari. Cæterum iſtas quæſtiones non eſſe Juſtini plures autumant; ſunt tamen antiquiſſimæ, adeoque & venerandæ. Audias etiam velim, benevole Lector, Sulpitium epiſt. ad Aurelium Diaconum de obitu ſancti Martini ſic loquentem: " Quanquam ſciam virum illum „ non eſſe lugendum, cui poſt devictum „ triumphatumque ſæculum, nunc demum „ reddita eſt corona juſtitiæ. „ Quænam, quæſo, corona juſtitiæ, niſi ea de qua loquitur Paulus, quam in viſione Dei intuitiva repoſitam prædicat?

Objectiones ex Ratione in Scriptura fundata.

OBJICIES. Chriſtus non ſtatim poſt reſurrectionem abiit in Cęlum, ſed per quadraginta dies apparens Diſcipulis, loquebatur eis de regno Dei, nonnunquam utique cum eis & manducabat & bibebat. Cum igitur animæ Sanctorum per omnia Chriſto aſſimilari debeant, ut primum ſunt a corpore ſolutæ, tametſi nihil emendandum habeant, non tamen cito citius & ulla abſque mora ad Cęlum convolare, nec oportet, nec conveniens eſt; ſed prius in terris commorari ad finem uſque mundi expedit: maxime cum ſpatium a morte juſti ad judicium uſque, tempus quadragenarium inter Reſurrectionem Chriſti & mirabilem ejus Aſcenſionem exhibeat & repræſentet. Igitur regnum mille annorum eſt admittendum.

Reſpondeo 1. comparationem non eſſe in omnibus; non enim Chriſti anima deſcendit, v. g. ad inferos, ut animæ Sanctorum ad ipſius inſtar deſcenderent, immo deſcendit & ut nunquam deſcenderent, & ut ab iis locis eriperet juſtos; præterea Chriſtus manſit in terris, non ut animæ Sanctorum uſque ad judicium manerent, bibendo & manducando, ſpiritus

quip-

quippe non veſcitur cibo carnali, ſed ut reſurrectionis hæc argumenta præberet Diſcipulis adhuc incredulis, juxta illud Actuum 1. v. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, & convescens præcepit eis*. Unde manducavit & bibit, ut ſenſibilem ſe præ oculis illorum præbens, ſuam probaret & reſurrectionem. Lucæ 24. v. 39. *Palpate & videte*, inquit, *ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: & Chriſtus immediate poſt mortem & reſurrectionem habebat gloriam completam etiam pro corpore, concedo: & non habebat, nego: igitur ut foret ſimilitudo ſaltem in aliquo, Sancti poſt mortem cito deberent habere gloriam animæ.

Inſtabis. Anima non debet beatificari ſine corpore, ſed corpus erit beatum ſolummodo poſt reſurrectionem univerſalem: ergo & anima. Probatur major. Corona datur propter bona opera: ſed bona opera ſunt a corpore & anima ſimul: igitur anima non debet beatificari ante corpus & ſine eo.

Reſpondeo negando majorem: nam, ut ait Bellarminus l. 1. de beatitudine Sanctorum c. 6. anima ſeparata eſt capax gloriæ, minime vero corpus abſque anima. Cur iſta ſecundum ſe ſpectata capax ſit gloriæ, e ratio eſt, quia eſt per ſe ſubſiſtens; nuſquam vero corpus a ſua ſeparatum forma, unde non eſt par ratio. Ad probationem diſtinguo: Corona datur propter bona opera, quæ ſunt ab anima ut a cauſa principali, unde non implicat illam beatificari ante corpus, concedo: quæ ſunt ab ea ut a cauſa minus principali, nego. Quinimmo corpus eſt ſolum veluti animæ inſtrumentum, nec eſt gloriæ capax, niſi per quandam gloriæ animæ in ipſum redundantiam, quæ in quibuſdam dotibus ſita erit. Igitur nullum eſt inconveniens animam donari gloria cœleſti, corpore in terris ſepulto commorante.

Objicies 2. Pœna non infligitur reprobis in exitu vitæ mortalis, igitur nec præmium juſtis confertur, eadem quippe lex eſt contrariorum. Probatur conſequentia. Idem judicium ferendum eſt de hominibus reprobis ac de Angelis apoſtatis; ſed iſti ſolummodo poſt judicium pœnas æternas luent pro peccato; & probatur multipliciter: 1. ex Scriptura; namque Matth. 8. ſic alloquuntur Chriſtum Dæmones: *Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Et Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Canonica dicit eos reſervari puniendos in extremo judicio, eo quod dereliquerint principatum. 2. Ex Patribus. Juſtinus Apolog. prima & ſecunda non dicit torqueri Dæmones, ſed torquendos. Irenæus l. 5. c. 26. expreſſe aſſerit Dæmonem nihil nunc pati, ſed ſolum eum paſſurum eſſe poſt judicium. Idem ſcribit Ambroſius in caput 8. Lucæ. Idem Hieronymus & Chryſoſtomus, aliique, ut videre eſt hic apud Bellarminum: immo exiſtimant Patres, iſtos non eſſe in inferno, ſed volitare per aerem; unde ab Apoſtolo dicuntur aereæ poteſtates: *Non habemus*, inquit, *luctamen adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus poteſtates tenebrarum harum*. Igitur dicendum utique pœnas aliorum reproborum uſque ad diem judicii remittendas, & a pari præmia pro juſtis.

Reſpondeo 1. Dæmones nunc torqueri in inferno, juxta illud ſecundæ Petri c. 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Et vero Angeli ſancti ubique ſunt beati, quippe qui ubique videant intuitive Deum, juxta illud de Angelis cuſtodibus in terris degentibus: *Angeli eorum*, inquit Chriſtus Matth. 8. v. 10. *ſemper vident faciem Patris*; e contrario Dæmones ubique torquentur, ubique enim & Deo privantur, & igne miris quidem, ſed tamen veris modis cruciantur: ita Venerabilis Beda commentario in cap. 3. Epiſt. B. Jacobi; ita Aug. l. de correpț. & grat. c. 10. ita S. Proſper l. 1. de vita contemplativa; ii enim & alii ſancti Doctores permulti Dæmones ubique eſſe & miſeros & jam judicatos aſſerunt. Sic docet perpetua Eccleſiæ traditio; unde ſi aliqui inter Patres oppoſitam tenerent ſententiam, in hoc profecto eis adhærere non fas eſt.

Reſpondeo 2. negando antecedens primi argumenti, & minorem ſecundi. Ad primam probationem ex Scriptura deſumptam, diſtinguo. Chriſtus venit ante tempus torquere dæmones, quoad quandam pœnam accidentalem, concedo: quoad pœnam eſſentialem, nego. Pœna duplex diſtinguitur, una eſſentialis, acciden-

dentalis altera : illa in privatione Dei & in igne cruciante potiſſimum ſita eſt, iſta vero in recluſione tam arcta, ut e lacu inferiori egredi nuſquam fas ſit, in confuſione publica, aliiſque ſimilibus pęnæ gradibus. Primam ſubeunt Dæmones ex primo damnationis ſeu reprobationis momento: ſecundam poſt judicium experituri dolebunt: eam tamen quadantenus paſſi ſunt illi ſpiritus nequam, qui duos homines e ragione Geraſenorum crudeliter vexabant, quatenus ab eis imperante Chriſto egredi compulſi ſunt: qua de cauſa ſupremum judicii diem vehementer abhorrent. " Cur autem, inquit Bellarminus l. 1. de beatitudine Sanctorum c. 6. ,, adeo trepident illam detruſionem in ,, abyſſum, hæ cauſæ eſſe videntur. ,, Prima, quia non poterunt amplius ho- ,, minibus nocere. Secunda, quia non ,, amplius extorquebunt ab ullo cultum ,, Deo debitum, ut modo faciunt, dum ,, ab Ethnicis & Necromanticis adoran- ,, tur. Tertia, quia tunc patebunt eo- ,, rum fraudes, & debilitas, cum om- ,, nes intelligent eos a viris, fęminis, ,, pueris ſuperatos. Quarta, quia non ſo- ,, lum a Deo, ſed etiam ab hominibus ju- ,, dicabuntur: nam etiam Angelos judica- ,, bimus, teſte Paulo 1. Cor. 6. ,, Addo quod tunc animo fracti & per omnia humiliati, illud Prophetæ vaticinium Pſal. 103. 28. in eis ad confuſionem adimplebitur: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*. Draco ille, ait Auguſtinus, eſt Satan, ipſe & ſui tunc temporis erunt in opprobrium & in perpetuam fabulam.

Eodem & non abſimili modo, fit ſatis inſtantiæ ex auctoritate Beati Judæ deprompta. Senſus igitur, illeque genuinus eſt, Dæmones reſervari complete & per omnem modum cruciandos ad ultimum uſque diem; nuſquam vero etiam nunc pęnam non ſubire eſſentialem ſeu principalem. Hæc interpretatio eſt D. Petri, qui utpote Theologorum ſupremus, loquitur de Dæmonum pęnis non in futuro, verum etiam in præſenti: *Rudentibus*, inquit, *inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Quæ vox, *detractos*, quid factum importat, ita ut ſenſus ſit: vinculis conſtrictos in tartarum emiſit cruciandos.

Jam venio ad quorumdam Patrum propoſitiones, quæ nobis adverſari videntur, quæque duplici concluduntur ſententia. Alii dicunt Dæmones non eſſe in inferno, ſed volitare per aerem. Nonnulli, ut Irenæus l. 5. c. 16. Juſtinus Apol. 1. aſſerunt non eſſe ante diem judicii univerſalis torquendos. Sed dato plurimos ad exercitium hominum volitare per aerem, attamen ſicut Angeli cuſtodes, teſte Evangelio, ubique & ſemper vident faciem Patris, ita & tentatores hominum pęnas peccato debitas ubique ſubeunt. Igitur cum Patres non cruciatos, ſed cruciandos aſſerunt, de pęna conſummata & ad ultimum gradum extenſa profecto loquuntur; ſin minus, nec fides in hoc momento habenda foret. Angelos quippe apoſtatas nunc a pęna exemptos pronuntiare, adverſatur traditioni.

Bellarminus utramque ſolvit difficultatem; ſic enim ibidem c. 6. loquitur: " ,, Reſpondeo Dæmones multos nondum ,, eſſe demerſos in abyſſum, ſed in aere ,, hoc noſtro caliginoſo verſari ad exerci- ,, tationem hominum; unde Apoſtolus ad ,, Epheſios 2. eos vocat principes aeris ,, hujus, nihilominus tamen omnes Dæ- ,, mones jam nunc puniri, tam pęna da- ,, mni quam pęna ſenſus; non enim ſunt ho- ,, minibus meliores, & tamen hominum im- ,, piorum ſpiritus jam demonſtravimus luere ,, pœnas gehennæ, ac propterea, cum ,, ſanctos angelos, qui in veritate ſtete- ,, runt, ex Evangelio conſtet ſemper ,, videre faciem Dei, cur non etiam ,, conſequens ſit, ut Angeli rebelles ju- ,, dicium Dei ſuſtineant? Quare recte ,, Beda in Commentario c. 13. Epiſt. S. ,, Jacobi ſcribit, quocumque Dæmones vo- ,, litent, eos ubique ſuam gehenam cir- ,, cumferre. Et S. Auguſtinus l. de corr. ,, & gr. c. 10. ac S. Proſper l. 1. de ,, vita contemplativa, Dæmones jam ju- ,, dicatos, ac miſeros effectos docent. ,, Subjicit poſtea: Juſtini, Irenæi, Epi- ,, phannii atque Oecumenii ſententiam non ,, video quo pacto ab errore poſſimus de- ,, fendere. ,, Exiſtimat contrarium ſentire, ſed pie & juſte poſſunt explicari ſecundum ſolutionem datam. ,, Cæterum, ,, inquit idem Bellarminus, non oportet ,, inde colligere, eos hoc tempore non ,, torqueri: nam etſi vere torquentur, ,, & ſecum gehennam portant, ut ait Beda, ,, tamen pęnarum ſuarum plenitudinem in ,, die judicii habebunt, quando inferorum

car-

Google

„ carceribus concludentur : quod pœnarum complementum adeo timent, ut in Exorciſmis nulla re magis torqueri videantur, quam comminatione futuri judicii ; quæ etiam cauſa eſt cur Exorciſmi fere concludi ſoleant, *Per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos*, *& ſæculum per ignem*. „

Objicies 3. Juſti viatores conſociantur juſtis defunctis, uniuntur quippe & in Chriſto & in fide, unicam componentes ſocietatem, ut patet ex Apoſtolo dicente Rom. 12. v. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto*, *ſinguli autem alter alterius membra*. Ex quo infert Calvinus l. 3. Inſtitutionum c. 20. §. 20. ſolum Chriſtum ingreſſum fuiſſe Cœlos, juſtos vero, nimirum Patres, Martyres, Confeſſores & Virgines, manere in atrio uſque ad diem judicii. Enimvero, inquit, qui unicam componunt ſocietatem, qui ſunt ejuſdem capitis membra, quippe unicum Eccleſiæ conſtituunt corpus, debent utique eſſe omnes ſimul : ergo juſti in pace defuncti alios qui futuri ſunt, uſque ad conſummationem ſæculi, ut gloria donentur, expectare debent.

Reſpondeo diſtinguendo : qui faciunt eamdem ſocietatem ſpecificam, debent eſſe ſimul, concedo : eamdem genericam, ſubdiſtinguo : debent eſſe ſimul, ideſt, eumdem dominum habere, & ad eumdem finem tendere, concedo : ideſt, eſſe in eodem loco, nego. In regno omni eſt ſocietas duplex & unus finis ; ſcilicet ſocietas Aulicorum cum Principe ſeu Rege, & ſocietas univerſalis, quæ eſt cæterorum Principis ſubditorum ſimul degentium ſub eodem regimine, ſub iiſdem legibus, ſub eodem Principe, qui ſua obedientia, fide, vectigalium ſolutione, &c. in eodem regno uniuntur ſub eodem capite, a quo reguntur, vivunt & militant. Finis eſt publica tranquillitas, ad quam omnes tendunt. Sed non omnes ſunt in aula, non omnes familiari præſentia Regis perfruuntur, non omnes donantur dignitatibus procerum regni ; ad hoc ſolum per magnos labores, magnamque fidelitatem pervenitur. Simili prope modo res ita ſe habet in regno cœleſti : omnes namque juſti ad hoc tendunt, ut Deo in gloria conjungantur : ſed ſoli Sancti poſt exactos labores recipiuntur in aula Principis. Omnes uniuntur in Deo per charitatem ; ſed viatores in fide ambulant, Sancti vero in ſpecie, inquit Auguſtinus. Omnes faciunt unicam, eamque genericam ſocietatem ; ſed ſpecialem Sancti componunt in cœlo, omnes quidem ejuſdem corporis membra : ſed cum ſint myſtica & moralia, non implicat perfectiora donari gloria ante alia, donec & ipſi occurrant in virum perfectum, & pervenerint ad plenitudinem ætatis Chriſti.

Ex Liturgiis.

OBJICIES. Illi non donantur viſione beatifica, pro quorum gloria & requie Eccleſia fundit preces : atqui Eccleſia tum Græca tum Latina fundit preces pro omnibus defunctis ſine diſtinctione, etiam pro Martyribus, etiam pro Apoſtolis, immo pro ipſa B. Virgine, Angelorum & Sanctorum Regina : igitur nullus eorum ante reſurrectionem univerſalem donatur gloria ; non enim credibile eſt Eccleſiam errare in facto tanti momenti. Probatur minor, in qua eſt difficultas, 1. auctoritate Eccleſiæ Latinæ. Sacramentarium Gelaſii in Feſto S. Marcelli ſic habet : *Ut illum beata retributio comitetur*. Antiqua Miſſalia ad uſum Romanæ Eccleſiæ, ut refert Innocentius III. c. *Cum Martha*. *Extra. de celebratione Miſſarum*. in Feſto S. Leonis legunt : *Ut anima Beati Leonis proſit oblatio*. Miſſale Moſarabicum orat. pro Apoſtolis & Martyribus. Etiam nunc legit Miſſale Romanum : *Sicut Sanctis tuis proſint ad gloriam*, *ita nobis proficiant ad medelam*. Sed ſi prodeſt ſacrificium ad gloriam, ergo illam nondum habent Sancti. 2. Eccleſia Orientalis ſimilia dicit. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum c. 6. & 30. orat *pro defunctis Martyribus*, *& omnibus a ſæculo Sanctis*. Liturgia D. Jacobi ſic habet : *Memento ſpirituum univerſæ carnis ab Abel juſto uſque ad hodiernam diem*. Liturgia S. Marci ſic habet : *Patrum*, *Patriarcharum*, *Prophetarum*, *Apoſtolorum*, *Martyrum . . . . . horum omnium animabus dona requiem*. Similia continet Liturgia S. Baſilii. Miſſale Gregorii Theologi adſtipulatur. Epiphanius hæreſi 75. n. 7. Liturgia S. Chryſoſtomi orat *pro Patriarchis*, *Prophetis*, *Apoſtolis . . . . Martyribus*, *ac præcipue ſanctiſſima Deipara*. Liturgia S. Cyrilli Alexand.

legit :

legit: *Patriarcharum, Prophetarum* ...... *Dei Genitricis Mariæ* ...., *requieſcant animæ eorum, &c.* Liturgia Syriaca: *Offerimus pro Patre noſtro Adamo, & ſancta Dei Genitrice Maria, & Prophetis & Apoſtolis* .... *& Martyribus, omnibus denique fidelibus. Deus, præſta eis requiem, bonamque memoriam, ac potiſſimum ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ* ..... *tribue requiem animabus eorum, eorumque corporibus, & aſperge rorem miſerationum ſuper oſſa eorum.* Similia dicit Liturgia Æthiopum.

Reſpondeo 1. in genere diſtinguendo minorem. Eccleſia fundit preces pro omnibus indiſcriminatim ad gratiarum actionem, concedo: ad gloriam accelerandam, ſubdiſtinguo: gloriam corporis, concedo: gloriam animæ, nego. Eccleſia offert ſacrificium & fundit preces, ut Deo gratias agat pro eo quod poſt magnos & exantlatos labores, tandem ad finem & portum ſalutis æternæ Sancti pervenerint: orat etiam ut Deus concedat illis in fine ſæculorum gloriam corporis. Quia vero homo totus eſt anima ſimul & corpus, & ipſe erit integer ſolum in reſurrectione: ideo Eccleſia orans pro gloria corporis, ſimpliciter orat pro Sanctis: ſed hæc orandi formula profecto non excludit gloriam animæ.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo minorem: Eccleſia orat indiſcriminatim pro omnibus, & diverſa deprecatur pro eis, concedo: & eadem expoſtulat, nego. Petit refrigerium pro animabus in Purgatorio detentis, gloriam corporis pro omnibus; gratias agit pro Beatiſſimæ Virginis gloria conſummata, quæ, ut pie credimus, eſt in Cœlo ſecundum animam & corpus: orat denique ut ſimus & meritorum & gloriæ Sanctorum participes. Hoc ipſum patet ex Liturgia Syriaca, quæ petit gloriam corporum pro Sanctis; & ex aliis mementis. Et vero Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 8. c. 13. ait: " Sanctorum Martyrum memores „ ſimus, ut digni habeamur participes „ fieri eorum certaminis. „ Dionyſius de Cæleſti Hierarchia c. 3. " Sanctarum ani„ marum quæ poſt pacem adhibetur com„ memoratio, eos qui pie & ſancte vixe„ runt, laudibus afficit; nos vero ad „ divinam eorum ſortem hartatu & manu „ ducit; illos ut vivos prædicat, non ut „ mortuos, ut qui a morte ad divinam „ vitam migraverint. „ Cyrillus Hier. catech. 5. " Hoc ſacrificium tibi offeri„ mus, ut meminerimus etiam eorum „ qui ante nos obdormiunt; primum Pa„ tiarcharum, Prophetarum, Apoſtolo„ rum, Martyrum, ut Deus orationibus „ illorum ... ſuſcipiat preces noſtras: dein„ de pro defunctis ... Patribus ..... deni„ que pro omnibus oramus, qui inter nos „ vita functi ſunt: maximum credimus „ animarum juvamen, pro quibus offertur „ precatio. „ Chryſoſtomus homil. 21. in Acta, idem dicit. Aug. ſerm. 151. n. 1. " Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles no„ rint, cum Martyres eo loco recitantur „ pro altare Dei, ubi non pro ipſis ora„ tur. Injuria eſt enim pro Martyre ora„ re, cujus nos debemus orationibus com„ mendare. „ Nicolaus Cabaſilas explicans Liturgias Græcas c. 33. aſſerit preces fundi & ſacrificium offerri pro Martyribus ſolummodo in gratiarum actionem, vel etiam ut gloriæ per eorum merita ſimus participes.

Reſpondeo 3. uſum Eccleſiæ perantiquum eſſe invocare Sanctos in Canone Miſſæ tanquam glorioſos milites in Cœlis & coronatos & triumphantes: quando igitur occurrit aliquod, aut æquivocum, aut penitus obſcurum in Liturgiis, hoc intelligendum eſt ſecundum diſtributionem accommodam, & in ſenſu ab Eccleſia intento.

Inſtabis. In Liturgiis citatis expoſtulat Eccleſia requiem pro Martyribus, immo pro ipſa Deipara Virgine: ſed petere requiem, eſt petere gloriam animæ, quandoquidem ſi Sancti jam eſſent in gloria, eſſent utique in requie: igitur ex Liturgiis liquet gloriam etiam animæ reſervari uſque in finem mundi.

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Eccleſia ſic petit pro Sanctis requiem, hoc eſt, gloriam extrinſecam, concedo: intrinſecam, nego. Gloria eſt ſecundum Ambroſium, clara cum laude notitia, & duplex aſſignatur; alia quidem intrinſeca, & eſt viſio Dei: cum ea omnia bona veniunt pariter & innumerabilis honeſtas, de qua ſermonem faciens Propheta ait: *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum;* alia vero extrinſeca, quæ potiſſimum conſiſtit & in bona fama, & in

cultu

cultu ab hominibus cum laude exhibito ; hanc ipſe Chriſtus Joannis 17. a Patre expoſtulat his verbis : *Pater , clarifica me claritate quam habui apud te priuſquam mundus fieret* ; ideſt , concede mihi ut ſicut tu ab æterno me agnoſcis & habes in Filium , ita & cognoſcant & credant homines quia tu me miſiſti . Hanc ipſam expoſtulat Eccleſia pro Sanctis, videlicet ut apud homines tanquam amici Dei habeantur, & debito afficiantur cultu, immo & requiem habeant ab hæreticis & impiis, qui eos contumeliis laceſſere non deſinunt , quam quidem requiem. Liturgia Syriaca vocat bonam memoriam , quamque pro eis ſuppliciter deprecatur & expoſtulat .

Inſtabis . Eccleſia in die mortis defuncti, quamvis ſanctiſſimi, petit pro ejus anima æternam requiem : ergo non credit Sanctos , etiam ab omni reatu tum culpæ tum pœnæ puros, ſine mora gloria donari eſſentiali .

Reſpondeo diſtinguendo : orat Eccleſia indifferenter & abſque delectu pro omnibus defunctis , quia inſcia & incerta eſt de animarum refrigerio & ſtatu , concedo : & cognoſcit ſtatum , nego . Si certior facta foret de animarum puritate & omnimoda ſanctitate , profecto non Pſalmos Pęnitentiales, non lugubres Hymnos, verum potius laudis & gratiarum actiones decantaret ; ſicut in die ſepulturæ pueri poſt baptiſmum e vita migrantis de facto concinit , ſic dulci & ſuavi modulamine jubilationis Pſalmos in honorem Martyrum decantare non ceſſat .

Inſtabis. Pervetuſta Eccleſiæ Latinæ Liturgia orat pro gloria Sanctorum, eamque votis repetitis efflagitat.: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo ut ſupra: Eccleſia orat pro gloria corporis Sanctorum , concedo: pro gloria animæ, ſubdiſtinguo: extrinſeca, ut digno eos omnes proſequantur cultu & honore, concedo : pro gloria intrinſeca , quæ in viſione Dei potiſſimum ſita eſt , nego .

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Animæ Sanctorum ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ immunes , abſque mora & dilatione , donantur gloria æterna .

PRIMO . Hoc ipſum non in uno & altero ſed multiplici loco indicat Scriptura Sacra, ut Eccli. 7. Act. 7. Epheſ. 4. ſed maxime Lucæ 23. his Chriſti ad Latronem verbis : *Hodie mecum eris in Paradiſo* .

Secundo . Patres utriuſque Eccleſiæ idem conclamant ; huic accedit definitio Concilii Florentini , & Tridentini.

Tertio . Ratio ſuffragatur ; Lex enim juſta vult & ſtatuit coronam parta & completa victoria citius donari ; tum quia Sancti nullo tenentur peccatorum vinculo , quod ſolum eorum gloriæ gradum ſiſtere valet .

SYNOPSIS RESPONSIONUM

AD DIFFICULTATES.

PRIMO . Variis quidem in locis Scriptura gloriam ad Chriſti adventum uſque rejiciendam eſſe indigitat : ſed vel loquitur de gloria animæ Patrum veteris Legis , qui Chriſti expectabant adventum, ut e Limbis ejus imperio liberati , ipſum in Cęlis die Aſcenſionis ſequerentur; vel de gloria conſumpta quam in ſecundo ſuo adventu in fine ſæculorum præſtabit . Eo prope modo explicandi ſunt Patres, quum ſimiles pronuntiant ſententias , niſi eos adhæſiſſe Millenariis conſtet : & tunc ne quidem minimum quidquam urgent .

Secundo . Ultro fatemur omnes Sanctos unicam ſocietatem unicumque myſticum Eccleſiæ corpus conſtituere : ſed hoc unum etiam tantummodo probare perſpicuum eſt , videlicet eadem gloria conſummata eſſe donandos . Verum nihil prohibet animam primum glorificari, coronam vero omnibus abſolutam numeris expectare , donec compleatur numerus fratrum , & ipſa ſuo iterum conjungatur corpori , quod cum ſit cauſa bonorum operum minus principalis , aliquandiu ſub altari quieſcere non implicat .

Tertio. Scimus & preces fundi , immo & ſacrificium offerri , nedum pro juſtis , quorum incerta glorificatio, verum etiam & pro Martyribus, immo & pro Beatiſſima Virgine . Aſt conſideranti patebit diverſa eſſe pro diverſis motiva : Eccleſia quippe orat pro refrigerio electorum , quos in pace Chriſti putat eſſe defunctos; in gratiarum vero actionem pro Apoſtolis & Deipara, ſine fine benedicens Domino,

eo

Digitized by Google

eo quod eos ad tantum & dignitatis & gloriæ gradum evehere ipſi complacuerit; nuſquam vero pro illorum requie, niſi ad ſummum extrinſeca, nimirum ut impii contumeliis eos laceſcere deſinentes, debito & cultu & honore afficiant.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus impegerit in errorem Millenariorum.

CONCLUSIO.

S. Hilarius Pictavienſis non impegit in errorem Millenariorum.

Probatur multipliciter.

PRIMO, ex D. Hieronymo, qui Epiſt. ad Lætam, dicit ſcripta Hilarii luce clariora eſſe, & unumquemque inoffenſo pede ea percurrere poſſe.

Secundo. In Pſal. 14. n. 5. ipſe Hilarius dicit Sanctos in ſublimitate Domini cum Angelorum choris requieſcere.

Tertio. In Pſal. 64. n. 5. " Beati ſunt, „ *inquit*, qui jam a Deo ad habitandum „ in Tabernaculis ejus electi ſunt. „

Quarto. In Pſal. 119. nu. 1. " Chriſti „ conſortium pia mors acquirit. „ Ibidem n. 4. " Adam veniam confeſſus, „ glorificatus in Chriſto eſt. „

Unde ſic argumentari licet. Ille non impegit in errorem Millenariorum, cujus ſcripta quiſque poteſt inoffenſo pede percurrere, qui dicit Sanctos ab omni labe puros, & requieſcere in ſublimitate Domini cum Angelorum choris, & jam eſſe in Tabernaculis, & Chriſti conſortio congaudere, immo eſſe glorificatos: atqui ſic docet S. Hilarius: ergo non impegit in errorem Millenariorum. Major, in qua ſolum eſt difficultas patet quoad primam partem ex Hieronymo: quoad ſecundam etiam & quoad alias partes, facile probatur. Requieſcere in ſublimitate Domini cum Angelis, eſt, teſte Dionyſio, ſupremus contemplationis gradus, & ipſa Dei viſio intuitiva: eſſe in Tabernaculis, eſt, teſte Hilario in Pſal. 64. eſſe in manſionibus Evangelii: habere vero Chriſti conſortium, eſt vita æterna; de fide enim eſt Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum, & ibi manere, ut explicat Symbolum Nicænum: igitur qui ſunt cum Chriſto, ſunt in Cœlo. Denique ipſe Hilarius aſſerit Adamum jam glorificatum. Quid, quæſo, glorificatum importat, niſi eſſe in gloria? Igitur liquet Hilarium non impegiſſe in errorem Millenariorum.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES. Hilarius credidit gloriam Sanctorum differri uſque ad reſurrectionem generalem: ergo impegit in errorem Millenariorum. Probatur antecedens. In Pſalm. 66. ſic loquitur " Placebo Domino „ in regione viventium; animam videli„ cet ſuam in requiem beatæ illius reſur„ rectionis hortatus. „ Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens, ut patet ex probationibus. Ad confirmationem, diſtinguo: & ibi nomine reſurrectionis intelligit gloriam animæ, concedo: & non intelligit, nego. Duplex diſtinguitur reſurrectio, una late, altera ſtricte ſumpta. Prima, eſt bona mors Sanctorum, qua veluti reſurgunt, relinquendo vitam caducam, ut novam & ab omni malo tum culpæ, tum pœnæ immunem ſumant, propter quod dicitur Pſalm. 115. v. 5. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. Secunda eſt iterata ſumptio corporis & ejuſdem glorificatio. De prima loquitur Hilarius, cum ſermonem facit de Martyribus, qui poſt exactos labores tranſeunt, *inquit*, in refrigerium & requiem, & hoc immediate poſt mortem, & hoc conſummato ſacrificio corporis per martyrium. Sui ipſius interpres eſt his verbis ſequentibus: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, tranſivimus per ignem & aquam;* " glorioſas videlicet Marty„ rum mortes commemorat, gladii, „ ignis, profundi: ſed qui tranſit per „ ignem & aquam, non in his aboletur, „ ſed in aliud per illa tranſducitur...... „ *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Eripuit animam meam de morte, oculos meos de lacrymis, & pedes meos de lapſu. Bene placebo Domino in regione viventium;* " animam „ videlicet ſuam in requiem beatæ il„ lius reſurrectionis hortatus, in qua poſt „ mortis iſtius tempus, omni humanarum cala-

„ calamitatum labe deterſa, non dole„ tur, non fletur, nou peccatur, ſed vi„ vitur . . . . *Introibo in domum tuam in holocauſtis*. “ Holocauſta ſunt integra ho„ ſtiarum corpora . . . . . Per hæc igitur „ genera pęnarum Martyres in fidei te„ ſtimonium corpora ſua holocauſta vo„ verunt; ut in Dei domum, ideſt, in „ cęleſtis domicilii habitationem, con„ ſummatis hoſtiarum ſuarum ſacrificiis, „ introirent. „

Inſtabis. In Pſal. 120. n. 60. de animabus e corpore exeuntibus ſic loquitur Hil. “ Exeuntes de corpore ad introitum il„ lum cęleſtis regni per cuſtodiam Do„ mini fideles omnes reſervabuntur, in „ ſinu ſcilicet interim Abrahæ collocati, „ quo adire impios interjectum chaos pro„ hibet. „ Quibus poſitis, ſic arguitur: Qui exiſtimat juſtos cuſtodiri in ſinu Abrahæ, donec introeant iu regnum cęleſte, credit, ſicut Millenarii, animas Sanctorum non donari gloria niſi in fine ſæculorum: atqui ſic docet Hilarius: ergo, &c.

Reſpondeo 1. S. Hilarium intelligi poſſe de animabus Patrum veteris Legis, quæ in fide Abrahæ requieverunt, uſque ad adventum Chriſti, qui quidem aſcendens in Cęlum, captivam duxit ſecum captivitatem, Patres ſcilicet & Iuſtos in Limbis detentos.

Reſpondeo 2. Ad difficultatem propoſitam, diſtinguendo: & Hilarius in loco objectionis loquitur de regno Patris, concedo: de regno Chriſti, nego. Duplex diſtinguit regnum S. Doctor; alterum ſcilicet Patris, & eſt ab Aſcenſione Chriſti uſque ad ultimum Iudicii diem; alterum Chriſti, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & eſt a judicio per totam æternitatem. Iſtud vocat regnum Chriſti, non quod non ſit etiam regnum Patris, ſed quia tunc ſuam præcipue Chriſtus exercebit poteſtatem, tum damnando impios, tum confirmando ſententiam vitæ pro electis, tum etiam retribuendo eis gloriam conſummatam; unde dicit Hilarius animas quieſcentes in ſinu Abrahæ, ſcilicet Dei, expectare, donec introeant cum corpore in regnum Chriſti, ideſt regnum per ſententiam Chriſti confirmatum; jam vero cum anima in exitu mortis ſola introivat in cęlum, ſi eſt ab omni ſorde immunis, benedicitur iteratus introitus, quando corpus utique introibit, ſeu totus homo: immo locus in objectione adductus catholicam firmat ſententiam; ibi ſiquidem loquitur Hilarius de gloria conſummata quæ dabitur homini completo, unde dicit fideles reſervari, ideſt, animas cuſtodiri in ſinu Dei: corpus vero ſub altari jacet, inquit Ioannes, ſeu ſub terra.

Inſtabis. Idem Hil. in Pſ. 138. n. 22. in illa verba, *ſi deſcendero in infernum, ades*, dicit: “ Lex neceſſitatis ut conſe„ pultis corporibus ad inferos animæ de„ ſcendant, quam deſcenſionem Dominus „ non recuſavit. „ Ex quo iſtud conficitur argumentum: Qui exiſtimavit animas Sanctorum in exitu vitæ deſcendere ad inferos, non credidit tunc convolare ad Cęlum: atqui: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Tertullianum l. de anima c. 5. docere animas etiam Sanctorum deſcendere ad loca inferiora, ut ibi Limbos tranſeunter luſtrent, ad exemplum Chriſti, qui deſcendit ad liberandos Patres. Dico, tranſeunter; non enim dicit ibi diutius commorari, alias Chriſtum, qui cito egreſſus aſcendit ad Cęlum, non perfecte imitarentur; ſed hanc opinionem Eccleſia nuſquam agnovit veram, quam tamen aliqui Patres, ut Hilarius, mutuati ſunt a Tertulliano: ſed hoc nihil urget contra aſſertionem: unde

Reſpondeo 2. in forma: S. Hilarius dicit animas Sanctorum deſcendere ad inferos, diſtinguo: ſi habeant aliquid purgandum, deſcendunt enim in Purgatorium, concedo: ſi nihil habeant purgandum, ſubdiſtinguo: deſcendunt ad tempus breve, ut Chriſtum imitentur, juxta ſingularem Hilarii opinionem, concedo: ut ibi remaneant ad ultimum uſque judicii diem, nego. Licet igitur Hilarius crediderit animas Sanctorum tranſire tantiſper per Limbos, aut per Purgatorium, vel ad imitationem Chriſti, qui deſcendit ad inferos, vel ad majorem purgationem & perfectionem, non putavit tamen ibi remanere uſque ad judicium.

Urgebis. Idem l. 11. de Trin. n. 39. de ultimo judicio loquens, ait: “ Tradet au„ tem Chriſtus Deo Patri regnum, & „ tunc, poſtquam regnum Deo tradiderit, „ Deum videbunt. „ Sed per regnum tradendum Patri in judicio, intelligit juſtos, & addit eos poſtea Deum fore viſuros; ſcilicet poſt judicium: igitur ex Hil.

illu-

Digitized by Google

ſillum ante judicium univerſale nec intuebantur, nec videbant.

Reſpondeo diſtinguendo: Hilarius intelligit juſtos in concreto & cum corpore, concedo: juſtos ſolum in abſtracto & ſecundum animas, nego. Juſti enim in ſe completi & gloria tum in anima tum in corpore glorificati, regnum & civitatem ſanctam triumphantem, quæ ſemper reſultabit laudibus, component; unde loquitur de gloria completa. Igitur diſtinguo & aliam partem argumenti: & tunc, ſcilicet poſt judicium, videbunt Sancti Deum viſione completa & conſummata promanante a toto homine, concedo: videbunt viſione eſſentiali, quam antea non habebant, nego.

Iterum inſtabis. In Pſal. 62. n. 3. ait Hil. „ Hoc animæ deſiderium & ſitis ſpei „ ejus ut Dei ſibi proveniat aſpectus, ut „ quimprimum raptus in nubibus Deo „ Chriſto obviam elevatus appareat. „ Sed deſiderare, non eſt habere, ſed deſiderare rapi obviam Chriſto in nubibus, eſt deſiderare ſolummodo gloriam pro reſurrectionis tempore: igitur antea animæ Sanctorum non videbunt Deum: igitur ex Hilario, gloria differtur ad ultimum uſque magni diei judicium.

Reſpondeo. S. Hilarium loqui ſolum de gloria completa, quæ eſt profecto in ſpe, ſeu potius in deſiderio. Quidam etiam Theologi volunt Hilarium loqui de juſto qui eſt in via, qui quidem vitam deſiderat æternam, viſionem ſcilicet Dei, dicens cum Propheta Regio Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus*. Viator autem deſiderat gloriam tum animæ, tum corporis, & cum hæc conſummatio erit a Chriſto judicante vivos & mortuos, addendo gloriæ animæ gloriam corporis: ideo Hilarius mentionem facit de Chriſto, qui veniet in nubibus cum poteſtate magna.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Hilarius non impegit in errorem Millenariorum.

PRIMO: Quia ex Hieronymo, inoffenſo pede quiſque poteſt ejus percurrere ſcripta.

Secundo: Quia dicit Sanctos cum Angelorum choris in ſublimitate Domini requieſcere.

Tertio: Quia aſſerit eoſdem Chriſti habere conſortium. Certum eſt autem Chriſtum aſcendiſſe in Cælum, & ibi ſedere ad dexteram Patris, ut dicit Symbolum Nicænum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. S. Hilarius vocat requiem animæ reſurrectionem; ſed intellige reſurrectionem primam, quam vocat mortem pretioſam in conſpectu Domini.

Secundo. Dicit animas Sanctorum reſervari in ſinu Abrahæ, ut ex hoc loco gradum facientes, introeant in regnum Dei: verum loquitur de gloria completa, quam regnum Chriſti per antonomaſiam nuncupat; quia tunc Dominus Jeſus ab omnibus cognoſcetur nationibus, judicabit quippe orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate, tunc omnia ſubjicientur illi.

Tertio. Quandoque idem aſſerit Hilarius animas ab omni labe puras deſcendere in infernum: ſed hoc dato & non conceſſo, non in eo intelligit ſenſu, ut ibi commorentur, ſed potius ut Chriſto per omnia aſſimilatæ, in cælum convolent: & ſi quando aſſerit illas aut deſiderare, aut etiam ſperare conſpectum Dei, procul dubio ſermonem de gloria completa inſtituit & facit.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum S. Ambroſius crediderit gloriam animæ Sanctorum differri ad ultimum uſque judicii univerſalis diem.

CONCLUSIO.

S. Ambroſius non credidit gloriam animæ Sanctorum differri ad ultimum uſque judicii univerſalis diem.

Probatur ex ipſomet Ambroſio multipliciter.

PRIMO etenim, l. 7. Epiſt. 59. ad Theſſ. ſic loquitur: " Acholius ſuperio-

„ riorum incola, poſſeſſor civitatis æter-
„ næ, illius Jeruſalem quæ in Cœlo eſt,
„ vidit illic urbis ejus menſuram immen-
„ ſam, purum aurum, lapidem pretio-
„ ſum, lumen ſine ſole perpetuum, &
„ hæc omnia jamdudum ſibi comperta,
„ ſed nunc facie ad faciem.., Sed eſſe incolam Jeruſalem celeſtis, videre lumen eſſentiale a ſole independens & perpetuum, hæc omnia conſpicere nunc & facie ad faciem, eſt eſſe actu beatum: igitur Ambroſius non credidit uſque ad judicium univerſale gloriam animæ Sanctorum differri.

Secundo, l. de bono mortis c. 10. dicit juſtorum remunerationem hanc eſſe, ut poſt vitam præſentem videant faciem Dei, quem ne contemplarentur, ſola ipſius impedimentum erat caro: ſed animæ Sanctorum nunc ſunt a corpore ſolutæ: ergo ex Ambroſio etiam nunc vident intuitive Deum.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. S. Ambroſius l. de bono mortis c. 7. enumerat ſeptem ordines lætitiæ animæ Sanctorum, ſed nihil dicit de viſione intuitiva. Primus eſt, *inquit*, quod vicerint carnem: ſecundus, quod pretio innocentiæ & ſecuritate conſcientiæ potiantur animæ: tertius, quod fulciantur teſtimonio conſcientiæ ſe ſervaſſe legem: quartus, quod incipiant intelligere futuram requiem, & prævidere gloriam: quintus, quod habeant ſuavitatem ex hoc quod anima ſoluta e corporis carcere poſſideat hæreditatem. " Eſt enim ordo quietis, quia eſt & reſurrectionis;
„ ſicut enim in Adam omnes moriuntur,
„ ita & in Chriſto, *inquit*, omnes vivi-
„ ficabuntur; unuſquiſque autem in ordi-
„ ne ſuo; primitiæ Chriſtus, deinde qui
„ ſunt Chriſti, qui in adventu ejus credi-
„ derunt, deinde finis; erit igitur or-
„ do diverſus claritatis & gloriæ, „ Sextus: nullus juſtus incipiet fulgere ſicut ſol. Septimus vero ordo erit, ut exultent cum fiducia, & ſine ulla cunctatione confidant, & ſine trepidatione lætentur. Ergo vult animas Sanctorum poſt mortem eſſe ſolum in loco tuto, lætari quidem, ſed nondum videre Deum.

Reſpondeo diſtinguendo: non loquitur Ambroſius de viſione intuitiva quoad nomen, concedo: quoad rem, nego: dicit enim quod ſine cunctatione lætentur animæ Juſtorum: certe ſi nondum donarentur viſione intuitiva, ex qua procedit gaudium, juxta illud Matth. 25. v. 1. *Intra in gaudium Domini tui*; lætitia vera & plena eſſet adhuc in ſpe: gaudium autem eſt de bono præſenti, ſed actu lætantur Sancti, & quidem cum fiducia: igitur actu poſſident intuitive Deum. Deinde dicit Sanctos actu poſſidere hæreditatem. Quid clarius? ſic enim habet: " Quintus autem ordo exultationis uber-
„ rimæ habet ſuavitatem, quod ex hoc
„ corruptibilis corporis carcere in lu-
„ cem libertatemque pervenerint, & re-
„ promiſſam ſibi poſſideant hæredita-
„ tem. „

Inſtabis. Ibidem Ambroſius immediate poſt verba laudata, loquitur de reſurrectione: " Eſt enim ordo quietis, quia eſt
„ reſurrectionis. „ Ibi menſurat quietem ſecundum reſurrectionem: igitur loquitur de hæreditate danda in reſurrectione univerſali.

Reſpondeo diſtinguendo; loquitur de reſurrectione tanquam de fine conſummante beatitudinem, concedo: tanquam de principio inchoante beatitudinem, nego: unde ibidem ſubdit, " unuſquiſque autem in ordine ſuo .... deinde finis;„ Quod autem loquatur de beatitudine completa, patet ex ipſius ſcopo, quem ſibi proponit, ſcilicet afferre omnes lætitiæ gradus: igitur ultimus qui erit beatitudo corporis, debet numerari; quia vero judicium univerſale regulabit omnia, quia unuſquiſque reſurget cum corpore, cui dabitur menſura claritatis debitæ, quæ quidem erit diverſa in diverſis, pro diverſitate meritorum, debuit loqui de Reſurrectione.

Inſtabis c. 10. Vocat Amb. habitacula Sanctorum promptuaria; ſed nullo modo loquitur de gloria: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & per promptuaria intelligit Ambroſius diverſas manſiones, de quibus fit ſermo in Evangelio, concedo: & intelligit loca inferiora terræ, nego. Ibidem enim mentem ſuam explicat & ſic aperit. " Hæ ſunt, *inquit*,
„ habitationes de quibus dicit Dominus
„ Joan. 14. multas manſiones eſſe apud Pa-
„ trem ſuum, quas ſuis pergens ad Patrem
„ diſcipulis præparet. „ Quibus verbis ma-

manifeſte intelligit per diverſa promptuaria, diverſos gloriæ gradus.

Rurſus inſtabis, ibidem c. 10. n. 45. Aſſerit animas Sanctorum in illis habitaculis carere remuneratione, illamque expectare. " Cum venerit, *inquit*, Judicii ,, dies, reddet terra defunctorum corpora, ,, & pulvis reddet..... & habitacula ,, reddent animas quæ his commendatæ ,, ſunt, & revelabitur altiſſimus ſuper ſe- ,, dem Judicii..... Satis fuerat dixiſſe ,, illis quod liberatæ animæ de corporibus ,, peterent, ideſt, locum qui non videtur, ,, quem locum latine infernum dicimus. ,, Denique & Scriptura habitacula illa ani- ,, marum promptuaria nuncupavit, quæ ,, occurrens querelæ humanæ, eo quod ,, juſti qui præceſſerunt videantur uſque ,, ad judicii diem, per plurimum ſcilicet ,, temporis debita ſibi remuneratione frau- ,, dari. ,, Ibi docet primum habitacula ,, reddituta mortuorum animas, ſicut terra reddet corpora in pulverem redacta, & illa habitacula dicit eſſe locum qui non videtur, adeoque ſubterraneus; cum igitur eodem modo loquatur de habitaculis ac de terra quæ in ſuo abſcondit ſinu corpora, etiam illa promptuaria abſcondunt in ſuo animas uſque ad diem Judicii. Ait etiam illas animas abire in infernum, & addit fraudari remuneratione ad diem Judicii uſque: cenſet igitur illas ibi eſſe uſque ad hoc tempus: ergo, &c.

Reſpondeo 1. Amb. ibi loqui de mortuis veteris Teſtamenti qui detinebantur in inferno uſque ad adventum Chriſti, ibi enim libros Eſdræ laudat. " Siquidem, *in-* ,, *quit*, in libris Eſdræ legimus, quia ,, cum venerit Judicii dies, reddet ter- ,, ra defunctorum corpora. ,, Judicium autem illud factum eſt in Reſurrectione Chriſti qui deſcendit ad limbos & liberavit Patres, quorum multi etiam cum corpore probabiliter apparuerunt ſanctis in Jeruſalem, & tunc terra reddit mortuos ſuos; ſcriptum eſt enim Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt ejus Reſurrectionem venerunt in Civitatem ſanctam & apparuerunt multis*. Igitur ſancti Patres ad illam uſque Reſurrectionem defraudabantur remuneratione tam pro anima quam pro corpore, eamque petebant & deprecabantur, hanc conceſſit eis Chriſtus, cum ipſo enim triumphantes aſcenderunt in cælum, ubi captivam duxit eorum captivitatem & ſic plene ſolvitur argumentum.

Reſpondeo 2. Etiam pro ſanctis novi Teſtamenti Ambroſium intelligendum eſſe per diſtributionem accommodam: unde diſtinguo, animæ fraudantur remuneratione corporis, & eatenus illam petunt, quatenus deſiderant corpus tamquam partem amicam beatificari, concedo: fraudantur remuneratione ſua & ſibi propria, nego: quod autem promptuaria non videantur a nobis, quid mirum! cum ſint in cælo; ex hoc igitur quod ſint ignota, non ſequitur eſſe ſubterranea: immo ipſe Ambroſius ibidem dicit illa eſſe ſupra, ſeu ſuperiora. " Si anima, *inquit*, ,, in manu Dei eſt, non utique anima no- ,, ſtra ſepulchro ſimul cum corpore inclu- ,, ditur: nec cuſtodia tenetur, ſed quiete ,, pia fungitur: & ideo homines fruſtra ,, pretioſa ſtruunt ſepulchra, quaſi ea ani- ,, mæ & non ſolius corporis receptacula ,, ſint; animarum autem ſuperiora eſſe ha- ,, bitacula, ſcripturæ teſtimoniis valde ,, probatur. ,, Et infra hoc probat per locum Joan. 14. de diverſis manſionibus, cum igitur ex Ambroſio animæ piæ magna fruantur quiete & ſint in ſuperioribus habitaculis quæ ſunt diverſæ cæli manſiones, ex ipſo ſunt in cælo. Cæterum potuit credere, ut Tertullianus, animam deſcendere tranſeunter in loca inferiora ad imitationem Chriſti, ſed non dixit commorari.

Inſtabis. Ambroſ. ibid. n. 48. ſic ait: So- " luto corpore anima ad finem vitæ hujus, ,, adhuc tamen futuri Judicii ambiguo ſuſ- ,, penditur! ,, Sed ſi anima ſancta abſque ,, mora frueretur Deo, Judicii futuri ambiguo non ſuſpenderetur: Igitur exiſtimavit Ambroſius animas ſanctorum non habere remunerationem nunc & in hora mortis.

Reſpondeo diſtinguendo: & loquitur Ambroſius de momento immediate antecedente Judicium particulare, tunc enim anima quænam ſit ſua ſors ignorat, concedo: de momento ſubſequente, nego. Igitur primo conſiderat Ambroſius momentum quo anima relinquit corpus, & tunc neſcit quid erit, quia inquit Propheta Pſal. 142. v. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu ſuo omnis vivens*. Deinde momentum ſubſequens, & in illo, ſi anima ſit ab omni reatu

pœnæ

pœnæ ſolutæ, videt intuitive Deum: cuncta ſibi fauſta poſcit, poſſidet, inquit Ambroſius cap. 11. hereditatem. Et clarius adhuc ſeſe explicat cap. 12. his verbis quæ omnem tollunt æquivocationem. "„ Ibimus, *inquit*, & ubi ſinum ſuum Abraham ſanctus expandit ut ſuſcipiat pauperes, ſicut ſuſcepit & Lazarum in quo ſinu requieſcunt qui in hoc ſæculo gravia atque aſpera pertulerunt..... ibimus ad eos qui recumbunt in regno Dei cum Abraham, Iſaac & Jacob, quoniam rogati ad cœnam non excuſaverunt: ibimus eo ubi Paradiſus eſt jucunditatis, ubi Adam qui incidit in latrones, neſcit jam vulnera ſua flere; ubi & latro ipſe regni Cæleſtis conſortio gratulatur. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Ambroſius non adhæſit Millenariis.

PRIMO, l. 7. Epiſt. 50. dicit Acholium eſſe ſanctæ Jeruſalem incolam.

Secundo, l. de bono mortis c. 10. Sanctorum remunerationem in viſione Dei repoſitam aſſerit, & ab hac impræſentiarum per corpus tantum abſtrahi; aſt animæ Juſtorum poſt hujus vitæ decurſum a corpore ſolutæ vere exiſtunt: igitur ex Ambroſio donantur viſione beatifica.

Tertio, Eas eſſe in Paradiſo prædicat: ergo &c.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

PRIMO, Quidem fatemur Ambroſium lib. de bono mortis c. 7. loquendo de diverſis coronæ Sanctorum gradibus expreſſam non facere mentionem de viſione Dei intuitiva, ſed illam ſufficienter exprimere conſtat, dum ait animas ſuprema affici lætitia, eum, teſte Aureolo, eſſentia beatitudinis in gaudio potiſſimum ſita ſit, ipſo dicente Chriſto ſervo fideli, (*intra in gaudium Domini tui*.)

Secundo, Nec quemquam adverſus Ambroſium movere debet hoc quod docet, promptuaria eſſe abſcondita; ſanctus quippe Doctor non loca inferiora terræ intelligit, ſed diverſas cæli manſiones diverſoſque gloriæ gradus, qui ſane nobis abſconditi ſunt. Nam, ut ait Apoſtolus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe.

Tertio, Ambroſius quidem aſſerit animas etiam Juſtorum carere remuneratione; immo & in ambiguo permanere: ſed nemo non videt ſanctum Doctorem loqui de gloria completa eaque per beatitudinem corporis conſummanda. Verum eſt utique in primo mortis momento animam ſortem ſuam ignorare, nemo quippe ſcit an odio vel amore dignus ſit: ſed non tranſacta ſolutione a corpore. Jam vero in loco objecto ſermonem habet & facit ſanctus Epiſcopus de primo inſtanti, nuſquam vero de ſecundo: tunc enim Juſtorum animæ felicis ſuæ ſortis conſciæ ſunt & evadunt.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum ſanctus Chryſoſtomus adhæſerit Millenariis.

CONCLUSIO.

Sanctus Chryſoſtomus non adhæſit Millenariis.

Probatur multis rationibus ex ejus textu efformatis.

PRIMO, qui profitetur Juſtos nunc videre Deum in cælis facie ad faciem, Athletam Chriſti jam coronari, piam mortem deducere ad regnum perpetuum; qui denique hortatur viatores ad Sanctorum ſequenda veſtigia, ut eamdem habeant mercedem, qui aſſerit piam mortem nunc non deducere ad inferos, ſed ad vitam æternam, profecto non adhæſit Millenariis credendo gloriam Sanctorum ad ultimum uſque Judicii diem differri; atqui ſic dicit & docet Chryſoſtomus: ergo non adhæſit Millenariis. Probatur minor quoad ſingulas partes.

1. Hom. 3. in Epiſt. ad Philipp. ſic loquitur: *Juſti ſive hic, ſive in futuro ſæculo fuerint, cum Rege ſunt, illic tamen magis & propius non per ingreſſum & fidem, ſed facie ad faciem.*

2. Hom. 4. in eamdem Epiſt. *Quid dices*

tes Paule, cum hinc abiens ipſum cælum migraturus ſis, atque cum Chriſto futurus, ignoras quid eligere debeas? ..... quis athleta cupiet amplius certare cum jam liceat coronari?

3. Hom.32. in Epiſt. ad Rom. Poſtquam dixit Paulum cum Angelis aſſiſtere ante thronum Dei, ait: *Non ſolum admiremur ipſum, ſed & imitemur ut mereamur & hinc emigrantes, Deum ipſum videre, & ineffabilis ipſius gloriæ participes eſſe.*

4. Hom. 65. tom. 5. dicit Juſtos nunc non eſſe lugendos ſicut in antiqua lege. *Nam antea*, inquit, *mors ad inferos deducebat, nunc autem mors ad Chriſtum deducit.* Chriſtus eſt in cælo, ubi regnat glorioſus, cum Angelis & Sanctis ſuis: Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies. S. Chryſoſtom. Hom. de ſancto Philogonio poſtquam dixit multa Angelorum millia eſſe in cælo, addit: *Alibi ſodalitia Prophetarum, alibi Martyrum chori, Apoſtolorum ordines, cunei Juſtorum.* Ergo ſoli Angeli ſunt in cælo, cæteri Sancti minime ex Chryſoſtomo; quandoquidem dicit Angelos in cælo eſſe, cæteros vero alibi: igitur gloriam Sanctorum credidit differri uſque ad Reſurrectionem univerſalem.

Reſpondeo diſtinguendo: & per vocem alibi intelligit Chryſoſtomus ſolum diverſos gloriæ gradus quos Evangelium vocat manſiones, Propheta Regius tabernacula Domini virtutum, Hilarius habitacula, Ambroſius promptuaria, concedo: intelligit diverſum locum, nego. Senſus igitur Chryſoſtomi eſt, quod ſicut ſtella a ſtella differt in claritate, ita & gloria Sanctorum: & quod alia ſit gloria Angelorum, alia Prophetarum, &c.

Inſtabis. Hom. 39. in 1. ad Corinth. explicans illa verba Apoſtoli: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus*. Sic loquitur: " Quid dicis Paule? Quomodo
" in hac vita ſolum ſperantes ſumus, ſi
" corpora non reſurgunt, & manet ani-
" ma etſi immortalis, quoniam ſi maneat
" anima, & millies ſit immortalis, ſi-
" cut eſt revera abſque carne non reci-
" piet bona illa ineffabilia, ſicut neque
" punietur .... Si enim non reſurgit cor-
" pus, incoronata manet anima, extra il-
" lam beatitudinem quæ eſt in cælis: "
Ex hoc patet animam non coronari ſine corpore, ſed corpus coronabitur ſolummodò poſt judicium univerſale: ergo ex Chryſoſtomo & anima tunc temporis ſolum coronabitur.

Reſpondeo diſtinguendo: & S. Chryſoſt. loquitur ex hypotheſi quod corpus non reſurgat; ut volunt impii, concedo: ſecus, nego. Arguit enim malos qui ſibi indulgent, dicendo, coronemus nos roſis, cras moriemur, periit ſpes noſtra, corpus non reſurget; illis autem probat quod reſurget ea ductus ratione, quia anima noſtra immortalis eſt, cujus quidem gloria eatenus a fide Reſurrectionis pendet, quatenus eodem prorſus decreto Deus vult gloriam totius hominis, animæ ſcilicet & corporis: unde & gloria futura corporis recte colligitur ex gloria præſenti animarum ab omni reatu & culpæ & pœnæ mundarum, ita ut ſi non daretur beatitudo corporis, nec animæ conſequenter daretur. Senſus igitur S. Chryſoſtomi, non coronabitur anima ſine corpore, ille eſt, Deus non dabit gloriam animæ, ſi non dat corpori, eadem quippe voluntate utramque vult; ſed pro diverſo tempore: gloriam quidem animæ in exitu mortis, ſi ſit ſufficienter pura: gloriam vero corporis poſt reſurrectionem univerſalem.

Iterum inſtabis. Idem Hom.18. in Epiſt. ad Heb. Ponderans iſta verba Pauli de Patribus veteris legis: *Non obtinuerunt repromiſſionem, ut ne ſine nobis conſummarentur*, ait, *ne aliquid præ nobis habere viderentur, ſi primi ante nos coronarentur, unum definit tempus omnium coronarum & qui ante jam multos annos vicit, tecum accipiet coronam*. Ex quibus ſic arguitur. Qui exiſtimat omnes Sanctos á conſtitutione mundi ad conſummationem uſque futuros, eodem tempore coronandos, putat animas Sanctorum gloria non donari æterna ante Judicium univerſale: atqui ſic credidit & docuit S. Chryſoſtomus; ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Et loquitur S. Chryſoſtomus de gloria adæquata, ſcilicet de gloria totius hominis, de gloria beatificante & animam & corpus, concedo. Namque explicat Apoſtolum qui loquitur de gloria conſummata; & reddit rationem cur Patres non receperunt etiam in adventu Chriſti, omnes promiſſiones quas habebant de futuro regno David, Chriſti

ſcili-

Google

ſcilicet cujus David Typus fuit, *Ne*, inquit, *ſine nobis conſummarentur*. Et loquitur de gloria inadæquata, nego. Conſtat enim ex dictis ſanctum Chryſoſtomum agnoviſſe, & prædicaſſe gloriam animæ Sanctorum: unde loca ſi qua ſint obſcura, per clariora explicanda ſunt, per ea maxime quæ pro principiis Patres habent, qualia ſunt ex quibus ille Pater ſtatuit gloriam præſentem animarum Sanctorum, ut provocet populum ad pœnitentiæ labores fortiter ſubeundos, cujus ſtipendium eſt vita æterna.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Chryſoſtomus gloriam animæ Sanctorum uſque ad ſæculorum conſummationem differri non docuit.

PRIMO, Quia dicit Sanctos videre faciem Dei.

Secundo, Athletam Chriſti jam coronari.

Tertio, Piam mortem nunc in regnum perpetuum deducere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO, S. Chryſoſtomus quidem aſſerit non in eodem loco Sanctos coronari, ſed diverſas eſſe in cælo manſiones intelligit, aliam ſcilicet eſſe gloriam Angelorum, aliam Prophetarum, aliam Martyrum.

Secundo, Utique docet animam abſque corpore non coronari, ſed loquitur de gloria completa.

Tertio, Pari & ſimili ſenſu omnes Sanctos eodem tempore coronandos eſſe commemorat.

ARTICULUS SEXTUS.

Num Sanctus Auguſtinus poſt Epiſcopatum adhæſerit Millenariis?

CERTUM eſt Auguſtinum adhæſiſſe Millenariis; enimvero Sanctos mille annis regnaturos cum agno in terris, deliciis perfruentes ſpiritualibus antequam coronarentur in cælis autumabat. Ita ipſe fatetur l. 20. de Civ. Dei c. 9. & Serm. 259. ſed re maturius conſiderata ad veram opinionem cito citius ſe convertit. Unde ſit

CONCLUSIO.

Sanctus Auguſtinus tenuit animas Sanctorum e vita præſenti migrantes, abſque dilatione viſione Dei intuitiva donari, ſi nihil habeant pro peccatis purgandum.

Probatur variis momentis.

QUI dicit Beatos videre faciem Dei, habere illum præſentem & cernere, loqui Domino os ad os, ſubſtantiam Domini videre, immo & regnare in æternum, poſtquam mortalia corpora ſua depoſuerunt, ſuo confirmat calculo opinionem catholicam de Beatitudine præſenti Sanctorum; atqui hæc omnia dicit S. Auguſtinus. Et probatur:

1. In Pſal. 116. explicans illa verba: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*, ait, *ibi omnes Juſti & Sancti qui fruuntur verbo Dei, ſine lectione, ſine litteris: quod enim nobis per paginam ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.*

2. l. Medit. c. 22. *Felix anima quæ terreno reſoluta corpore, libera cælum petit, ſecura eſt & tranquilla, non timet hoſtem, neque mortem: habet enim præſentem, cernitque indeſinenter pulcherrimum Dominum.*

3. l. 9. Confeſſ. c. 3. n. 6. loquens de Nebridio defuncto, ait: *Nunc ille vivit, jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum Deus meus, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro ſua aviditate, ſine fine felix.*

4. l. de Gen. ad litt. c. 37. n. 66. & 67. aſſerit, Lazarum videre ipſam Dei ſubſtantiam.

5. Tract. 26. in Joan. c. 6. ad illud: *Reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, ait, *ut habeat interim ſecundum ſpiritum vitam.*

Solvuntur Objectiones.

Objiicies 1. Qui dicit Juſtos Deum viſuros, quando creverint uſque ad perfectionem Angelorum, quod erit ſolum in reſurrectione univerſali, exiſtimat beatitudi-

tudinem illorum differri ad hoc uſque tempus: atqui ſic docet S. Aug. & probatur. Epiſt. 14. ad Fortunatum exponens quædam verba Hieronymi, ſic loquitur: " In his verbis hominis Dei, mul„ ta conſideranda ſunt: primum quia „ ſecundum apertiſſimam Domini ſenten„ tiam etiam ipſe ſentit, tunc viſuros „ faciem Dei, cum in Angelos profece„ rimus, ideſt, æquales Angelis facti ſue„ rimus, quod erit utique in reſurrectio„ ne mortuorum: ergo &c.

Reſpondeo 1. Loca S. Auguſtini pro opinione Millenariorum ea eſſe quæ antequam maturius examinaſſet S. Doctor iſtud momentum, ſcripſit: ſed ponderatis omnibus pro utraque parte militantibus, ſe retractavit.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Et S. Auguſtinus loquitur in loco allato de beatitudine conſummata, concedo: excludendo beatitudinem animæ, quæ completam antecedit, nego: immo explicans S. Hieronymum non negat animam donari beatitudine ante Judicium univerſale, ſed probare ſolum contendit Sanctos futuros eſſe aliquando in cælis ſicut Angelos Dei, & in probationem affert viſionem Dei perfectiſſimam eamque completam, qualis erit poſt reſurrectionem; tunc enim totus homo felicitate perfecta gaudebit, ſiquidem & ipſum corpus ſuam habebit beatitudinem, & tunc temporis adimplebitur illud Chriſti Matt. 22. v. 30. *In reſurrectione .... neque nubent, neque nubentur: ſed erunt Angeli Dei ſicut in cælo*.

Inſtabis. Qui docet animas eſſe in receptaculis abſconditas ad reſurrectionem uſque, credit de facto gloriam differri uſque ad illum terminum: atqui ſic credit S. Auguſtinus & probatur Enchiridio, c. 108. " Tempus, *inquit*, quod inter „ hominis mortem, & ultimam reſur„ rectionem interpoſitum eſt, animas in „ abditis receptaculis continet. „ Et iterum l. 8. de Civit. Dei c. 9. " Pars ci„ vitatis Dei quæ conjungenda immorta„ libus Angelis, ex mortalibus hominibus „ congregatur, nunc mortaliter peregri„ natur in terris, vel in eis qui mor„ tem obierunt, ſecretis animarum rece„ ptaculis, ſedibuſque requieſcit.

Reſpondeo diſtinguendo. Et per receptacula intelligit S. Auguſtinus diverſas cæli manſiones quæ ſunt diverſi gloriæ gradus, ſecreti quidem, & abſconditi viatoribus, concedo: loca ſubterranea, nego. Namque l. 2. de Civ. Dei, c. 15. ex profeſſo docet animas Sanctorum a Chriſti adventu non deſcendere in infernum, in loca ſcilicet inferiora, ſic enim ſeipſum explicat. " Si non abſurde credi videtur „ antiquos etiam Sanctos qui venturi Chri„ ſti tenuerunt fidem, locis quidem a „ tormentis impiorum remotiſſimis, ſed „ apud inferos fuiſſe: deinceps boni fi„ deles effuſo ſanguine illo Chriſti, jam „ redempti prorſus inferos neſciunt. „

Urgebis, S. Auguſtinus aſſerit Sanctos nondum eſſe in loco ubi erunt electi, quos Chriſtus vocabit in Judicio: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*; ſed ubi eſt ulceroſus Lazarus. Sic enim loquitur in Pſalm. 36. " Poſt vitam iſtam „ nondum eris, ubi erunt Sancti, qui„ bus dicetur: *Venite, benedicti Patris* „ *mei, percipite regnum, quod vobis pa*„ *ratum eſt ab origine mundi*. Numdum „ ibi eris, quis neſcit? ſed jam poteris „ ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum „ pauperem, dives ille ſuperbus in mediis „ tormentis vidit longe requieſcentem, „ in illa requie certe ſecurus expectabis „ Judicii diem. „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. S. Auguſtinus dicit Sanctos nondum eſſe in loco beatitudinis, nego: in loco tali, ſubdiſtinguo: non dicit antequam Epiſcopus fuerit inauguratus, concedo: non dicit re maturius conſiderata, nego. Quatuor igitur circa iſtud momentum obſervanda ſunt cum Bellarm. l. 1. de beat. Sanct. c. 5.

1. S. Auguſtinum adhæſiſſe Millenariis, ut jam dictum eſt.

2. Re maturius ponderata admiſiſſe beatitudinem pro animabus Sanctorum abſque mora elargiendam, modo nihil haberent expiandum, ut patet ex locis ſupra laudatis.

3. Pendulum aliquo tempore manſiſſe, non quidem circa beatitudinem animarum, ſed circa locum beatitudinis; modo enim ſinum Abrahæ ut quid a ſinu Dei diſtinctum credidit, modo etiam nihil determinabat. In loco citato dicit ſinum Abrahæ eſſe quid a regno cælorum diſtinctum. Sed lib. 9. Confeſ. c. 3. n. 6. de Nebridio defuncto, actus in incertum loquitur: " Nunc ille vivit in ſinu „ Abra-

„ Abrahæ .... quidquid illud eſt quod il„ lo ſignificatur ſinu . „

4. Tandem ſe determinaſſe, lib. 93. quæſt. Evang. c. 36. n. 1. compertum habemus, quandoquidem dicit animas eſſe in cælo, & ſinum Abrahæ idem eſſe cum ſinu Patris. “ Sinus Abrahæ, *inquit*, „ requies eſt beatorum pauperum, corona „ eſt regnum cælorum in quo poſt hanc „ vitam recipiuntur. „ Ibidem n. 5. “ Si„ nus Abrahæ intelligitur ſecretum Pa„ tris, quo poſt paſſionem reſurgens aſ„ ſumptus eſt, & ....

Inſtabis adhuc. l. 12. de Gen. c. 35. Aſſerit animam ſanctam viſuram eſſe Deum perfectius poſt reſurrectionem : ergo putat non videre intuitive ante illud tempus. Probatur conſequentia, non datur viſio perfectior intuitiva : ergo ſi anima Sanctorum perfectius videbit Deum poſt reſurrectionem, vult S. Auguſtinus eam antea non videre, alias non diceret perfectiorem viſionem poſt Judicium futuram, ſiquidem foret viſio ante & poſt æqualis, ſcilicet intuitiva.

Reſpondeo diſtinguendo. Anima Juſti videbit Deum perfectius extenſive poſt reſurrectionem & quodammodo extenſive, concedo : perfectius ſpecifice, nego. Utraque enim viſio animæ ſanctæ eſt intuitiva, tam ante quam poſt reſurrectionem, ſed poſt reſurrectionem erit extenſive major, quia erit a corpore & ab anima : immo etiam quodammodo intenſive quatenus viſio procedens a toto homine, cenſetur perfectior ea quæ procedit ſolum ab una parte. Ita Div. Thom. in 4. Sententiarum, diſt. 49. & 1. 2. q. 4. a. 5.

Perſiſtes. Serm. 259. dicit Sanctos poſt reſurrectionem celebraturos cum Chriſto in terra Sabbatiſmum, ideſt, regnum mille annorum, antequam adducantur in cælum. & l. 20. de Civ. Dei, c. 13. “ Ani„ mæ victrices, *inquit*, glorioſorum Mar„ tyrum omnibus doloribus ac laboribus „ ſuperatis atque finitis poſtea quam mor„ talia membra poſuerunt, cum Chriſto „ ubique regnaverunt, & regnant, do„ nec finiantur mille anni, ut poſtea re„ ceptis etiam corporibus jam immortali„ bus regnent. „

Reſpondeo diſtinguendo. & S. Aug. correxit in l. 2. quæſt. in l. de Gen. ad litt. & tract. 26. in Joan. quæ dixit in gratiam Millenariorum, concedo : & non ſe retractavit, nego. Bellarminus l. 1. de Beat. Sanct. c. 5. exiſtimat ſecundum locum non eſſe contrarium opinioni catholicæ. Senſus igitur eſt Beatos regnare in cœlo, quia ex S. Auguſtino regnant cum Chriſto, Chriſtus autem ex eodem S. Doctore in cælo eſt : regnant mille annos, hoc eſt, ab Aſcenſione uſque ad Judicium univerſale : namque vocabulum *mille*, magnam ſignificat durationem, poſtea vero Sancti ſua reſument corpora, & tunc ut egregie ait S. Auguſtinus regnabunt immortales, enimvero corpora non erunt amplius alterationi ſubjecta, tunc ſocietas Sanctorum reſumptis corporibus erit completa atque perfecta, ſicut & perfectum regnum, quando ſcilicet totus homo glorificabitur. Quod autem Auguſtinus, in hoc non faveat Millenariis, patet ; iſti quippe admittunt regnum mille annorum poſt reſurrectionem, ille vero loquitur de ſpatio ab Aſcenſione Chriſti uſque ad ultimum Filii Dei adventum : nam poſt illud regnum, ipſo teſte, ſua reſument animæ victrices corpora.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Auguſtinus, ut primum Epiſcopus factus eſt, non impegit in errorem Millenariorum.

PRIMO, Quia in Pſal. 116. aſſerit Sanctos videre faciem Dei.

Secundo, Quia l. medit. c. 22. eoſdem Deum habere præſentem commemorat.

Tertio, Quia l. 9. Confeſſ. c. 3. n. 6. de Sanctis iterum loquens ait eos in ipſo ſapientiæ fonte aquas ſalientes in vitam æternam pro ſua aviditate ſine fine bibere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET SOLUTIONUM.

PRIMO, Verum eſt S. Auguſtinum multa in gratiam Millenariorum proferre, ſed hæc profecto ante Epiſcopatum.

Secundo, Non negamus utique S. præſulem in Pſal. 36. Sanctos nondum eſſe in loco ubi erunt electi, prædicare ; ſed non ideo excludit ab animabus Sanctorum viſionem Dei intuitivam. Loquitur ſolum

lum dubitanter de loco in quo quieſcebant in Domino, verum l. 2. quæſt. Evang. c. 35. n. 1. re fundatius ponderata, determinat eſſe cælum & Patris æterni ſinum.

Tertio, Docet utique S. Præſul animas poſt Reſurrectionem Deum perfectius eſſe viſuras, ſed quid mirum? tunc enim reſumpto corpore homo integer erit, porro actus vitalis, qualis eſt viſio beatifica perfectior cenſetur, cum a toto homine procedit & elicitur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum Sanctus Bernardus adhæſerit Millenariis.

CONCLUSIO.

Sanctus Bernardus non adhæſit Millenariis.

Probatur multipliciter.

PRIMO, Serm. 5. in Dedicatione Sanctorum, ſic loquitur: " Omnes novimus feſtivitatem omnium Sanctorum „ dici, & eſſe quam celebramus, omnium, inquam, ſive cæleſtium, ſive „ terreſtrium: ſunt enim Sancti de cælo, & Sancti de terra. „

Secundo, ibidem. Poſtquam locutus eſt de Sanctis terræ, ſubdit, " Aliud in his „ ſanctitatis genus, *loquitur de Sanctis cæli*, & proprio modo honorandum, „ qui venerunt ſcilicet ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, qui poſt multos agones, „ jam nunc triumphant in cælis coronati. „

Tertio, ibidem. " Longe aliter beati „ in quibus perfecta charitas foras miſit „ timorem, nec jam timent ambulantes „ in viis ejus, ſed laudant potius in domo, noſtra feſtivitas, Sanctorum ſcilicet de terra, in timore Domini, illorum in exultatione & laude verſatur .... beati qui habitant in domo „ tua, Domine .... non acquieſco, expertes gloriæ credere Sanctos. „

Quarto, ibidem. " Portio noſtra in terra viventium, nec modica ſane portio, „ ſi tamen, ut decet, memoriam affectio „ comitetur. Sic inquam, converſatio noſtra in cælis eſt, verumtamen non ſic „ noſtra, ſicut illorum, ipſorum enim „ ſubſtantia ibi eſt, noſtra autem deſideria, ipſi per præſentiam, nos per memoriam ubi ſumus. „ Idem paſſim dicit Serm. 1. & 2. ex quibus ſequens efformatur ratiocinium. Ille non adhæſit Millenariis qui dicit alios eſſe Sanctos de terra, & alios de cælo, qui aſſerit iſtos triumphare coronatos in cælis, eorum ſubſtantiam ibi eſſe; qui non acquieſcit dicentibus ſanctos eſſe gloriæ expertes: atqui hæc omnia, ut ex dictis patet, dicit, docet & prædicat S. Bernardus: ergo neque impegit in errorem Millenariorum, neque eis adhæſit.

Solvuntur Objectiones.

Objicies. S. Bernardus Serm. 3. in Feſtiv. Sanctorum, ſic loquitur: " In illam beatiſſimam domum, nec ſine nobis intrabunt cum corporibus ſuis, ideſt, nec „ Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. „ Sed caro ſolum poſt Judicium intrabit in regnum cælorum: ergo S. Bern. exiſtimavit animas Sanctorum donari gloria æterna ſolum poſt reſurrectionem.

Reſpondeo 1. Ad omnia quæ poſſunt objici in contrarium opponendo Bernardum Bernardo, & dico loca paululum obſcura explicanda eſſe per dilucidiora.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Et loquitur ibi de beatitudine integra, concedo: de beatitudine inchoata, nego. Enimvero immediate poſt verba laudata ſubdit: " Ne„ que enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer ... „ acceperunt jam ſtolas ſuas, ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & „ nos .... ſtola prima ipſa eſt, quam „ diximus, felicitas & requies animarum, „ ſecunda vero immortalitas. „ En Bernardus ſui ipſius interpres: namque per ſtolam intelligit gloriam animæ, per immortalitatem gloriam corporis, quod reſurget numquam moriturum, porro vocat illa duplicia quibus Sancti non veſtientur ſine nobis, quatenus omnes Sancti accipient gloriam corporis, ſolum poſt reſurrectionem, & omnes ſimul eodemque tempore. Jamvero notandum quod

S. Ber-

Digitized by Google

S. Bernardus in iſto & ſequenti ſermone triplicem diſtinguat beatituudinem, unam in ſinu Abrahæ quam vocat requiem, & eſt beatitudo quam Patres antiquæ legis habebant in Limbis quos ſecernit a damnatis, inter quos & Deum ingens interponebatur chaos, Sancti vero expectantes beatam ſpem, & adventum Domini, requiem habebant a tormentis, conſolationem habentes in fide Abrahæ, cui facta erat promiſſio de Chriſto, & de gloria per ipſum retribuenda. Secundam beatitudinem quam agnoſcit, eſt beatitudo animæ quæ vel in exitu mortis, vel poſt expiatas in purgatorio pœnas pro peccatis debitas, evolat ad cœlum, & nominat modo atria, modo ſtolam primam; atria quidem, quia jam incipit homo eſſe beatus donec ingrediatur in requiem perfectam; ſtolam vero primam, quatenus gloria animæ præcedit gloriam corporis. Tertia eſt gloria corporis conjuncta gloriæ animæ quam diſtinguendo vocat duplicia, tunc enim de facto erit duplex gloria, ſcilicet gloria animæ & corporis. Sic omnia difficilia ſolvuntur, ſic & pariter obſcura dilucidantur.

Inſtabis. Idem Serm. 4. de eadem Feſtivitate explicans illud Apocal. *Sub throno Dei omnes Sancti clamant*; & quomodo ſint ſub throno Chriſti, ait: " 1. Interim ſub Chri-
,, ſti humanitate feliciter Sancti requieſ-
,, cunt in quem deſiderant Angeli proſ-
,, picere, donec veniat tempus quan-
,, do non jam ſub altari collocentur, ſed
,, exaltentur ſuper altare. ,, 2. Ibidem
,, ſic proſequitur: Quoniam igitur mo-
,, do dixerim exaltandos eos qui nunc ſub
,, altari quieſcunt, viſione utique & con-
,, templatione, oſtendet enim nobis fi-
,, lius, ut pollicitus ſemetipſum, non
,, in forma ſervi, ſed in forma Dei,
,, oſtendet etiam in nobis patrem. ,, 3.
Probat aliis Scripturæ locis beatitudinem animæ ſimul & corporis, etiam pro viatoribus. Igitur ſic arguitur ex S. Bernardo. Qui dicit animas Sanctorum eſſe ſub altari, quieſcere ſub humanitate Chriſti, & deſiderare videre Deum, qui dicit in judicio Sanctos exaltandos fore, & tunc ponendos ſuper altare ut videant intuitive Deum, qui aſſerit Chriſtum illis apariturum eſſe, non amplius in forma ſervi, ſed in forma Dei, qui denique eodem modo loquitur de gloria viatorum & defunctorum in reſurrectione univerſali danda, credit gloriam omnem, etiam animæ, differri uſque ad illud tempus: atqui ſic docet & ſic loquitur S. Bernardus: ergo credidit gloriam etiam animæ, non dari niſi poſt Judicium. Et vero ſi nunc beatitudine donarentur animæ Sanctorum, ſi in cælo habitarent ſecundum mentem illius ſancti Doctoris; etiam nunc viderent Chriſtum non in forma ſervi ut poſuit, ſed in forma Dei, quia viderent eum ſedentem ad dexteram Patris, jam non forent abſconditæ ſed exaltatæ, & claritate Dei ſulgentes.

Reſpondeo diſtinguendo. Et S. Bernardus loquitur de gloria conſummata quæ publica erit, quæque omnium oculis etiam reproborum ſubjicietur, concedo: de gloria animæ præciſe, nego. Chriſtus apparet quidem etiam in forma Dei, ſed non viatoribus & reprobis: at vero in Judicio veniet cum poteſtate magna & majeſtate, tunc Angelis & omnibus Electis adorantibus, & aſtantibus apparebit clare, etiam reprobis; id omne, quod eſt in ſua gloria: porro hanc ſolam manifeſtationem notat Bernard. ad commendationem gloriæ Chriſti & Sanctorum quæ tunc erit maxima. Neque magis urget illud quod dicitur animas eſſe ſub altari, hoc enim ratione corporis in pulverem redacti, ſed non ratione ſui intelligi nemo non videt: tunc temporis exaltabuntur novo modo animæ, ſua nimirum reſumendo corpora quæ dotibus decorata glorioſis, ſulgebunt ut ſol in conſpectu univerſi.

Jam ad ſingula reſpondeo. Ad primum quidem, dico S. Bernardum loqui de gloria corporis Beatorum quæ eſt ſub corpore Chriſti abſcondita, ſicut arbor includitur in ſemine juxta illud ad Philipp. 3. v. 21. *Expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et certe ſi Sanctorum animæ quieſcunt ex divo Bernardo in ſinu Abrahæ, jam ſunt beatæ, ſi vident humanitatem Chriſti ex ipſo, utique ſunt in cælo: ſiquidem Serm. de Aſceuſione, Chriſtum eſſe in cælo aſſerit. Si deſiderant videre Deum ut Angeli Sancti, profecto ſolum deſiderant deſideri complacentiæ, quod quidem

dem non excludit viſionem Dei intuitivam, namque S. Bernardus non ſemel dicit Sanctos Angelos ea perfrui gloria: igitur & animas ſanctas poſſidere non negat, ſic patet ſolutio ad ſecundum.

Ad tertium, diſtinguo. Loquitur eodem modo S. Bernardus de gloria viatorum per diſtributionem accomodam, dicit enim Juſtos viatores eſſe in ſpe & memoria in cælis, Beatos vero ibi eſſe ſecundum ſubſtantiam, concedo: ſecus, nego. Ad aliud diſtinguo. Chriſtus videbitur in forma Dei ab omnibus, ſive beatis, ſive reprobis in die Judicii; ſed longe diverſimode, ipſi reprobi trementes videbunt ut omnipotentem qui vindictam ſumet de inimicis ſuis, concedo: & non videtur nunc ab animabus Sanctorum, nego. Dicit enim S. Bernardus illas videre Deum facie ad faciem. Similiter diſtinguo: Exaltabuntur animæ in Judicio ratione corporis glorificandi, concedo: ratione ſui, ſubdiſtinguo: exaltatione publica, concedo: recipiendo gloriam pro ſe quam non habebant antea, nego. Contrarium quippe docet S. Bern. dicendo: ,, Non ,, acquieſco expertes gloriæ credere Sanctos. ,,

Inſtabis. Ibidem divus Bernardus docet gloriam animæ eſſe in ſpe: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Gloria animæ viatorum, concedo: animæ defunctorum, nego. Quatuor dicit S. Bernard. 1. Animas Patrum veteris Legis requieſcere in ſinu Abrahæ in Limbis. 2. Animas Sanctorum novæ Legis videre Deum & habere ſtolam primam. 3. Corpora eſſe ſub altari & expectare gloriam pro tempore reſurrectionis: denique inſtinctu Dei ſubito ad alia raptus, loquitur de gloria quam quidem bonis operibus comparare poſſumus, eamque eſſe in ſpe & promiſſione prædicat. Poſtea ſermonem abſolvit loquendo de beatitudine corporis, cujus dotes glorioſas pro futuro habendas, delineat. His & ſimilibus diſtinctionibus, cætera loca quæ aliquam præ ſe ferunt difficultatem recte explicantur; præſertim vero cum ille Pater non ad trutinam rigoroſæ ſcholaſticæ, ſed devotione potius prout erat Spiritus ſancti impetus & impulſus ſcripſerit: unde benigne & ſemper congrue ejus mentem interpretari debemus.

Rurſus inſtabis. Paſſim dicit ibidem ſerm. 4. animas etiam Sanctorum novæ Legis requieſcere in ſinu Abrahæ. " Jam vero, ,, *inquit*, ſicut ubi forte præſens quoque ,, Sanctorum requies Abrahæ ſinus vocatur, certum eſt de Evangelio hanc inoleviſſe conſuetudinem. ,, Sed eſſe in ſinu Abrahæ, eſt expectare beatitudinem animæ, ipſo teſte ſancto Bernardo: igitur ex ipſo animæ Sanctorum nondum gloria donantur & viſione beatifica.

Reſpondeo diſtinguendo. Animæ Sanctorum requieſcunt in ſinu Abrahæ denominative, & diverſo modo a Patribus veteris Legis, concedo: in eodem ſenſu, nego: & diſtinguo minorem: eſſe in ſinu Abrahæ ut Prophetæ & antiqui Patriarchæ eſt expectare gloriam, concedo: eſſe ſolum denominative, & ſecundum quid, nego. Sinus Abrahæ ſumitur dupliciter; 1. pro fide Abrahæ. 2. pro cælo. Primo modo Limbus vocabatur ſinus Abrahæ, quatenus erant ibi, tum anima Abraham, tum animæ cæterorum Patrum, qui eadem fide expectabant Chriſtum promiſſum. Etvero ſi per ſinum Abrahæ intelligeretur fides illius Patriarchæ, ſequeretur Sanctos expectare Chriſti Nativitatem, ut Patres veteris Legis, quod eſt prorſus a mente S. Bernardi alienum. Alio prorſus modo & ſenſu dicitur cælum & divini Patris ſinus in quo requieſcunt Sancti ſine fine contemplantes Sanctiſſimam Trinitatem, qui quidem ſinus dicitur etiam analogice in Evangelio ſinus Abrahæ, in quantum quies illa æterna, figurabatur per quietem quam Sancti habebant in Limbis in fide Abrahæ: utròque modo ſumit S. Auguſtinus, ut dictum eſt ſupra, & ipſe S. Bernardus qui ibidem hæc ſubdit: " Licet neminem oporteat dubitare, longe alium hunc ſinum eſſe ,, quam illum, quippe cum ille in tenebris, ſcilicet ſinus Patrum Legis veteris, hic in luce multa ſcilicet Sanctorum novæ Legis, in inferno ille fuerit, iſte in cælo. Unde ſic proſequitur: " Non incongruo tamen etiam nunc ,, dictum videtur Patriarcharum filios paternum in ſinum recipi, cum ad eorum ,, conſortium, ab hoc ſæculo tranſire meruerint. ,,

Urgebis. Illæ animæ nondum Deum intuitive vident, quæ expectant diem Judicii ut introeant in gaudium Domini:

atqui

atqui ex divo Bernardo ſic expectant: & probatur. Serm. 2. in eadem Sanctorum Feſtivitate ſic loquitur: " Jam vero „ coofummato militiæ tempore gaudium „ habent Sancti, etiam in ſpiritu ſuo, „ donec adveniat dies iila qua introire „ mereantur in gaudium Domini ſui, gau- „ dium habituri, & in ipſo corpore; „ quæ quidem verba, " habituri & in ipſo „ corpore, " plurimum obſervanda ſunt. His enim ſenteutiis Sanctos, neque quoad animam, neque quoad corpus gloria eſſe donatos innuere videtur S. Bernardus: præterea in expreſſione apparet regradatio, quatenus animas quidem primo, deinde corpora, gloria eſſe eodem tempore, donanda aſſerit: ergo, &c.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem, diſtinguo. Sancti habituri ſunt gaudium, & in anima & in corpore, pro gloria conſummata & plena, concedo: ita ut antea jam nullum haberent, nequidem pro anima, nego. Gaudium tunc erit plenum, & incipiet ab anima quæ gaudebit de novo, propter gloriam corporis, & ipſum gaudium modo ſpeciali redundabit in corpus. Quod hæc ſit mens S. Bernardi, conſtat ex his quæ ibibem profert: *Signatum eſt ſuper eos lumen vultus Dominici, & licet non plenam, habet tamen lætitiam multam in corde ſuo*. Non ſunt igitur nunc animæ Sanctorum expertes gaudii: immo ex S. Bern. magnum habent, & quare magnum, niſi quia Deum vident intuitive?

Repones. Illæ animæ ex S. Bern. habent ſolum dulcedinem abſconditam & ſecretam: igitur non eam quæ ex viſione intuitiva promanat. Probatur antecedens: ibidem ſic loquitur: " Eſt ergo multitu- „ do dulcedinis quæ abſcondita eſt, ma- „ gna quidem, & magna valde, nec „ dum tamen perfecta, quoniam in ma- „ niſeſtato perficietur, non in abſcondi- „ to, quando non ſub altari requieſcent „ Sancti, ſed ſuper thronos tanquam Ju- „ dices reſidebunt. „ In quibus verbis duo notanda ſunt. Alterum, dulcedinem eſſe abſconditam: alterum vero, Sanctos eſſe ſub altari, quod eſt corpus Chriſti, juxta illud Bern. ſerm. 3. " Altare ipſum de quo „ habendus eſt ſermo, nihil aliud eſſe „ arbitror, quam corpus Chriſti: interim ergo ſub Chriſti humanitate felici- „ ter Sancti requieſcunt, in quam Ange- „ li deſiderant, &c... „

Reſpondeo diſtinguendo. Sanctorum animæ habent in termino dulcedinem abſconditam viatoribus, oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe, concedo: habent abſconditam reſpectu ſui, nego. Porro dulcedo maniſeſtabitur in Judicio: tunc enim reprobi trementes, & mirabundi videbunt in gloria eos, quos habuerunt aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii, hæc eſt mens divi Bernardi. Ad aliud patet ſolutio ſupra.

Perſiſtes. Animæ Sanctorum quemdam ex S. Bern. experiuntur defectum in alia vita: ergo ex ipſo nequidem habent in ſeipſis dulcedinem gloriæ. Probatur antecedens: ſerm. 3. in eadem Sanctorum Feſtivitate, ſic habet: " Advertiſtis ex iis „ quæ præcedenti ſermone ſunt dicta, „ tres eſſe Sanctorum ſtatus animarum; „ primum videlicet in corpore corrupti- „ bili; ſecundum ſine corpore; ter- „ tium, in beatitudine conſummata. Pri- „ mum, denique in tabernaculis; ſecundum, „ in atriis, tertium, in domo Dei; ſed quo- „ niam in atriis defectus eſt, Beati omnino „ qui habitant in domo tua, Domine, quo- „ niam in domum Domini ibimus. „ „ Confirmatur. Alibi eaſdem animas San- „ ctorum aſſerit, eſſe quidem abſque cul- „ pa, ſed non ſine ruga.

Reſpondeo diſtinguendo. Eſt defectus ratione gloriæ corporis quæ deeſt, concedo: ratione gloriæ animæ, nego. Immo ille locus noſtram firmat pro S. Bernardo ſententiam, totum ſiquidem clare explicat myſterium, nam SS. poſt reſurrectionem erunt perfecte Beati, tunc gloriam habebunt adæquatam & univerſalem: enimvero totus homo regnabit in æternum in domo Domini. Quod autem Sancti impræſentiarum ſummo afficiantur & gaudio & præmio, patet ex ipſo S. Bernardo qui in ſerm. 3. ſic effatur. " Quan- „ ta eſt felicitas eorum, quam immenſa „ lætitia, qui nimirum triplici gaudio de „ recordatione tranſactæ virtutis, de exhi- „ bitione præſentis quietis, de certa ex- „ pectatione futuræ conſummationis exul- „ tant. „ Ad confirmationem eſt eadem ſolutio: animæ quidem illæ ratione corporis in pulverem redacti, aliquam patiun-

Digitized by Google

tur rugam, ſeu potius gloriæ defectum ; minime vero ratione ſui.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sanctus Bernardus non adhæſit Millenariis.

PRIMO. Quia aſſerit Sanctos jam in cælis triumphare coronatos.

Secundo. De eiſdem, dixit eſſe in cælo præſentes ſecundum ſubſtantiam : nos vero per memoriam.

Tertio. Profitetur nuſquam ſe aſſentiri & credere iis, qui Sanctos eſſe gloriæ expertes propugnant.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Non diffitemur S. Bernardum alternata vice prædicare Sanctos in ſinu Abrahæ quieſcere : verum vel loqui de Patribus in Limbis concluſis beatam ſpem, & adventum Chriſti primum expectantibus; vel per ſinum Abrahæ Patris æterni ſinum intelligere conſtat.

Secundo. Utique dicit devotus ille Pater Sanctorum animas quieſcere ſub altari in quo aliquem experiuntur defectum, ſed hæc omnia eas gloria corporis privari ſolummodo indigitant.

Tertio. Vocat etiam idem Pater Beatorum dulcedinem abſconditam, ſed nemo non videt illum velle viatoribus tantum, nuſquam vero ipſis animabus eſſe occultam.

ARTICULUS OCTAVUS.

Utrum animæ in Purgatorio detentæ ulla abſque mora viſione Dei intuitiva donentur, ubi primum Juſtitiæ divinæ fecerunt ſatis?

AERIUS, teſte S. Epiphanio, hær. 75. erravit circa Purgatorium, poſt ipſum Vualdenſes non ſine de eodem momento locuti ſunt, ſed omnium audacior fuit Lutherus, qui illud ſimpliciter & abſolute negavit; ſimiliter & Calvinus, ut refert Bellarminus l. 1. de Purg. c. 2. quoniam vero abyſſus abyſſum invocat, ambo Chiliaſtarum veſtigiis inhærentes, beatitudinem Sanctorum in pace Chriſti defunctorum, ad reſurrectionem uſque generalem differri effutierunt ; quamobrem ad illos revincendos duo momenta impræſentiarum enucleanda nobis incumbunt ; alterum quidem de beatitudine Purgatorii exiſtentia ſeu realitate ; alterum vero de beatitudine animarum purgatarum quæ ſunt ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ immunes. Unde ſit

SECTIO PRIMA.

Utrum detur Purgatorium.

PURGATORIUM quandoque ſumitur in Scripturis pro remiſſione peccatorum, juxta illud Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciens* : nonnunquam pro præſentis vitæ tum miſeriis, tum etiam tribulationibus : in hoc ſenſu celebratur apud Malachiam c. 3. his verbis : *Ipſe ſedebit quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum*. Apud Patres vero illud vocabulum uſurpatur pro loco in quo animæ Juſtorum juſtitiæ divinæ ſatisfaciunt, ſcilicet pro peccatis quæ defectu ſufficientis expiationis remanent quantum ad reatum alicujus pœnæ, vel etiam ad remiſſionem ſimul & expiationem peccatorum venialium, de quibus nequidem confeſſi ſunt Juſti viatores. Quæſtio impræſentiarum movetur de Purgatorio in iſta tertia acceptione ſpectato. Cardinalis Bellarminus ſexta controverſia libris duobus hanc ſuſcepit provinciam defendendam, quam ita perfecte adverſus tum veteres, tum recentiores hæreticos complevit, ut vel minimum quidquam ad fidem contra hæreticorum flagitioſas molitiones omiſiſſe vix dici poſſit ; hujus igitur inſiſtentes veſtigiis, & Scripturæ ſententiis, & oraculis Patrum, & definitione Conciliorum, ſed maxime utriuſque Eccleſiæ Orientalis nimirum & Occidentalis conſenſu dogma Catholicum, quantum in nobis erit, ſtabilire ſatagemus. Unde ſit

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO CATHOLICA.

Datur Purgatorium.

Probatur multipliciter.

Primum argumentum. Ex veteri Teſtamento.

PER *Purgatorium* intelligimus locum ubi animæ Juſtorum purgantur a reliquiis peccatorum, ubi tranſeunt per ignem ut educantur poſtea in refrigerium, ubi non in furore, ſed in miſericordia corripiuntur, ubi tum precibus, tum ſacrificiis ſublevari poſſunt, ubi denique faciunt ſatis juſtitiæ, ut poſtea Deo perfecte reconcilientur ſeu conjungantur per gloriam: atqui talis datur locus, igitur & Purgatorium. Probatur minor quoad ſingulas partes veteris Teſtamenti ſententiis.

Primo. Datur locus in quo quidem animæ alias juſtæ & Deo acceptæ purgantur a reliquiis peccatorum, juxta illud Iſaiæ 4. *Purgabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum in ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis*. Rurſus c. 9. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, vepres & ſpinas devoravit*. Ibi expreſſa fit mentio & de peccatis, & de eorumdem emundatione per ignem, quæ quidem omnia verba ſi litteraliter ſumantur, intelligi debent de igne & pœna Purgatorii. In hoc prorſus ſenſu primam ſententiam uſurpat S. Auguſtinus l. 20. de Civ. c. 25. " Ex his quæ „ dicta ſunt videtur evidentius apparere „ in illo Judicio quaſdam quorumdam „ Purgatorias pœnas futuras ..... Dicit „ tale aliquid & Iſaias: Lavabit Dominus „ ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu judicii & combuſtionis, utique „ oſtendit eos ipſos, qui emundabuntur, „ deinceps in ſacrificii juſtitiæ Domino „ eſſe placituros.... Verum iſta quæſtio „ de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda „ eſt. „

Alteram Prophetæ ſententiam non abſimili modo interpretatur S. Baſilius comment. in hunc locum, in c. 9. Iſaiæ ſic loquitur: " Si igitur per confeſſionem „ detexerimus peccatum, jam ſuccreſcens „ germen arefacimus, dignum plane quid „ depaſcatur ac devoret Purgatorius ignis. „ Rurſus ibidem: " Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, ſed innuit expurgationem, juxta Apoſtoli ſententiam, ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem. „

Secundo. Datur locus in quo Juſtorum animæ poſt ſatisfactionem beata deinde requie perfruuntur; ſic enim intonat Propheta Regius Pſalm. 65. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*. Origenes hom. 25. in Num. hanc de Purgatorio explanat ſententiam: ſuccinit Sanctus Ambroſius ſerm. 3. in Pſal. 118. " Hic, *inquit*, per aquam, illic „ per ignem; per aquam, ut abluantur peccata, per iguem, ut exurantur. „

Tertio. Datur locus, ubi non in furore, ſed in miſericordia viſitat Dominus: hoc ipſum indigitat David Pſalm. 37. his verbis: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. S. Auguſtinus iſtud ſic exponit oraculum: " In „ hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus „ ſit. „ Intelligit igitur S. Doctor pœnitentiam nondum expletam, igne Purgatorii eſſe conſummandam.

Quarto. Datur locus in quo piæ defunctorum animæ precibus & ſacrificiis plurimum ſublevantur, non una aut altera, ſed multiplex dicit Scriptura, maxime Tob. 4. *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*. Rurſus 2. Machab. 12. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Hinc habitatores Jabes 1. Reg. ultim. jejunaverunt ſeptem dies pro iis qui cum Saul ceciderant in prælio. Ex quo aperte liquet dari locum inferiorem in quo animæ juſtorum divinæ ſatisfaciunt juſtitiæ.

Quinto. 2. Reg. 14. 4. legitur Davidem, audita muliere Tecuita, puero Abſalon condonaſſe fratris internecionem; attamen ex aula per aliquos menſes ad plenam, perfectamque ſatisfactionem iterum Abſalon exulare cogitur. Quæ ſententia, inquit Cardinalis Richelieus in controverſia de Purgatorio ſane indicat dari locum, ubi animæ in quibus aliquis pœnæ

rea-

reatus poſt hanc vitam remanet , divinæ faciunt ſatis juſtitiæ .

Solvuntur objectiones Lutheranorum .

OBJICIUNT 1. Loca Scripturæ intelligi de tribulationibus præſentis vitæ, quibus peccata expiari vult Deus; eoque prorſus ſcopo , vel etiam illas ad fidelitatem ſervorum ſuorum comprobandam immittit, juxta illud Sap. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probavit illos* . Et iterum ibidem 3. 5. *Deus tentavit eos & invenit illos dignos ſe* . Immo & ad virtutis exemplum dirigit afflictiones quæ paſſim in Scripturis ignis nomine celebrantur , Unde S. Jacobus ad primos Chriſtianos aiebat c. 5. 11. *Sufferentiam Job audiſtis & finem Domini vidiſtis* . Qua quidem ſententia eorum ſtimulat & in perſecutionibus pro fide defendenda patientiam atque animum , & ad imitandum Chriſtum in paſſione , amorem & zelum .

Secundo . Omnium celeberrimus pro Purgatorio Scripturæ locus , eſt ſententia ex libro ſecundo Machabæorum deprompta : ſed ille contextus nihil urget , tum quia liber ab omnibus non recipitur tanquam genuinus ; tum quia ibi Judas non de Purgatorio , ſed de reſurrectione ſolum facit mentionem , maxime vero cum ea tanquam aptiſſimo medio utatur ut animæ immortalitatem probet contra quoſdam impios.

Reſpondeo diſtinguendo . Et loca laudata nedum de tribulationibus , verum & de pęnis Purgatorii apprime , juxta Spiritus Sancti intentum intelliguntur , concedo : & de iſtis intelligi non valent , nego . Scripturæ multiplex eſt ſenſus , ſed unum annotes velim , pie Lector , Spiritum ſanctum res ſenſibiles hujus mundi non ſemel uſurpare, ut manuducat nos ad cognitionem rerum abſconditarum : non mirum igitur ſi quandoque pęnitentiam Baptiſmum ignis vocet : ſi eandem nominet fornacem in qua purgatur triticum a paleis, aurum a terra , hoc eſt juſtus ab imperfectionibus , a vitiis , ſed potiſſimum a pęnis pro peccatis debitis, & hoc ut intelligamus duo , nimirum peccata vel in præſenti vita per pęnitentiam expianda eſſe ; vel in alia per ignem Purgatorii , cujus typus eſt tribulatio , quam hic quandoque propter peccata patimur . Hunc eſſe genuinum Scripturæ ſenſum docent S. Baſilius laudatus , S. Auguſtinus & alii infra citandi . Neque vero negare fas eſt juſtos quandoque etiam probari ut juſtificentur adhuc, ſed & hoc præ oculis haberi vult Spiritus Sanctus , ut hic certam , promtamque agant pęnitentiam , ne duriorem in alia vita experiri velint: namque ut ait Chriſtus Dominus Luc. 23. 31. *Si in viridi ligno hæc faciunt , in arido quid fiet ?* Hoc eſt ſi juſti ipſi probationi ſubjiciuntur , a fortiori peccatores graviſſimas luent pro peccatis pęnas , maxime cum paucis hic ſolvere poſſumus quatenus præſens vita eſt tempus acceptabile , dies ſalutis & meriti ; hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 37. graviter increpat eos qui expiationem pro peccatis impræſentiarum negligunt , qui mundos eſſe a peccatis gravioribus ſufficere ad ſalutem aſſerunt , nec aliud quidquam in corde habere volunt , niſi ſcilicet ſalvari, & ſi per ignem , nihil pro eis refert . " Dicitur , *inquit* , ſalvus erit, quaſi per ignem , & quia dicitur , ſalvus erit , contemnitur ille ignis: ita plane quamvis ſalvi per ignem , gravior tamen eſt ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita . " Longe aliter ſentiebat ſanctus ille Doctor ; unde ibidem Deum alloquens ſic effatur : *In hac vita purges me , & talem me reddas , cui jam emendatorio igne opus non ſit .*

Ad aliam replicam , diſtinguo . Liber Machabæorum ab hæreticis non habetur ut Canonicus , concedo : a Sanctis Patribus & ab Eccleſia, nego. Abſque fundamento Proteſtantes hunc a Scripturarum ſacrarum canone expungunt librum , maxime cum eum in ſuo catalogo adſciverit Concilium Carthaginenſe tertium, & poſt ipſum Tridentinum . Hunc recipit Gelaſius in ſuo de Libris ſacris decreto, eundem ut genuinum agnoſcit S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 8. Ad inſtantiam vero qua dicunt Lutherani : Judam neque mentionem de Purgatorio facere , neque de hoc loqui , ſed tantum immortalitatem animæ per reſurrectionem intendere probare ; diſtinguo , non facit mentionem expreſſam quoad terminos , concedo : quoad ipſam rem , nego . Etvero quodnam primarium aſſumit , quæſo , medium, ut animæ probet immortalitatem? nonne preces quas fundi pro defunctis

Digitized by Google

ctis pium eſſe propugnat, ad hunc Eccleſiæ morem ſalutarem ſtabiliendum veluti attendebat Machabæus? unde hoc tanquam inconcuſſum, omnibuſque notum ſupponens principium, ſic urget impios, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis ſolvantur*. Igitur concludit, reſurgent, adeoque ſuperfluum ſoret pro eis orare: ergo animam eſſe immortalem conſtat. Jam vero Judam intelligere animas in Purgatorio detentas, ut virtute & precum & ſacrificiorum a pęnis ſublevatæ educerentur in refrigerium, in locum ſcilicet Limbi, ubi ſancti Prophetæ & Patriarchæ requieſcebant in ſinu Abrahæ, expectantes beatam ſpem & adventum Chriſti, luce clarius apparet. Non enim preces fundebantur aut pro damnatis, quia in inferno nulla redemptio, hoc ipſum ultro fatentur Lutherani; aut etiam pro animabus juſtorum in ſinu Abrahæ requieſcentium, cum ibi nullos experirentur cruciatus, ſed in pace beatam ſpem & adventum Domini, qui captivam ſecum in cælos duceret captivitatem, expectabant; quem quidem adventum precibus accelerare, eſto, poterant: ſed ibi fit mentio de precibus fundendis ut a peccatis animæ ſolverentur: igitur ut e Purgatorio ſolutæ educerentur in pacis locum, juxta illud Pſalmiſtæ: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxit nos in refrigerium*.

Objiciunt 2. Varia loca ex libris Sapientialibus deprompta, quibus commentum eſſe Purgatorium probare autumant. 1. quidem Pſalmo 126. habetur: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*. Igitur electi ut primum defuncti, etiam in pace requieſcunt, unde mos hic apud Proteſtantes invaluit, omnes ceſſare preces & orationes, cum aliquos animam egiſſe conſpiciunt. Rurſus Eccleſiaſtæ 9. habetur: *Quodcumque facere poteſt, manus tua inſtanter operare quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas*. Sapientem non loqui de inferno ſtricte ſumpto patet, cum etiam ad juſtum dirigat ſermonem, cumque ad infernum properare pronuntiet, & tamen ſuadet illi bonis operibus per tempus vitæ præſentis inſudare, quia in alia vita forent inutilia: *Nec ſapientia, nec ſcientia*, inquit, *erunt apud inferos quo tu properas*. Confirmatur: ibidem legitur c. 11. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Igitur non datur locus poſt mortem medius, ex quo ad meliorem fieri poſſit tranſmigratio.

Reſpondeo. Iſta & ſimilia parum urgere. Ad primum reſpondeo diſtinguendo. Poſt mortis ſomnum ecce hæreditas Domini certa, & irrevocabilis tempore opportuno habenda, concedo: cito citius habenda, ſubdiſtinguo: ſi anima ſit ab omni tum culpæ, tum pœnæ reatu munda, concedo: ſi non ſit, nego. Senſus Scripturæ eſt animam juſtam ut primum a corpore ſoluta eſt, nec in ambiguo verſari circa beatitudinis momentum, nec jus ad eam poſſe amittere, quippe quæ ſit in bono confirmata; bene igitur vates Regius ait: *Ecce hæreditas Domini*, hoc eſt, jam eſt certa, jam in brevi veniet & dabitur, Bellarminus hic l. 1. de Purg. c. 8. hunc interpretatur locum de gloria conſummata, ita ut ſenſus ſit, cum dederit dilectis ſuis ſomnum corporis, reſurrectione facta, tunc ecce hæreditas Domini conſummata: quæ quidem expoſitio eſt B. Aug. in hunc Pſalm.

Ad aliam e Libro Eccleſiaſt. deſumptam auctoritatem, diſtinguo: non erit poſt mortem aut ſapientia, aut ſcientia pro defuncto, ideſt non patrabit bona opera, quibus poſſit per modum meriti ſua redimere peccata: tempus quippe præſentis vitæ ſolum eſt acceptabile, concedo: hoc eſt animæ precibus adjuvari in Purgatorio non poſſunt, nego. Primus ſenſus Scripturæ affinis plurimum & connaturalis eſt. Ita S. Gregorius l. 4. dial. c. 39.

Ad ſecundam ejuſdem Libri auctoritatem ſimiliter diſtinguo, & ibi ſapiens intendit tantummodo probare ſortem defuncti ratam eſſe & conſummatam, ita ut ſi pœnis addictus ſit æternis: ibi manet: ſin minus pro gloria, certo & irrevocabiliter eam habebit, concedo: & ibi excludit Purgatorium, nego. Tum quia anima cui Purgatorium adjudicatum eſt, fixum habet & immobilem prædeſtinationis ſtatum; unde manet ubi cecidit, pro gloria nimirum addicta, quia & in charitate a corpore ſoluta eſt.

Objiciunt 3. Qui promiſit omnia oblivioni tradere peccata, ſi de iis homo pęnitentiam agat, profecto eadem pęnis Purgato-

gatorii punire non expedit; atqui ſic promiſit Deus, ait enim Ezechielis 18. *Cum averſus fuerit impius ab impietate ſua, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus promittit oblivioni tradere peccata, ſi egerit pœnitentiam peccator, hoc eſt & homini ſe reconciliaturum, & vindictam æternam non ſumpturum pro peccatis, concedo: hoc eſt non punire in Purgatorio peccata, ſubdiſtinguo: ſi tanta fuerit & tam laborioſa delinquentis pœnitentia, ut fecerit ſatis juſtitiæ, concedo: ſin minus, nego. Duo potiſſimum in gratiam pœnitentiæ promittit Deus, primo quidem ſuam cum inimico reconciliationem: deinde vero abſolutionem a peccatis quantum ad reatum culpæ & pœnæ æternæ; utrumque enim importat juſtificatio; ſed non abſolvit totaliter a pœnis temporalibus niſi peccator magnis ſatisfactionibus ſolverit debitum: quod egregie explicat paucis, ſed efficaciſſimis verbis S. Thomas 3. p. " ,, Solvit, *inquit*, quantum ad culpam, ,, ſed ligat quantum ad pœnam. ,, Solvit miſericordia peccatorem, ſed ea conditione ut in hoc vel in alio mundo juſtitiæ læſæ faciat ſatis.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Datur Purgatorium ex novo Teſtamento.

Hoc argumentum ex auctoritate novi Teſtamenti deductum, variis efficaciſſimiſque ratiociniis exponere juvat.

Primo. Dantur quædam peccata quæ remittuntur vi orationis & ſacrificii in futuro ſæculo: ſed hæc remiſſio intelligenda eſt ſolummodo pro animabus in Purgatorio detentis: neque enim beati habent peccata, reprobi vero ea nec deteſtari, nec ab eis remiſſionem obtinere queunt: igitur datur Purgatorium. Probatur major in qua difficultas quædam affulget. Matth. 12. 32. habetur: *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Quibus verbis manifeſte docet Chriſtus Dominus quædam peccata remitti in altera vita. In iſto prorſus ſenſu hanc Chriſti ſententiam explanant S. Auguſtinus l. 21. de Civ. c. 24. S. Gregorius lib. 4. dial. c. 39. S. Bernardus hom. 66. in cant. & de Purgatorio intelligunt.

Secundo. Qui poteſt ſalvari tranſeundo in alia vita per ignem, debet in Purgatorio probari: atqui juſtus habens reatum pœnæ poteſt in alia vita ita per ignem probari, ut ſalvus ſit, juxta illud 1. Cor. 3. *Ipſe autem ſalvus erit, ſed tamen quaſi per ignem*. Igitur datur locus in quo animæ juſtorum ad plenam ſatisfactionem probari poſſunt. Nec quidquam aliud niſi Purgatorium intelligere fas eſt.

Tertio. Per Purgatorium intelligimus locum ex quo expleta pœnitentia egredi licitum eſt: atqui talis datur, ſic docet ipſe Chriſtus Luc. 12. *Cum autem vadis cum adverſario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde donec etiam noviſſimum minutum reddas*. Qua quidem parabola Chriſtus ſuadet pœnitentiam hominibus, ne, ſi peccata in præſenti ſæculo expiare non ſatagant, detrudantur in futuro in carcerem ex quo exire non licebit, donec diriſſimis ſuppliciis reddant omnia etiam minutiſſima, hoc eſt faciant ſatis pro levioribus peccatis.

Quarto. Qui poſt mortem in vindictam peccatorum pęnis ex quibus erui poteſt, afficitur, profecto pęnitentiam agit in favilla Purgatorii: atqui datur talis ſtatus in quo anima & ſublevari, & ex eodem liberari poteſt. Audiamus pro hoc momento bonum Latronem Chriſtum ſic alloquentem Luc. 23. *Memento mei dum veneris in regnum tuum*. Peccator ille inſpiratus, deſuper, a Chriſto hanc petit gratiam: *Memento mei dum veneris in regnum tuum*. Putabat igitur contritos peccatores & in alia vita luere pęnas criminum in loco inferiori, & ab eo meritis Chriſti erui poſſe: ergo, &c.

Solvuntur objectiones Proteſtantium.

Objiciunt 1. Cum Chriſtus quædam peccata remitti poſſe in futuro ſæculo indigitat, non ideo aſtruit Purgatorium: hæc enim per exaggerationem, vel etiam comminationem dicuntur. Alias, inquit Calvinus, & graviora peccata, etiam

in

in alio remitti mundo nemo non videret: loquitur quippe Chriſtus de peccatis contra Spiritum Sanctum commiſſis, quæ non remitti in hoc & alio ſæculo aſſerit, peccata vero contra Filium dicit abradi: *Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei*. Igitur ſi conſequentia ſeu illatio de remiſſione in alio mundo ponderat, poterit ſe extendere ad peccata contra Filium, adeoque ad mortalia, venialia quippe non contra, ſed præter Deum ſunt. Atqui abſurdum eſt dicere peccata graviora in futuro remitti ſæculo: igitur ſententia Chriſti in probationem adducta non eſt ad propoſitum.

Reſpondeo diſtinguendo. Verba Chriſti ſunt comminatoria ſimul & ad veritatem indagandam dicta, concedo: & non ſunt ad veritatem alteram indigitandam, nego. Ultro fatemur quod in illo loco Chriſtus comminatur peccatores, ut eos a graviſſimis committendis peccatis qualia ſunt peccata ex certa malitia & contra Spiritum Sanctum, deterreat: ſed nemo non novit comminationes ſuos ſortiri effectus, niſi pœnitentia facta hoc ipſum impediat: quomodo vero eos deterreat Dominus: intelligite, quia non datur locus remiſſionis neque in præſenti, neque in futuro ſæculo, eo quod impœnitens moritur impius, impœnitentia quippe ad peccata malitiæ ſubſequitur, non ſic de aliis peccatis: cum enim, inquit S. Thomas, magis habeant de converſione ad creaturam quam de averſione a Deo, remitti poſſunt & in hac vita, & in futura: in præſenti quidem ſæculo, quantum ad culpam & pœnam æternam, partim etiam quantum ad temporalem per pœnitentiam voluntariam, quæ certe non eſt tam difficilis: facilius quippe peccans ex fragilitate ad cor redit quam obduratus; in futuro vero quantum ad reliquias pœnæ temporalis, immo & quantum etiam ad culpam venialium per ignem purgatorii. Et ſic patet ad inſtantiam ſolutio: nulla enim implicantia eſt etiam quædam graviora peccata in alio remitti ſæculo quoad pœnam temporalem.

Objiciunt 2. Neque magis, inquiunt, probat exiſtentiam Purgatorii locus ille in quo Apoſtolus ſic loquitur: *Salvus erit, ſed tamen quaſi per ignem*. Cum ipſe S. Auguſtinus hujus auctoritatis verba intellectu difficillima eſſe ingenue fateatur, l. de fide & operibus c. 15. cum de hoc momento parum non diſceptent tum Theologi, tum Interpretes. Namque totus parabolicus & myſticus locus apparet, quandoquidem & de fœno & de ſtipula, immo de auro atque argento ſermo habetur, quæ quidem omnia de tribulatione viatorum & pœnitentia, quæ ignis conſtans nonnumquam nuncupatur, intelligenda potius ſunt, quam de igne Purgatorii, quem eſſe realem non conveniunt ipſi Catholici: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & S. Paulus utitur parabolis ad oſtenſionem veritatis, concedo: & eo non utitur fine, nego. Apoſtolus ad captum loquitur auditorum, ſicut igitur inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ita & per parabolas manuducimur ad myſteriorum intelligentiam; quid mirum igitur ſi duos ordines electorum diſtinguat Gentium Doctor, alterum Sanctorum, qui tam perfectam duxerunt vitam, ut ſuper aurum & argentum ſemper ædificaverint, hoc eſt propter ſummum Dei amorem cuncta fecerint? alterum vero juſtorum qui non ita perfectam, ſicut ille qui ædificavit ſuper charitatis aurum, quem dicit Apoſt. ſimpliciter ſalvum; iſtum vero qui ſuper fœnum & ſtipulam, hoc eſt qui multa commiſit peccata venialia, de quibus ne quidem ullam egit pœnitentiam, ſalvum utique pronuntiat, ſed quaſi per ignem, intellige ignem Purgatorii, qui eum a ſordibus & culpæ venialium, & pœnæ ita mundabit, ut ignis erit illius gloriæ & beatudinis veluti cauſa. Quod autem Apoſtolus loquatur de igne tribulationis non vitæ præſentis ſed alterius, patet ex his quæ ſubjungit: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem*. Iſta ultima verba penſanda ſunt ſecundum antecedentia, in quibus ſermo fit de judicio: igitur de tribulationibus futuri ſæculi.

Hanc

Hanc interpretationem tradunt S. Cyprian. l. 4. Epiſt. 2. S. Ambroſius comment. in hunc locum, S. Auguſtinus jam citatus increpando eos qui hunc vitare ignem contemnunt, S. Hieronymus in c. 4. Amos his verbis: " Juxta illud quod " in Apoſtolo legimus, ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem: qui ergo ſalvatur per ignem, quaſi torris de incendio rapitur. " Porro doctiſſimorum opinio & interpretatio prævalet, unde his adhærere non ſolum conveniens, ſed & tutius eſt.

Objiciunt 3. Tertius locus manifeſte intelligitur de miſeriis vitæ præſentis, nec ulla fit de Purgatorio mentio: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Non fit expreſſa de Purgatorio mentio, concedo: æquivalens, nego. Illud parabolis indigitat Chriſtus eo loci, quo ad rem ſufficienter notavit, maxime cum introducat in parabola hominem qui in carcerem detruditur, ex quo tamen educi poteſt, ſed modo prius reddat omnia debita. Iſtis verbis deſignari Purgatorium non eſt relictus ambigendi locus. Sic cenſent Origenes Hom. 35. in Num. Ambroſius in c. 12. Lucæ, ſed inter cæteros Hieronymus in cap. 5. Matth. ait enim: *Hoc eſt quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſolvas.*

Objiciunt 4. Verba Latronis ad Chriſtum, & Chriſti ad Latronem perperam adducuntur ad probandum Purgatorium, quandoquidem penitus æquivoca eſſe comparent, neque enim probant Purgatorium, cum ibi agatur de gloria quæ promittitur eadem die danda; juxta illud: *Mecum hodie eris in Paradiſo:* neque utique beatitudinem ipſo facto & abſque mora dandam ſignificant, cum Latro non ipſa die, ſed poſt Aſcenſionem ſolum donatus ſit gloria, tunc temporis quippe Chriſtum aperuiſſe cælum conſtat.

Reſpondeo. Latronem ſe indicare Purgatorii fidem habuiſſe, cum Chriſtum Dominum alloquens dixerit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum*. Senſus quippe obvius illorum verborum hic eſt, ero in Purgatorio ad luendas pro peccatis pęnas, ſed memento mei, ut liberes me nunc a reatu culpæ, tunc vero cum veneris in regnum tuum, a reatu etiam pęnæ temporalis. Ergo, &c.

Ad id quod additur verba allata ſubobſcura & æquivoca eſſe, cum promittant hodie & in præſenti Paradiſum, qui tamen elapſis quadraginta diebus ſolummodo conceſſus eſt. Dico fuiſſe animam Latronis ipſa die eatenus in Paradiſo, quatenus tunc a mortis æternæ ſtimulo liberata, ab omni & culpæ & pęnæ miſeria in æternum immunis fuit. Quid plura? videbat Chriſti humanitatem glorificatam: igitur & quodammodo jam ipſe Latro beatus erat, quandoquidem quadraginta dierum ſpatium pro nihilo comparative ad æternitatem gloriæ computatur: merito igitur dicere potuit Chriſtus ad Latronem: *Mecum hodie eris in Paradiſo*. Præſertim vero cum nomine Paradiſi ſtatus ab omni pęna liber & immunis intelligatur, nec iſta collimant in Millenariorum ſententiam, quandoquidem gloriam animæ rejiciebant alii uſque ad reſurrectionem, alii vero ut Chiliaſtæ ſeveriores poſt ultimum judicii diem.

S. Thomas iſtam ſic ſolvit & explicat difficultatem Comment. in c. 23. Lucæ: " Sed ſi Dominus pollicitus eſt regnum " cęlorum, introduxit autem Latronem " in Paradiſum, nondum ei retribuit " præmia; ſed dicunt, nomine Paradiſi " regnum cælorum nominavit, uſitato " nomine utens dum alloqueretur Latro" nem, qui nihil audierat de arduis do" cumentis. Quidam autem non ſic le" gunt: (Hodie mecum eris in Paradiſo) " ſed ſic: Dico tibi hodie, & conſequen" ter, mecum eris in Paradiſo. Sed adhuc " evidentiorem ſolutionem ſubjungemus. " Nam medici cum vident aliquem deſpe" ratum, dicunt, jam mortuus eſt. Sic & " Latro, quoniam non amplius timebatur " ejus ingreſſus ad perditionem, dicitur " Paradiſum intraſſe. Paulo ſupra ait: " (Amen dico tibi: Hodie mecum eris " in Paradiſo, vita eſt enim, eſſe cum " Chriſto, & ubi Chriſtus, ibi re" gnum.

Opponunt 5. Quotieſcumque Chriſtus æternam promittit electis beatitudinem, toties ulla abſque mora conferendam aſſerit: igitur abſque fundamento tertius ſtatuitur locus in quo electi ad purgationem, immo & ad pœnam detineantur. Probant

bant antecedens variis Scripturæ ſententiis. Primo quidem Matth. 25. habetur: *Venite, benedicti Patuis mei, percipite regnum*. 2. Marc. ul. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. 3. Joann. 3. *Qui credit, non judicatur*: igitur non expectatur dies judicii ut Sancti gloria donentur, ſed ut primum a corpore ſoluti glorificantur, juxta illud Chriſti ad Latronem Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo:* ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Una quippe Scriptura per aliam explicari debet: cum autem non unus aut alter textus, ſed multiplex Purgatorium indigitet, abſque fidei periculo ejus exiſtentia negari non poteſt. Ad primam probationem, diſtinguo; & loquitur Chriſtus de judicio ultimo, quo tempore completa erit omnium electorum purgatio, concedo: & excludit Purgatorium, nego. Ad ſecundum diſtinguo: & Marcus ſermonem habet de viatoribus quibus fides ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt, concedo: & excludit Purgatorium, ſubdiſtinguo: pro iis electis & Sanctis qui animam agentes, nihil purgandum habent, concedo: pro aliis, nego. Ad tertium utique diſtinguo, & Joannes loquitur de viatoribus paganis & infidelibus, concedo: de electis excludendo Purgatorium, nego. Propheta Evangelicus ſermonem de infidelibus inſtituit, eoſque jam judicatos aſſerit; Chriſtus enim, Marc. 16. 16. hanc protulit ſententiam: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Fidei quippe neceſſitatem pro ſalute iſta pronuntiat, ut qui ea carent, jam a reguo exules fore declaret, quippe qui cum corpore & capite non conjungantur; unde Paulus ad Tit. 3. 11. ait: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita: ſciens, quia ſubverſus eſt, qai ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus*. Ad quartum diſtinguo, & Latro paſſionem pro Chriſti amore ſubeundo, hanc promeruit indulgentiam, ut abſque Purgatorio gloria donaretur æterna, concedo: & per verba Chriſti excluditur Purgatorium, nego: tum quia privilegium regulam non abolet generalem.

Objiciunt 6. 2. Cor. 5. legitur: *Si domus terrena noſtra habitationis diſſolvitur, habemus domum non manufactam æternam in cælis:* igitur ut primum anima juſti exuitur a corpore, domum ingreditur æternam; cui concinit illud Apocalypſeos 14. *Beati qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*. Profecto ſi requieſcunt a laboribus, jam duriſſimos ſubire Purgatorii labores, nuſquam dicendum.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Et B. Paulus, gloriam non in præſenti, ſed in alia vita expectandam eſſe commemorat, concedo: & illam abſque purgatione donari contendit, ſubdiſtinguo: his quibus nihil expiandum ſupereſt pro peccatis, concedo: cæteris, nego. Apoſtolus eſt ſui ipſius interpres, ibidem quippe ſubdit, & non in futuro ſæculo cito coronandos: *Si tamen*, inquit, *veſtiti & non nudi inveniamur*. Juſtus igitur omnis æternam habet in cælis domum non manufactam, verum, ſi non fecerit ſatis juſtitiæ divinæ, ſalvus quidem erit, ait idem Paulus, 1. Cor. 3. *ſed quaſi per ignem*.

Ad confirmationem diſtinguo. Qui perfecte moriuntur in Domino, requieſcunt a laboribus, ii ſcilicet qui vel martyrio ſanguinis, vel etiam diuturna pœnitentia juſtitiæ ſatisfecerunt divinæ, concedo: illi qui in Domino perfecte non moriuntur, hoc eſt, qui vel cum peccatis venialibus, vel cum reatu pęnæ temporalis gravioribus debitæ migrant e vita, ſubdiſtinguo: requieſcunt a laboribus vitæ anxiæ quæ ſalutis incertitudinem conjunctam habet, concedo: dicit enim Apoſtolus Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Porro, *Juſtorum animæ*, ait alia Scriptura, *in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Scilicet æternæ, unde requieſcunt in Domino, in bono quippe ſunt confirmati & pro certo vitam in brevi habebunt æternam: requieſcunt a laboribus Purgatorii, nego. Auguſtinus l. 3. contra Epiſtolas Pelag. diſtinguit duplicem præfatum electorum ordinem, eorum ſcilicet qui in Domino perfecte moriuntur, aliorum vero qui non ita perfecte. Richardus a ſancto Victore explicat locum Apocalypſeos de ſanctis Martyribus qui nihil purgandum habent; D. vero Anſelmus in Commonitorio, de Judicio univerſali, de quo Joannes in toto capite expreſ-

ſam

ſam facit mentionem, ita ut ſenſus ſit, amodo, hoc eſt a die judicii publici omnes electi quieſcent a laboribus.

Inſtant : electi qui tempore judicium immediate antecedente e vita migrabunt præſenti, profecto in purgatorium ad faciendum ſatis juſtitiæ non detrudentur, quandoquidem tunc omnes mortui reſurgent, ut unuſquiſque rationem reddat, prout geſſit in ſuo corpore ſive bonum, ſive malum : jam vero ſi rationem teneantur reddere, haud dubie non erunt purgati : igitur incaſſum admittitur purgatorium.

Reſpondeo diſtinguendo. Et Deus in inſtanti animas quibus aliquid expiandum erit, in brevi, miris ſed tamen veris modis purgari curabit, concedo : ſecus, nego. Nihil quippe Deo impoſſibile eſt, & cum infinitus ſit in virtute, non difficile illi ſane eſt multa in brevi ſicut in præmio, ita & in ſupplicio ſatisfaciente, explere tempora multa. Ad aliam illationem, jamjam factum eſt ſatis, non enim ſemel diximus judicium univerſale a Deo ordinatum eſſe tum ad juſtificationem legis Chriſti, tum ad gloriam electorum, qui in vita præſenti multa ab impiis paſſi ſunt, maxime vero ad confirmationem judicii particularis, & plenum crucis triumphum : quæ quidem omnia, ut luce clarius patet, nec fidem nec realitatem Purgatorii, ut ſtulte confingunt viri ſeipſos amantes, evacuant.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Probatur Purgatorium ex definitione Conciliorum totius orbis.

ILLUD eſt admittendum quod fide tenendum eſt : atqui Purgatorium fide tenendum eſt : & probatur : quod de fide definitum eſt in Conciliis totius orbis terrarum, profecto fide tenendum eſt, atqui Purgatorium eſſe, ita definiere totius orbis terrarum Concilia : igitur fide illud tenendum eſt. Porro hanc definitionem repetunt Patres Synodici ex orationibus & precibus, ex ſacrificiis quæ offerre pro mortuis ab omni ævo ſtatuit Eccleſia, ut a peccatis ſolverentur, hoc eſt vel a peccatis venialibus, vel a pœnis quibuſdam pro gravioribus debitis. Jam probatur minor multis Conciliorum definitionibus.

Hanc veritatem traditione & uſu fundatam ſupponit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum, nam & preces pro requie fidelium defunctorum approbat, & turpis lucri gratia fieri prohibet cap. 66. his verbis : *Ad Apoſtolicam audientiam frequenti relatione pervenit quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum . . . . pecunias exigunt & extorquent . . . . pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus.*

Fidem Purgatorii aſtruit Florentinum collat. 22. pag. 454. Typ. Reg. aſtantibus Græcis qui de iſto convenere decreto. Sic enim habetur poſt fuſis tum Scripturæ ſacræ, tum Patrum utriuſque Eccleſiæ contextibus probatam Purgatorii veritatem : *Hæc fuere quæ de Purgatorio prodita ſunt, d'ebus certis ad invicem diſcuſſa ; & Græci cum Latinis Patribus in hanc cedulam convenere.*

Si vere pœnitentes in Dei caritate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & de omiſſis, eorum animas pœnis Purgatoriis poſt mortem purgari, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta, illorumque animas, qui poſt ſacrum Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum primum & unum, ſicuti eſt, licet alius alio perfectius : illorum autem animas, qui in mortali actuali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Definivit tandem Tridentinum Seſſ. 25. Ecce ejus de hac quæſtione decretum : *Cum Catholica Eccleſia Spiritu ſancto edocta, ex ſacris Litteris, & antiqua Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſime in hac œcumenica Synodo docuerit Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili altaris ſacrificio juvari ; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam a ſanctis Patribus & ſacris Conciliis traditam, a Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant.*

Rur-

Rurſus ſeſſ. 6. can. 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, anathema ſit*. Ergo, &c.

Solvuntur Heterodoxorum objectiones.

OBJICIUNT: Illud non eſt de fide credendum de quo nullam Scriptura facit mentionem, cum tempus eſſet de tali re inſtituere ſermonem, atqui neque vetus, neque novum Teſtamentum aut nominat Purgatorium, aut illud commendat, cum tempus affulget opportunum de hoc eloqui. Igitur non eſt de Purg. fide credendum. Probatur min. Referuntur funera Abrahæ, Iſaac, Jacob, Saræ, Rachelis, Geneſeos c. 23. 24. 25. & ſeq. Et tamen ubique altum eſt ſilentium de Purgatorio ſicut in libro Levitici in quo cuncta, variaque pro expiatione peccatorum ſacrificia præcipiuntur, nec tamen vel minimum habetur verbum de ſacrificiis & oblationibus pro mortuis. Quid plura? S. Paulus 1. ad Theſſ. c. 4. ex profeſſo de mortuis pertractat; in quo quidem loco ſi quod foret Purgatorium, pro virili determinare deberet, cum tamen ſolam commemoret reſurrectionem; totum vero non luctu & lacrimis, ſed gaudio concludit, dicens: *Conſolamini invicem in verbis iſtis*. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Opponendo Scripturam Scripturæ, tametſi quippe Purgatorium in uno taceat loco, attamen commemorat, ut ſupradictum eſt, in altero. Neque vero de nomine plurimam exerere ſuam diſputationem neceſſe eſt, cum & rem & ſubſtantiam Purgatorii in utroque Teſtamento habeamus; ſicut enim Patres Nicæni conſubſtantialitatem Verbi & ex unitate Filii cum Patre Joannis X. celebratam, duas vero in Chriſto voluntates & operationes, ex eo quod in iiſdem Scripturis Deus & homo dicatur, deducebant Conſtantinopolitani: quidni ex locis Scripturæ modo preces pro defunctis commendantibus, modo ſalutem quandoque per ignem expectandam prædicantibus, fidem haberemus, maxime cum accedat & Conciliorum definitio, & Patrum ſententiæ atque perpetua traditio? fides quippe nedum a verbo ſcripto, ſed etiam, ut omnes cordati norunt, & a non ſcripto deſumere licitum, immo & neceſſe eſt.

Reſpondeo 2. Negando minorem, quam falſiſſimam eſſe luce clarius demonſtrant probationes ex utroque Teſtamento ſupra allatæ. Ad primam confirmationem, diſtinguo: & ibidem in Geneſi Scriptura non quidem explicite, quia non dogmata, ſed hiſtoriam Patriarcharum texuit, ſed implicite aſtruit Purgatorium, concedo: & excludit, nego. Satis nobis foret ad perſtringendos fidei ejuratos hoſtes dicere Scripturam, dogma de quo præſens movetur controverſia, non excludere; cum aliæ Scripturæ illud aſtruant, ſed & idem contextus indicat: *Et ſurrexit Abraham ab officio funeris*. Profecto officium funeris potiſſimum conſiſtit in ſublevandis & per preces, & per ſacrificia defunctorum animas, ut a pœnis omnibus ſolutæ, tranſeant in refrigerium. Ad auctoritatem ex libro Levit. depromptam, reſpondeo diſtinguendo: & per ſacrificia pro peccatis ſubintelligi neceſſe eſt ſacrificia pro defunctorum requie, hoc ipſum enim explicatur & determinatur, 2. Machab. 12. concedo: & non intelliguntur, nego. Neque vero magis urget objectio ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes deſumpta: quandoquidem Apoſtolus ibi ex profeſſo agit de reſurrectione, ut animo fractos, eos ſcilicet, qui deluſi ab impiis animam credebant mortalem, erigat, & conſoletur; unde de pœnis Purgatorii ſermonem habere in iſto loco non debuit, verum eas neque excludit, cum potius alibi non ſemel aſtruat.

Inſtant. Quod eſt de fide tenendum, firmiter & ulla abſque dubitatione credendum eſt: atqui dogma Purgatorii non ita tenent Patres, igitur non de fide, ſed ad libitum prout unicuique placebit, tenendum eſt. Probatur minor. Dionyſius capite ultimo, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ hanc proponit quæſtionem, cur Epiſcopi & Eccleſiæ Proceres in funere fidelium, & orent, & vivos cæteros orare velint? Purgatorii non meminit, ſed anceps veluti manet, & anxius. Huic accedit S. Auguſtinus, cui non in uno loco dubitanter ad quæſtionem reſpondet,

ut Ench. c. 69. “ Tale , *inquit* , aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit , quæri poteſt , & aut inveniri , aut latere nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium , quanto magis , minuſve bona pereuntia dilexerunt , tanto tardius citiuſve ſalvari . „ Rurſus l. de octo quæſtionibus Dulcitii q. 1. “ Sive ergo in hac vita tantum homines iſta patiantur , ſive etiam poſt hanc vitam talia quædam judicia ſubſequantur , non abhorret , quantum arbitror a ratione veritatis iſte intellectus hujus ſententiæ . „ Et iterum l. 21. de Civ. c. 26. Propoſita quæſtione Purgatorii in quo qui ſuper fęnum & ſtipulam ædificaverunt pęnas pro peccatis venialibus: dicuntur luere , ſubdit : “ Non redarguo , quia forſitan verum eſt . „

Reſpondeo . 1. Quæſtionem non fuiſſe de fide definitam niſi in Concilio Lateranenſi tertio , ſed maxime in Florentino , porro donec acceſſerit Eccleſiæ expreſſa definitio , quæ clare veterem exponat fidem, quæſtiones quandoque , aut in utramque partem moventur , aut certe nonnunquam partim ſubobſcure , partim dubitanter , a quibusdam pertractantur , abſque eo quod hæreſis labem eis inurere fas ſit : attamen attendendum eſt ad communem & Patrum & Eccleſiæ doctrinam : porro ea ſemper fuit Eccleſiæ ſententia in ſacra Scriptura fundata dari Purgatorium : quocirca dogma Purgatorii non eſt dogma ab hominibus inventum , ſed omnium ſæculorum fides ut patet ex dictis.

De mente Dionyſii nullus eſt ambigendi locus . Enimvero c. 7. partis tertiæ, ſic loquitur : *Precibus , a divina benignitate contendit , ut omnia peccata quæ humana fragilitate admiſſa ſunt ei , qui exceſſit e vita , remittat* . Poſtea hanc inſtituit quæſtionem , cur fundantur preces pro defunctis , cum ſcriptum ſit omnes accepturos , prout in corpore geſſerint : Et reſpondet , ideo preces fundi , quia illi per merita hujus vitæ digni facti ſunt , quibus preces viventium prodeſſent .

Ad auctoritatem S. Auguſtini oppono alios ejuſdem ſancti Doctoris textus in quibus clare ſuam exprimit de Purgatorio mentem , ut in Pſal. 37. de cura pro mortuis c. 1. & 4. l. 7?. de Civ. c. 16. & c. 26. Reſpondeo 2. dillingueudo . Div. Auguſtinus anceps manſit circa modum quo cruciantur animæ in Purgatorio , an ignis ſit realis , ut diſputant multi ? an etiam ex amore , quem pro rebus ſenſibilibus habuerunt , patiantur , ita ut propter eorum privationem afficiantur mæſtitia ? concedo : quoad exiſtentiam Purgatorii , nego . Circa modum dumtaxat dubitaſſe S. Aug. non ſolum ex locis clarioribus liquet, verum etiam ex ipſo c. 26. libri 21. de Civ. ex quo deſumpta eſt objectio : ſic enim habetur . “ Poſt iſtius ſane corporis mortem donec ad illum veniatur , qui poſt reſurrectionem corporum futurus eſt damnationis & remunerationis ultimus dies : ſi hoc temporis intervallo ſpiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicunt perpeti , quem non ſentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita , ut eorum ligna , fęnum & ſtipula conſumatur : alii vero ſentiant , qui ejuſmodi ſecum ædificia portaverunt , ſive ibi tantum , ſive hic , & ibi , ſive ideo hic , ut non ibi ſæcularia , quamvis a damnatione venialia , concremantem ignem , tranſitoriæ tribulationis inveniant , non redarguo , quia forſitan verum eſt . „ Ecce S. Auguſtinus ſui ipſius interpres , quippe qui de gradu & qualitate pęnæ in diverſis animabus moveat quæſtionem , quam quidem aut eliquare , aut reprobare non audet .

Cæterum ejuſmodi quæſtiones ad fidem non ſpectant . Quinimmo præcipit ſancta Synodus Tridentina ab eis abſtinere , eamdem & ſilere , maxime coram populo : ſic enim loquitur ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio : *Apud rudem vero plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones , quæque ad ædificationem non faciunt , & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio , a popularibus concionibus ſecludantur . Incerta item , vel quæ ſpecie falſi laborant , evulgari ac tractari non permittant* Epiſcopi : *ea vero quæ ad curioſitatem quamdam aut ſuperſtitionem ſpectant , vel turpe lucrum faciunt , tamquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant* .

Digitized by Google

ARGUMENTUM QUARTUM.

Probatur Purgatorium ex Patrum ſententiis & Traditione.

Quod eſt a Chriſto & ab Apoſtolis traditum, illud profecto tenendum eſt: atqui dogma Purgatorii tale eſt: igitur & datur Purgatorium & firmiter tenendum eſt. Probatur minor ex omnium ſæculorum Patrum conſenſu; namque juxta poſitam Tertulliani regulam, quod non habet initium, a Chriſto per Apoſtolos promanat & ad nos tranſmiſſum eſt: hanc etiam ſtatuit S. Auguſtinus regulam, unde perperam quis vellet proprio marte contra hanc legem per fas & nefas recrudeſcere: quaſi vero aliquis particularis majori foret dignus fide, quam univerſalis Patrum in pietate, fide & doctrina omni exceptione majorum, cœtus. Verum & ſecundam Tert. ſubjicio regulam: novitas falſitatem redolet, quia nihil veritate antiquius. Jam venio ad probationem per ſingula diſcurrendo ſæcula.

PRIMUM SÆCULUM.

Præter Scripturas novi Teſtamenti quæ primas in hoc ſæculo jure merito obtinent, ſedes, habemus B. Jacobi Liturgiam in qua fit expreſſa mentio defunctorum, qui quidem in pace Chriſti ab hac migrarunt vita: ibi funduntur preces ſpeciales pro eorum requie, & ut a peccatis ſolvantur. Huic accedunt cæteræ Liturgiæ, ut Baſilii, Chryſoſtomi, Syriacæ Coptorum in quibus orationes pro requie fidelium defunctorum præſcribuntur.

Ex Latinis, primus nobis occurrit Clemens Romanus, qui l. 8. Conſtit. c. 41. hanc ſtatuit pro refrigerio defunctorum orationem. " Oremus pro fratribus noſtris qui in Chriſto requieverunt, ut Deus ſummæ erga hominis charitatis, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & propitius ac benevolus ei factus collocet eam in regione piorum qui laxati ſunt, in ſinu Abrahæ, Iſaac & Jacob. "

Ex Græcis, Dionyſius qui Areopagita a graviſſimis auctoribus creditur. Hic de Cæl. Hier. c. 7. p. 3. ait: " Accedens deinde Venerandus Antiſtes precem ſalvam ſuper mortuum peragit, precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumque in luce conſtituat, & regione vivorum.

SECUNDUM SÆCULUM.

Ex Græcis, Irenæus ſuum addit calculum. l. 1. c. 2. ait: " Spiritalia quidem nequitiæ & Angelos tranſgreſſos atque Apoſtatas factos, & impios & injuſtos, & iniquos, & blaſphemos homines in æternum ignem mittat. Juſtis autem & æquis, & præcepta ejus ſcrutantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem & pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco numeris conferat, & claritatem æternam circumdet. " Quibus verbis duo electorum genera qui in bono perſeveraverunt diſtinguit Irenæus, unum eorum qui ab initio tranſeunt in requiem: alterum vero illorum qui facta prius pœnitentia, videlicet in Purgatorio æternam habent claritatem, quod enim non ſermo ſit de pœnitentia in præſenti vita peracta, ſatis patet: namque loquitur de pœnitentia perſeverantiam finalem ſubſequente: quippe qui de his qui perſeveraverunt in dilectione Dei, tractet.

Ex Latinis, ponderat S. Clemens modo citatus, cum floruerit etiam initio ſecundi ſæculi.

TERTIUM SÆCULUM.

Ex Græcis, Origenes hom. 35. in Lucam ſic intonat: " Quod ſi magnam pecuniam debuerimus, ſicut ille, qui ſcribitur decem millia talenta debuiſſe, quanto tempore claudamur in carcere, non poſſum manifeſte pronuntiare, ſi enim qui parum debet, non egreditur, niſi exſolvat minutum, quadrantem, utique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum ſæcula numerabuntur. " Rurſus in Epiſt. ad Romanos, ait: " Quamvis promittatur exeundum eſſe quandoque de carcere, tamen deſignatur non inde exire poſſe, niſi reddat quiſque noviſſimum quadrantem. " Certe non alio de carcere quam de Purgatorio, in quo quidem quiſque noviſſimum quadrantem reddere, hoc eſt,

vel minimum peccatum veniale expiare oportet, loquitur Origenes. Quandoquidem ex lacu inferiori qui internus ſimpliciter dicitur, non datur regreſſus.

Ex Latinis eundem loquitur ſermonem Sanctus Cyprianus Carthag. Epiſcopus l. 4. Epiſt. 2. " Aliud eſt, *inquit*, ad ,, veniam ſtare, aliud ad gloriam per- ,, venire, aliud miſſum in carcerem ,, non exire inde donec ſolvat noviſſi- ,, mum quadrantem, aliud ſtatim fidei ,, & virtutis accipere mercedem, aliud ,, pro peccatis longo tempore cruciatum ,, emendare, & purgare diu igne, aliud ,, peccata omnia paſſione purgaſſe. ,, Rurſus l. 1. epiſt. 9. " Epiſcopi & an- ,, teceſſores noſtri cenſuerant, ne quis ,, frater excedens ad tutelam, vel cu- ,, ram clericum nominaret, ac ſi quis ,, hoc feciſſet, non offerretur pro eo, ,, nec ſacrificium pro dormitione ejus ce- ,, lebraretur. ,, Mos igitur perantiquus tunc temporis erat offerre pro requie animarum fidelium ſacrificium.

Tertullianus idem docet l. de anima c. 18. Lactantius l. 7. c. 21. ait: " Quo- ,, rum peccata pondere aut numero præ- ,, valuerint, perſtringentur igne atque ,, comburentur. ,,

QUARTUM SÆCULUM.

EX GRÆCIS, Gregorius Nazianzenus in oratione in Cæſarium circa finem: ,, Ipſi Deo, *inquit*, & noſtras & eorum ,, qui quaſi in via paratiores prius ad ,, hoſpitium pervenerant, animas com- ,, mendemus. ,,

Eidem accedit S. Ephrem in ſuo teſt. & ſic ait: " Aſſidue in veſtris orationi- ,, bus mei memoriam faciatis, etenim in ,, vanitate & iniquitate viam peregi ,, meam. ,, Vult pro requie animæ ſuæ fundi preces. Igitur agnoſcit purgatorium ex quo anima non ſolvitur, donec pro peccatorum reliquiis juſtitiæ divinæ fecerit ſatis.

Cyrillus catecheſi 5. myſtagogica: " De- ,, nique, *inquit*, pro omnibus oramus, qui ,, inter nos vita functi ſunt, maximum cre- ,, dentes eſſe animarum juvamen pro ,, quibus offertur obſecratio Sancti illius ,, & tremendi ſacrificii. ,, Eidem ſubſcribunt veritati Euſebius Cæſ. l. 4. de vita Conſtantini, Epiphanius in fine operis adverſus hæreſes. Euſebius Emiſſenus hom. 3. de Epiphania, & alii qui una voce docent orandum eſſe pro fidelibus defunctis, ut a pœnis ſolvantur.

Ex Latinis, Paulinus Nolanus Epiſt. ad Pammachium laudat eum quod & corpori & animæ uxoris defunctæ ſatisfecerit; corpori quidem lacrymis, animæ vero eleemoſynis. Epiſt. 5. ad Delphinum Epiſcopum commendans illi animam fratris ſui ait: " Fac ut orationi- ,, bus tuis condonetur tibi, & ut illius ,, animam de minimo ſanctitatis tuæ di- ,, gito diſtillans refrigerii gutta reſper- ,, gat. ,,

Aſtipulantur S. Hilarius in Pſalm. 118. ,, Nobis eſt ille indefeſſus ignis obeun- ,, dus, in quo ſubeunda ſunt gravia il- ,, la expianda a peccatis animæ ſuppli- ,, cia. ,,

S. Ambroſius quidquam affine dicit l. 2. epiſt. 8. ad Fauſtinum de obitu ſororis: ,, Non tamen, *inquit*, tam deplorandam, ,, quam proſequendam orationibus uxo- ,, rem, nec mæſtificandam lacrymis tuis, ,, ſed magis oblationibus animam ejus ,, Deo commendandam. ,, Idem Pater in oratione de funere Valentiniani Imperatoris, hortatur populum ut pro ejus requie pias fundat preces. In c. 12. Lucæ loquens de animæ detentione in Purgatorio, ait: " Cum tamdiu exercetur ,, pœnis, ut commiſſi ſupplicia erroris ,, expendat. ,, Rurſus & expreſſius explanans illud 1. Cor. 3. " Salvus erit ,, quaſi per ignem, *ait*, ſed cum Paulus ,, dicit: *Sic tamen quaſi per ignem*, oſten- ,, dit quidem illum ſalvum futurum, ſed ,, pœnas ignis paſſurum, ut per ignem ,, purgatus fiat ſalvus & non ſicut per- ,, fidi æterno igne in perpetuum tor- ,, queatur. ,,

S. Hieronymus eandem proſequitur materiam; ait enim in Epiſt. ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris: " Cæte- ,, ri mariti ſuper tumulos conjugum ſpar- ,, gunt violas, roſas, lilia, floreſque pur- ,, pureos, Pammachius noſter ſanctam fa- ,, villam, oſſaque veneranda eleemoſyna ,, balſamis rigat. ,, Rurſus in c. 5. Matth. ,, Hoc eſt quod dicit: Non egredieris ,, de carcere, donec etiam minuta pec- ,, cata perſolvas. ,, Videlicet niſi pro peccatis venialibus facias ſatis in Purgatorio.

QUIN-

QUINTUM SÆCULUM.

Ex GRÆCIS, S. Chryſoſtomus eandem
commemorat veritatem hom. 41. in 1. ad
Corinth. ait: „ Juvetur mortuus, non la-
„ crymis: ſed precibus, ſupplicationibus,
eleemoſynis. „ Ibidem infra ſubdit: “
„ Ne fatigemur mortuis auxilium ferre,
„ preces pro illis offerentes. „ eandem
propugnat veritatem hom. 69. ad popul. &
alibi.

Theodoretus l. 5. hiſt. c. 26. refert Theo-
doſium juniorem procubuiſſe ad reliquias
S. Chryſoſtomi, & oraſſe pro animabus pa-
rentum ſuorum Arcadii & Eudoxiæ jam de-
functorum.

Ex Latinis, S. Auguſtinus jam ſupra ci-
tatus iterum venit in teſtimonium, quip-
pe qui multus eſt in hac probanda verita-
te. Celebris eſt locus ille libri de cura
pro mortuis c. 1. ubi ita ſtabilit uſu Eccle-
ſiæ pro requie defunctorum & preces &
ſacrificia, ut etiam ſi Scriptura de hoc ta-
ceret momento, uſus ille omnem vim &
robur legis pro hac veritate haberet. “In
„ Machabæorum, *inquit*, libro legimus
„ oblatum pro mortuis ſacrificium, ſed &
„ ſi nuſquam in Scripturis veteribus lege-
„ retur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ
„ quæ in hac conſuetudine claret, aucto-
„ ritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ
„ Domino Deo ad ejus altare funduntur
„ locum ſuum habet etiam commendatio
„ mortuorum. „ c. 4. idem repetit, di-
cens, preces pro defunctis non eſſe præ-
tereundas, etiamſi nomina ſint incognita,
quia Eccleſia pro omuibus orat. “ Sub ge-
„ nerali commemoratione ſuſcepit Eccle-
„ ſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes,
„ aut filii, aut quicumque cognati, vel
„ amici, ab una eis exhibeatur pia matre
„ communi. „ & in Pſal. 37. Deum al-
loquens ait: “ In hac vita purges me &
„ talem me reddas, cui jam emendatorio
„ igne opus ſit.

SEXTUM SÆCULUM.

Ex Latinis. Iſidorus aſtipulatur, nam-
que l. 1. de officiis cap. 18. ſic loquitur: *Niſi
Catholica Eccleſia crederet fidelibus defunctis di-
mitti peccata, non pro eorum ſpiritibus, vel
eleemoſynam faceret, vel Deo Sacrificium of-
ferret*. Subſcribit V. Beda in Pſal. 37.

SEPTIMUM SÆCULUM.

Ex Grecis J. Damaſcen. hanc probat ex
profeſſo veritatem in Libro de iis qui cum
fide migrarunt e vita, & hoc teſtimoniis
Dionyſii, Athanaſii, Gregorii Nazianze-
ni, Gregorri Nyſſeni & aliorum.

Ex Latinis, S. Greg. l. 4. dial. c. 55. ait:
*Multum ſolet animas etiam poſt mortem ſacra
oblatio Hoſtiæ ſalutaris adjuvare, ita ut nonnum-
quam ipſæ defunctorum animæ expetere videan-
tur*. Rurſus c. 50. “ Quos gravia peccata
„ non deprimunt, hoc prodeſt mortuis:
„ ſi in Eccleſia ſepeliantur, quod eorum
„ proximi quoties ad eadem ſacra loca
„ conveniunt, ſuorum quorum ſepulchra
„ conſpiciunt, recordantur, & pro eis
„ Domiuo preces fundunt. „ Celebrior
omnium iſtius Patris locus deſumitur ex
cap. 39. explicans enim & explanans lo-
cum Apoſtoli, *ſalvus erit quaſi per ignem*,
ſic pronuntiat. “ Quamvis hoc de igne tri-
„ bulationis in hac vita nobis adhibitæ
„ poſſit intelligi, tamen ſi qui hoc de
„ igne futuræ purgationis accipiat, pen-
„ ſandum ſollicite eſt, quia illum per
„ ignem dixit ſalvari; non qui ſuper
„ hoc ferrum, æs, vel plumbum ædi-
„ ficat, ideſt, peccata majora, & id-
„ circo duriora, atque tunc jam inſolu-
„ bilia. „

Idem docent ſubſequentium ſæculorum
Patres ut Theophylactus in cap. 12. Lucæ.
Oecumenius in 1. ad Cor. 3. Petrus Da-
mianus ſerm. 2. de S. Andrea. Anſelmus
in 1. ad Cor. 3. S. Bernardus ſerm. de
obitu Humberti: “ Illud, *inquit*, ſcitote
„ quia poſt hanc vitam in Purgatoriis locis
„ centupliciter quæ fuerint hic neglecta,
„ redduntur uſque ad noviſſimum quadran-
„ tem. „ D. Thomas 4. contra gentes c.
91. quibus accedunt omnes & Theologi Ca-
tholici & Univerſitates.

Jam ſic reſumo. Ex Patribus datur car-
cer ex quo nullus niſi ad ultimum uſque
quadrantem ſolverit, egredietur: eſt ignis
Emendatorius cujus cruciatus contemnere
non licet; preces funduntur ex perpetuo
Eccleſiæ uſu pro defunctis fidelibus, ſimili-
ter & offeruntur ſacrificia, quæ illis ad ſolu-
tionem prodeſſe credendum eſt. Igitur ex
Patribus datur Purgatorium, hinc & illud
qui negat, adverſus univerſa patrum agmi-
na infelix & inſipiens recrudeſcit.

Diluuntur tancrum hominum Commenta & exploduntur.

OBJICIUNT, non datur poſt mortem pœnitentiæ locus, juxta illud Cypriani tractatu 1. contra Demetrianum, *quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam Pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*, cui concinit illud Chryſoſtomi hom. 2. de Lazaro, *cum hinc diſceſſerimus, non eſt nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere*: igitur nec datur purgatorium, quandoquidem ſi eſt purgatorium, locus ſatisfactionis vocatur.

Reſpondeo diſtinguendo, non datur poſt mortem locus pœnitentiæ pro peccatis mortalibus, concedo: pro venialibus vel etiam pro reatu pœnæ temporalis quæ gravioribus debetur, nego. Patres duo ad provocandum viatores ad pœnitentiam prædicant, primo quidem non dari in alia vita locum Pœnitentiæ voluntariæ & meritoriæ quæ tamen noſtrum debet præcedere obitum, ne diutius, ut ait Bernardus, centupliciter ſolvamus neglecta. 2. A fortiori non dari pro remiſſione peccatorum mortalium. Cyprianus loquitur in primo ſenſu, Chryſoſtomus in ſecundo: ille quidem prius dixerat: " Hortamur „ dum adhuc aliquid de ſæculo ſupereſt, „ Deo ſatisfacere. „ Iſte vero ibidem " „ Neque enim qui in præſenti vita pec- „ cata non abluerunt, poſtea conſolatio- „ nem aliquam inventuri ſunt. „ In eodem prope ſenſu ait Ambroſius l. de bono mortis c. 2. " Qui enim hic non ac- „ ceperit remiſſionem peccatorum, il- „ lic non erit, nimirum in Patria beato- „ rum. „

Objiciunt 2. in locis inferioribus quibuſcumque nulla eſt redemptio: igitur nec locus in quo divinæ fiat ſatis juſtitiæ. Probant antecedens auctoritate Hieronymi qui in caput nonum Amos ſic loquitur: " „ Quando anima vinculis laxata corporis, „ volandique velit, ſive quo ire compel- „ litur, habuerit libertatem, aut ad in- „ ferna ducetur de quibus ſcriptum eſt, „ in inferno quis confitebitur tibi? aut „ certe ad cœleſtia ſublevabitur. „

Reſpondeo negando antecedens; ad probationem diſtinguo, & Hieronymus ibi loquitur non de quacumque anima, ſed de impia quæ quocumque ſe vertat, ubique Deum inveniet ultorem, concedo: de anima in pace Chriſti a corpore ſoluta, nego. Nam poſt illa verba *ad cœleſtia ſublevabitur*, ſubjicit: „ Ubi ſunt ſpiritualia „ nequitiæ in cœleſtibus, & ſi ſibi „ veræ circumciſionis ſcientiam voluerit „ vindicare, & humilitate concepta ha- „ bitare in montibus; & ibi ſcrutantem „ manum Dei evadere non valebit, quod „ ſi deſperans ſalutem oculos Domini vi- „ tare tentaverit, & in ultimos ſalſorum „ fluctuum terminos pervenire, etiam ibi „ mandabit Dominus ſerpenti tortuoſo & „ antiquo, qui eſt inimicus, & ultor, & „ mordebit eam. Capta quoque vitiis at- „ que peccatis gladio Domini percutie- „ tur, ut per cruciatus, atque ſupplicia „ ad Dominum revertatur. „ Cæterum mens Hieronymi patet ex auctoritatibus claris ſupra relatis.

Objiciunt 3. Varia D. Auguſtini loca quibus ſententiam catholicam de Purgatorio debellare ſe invincibiliter autumant, ſed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum; jam mens tanti Doctoris undequaque pro fide & veritate per omnia effulget, maxime in ſententiis a nobis non ſemel adductis, verum cæcutit prorſus hæretica pravitas quæ multa objicit nihil probando ut ſucum faciat. Ergo Calvinus inſurgit & hunc Auguſtini ex tractatu 49. in Joann. locum opponit: " Habent, „ a Doctorum Aquila omnes animæ, cum „ de ſæculo exierint diverſas receptio- „ nes ſuas, habent gaudium boni, & „ mali tormenta, ſed cum facta fuerit „ reſurrectio & bonorum gaudium am- „ plius erit, & malorum tormenta gra- „ viora, quando cum corpore torquebun- „ tur. „ Ibidem infra " requiem quæ „ continuo poſt mortem datur, ſi ea di- „ gnus eſt, tunc accipit quiſque cum mo- „ ritur. „ Igitur, inquiunt, merces aut ſupplicium, nullo dato medio, poſt mortem confertur.

Reſpondeo ad primum locum diſtinguendo, & intendit Auguſtinus probare poſt reſurrectionem univerſalem majorem fore damnatorum pœnam, quatenus tunc corpus ſimul cum anima cruciabitur, e contra vero majus futurum eſſe præmium pro electis quia corpus utique gloria donabitur, concedo: hoc ipſi explicant termini & Auguſtini contextus: & vult S. Doctor excludere ſeu exſufflare Purgatorii dogma, nego: ad ſecundum locum utique abſque ne-

gotio reſpondemus, ſic diſtinguendo, & ex Auguſtino unuſquiſque juſtus poſt obitum accipit requiem, & in pace Chriſti tranquillus commoratur quoad ſui certudinem ſtatus, namque nec peccare, nec a Deo ſeparari poteſt, quod ſane eſt magna merces, grandiſque requies, concedo: accipit mercedem abſque purgatione media, nego. Loquitur Auguſtiuus tantummodo de certitudine vel mercedis vel ſupplicii, ſed omni prorſus abſque dogmatis Purgatorii diſpendio, cum liquido paſſim illud totis viribus aſtruat.

Inſtant: idem Sanctus Doctor in Pſal. 31. ait: *Si texit peccata, noluit advertere, ſi noluit advertere, noluit animadvertere, ſi noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere.* Ergo, inquiunt, ut primum tecta ſunt peccata & remiſſa, non relinquitur puniendi locus. Concinit ejuſdem S. Doctoris ſententia Epiſt. 54. ubi dicit poſt mortem non remanere corrigendi mores aut tempus aut locum. Igitur, inquiunt, poſt mortem non datur locus purgationis medius inter cælum & infernum. Confirmatur: idem Auguſtinus Epiſt. 80. ad Heſichium ait: „ In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam qualis in die quiſque moritur, talis in die illo judicabitur „ his omnibus accedit auctoritas ex libro quinto Hypognoſtici incerti auctoris cap. 5. apud eumdem S. Auguſtinum “ primum locum fides Catholicorum divina auctoritate credit, regnum eſſe cęlorum, ſecundum Gehennam, ubi omnis apoſtata, vel a fide Chriſti alienus æterna ſupplicia experietur, tertium penitùs ignoramus, immo neceſſe in Scripturis Sanctis inveniemus. „

Sed facile eſt ad hæc omnia momenta reſpondere: dico ad Auguſtin. illum loqui de prædeſtinatione, vel reprobatione conſummata: ut primum enim quiſquam migravit e vita, continuo & abſque mora, vel æternæ beatitudinis, vel etiam æternæ pœnæ ſors definita eſt: unde eo ipſo quo peccata remiſſa ſunt, non animadvertit Dominus, quippe qui ſecundum promiſſum Ezec: 18. omnium iniquitatum non recordatur, hoc eſt, ut pœnam æternam imponat pro delicto. Ergo bene ſequitur in quocumque aliquem invenerit noviſſimus dies, ibi manet irrevocabiliter vel electus vel reprobus; unde merito dicit Auguſtinus medium ignorare ſe, hoc eſt, pro decreto prædeſtinationis; omnia namque definita ſunt, nec datur locus ut ab alterutro ſtatu quis eruatur; aſt non impedit, quin juſtus, ſi quid habet expiandum, hac de cauſa illoque motivo ibi remaneat, donec ſolvat ad ultimum uſque quadrantem, ut ipſe dicit Auguſtinus. Cæterum iſtorum omnium ratio perfecte & clare habetur ex aliis Auguſtini oraculis, quibus clare & ex profeſſo ſuam aperit de Purgatorio mentem. Ad locum loci libri hypoguoſtici eadem eſt reſponſio.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Probatur Purgatorium ex conſenſu totius Orbis Eccleſiarum.

QUOD univerſa in omni terrarum orbe tenuit & docuit Eccleſia, illud profecto tanquam fidei conſonum recipiendum eſt: atqui univerſalis per totum orbem diffuſa Eccleſia Purgatorium ab omni tenuit ævo. Et probatur: ab omni ætate voluit fundi preces pro fidelium defunctorum refrigerio. Hoc ipſum Eccleſiæ Catholicæ etiam ſchiſmate, vel hæreſi a Romana divulſæ & tenent & tenuerunt: igitur univerſalis Eccleſia recipit & propugnat Purgatorium: Eccleſiam vero univerſalem & preces inſtituiſſe pro requie defunctorum, & agnoviſſe locum in quo animæ juſtorum qui juſtitiæ divinæ in hac vita non fecerunt ſatis, detinentur, donec reddant totum & ſolvant debitum, conſtat ex definitione Conciliorum Generalium quam attulimus: attamen ad abundantiam juris non injucundum erit, hic texere omnis linguæ Eccleſiarum ſpecialia pro tanto momento decreta.

Eccleſia Italiæ cæterarum mater hoc ipſum & credit & definivit in Concilio Romano ſub Symmacho anno 503. ſancta quippe hæc Synodus grande ducit ſacrilegium animas fidelium defunctorum orationibus & ſuffragiis defraudare.

Eccleſia Gallicana hoc profitetur in Concilio Cabilonenſi; & habetur de conſecratione diſt. 1. can. viſum eſt, ſic enim legitur, *viſum eſt præterea, ut in omnibus Miſſarum ſolemnibus pro ſpiritibus defunctorum*

A a 4   *loco*

loco competenti in Eccleſia ad Dominum deprecetur. His accedunt ſtatuta Odonis Cluniacenſis ſupremi Abbatis quibus in ſuo ordine voluit diem ſolemnem inſtituere in quo memoria fidelium defunctorum precibus & ſuffragiis celebraretur; cui morem gerere prima voluit Eccleſia noſtra pia & percelebris Gallicana.

Eccleſia Germanica ſuum addit pro eodem momento calculum, namque in Concilio Wormatienſi c. 10. præcipit & definit, non ſolum pro fidelibus defunctis qui vitam piam diu duxerunt, verum & pro ſuſpenſis in patibulo preces fundi & offerri ſacrificia.

Eccleſia Hiſpanica in Majeſtate & fide percelebris in Concilio Bracarenſi c. 39. oblationes inter Clericos dividi, ut orent pro defunctis, ſtatuit & jubet.

Eccleſia Africana non præteteunda eſt in Concilio Carthaginenſi tertio can. 29. ſic loquitur, *& Sacramenta Altaris, nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, ſi autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat*. Similia pro eodem negotio ſtatuit Concilium Carthaginenſe quartum cap. 79.

Eccleſiam Orientalem antiquam eandem tenuiſſe fidem luce clarius apparet tum ex Conciliis Generalibus, quibus aſtabant Græci, maxime ex Florentino, in quo vel minimum quidem Latini Græcis pro hoc momento non objecerunt, iſti vere per omnia in hoc puncto conſentientes nullam moverunt diſceptationem & controverſiam. Tum ex traditione Patrum Græcorum quorum teſtimonia jamjam laudavimus: ſed maxime ex Liturgiis; namque in ea quæ dicitur Baſilii, ſpecialis habetur oratio pro fidelium defunctorum requie; ſimiliter & in aliis; quia vero Proteſtantes Eccleſiam Orientalem ab hac diſceſſiſſe fide prædicare non erubuerunt: profecto os loquentium & iniqua & falſa contundere juvat, ne quis vel jam a vera religione divulſus, vel obſtrepentibus paſſionibus indulgens, iniquitatem velut aquam abſque futurarum pœnarum timore in propriam animæ perniciem & exitium ebibere audeat.

Ex conſenſu Orientalium Eccleſiarum quæ vel ſchiſmate, vel quod pejus ſimul & hæreſi a Romana divulſæ ſunt.

Probatur veritas Purgatorii.

Eccleſia Græca nunc eundem pro fidelibus defunctis ſublevandis tum precibus, tum eleemoſynis, ſed maxime ſacrificiis ſicut antiquitus tenet ita & obſervat ritum. In Euchologia ſic habetur, *Domine concede animæ famuli tui requiem cum animabus juſtorum*, quod quidem ter repetitur. Deinde ſupplicatio quædam dirigitur ad Beatiſſimam Virginem, *ut pro ſalute defuncti ipſa deprecari & intercedere dignetur*, poſtea petitur, *ut Deus illi peccata tum voluntaria tum involontaria dimittat, eumque cum ſanctis ſuis collocet in Paradiſo, in loco deliciarum ubi neque dolor, neque triſtitia eſt*. Πρέσβευε τοῦ σωθῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Τοῦ συγχωρηθῆναι αὐτῷ πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον. l. 8. de perpetuitate ſeptem Sacram. c. 6.

Doſitheus Patriarcha in Synodo Jeroſolymitano anno 1672. ſtatuit orationes & ſacrificia pro requie defunctorum, edit. 1690. Moid. ex Græco ſic redditur definitio: *Eccleſia Catholica & Apoſtolica Jeſu Chriſti credit poſt mortem purgationem fieri ſacrificio tremendo & aliis precibus, item & eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus, quæ fideles pro defunctis faciunt, quæ de cauſa decantat: Miſerere, Domine, operis manuum tuarum & miſericordia purifica. Orat pro patribus & fratribus noſtris defunctis, & pro iis omnibus qui cum fide & pietate dormierunt, ut eis concedat veniam pro culpis tum voluntariis, tum etiam involuntariis*. Probat idem Patriarcha orationum & ſacrificiorum pro fidelium defunctorum refrigerio utilitatem auctoritate Sanctorum Dionyſii, Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Chryſoſtomi, quos omnes purgationis locum inter cælum & inferos ſtricte ſumptos medium agnoviſſe conſtat.

Eccleſiæ Orientales, Melchitarum, Neſtorianorum, Jacobitarum, Copticarum, Æthiopum, Armenorum eandem precum & ſacrificiorum pro defunctis traditionem ſervant; enimvero uſque ad Photium nulla fuit ſicut in aliis, ita nec in hoc

hoc momento inter Græcos & Latinos controverſia ; immo cum iſti dominabantur in Oriente, unuſquiſque ſuæ Eccleſiæ in ſublevandis defunctis , ritum obſervabat . Græci Beati Gregorii Dialogorum libros præ oculis habebant & legebant . In l. 4. multa ex profeſſo tum de Purgatorio , tum de orationibus pro animarum requie fundendis habentur , nec quicquam Orientales refragati ſunt . Quinimmo & Conſtitutiones Apoſtolicas & opera S. Dionyſii, in quibus iſtud aſtruitur dogma multi faciunt . Quid plura ? Euſtratius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter , egregium de hoc momento tractatum compoſuit, ut videre eſt apud Photium . Allatius juris publici eum fecit ; in tertia hujuſce tractatus parte fuſe pariter & erudite orationes, eleemoſynas, ſacrificia ad liberationem animarum a Purgatorii pœnis plurimum valere probat . Earum ſtatuit diſtinctionem quæ in cælo, beatæ, & quæ in inferioribus locis cruciatæ erant. Sexto florebat ſæculo . Ex quibus conſtat Eccleſias Orientales hanc fidem ab initio tenuiſſe . Addo & ab eadem non receſſiſſe , cum iiſdem uſque ad hodiernam diem utantur Liturgiis , iiſdem ſtent ritibus, quod uno aut altero exemplo probare juvat .

In Liturgia Coptitarum quæ nomen S. Baſilii præ ſe fert , Sacerdos celebrans ait ; *Memento , Domine , defunctorum , & eorum qui diem in Sacerdotio , & in fide Sacerdotii clauſerunt extremum , omnium Ordinum Sæcularium ſeu Laicorum : Dignare , Domine , omnibus concedere requiem , in ſinu Patrum noſtrorum Abrahæ , Iſaac , Jacob . Eos loces , velim , in regionibus virentibus , verſus quietis aquas in Paradiſo voluptatis , ex quo quidem procul abeſt dolor , procul triſtitia , in ſplendore veſtrorum Sanctorum* . l. 8. perp. fidei de Sacr. c. 8.

In Liturgia S. Gregorii eadem iiſdem prope terminis habetur oratio : *Memento, Domine, patrum & fratrum noſtrorum , qui in fide orthodoxa mortui ſunt . Hanc eis concede gratiam , ut requieſcant cum Sanctis tuis .*

In Liturgia Syriaca , quæ Divo tribuitur Jacobo , quæque eſt magni apud eos ponderis , unde & apud eos authentica necnon celeberrima , ſic habetur : *Memento , Domine , Sacerdotum orthodoxorum defunctorum , Diaconorum , Subdiaconorum , Cantorum , Sacerdotum , Interpretum , Exorciſtarum , Religioſorum , Virginum , & Sæcularium qui in fide migrarunt ..... Concede eis requiem , ſervando eos a damnatione futura , quæ nullum habet finem , eoſque reddendo dignos felicitate , quæ eſt in ſinu Abrahæ , Iſaac , Jacob , ubi fulget lumen vultus tui , ex quo procul omnis dolor , & fugit gemitus . Ne imputes eis culpas quas commiſerunt , non intres in judicium cum ſervis tuis, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens , nemo quippe niſi Filius tuus Dominus Jeſus Chriſtus , mundus & a peccato & a ſorde .*

Ibidem . In Liturgia Æthiopum quid affine conſpicitur : *Memento , Domine , omnium defunctorum , qui in fide defuncti ſunt , eoſque colloca in ſinu Abrahæ & Iſaac & Jacob .*

In tribus Liturgiis Neſtorianorum primo fit commemoratio utriuſque Teſtamenti Sanctorum , deinde vivorum , poſtea ſic legitur : *Rogamus te utique , Domine , pro eis qui nos præceſſerunt , quique in fide orthodoxa diſceſſerunt , ut cuncta eis condones peccata , & in quietis loco ſedere facias .* Obſerves velim , B. L. commemorationem Sanctorum qui ſunt in cælis eo facere ſcopo Eccleſia, ut gratias immortales pro eorum de inferis triumpho reddat Deo. De fidelibus vero qui divinæ debitores ſunt juſtitiæ ut precibus & ſacrificiis eorum acceleret a cruciatu liberationem.

Ibidem . In Miſſis privatis pro mortuis permultæ etiam funduntur Deo preces ; ut tranſeant in locum refrigerii , ſic quippe habetur : *Domine , extingue ardorem ignis per tuam miſericordiam erga defunctos qui crediderunt in te , quique in fide , multum de tua confidentes bonitate , migrarunt . Crux tua ſit vitæ prorſus & felix ad meliorem vitam tranſitus tum pro animabus , tum pro corporibus eorum qui in te renati ſunt .*

Quid plura adjiciam ? in medio officii Diaconus ſe ad populum convertens hunc ad eum dirigit exhortatorium ſermonem : *Amici defuncti , date mortuo amicitiæ argumenta, non quidem pompam funebrem in ſenitu quæ nihil ad requiem animæ prodeſſe poteſt , ſed parate & facite in ipſo Sanctuario epulas , offerendo miniſterio Sacerdotum panem & vinum pro anima de-*

fun-

functi, ut concedatur ei requies. Deus qui ad veſtram reſpicit amicitiam condonabit defuncto. Et ejus memoria in Sanctuario ſuper propitiationis tabulam poſtea celebrabitur.

Reverendus admodum Pater Lecquien Ordinis ſancti Dominici percelebris Theologus, pari ſoliditate & eruditione Orientalium Eccleſiarum de Purgatorio fidem & opiniones exponit tom. 1. diſſert. 5. in opera S. Joannis Damaſceni. Non abs re erit hic compendioſe referre quæ eo loci fuſiori calamo explanat.

„ I. Communis Græcorum ſententia
„ eſt, orationem, de iis qui in fide ob-
„ dormierunt, Joannis Damaſceni fætum
„ eſſe. Ita tenent & affirmant Philippus
„ Solitarius XI. S. Scriptor in Dioptra,
„ Zonaras. „

„ VI. Verum enarrare lubet, quæ ſit
„ Eccleſiæ Orientalis hac in parte doctri-
„ na: quod ut conficiam, unum e multis
„ auctorem ſeligo, Marcum Eugenicum,
„ Metropolitam Epheſium, qui orationes
„ duas Ferrariæ hoc de argumento in Sy-
„ nodo habuit, in quibus, uti Purgato-
„ rium ignem Theologorum noſtratium ex-
„ cluſit, ita & profeſſus eſt animas fide-
„ lium Liturgiis, aliiſque piis operibus
„ juvari poſt mortem, quando non abſo-
„ luta penitus pro peccatis gravioribus
„ pœnitentia, vel levioribus nondum ſatis
„ expiatis, ex hac vita exceſſere. Quod a
„ plurimis utriuſque Eccleſiæ Patribus
„ traditum, & antiqua conſuetudine con-
„ firmatum tradit. *Eas autem per ejuſmodi ſubſidia ab expurgantibus ſuppliciis & igne aliquo temporaneo, qui virtutem hanc habeat, liberari, nullibi hactenus expreſſe ſcriptum, invenimus.* “ Idem repetit in ora-
„ tione altera: ceterum in utraque aſſe-
„ rit, peccatorum animas quæ æternis
„ ſuppliciis addictæ ſunt, tantillnm quan-
„ doque relaxationis ex fidelium precibus
„ percipere. Quo plane ſenſu Auguſtinus
„ ipſe in Enchiridio c. 110. ait, ſuppli-
„ cationes & ſacrificia defunctis prodeſſe,
„ illis quidem qui, cum valde mali non
„ eſſent, mortem obierunt, „ *ut ſit plena remiſſio*, & valde malis, *ut tolerabilior fiat ipſa damnatio*.

„ VII. Pergit Eugenicus, & eorum qui
„ leviorum dumtaxat delictorum adſperſi
„ deceſſerunt, animas *ſolo pavore purgari*
„ affirmat ex Gregorii dialogo: alias ve-
„ ro quæ cœptæ pœnitentiæ fructus dignos
„ vel incuria vel propter inexpectatam
„ mortem non tulerunt, ad inferna de-
„ trudi, non ſuppliciis cruciandas uti ſce-
„ leratorum animas, ſed veluti carcere
„ detinendas & conſcientiæ angoribus
„ compungendas, vel etiam in locis ter-
„ ræ vicinis exulare ſecundum majorem
„ vel minorem culparum quas admiſerint
„ gravitatem. Cæterum ſpecialem illum
„ locum quo detineantur animæ, quem
„ *Purgatorium* appellamus, recuſant agno-
„ ſcere; quippe quem Scriptura non in-
„ dicaverit, inquit oratio 2. nihilque ſta-
„ tuerit medium inter Beatorum ſedem,
„ niſi chaos ingens: at vero pro defun-
„ ctis illis multum prodeſſe ſacrificia &
„ preces in Eccleſia quæ exſolvuntur,
„ unanimi Patrum, tum Latinorum
„ tum Græcorum doctrina conſtare te-
„ ſtatur; ut nimirum benigniſſimus
„ Deus quibuſdam peccata nonnulla quæ
„ humana fragilitate admiſſa ſunt, ſta-
„ tim ab obitu condonentur: quemadmo-
„ dum Dionyſius ait: in ſpeculatione
„ myſterii quod pro mortuis agitur: aliis
„ poſt aliquod tempus ſecundum juſtitiæ
„ leges, aliis denique, quibus licet non
„ ante extremum judicii diem parcere
„ decreverit, levaminis aliquid imper-
„ tiatur. „

“ XII. Hæc cum Epheſius duplici ſer-
„ mone in Synodo velut Orientalis Eccle-
„ ſiæ nomine, peroraſſet, adjeciſſetque ut
„ poſtulatus fuerat quorumdam utriuſque
„ orationis locorum expoſitionem, Łatini
„ ultro comprobarunt, illis dumtaxat ex-
„ ceptis quibus tum damnatorum impio-
„ rumve pęnas & ſupplicia, tum Beato-
„ rum corouas in diem judicii differri aſ-
„ ſeverarat negaratque Sanctos Deum Dei-
„ ve eſſentiam poſſe intueri. Quamobrem
„ nulla facta ignis expurgantis mentione,
„ eodem prorſus ſenſu quo poſtmodum
„ in Tridentina Synodo definitum eſt in
„ decreto unionis. „ *Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis Purgatoriis poſt mortem purgari: & ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta.* “ Quamquam omit-
„ ten-

,, tendum non eſt, Purgatorium ignem, quem Theologi Latini defendunt, non admodum diſplicuiſſe cordatioribus Grecis. Gabriel Philadelphienſis antiſtes Schiſmaticus, ſtatim poſt verba quæ modo ante ex ejus libro de Purgatorio recitavi, ſubjungit. ,, *Placet mihi nihilominus ſententia nonnullorum Doctorum Occidentalis Eccleſiæ qui aſſerunt ignem hunc æternum illum eſſe, in quem animæ immiſſæ puniuntur ad tempus; ſui natura æternum, ſic a Deo factum: dici vero temporarium, non ſui natura, ſed ob animas, quæ liberantur; propter eas autem, quæ in eo abſque ullo fine cruciantur, æternum & perpetuum.*

,, XIV. Ad preces pro mortuis quod attinet præter conſuetam defunctorum commemorationem, quæ recitatur in ſacra Liturgia, primam obitus diem, tertiam, nonam, & quadrageſimam, ac tandem annuam, fundendis pro defuncto quolibet precibus, aliiſque piis operibus exequendis impendunt, quemadmodum & in conſtitutionibus, quæ Apoſtolis adſcriptæ ſunt, ſancitum fertur. Quem ſane ritum ſæculo ſaltem ſexto medio uſitatum. fuiſſe teſtatur Euſtratius magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter in libro cujus titulus eſt: *Refutatio eorum, qui dicunt animas corporibus ſuis ſolutas non operari, nec precibus ſacrificiiſque quæ pro eis offeruntur adjuvari.* " Quem Leo Allatius Græce, Latineque edidit: poſt tractatum de Purgatorio, utinam non in fine mutilum. Immo Palladius, qui ſæculo quinto ineunte hiſtoriam ſuam ad Lauſum ſcripſit, in *Palladio* meminit commemorationis, quæ tertio & quadrageſimo die ab obitu defuncti fiebat. Ad hæc quotannis Sabbato ante Dominicam quam vocant τῆς ἀποκρέω, q. d. *Carnis privii* ſeu Septuageſimæ noſtræ, ſolemuem agunt fidelium omnium memoriam: quod officium inchoatur a veſperis præcedentis ſextæ feriæ. Totam noctem illam ac Sabbatum, tam in Narthece Eccleſiæ ac Cœmeteriis, quam ad altare orando tranſigunt. Conſimilem fere commemorationem denuo celebrant in Vigilia Pentecoſtes, quovis etiam Sabbato in Officio nocturno τὰ νεκρώσιμα, pro defunctis recitant: cujus quidem ritus mentionem Damaſcenus facit in Epiſtola ad Cometam *de ſanctis Jejuniis*. In tertia, nona & quadrageſima ab obitu defuncti die Colyborum oblationem faciunt, cujus officium Leo Allatius edidit lib. 3. de Eccleſiæ Occid. & Orient. conſenſione, cap. 18. ſic vero Colyba confici Goarius noſter narrat in Euchologio: ,, *Excoquunt leviter frumentum Græci, lancibuſque acervatim impoſitum frugibus variis, piſis puta tuſis, avellanis, cortice nudatis amygdalis, nucibus minutim ſectis, corinthiacæ uvæ, & malogranatorum granis in diſtinctas petreſelini foliis veluti radiis areolas & figuras ordinatis reſpergunt acervumque hujuſmodi præfata arte elaboratum κόλυβα vocant, quæ quidem vel in Sancti alicujus honorem, vel in defunctorum animarum memoriam, aut cum inſtante magnæ quadrageſimæ initio communes ſuas pro mortuorum animabus preces renovant, propinquorum ſepulcris impoſita, in Sacerdotis & Miniſtrorum uſus poſtmodum ceſſura ſolent efferri.* " Omiſit vir doctus menſuram vini, cujus tamen meminit Simeon Theſſalonicenſis cap. 371. Deinde vero Goarius obſervat iſtæc offerri ad inſtar antiquæ Chriſtianorum conſuetudinis, qui deſunctorum tumulis dapes ad alendos pauperes apponebant quin & lautiori convivio egenos atque Eccleſiæ Miniſtros a divitibus ſolere excipi. " *Sed nec humilioris fortunæ viri*, inquit, *a ſimili erga mortuos debito immunes ſe conſtituunt: panem enim in fragmenta longiora conciſum vinoque tinctum tranſeunti cuilibet & deguſtare non detrectanti efferunt: ut eo ſumpto repenſam orationis vicem parentibus ſuis accipiant, deſiderata hac voce audita*, ὁ Θεὸς μακαρίσῃ τοὺς αὐτοὺς, h. e. *Deus beatos illos faciat*. " In Syria & Oriente, Melchitæ, Jacobitæ, Neſtoriani, Maronitæ tertiam quidem & nonam ab obitu celebraut, pro quadrageſima vero trigeſimam agunt, qui filii Iſrael ſuper Moyſen luxerunt triginta diebus; quem etiam morem a Gregorio Magno Latini feruntur accepiſſe. ,,

,, XV. Quia paulo ante facta eſt a me mentio libri Euſtratii Conſtantinopolitani de defunctorum animis, ab re non erit hic ſubnotare auctorem Cyrilli quoque Hieroſolymitani teſtimonium adhibuiſſe ex ejus Catecheſi Myſtagogica 5. quo oſtenderet priſcum receptiſſimumque morem fuiſſe preces pro defunctis

,, fide-

„ fidelibus fundendi inter divinorum My„ ſteriorum celebrationem. „

Ex his omnibus conſtat, primo Orientales locum medium inter cælum & infernum agnoſcere, ubi animæ juſtorum in charitate defunctorum pro reliquiis peccatorum divinæ faciunt ſatis juſtitiæ. Secundo, preces, eleemoſynas & ſacrificia prodeſſe hominibus in Chriſto defunctis. Tertio, Theologos Græcos non improbare Latinorum opinionem de igne torquente animas Purgatorii. Igitur abſque fundamento Proteſtantes Purgatorium tanquam aliquid fictitium explodere conantur.

Fit ſatis difficultatibus.

OBJICIUNT Heterodoxi. Eccleſia Græca plurimum reſtitit in Concilio Florentino iis quæ Latini de Purgatorio docebant: Marcus Epheſinus partes pro Græcis agens plura adverſus dogma Purgatorii protulit, nec deſuerunt alii non pauci qui definitionem Concilii dictis & ſcriptis impugnaverint. Igitur falſum eſt omnes Eccleſias ſuo calculo munire dogma de Purgatorio.

Reſpondeo 1. Ex dictis conſtare Eccleſiam Græcam ex more nedum antiquo, verum etiam hodierno, Purgatorium agnoſcere; quandoquidem & locum in quo animæ cruciantur, agnoſcit, & preces pro earum liberatione fundi præcipit. Addo falſiſſimum eſſe Græcos reſtitiſſe pro hac parte Concilio Florentino, nam ſeſſione prima & ultima affirmant ſe Purgatorium, immo & orationem pro defunctis ſemper admiſiſſe.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Græci reſtiterunt pro qualitate pœnarum, immo & pro loco in quo probantur animæ; de his quippe non parva fuit apud eos diſceptatio, & in Concilio ultro confeſſi ſunt de his momentis non parum ſe ambigere, an ſcilicet igne reali torqueantur animæ, an aliquo alio modo, concedo: reſtiterunt dogmati quoad ſubſtantiam, nego. Ante ſchiſma nulla mota eſt controverſia de Purgatorio, & de modo probationis animarum inter Græcos & Latinos; illi fundebant preces & offerebant pro mortuis ſacrificia, legebant dialogos B. Gregorii lib. 8. perp. fidei Sacr. cap. 5. qui multa de igne Purgatorii continet, immo & Latinorum placita circa hoc momentum non ignorabant, nec tamen refragabantur; orto vero ſchiſmate, multæ hinc inde quæſtiones factæ ſunt quæ magnas moverunt inter utriuſque Eccleſiæ Theologos diſceptationes. Latini propugnare cœperunt animas fidelium defunctorum igne reali torqueri, Græci vero non igne, ſed ſumma triſtitia, ſummoque animi mœrore agitari. Latini admittunt locum inter cælos & inferos medium in quo ſatisfaciunt animæ. Græci recentiores non ſic, eundem & pro reprobis & pro juſtis ſtatuunt, contendentes Scripturas de inferis tantummodo mentionem facere: hinc vocabulum *inferi* ad litteram ſemper uſurpantes, in hunc etiam impingunt errorem, ut locum damnatis & electis communem autument, ita tamen ut ex eo erui poſſint virtute precum fidelium animæ patientes. Latini animas, finita purgatione, viſione beatifica cito donari contendunt. Sed Græci recentiores adhærent in hoc puncto Millenariis; credunt enim animas poſt probationem abire in locum amœnum ſeu Paradiſum terreſtrem in quo exultantes ſumma afficiuntur lætitia quem & ſinum Abrahæ nuncupant.

Urgent: Barcepha inter Orientales percelebris ſcriptor impugnat Purgatorium: igitur iſtud dogma alienum eſt ab Orientalium mente. Probatur antecedens. Purgatorium eſt pœnarum locus: ſed Barcepha differens de loco ubi juſti in pace Chriſti defuncti beatam expectant retributionem, ait eſſe locum amœnum in quo Sancti quieſcunt, ſic enim loquitur Moſ. Barc. de Parad. p. 1. cap. 18. *Cum Paradiſum in Eden ab initio plantatum, locum eſſe dicit ubi juſtorum animæ recipiuntur, ab adventu Chriſti, atque ibi collocatam fuiſſe boni Latronis animam; poſt univerſalem vero reſurrectionem nullius uſus futurum.* Igitur ex Barcepha Orientales Purgatorium veluti locum pœnarum quibus ultimate probarentur juſtorum animæ, tanquam fidei articulum non habuerunt: quinimmo ne quidem ullo modo admiſerunt.

Reſpondeo 1. Dato & non conceſſo, alicujus Doctoris particularis opinionem non aliam fuiſſe quam iſtam quæ juſtorum in pace defunctorum habitationem & ſedem in amœno Eden quietis loco reponit,

nit, non tamen Theologiæ Orientalium eandem extitiſſe ſententiam conſtat: cujus reſponſionis non una eſt ratio, nou unum argumentum. Primo quidem quia juſtos quorum peccata ſufficienti non fuerunt pænitentia expiata, neque comprehenſores credit Eccleſia Orientalis; donec juſtitiæ divinæ ſecerint ſatis, neque etiam damnatos eſſe exiſtimat. Secundo, tametſi ejuſdem Eccleſiæ Theologi nonnihil difficultatis patiantur in determinandis Purgatorii pœnis, illud tamen admittere ex probationibus claret: igitur cum Latinis vel minimum quidem de exiſtentia Purgatorii non diſceptant, ut non ſemel annotavimus, maxime vero cum doctrinam Dialogorum B. Gregorii in quibus multus eſt de Purgatorii probatione ſermo, adoptaverint. His omnibus addo Orientales docere, juſtos, ad gloriam propter reatum pœnæ temporalis ſufferendæ nondum expeditos, Dei viſione ad tempus privari.

Reſpondeo 2. In forma negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: Barcepha admittit locum aliqua pace & quiete amœnum pro juſtis qui nondum juſtitiæ Dei fecerunt ſatis, concedo: omni & adæquata quiete amœnum, nego. Purgatorium admiſit ille Theologus, dum Sanctorum animas nondum Dei viſione perfrui agnoſcit, quo quidem in ſtatu aliquam quidem ex charitate in qua permanſerunt habent, ſed non eam quæ beatis competit, quorum tanta pax eſt, ut nedum quietem habeant, ſed & intrent in gaudium Domini.

Quid plura? Barcepham errore Millenariorum detentum fuiſſe non obſcure ejus indicant verba, dum ait juſtos in amœno Eden loco collocatos ibi expectare reſurrectionem: in hac hypotheſi certe non negat Purgatorium, ſed animas juſtorum ſufficienter probatas juxta vanam Millenariorum opinionem aſſerit in quiete & pace expectare ultimum Domini adventum ut æternam poſſideant.

Reſpondet D. Renodotius in doctrina Orient. verſatiſſimus tom. 2. Liturg. obſerv. 2. in Syriaca p. 108. " Unum, *inquit*, addemus & quidem hujus generis „ argumentum, quod maximi ad illam „ quæſtionem explicandam momenti eſt. „ Habent antiquitus Græci, verſionem „ Dialogorum Gregorii Papæ, quam per „ multa ſæcula cum ædificatione legerunt „ & probaverunt, & ſi multa de Purgatorio in illis contineantur. Ex Græca „ verſione, Arabica facta eſt, anno Græcorum 1091. J. C. 779. cujus exemplar „ ante annos ſeptingentos, ſcriptum in „ membranis, extat in Bibliotheca Colbertina. Ita neque Græci, neque Arabes Chriſtiani ignoraverunt quid vulgo „ doceretur in Romana Eccleſia, neque „ tamen ante Florentinam Synodum controverſia de Purgatorio ulla fuit. Antea „ igitur perfecta erat de doctrina conſenſio, „ quæ ſimiliter utrimque obſervatæ diſciplinæ reſpondebat. „ Obſerves velim, benevole Lector, Orientales in Concilio Florentino dogmati de Purgatorio lubenti animo ſubſcripſiſſe. Igitur circa iſtum fidei articulum nullus eſt circa Orientalium mentem relictus ambigendi locus.

Inſtant, Græci recentiores negant ſimpliciter & abſolute dari Purgatorium & in probationem afferunt auctoritatem S. Joannis Chryſoſtomi, qui locum Apoſtoli 1. Cor. 3. *Salvus erit, ſic tamen per ignem*, de pœnis alterius mundi non intellexit. Cui ſubſcripſerunt multi alii Patres Græci: quia vero contrarium cenſet S. Gregorius Nyſſ. ideo ejus explodunt auctoritatem: ſed mens Eccleſiæ Græcæ ab ipſis Græcis repetenda eſt: igitur cum iſti negent Purgatorium, argumentum eſt, illud dogma non pertinere ad fidem.

Reſpondeo 1. Non ſolum S. Gregorium Nyſſenum, ſed alios Patres ſi non nomine, ſaltem re agnoſcere Purgatorium. Origenes quippe homilia 35. in Lucam, & Euſebius Emiſſenus hom. 3. de Epiphania prædicant dari carcerem ex quo animæ virtute precum poſſunt educi, qui quidem locus ab inferno ſimpliciter dicto prorſus diſtinctus eſt, cum in iſto nulla ſit redemptio. S. Gregorius utique admittit ignem exquiſitis tormentis animam purificantem, & audiendus eſt, cum quarto floreret ſæculo & doctrinam Apoſtolorum tenuerit. Tum quia cæteri Patres Græci orationes & ſacrificia pro fidelibus defunctis offerri volunt: igitur agnoſcunt locum medium in quo probantur animæ, alias duo manifeſte pugnantia admittenda forent, videlicet & animas fideles eſſe in inferno, & ab eo erui poſſe; ſed utrumque debellat fidem & illi contra-

trarium eſt : igitur & rejiciendum.

Reſpondeo 2. A tempore ſchiſmatis Latinos Theologos multos per improperium tribuiſſe Græcis nævos, qui par pari reddere ſatagentes, etiam ut alternata vice Latinos exacerbarent, utique negarunt dari Purgatorium, eo quod ne nomen quidem in ullò Scripturæ ſacræ inveniatur loco. Cæterum dato & non conceſſo, Græcos recentiores hoc abnegaſſe dogma, non ideo fides evacuaretur, cum & Patres, & Ritus, & Liturgiæ Eccleſiarum Orientalium, nulla excepta, ſtent pro ſuffragiis in gratiam fidelinm defunctorum, quod ſane inutile foret, ſi vel in inferno in quo nulla redemptio eſt, concluſæ manerent.

Reſpondeo 3. diſtinguendo. Theologi Græci, immo & multi Patres tacent quoad nomen, concedo: quoad rem, nego. Eo enim ipſo, quo admittunt purgationis locum, in quo ſuffragiis & ſublevari, & etiam e carcere ſolvi poſſunt animæ, conſequenter admittunt Purgatorium. Jam vero quinam ſit locus probationis? quod ignis genus? quæ pœnæ qualitas? non ſpectat ad dogma, immo hoc ipſum prædicare & ſimilia quæ curioſitatem potius quam pietatem ſapiunt prohibet Tridentina Synodus.

Inſtans, qui eandem prorſus tenent ſententiam de juſtis probandis & de reprobis profecto non cenſentur admittere Purgatorium etiam quoad rem: atqui ſic opinantur nunc Græci: & probatur: omnes defunctos promiſcue in eodem inferni loco incarcerari docent: omnes etiam infideles, etiam idololatras ſi pro eis fundantur preces & offerantur ſacrificia, erui poſſe autumant; namque peccata etiam graviora remitti in alio ſæculo per preces & oblationes exiſtimant, eos ſolos reprobos pro quibus nulla fit aut oratio, aut nullum offertur ſacrificium, ibi ſemper remanere confingunt. Immo & in probationem referunt apocrypham quandam hiſtoriam Falconillæ idololatræ & Trajani Imperatoris defunctorum, primam precibus B. Theclæ ab inferis liberatam, alterum ſimiliter obſecrationibus S. Gregorii Papæ ex eodem loco erutum, Deo miſerente & concedente, aſſerere non dubitant: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Et ſemotis erroribus tum circa pœnarum locum, tum circa ipſius cruciatus modum, tum etiam circa liberationem reproborum admittunt Græci recentiores & locum purgationis, & ſuffragiorum pro liberatione animarum utilitatem, concedo: & non admittunt, nego. Non plurimum hic de erroribus Græcorum circa locum & liberationis modum curamus: unum nobis impræſentiarum ſufficit, etiam nunc agnoſcere Purgatorium ſeu locum in quo animæ juſtorum ultimate probantur, in quo, virtute bonorum operum viatores eas ſublevare poſſunt, ut inde tranſeant in locum amœnum & refrigerii; jam vero quid ſit nunc vel terreſtris vel cæleſtis illa manſio? nihil ad quæſtionem. Igitur incaſſum ſuas trahunt in partes Eccleſiam Græcam Lutherani, ut Purgatorii dogma exſufflent.

Iterum urgent. Quænam ſit genuina Eccleſiæ Græcæ mens melius cognoſci non poteſt quam per Patriarcharum ſuorum fidei profeſſionem: atqui Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus ſuſcepit fidei profeſſionem Calvinianam Genevenſem, quæ certe Purgatorium abnuit: ergo talis eſt: & fides Eccleſiæ Græcæ.

Reſpondeo diſtinguendo. Mens Eccleſiæ Græcæ melius cognoſci non valet quam per fidei profeſſionem Patriarcharum qui adhærent Eccleſiæ tanquam membra corpori, concedo: qui a corpore Eccleſiæ per novam & nefandam apoſtaſiam ſunt avulſi, nego. Porro Cyrillus Lucaris pecunia corruptus Calvinianam ſuſcepit quidem profeſſionem: ſed hoc nihil prorſus contra fidem Purgatorii urget propter multa momenta. 1. Quia quandiu vixit ſuam ſimulavit perfidiam, voluitque apud ſuos haberi ſemper ut Catholicus; cum igitur ſuſceptio confeſſionis Genevenſis, ut refertur l. 1. perp. fidei de 7. Sacr. c. 2. 3. 4. 5. nec juris publici facta ſit, nec cum ſolemnitatibus requiſitis publicata, nullam utique facit fidem; unde ne minimum quidem exhibet contra dogma Purgatorii argumentum. 2. Ut primum Lutheranorum molitione Confeſſio Auſburgenſis in Oriente apparuit, eam fuſo calamo Jeremias Patriarcha Conſtantinopolit. diſſertis reſponſionibus ab anno 1575. uſque ad annum 1581. confutavit; quæ quidem reſponſiones juris publici factæ ſunt & in archivis collocatæ; hinc & plurimum authenticæ, ibid. c. 4. unde

de Eccleſia Græca non confeſſionem Witembergeſimum Doctorum, non ſurtivam Cyrilli Apoſtatæ, ſed Catholicam ſecuta eſt. Hanc doctrinam oſculati & amplexi ſunt Gabriel Philadelphiæ Metropolitanus in ſuo de Sacramentis tractatu, Venetiis prælo mandato ann. 1600. Nectarius Doſitheus, Callinicus, Meletius Syrigus, Meletius Piga, omnes inter Græcos ſcientia percelebres. 3. Non defuerunt, qui malam fidem Cyrilli ſuſpicantes, illum ſuo perſtrinxerunt ſtylo cenſorio, in primis Gregorius Protoſyncellus in ſua de divinis officiis appendice in lucem anno 1635. edita: rurſus in ſuo de Sacramentis tractatu ad trutinam Scholæ explanat fidem Eccleſiæ Græcæ contra Cyrilli Molimina. 4. Cyrillo mortuo, acrius exarſit pro fide defendenda contra Proteſtantes Græcorum zelus. ibid. cap. 5. Cyrillus quippe Beroenſis Patriarcha Conſtantinopol. Cyrilli ſucceſſor ann. 1638. adunavit Synodum ubi adfuere Metrophanes Patriarcha Alexandriæ, Theophanes Jeroſolymæ 21. tam Metropolitani quam Epiſcopi. 23. Magnæ Eccleſiæ Officiarii, qui una voce, ſervatis ſervandis, confeſſionem quam ſuſceperat Cyrillus Lucaris, proſcripſerunt, ipſum vero Lucarem anathemate percuſſerunt: iterum proſcriptus legitur in Synodo Jeroſolymitana ſub Doſitheo Patriarcha & Præſide. 5. A tempore quo Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, confeſſionem Genevenſem a Lucari ſuſceptam agnovere, ipſum inſectari ceperunt, novam Eccleſia Græca non invexit doctrinam, ſed eam, quæ huic nefandæ confeſſioni oppoſita erat, ſtrenue propugnaverunt. Ut Meletius Syrigus in confeſſione orthodoxa, quam accepta miſſione, adverſus ſpuriam Lucaris compoſuit. Solus Caryophilus vir obſcurus & laicus, & omnis veræ expers religionis novam Cyrilli doctrinam defendendam ſuſcepit; verum Doſitheus Patriarcha Jeroſolymitanus in tractatu ſpeciali eum egregie confutavit; quia vero obſtrepere non ceſſaret ille fidei apoſtata, Callinicus Patriarcha anno 1691. anathemate eum percellere judicavit, & fecit. Ex his omnibus momentis liquido conſtat Eccleſiam Græcam abhorruiſſe cuncta Proteſtantium tum circa Sacramentorum ſeptenarium numerum, tum circa juſtificationem & purgatorium commenta; confeſſionem quippe Calvinianam in cunctis capitibus tanquam fidei contrariam debellavit.

Reponunt. Omnia cedunt auctoritati Principum, maxime vero pecuniis: ergo Dominus de Nointel apud Turcarum Imperatorem Regis Chriſtianiſſimi Orator ſuffragia pro confeſſione Romana emit, tum numerata pecunia tum etiam promiſſione pro Græcis apud Turcam protegendis: unde acta quæcumque adverſus confeſſionem Calvinianam a Cyrillo Lucari ſuſceptam aut conficta, aut vi, vel favore, & ære extorta ſunt, adeoque nullius apud viros cordatos ponderis eſſe debent: igitur ea eſt Eccleſiæ Græcæ conſtans opinio ut rejiciat Purgatorium.

Reſpondeo. Jure potiori nos affirmare poſſe Cyrillum Lucarem pecunia Calviniſtarum fuiſſe in fide corruptum; quandoquidem nec ſuam novam auſus eſt, quandiu vixit, malefidam doctrinam publicare, nec eam ſuſcepit Eccleſia Orientalis, quin potius per omnia ipſi adverſans, dictis & ſcriptis, immo & anathematibus illum perſtrinxit. Jam vero dicere oratorem Regis, Græcorum pecunia numerata, corrupiſſe fidem, grandis calumnia eſt, cujus rei ne unum aut alterum, ſed multiplex habemus argumentum. Primo quidem longe ante iſtius nuntii in Orientem adventum, Eccleſia Græca Cyrillum inſectata eſt; enimvero Conſtantinopolim appulſus eſt percelebris ille orator ſub finem anni 1670. Jeremias vero Patriarcha Conſtantinopolitanus refutavit Wirtembergenſium doctrinam ab anno 1575. uſque ad annum 1581. Gregorius Protoſyncellus in ſua de divinis officiis appendice anno 1635. Cyrilli Lucaris non eum quidem nominando, ſed charitatis gratia ſolum indigitando, debellavit errores. Cyrillus Beroeæ Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1638. in Synodo anathemate percuſſit Cyrillum, ejuſque novam proſcripſit doctrinam. Secundo, ut videre eſt in omnibus Liturgiis, orationes ab omni ævo pro defunctorum requie funduntur. Tertio, etiam his temporibus Græci eoſdem ſervant Ritus; quod & audivimus in noſtro Conventu Parienſi anno 1714. menſe Novembri ab Archiepiſcopo Seleuciæ, qui propter tyrannidem Turcarum, paupertate premente, venerat Pariſios, eleemoſynas efflagitandus. Collatione quippe cum ipſo

ipſo habita, variiſque ei propoſitis circa fidem quæſtionibus, bona fide reſpondit, Eccleſiam Græcam cum Latina in doctrina Sacramentorum, juſtificationis, Purgatorii, invocationis Sanctorum, cultus ſanctarum Imaginum conſociari: nec ipſum Proteſtantes cordati abnegare audebunt.

SEXTUM ARGUMENTUM.

Probatur Purgatorium ex more & uſu quem tenuit Eccleſia, ut per ſuos inſurgeret ſemper adverſus dogmatizantes contrarium.

ARGUMENTUM omni acceptione dignum pro aliqua propugnanda veritate illud eſt, cum iis, qui contrarium aut tenere aut etiam publicare auſi ſunt, fortiter Eccleſia reſtiterit: atqui ſancta Mater Eccleſia, nec conſenſit illis qui purgatorium exſufflare moliti ſunt, verum potius eis, tum ſuis definitionibus, tum ſuorum Doctorum ſcriptis fortiter reſtitit. Igitur dogma purgatorium aſſerens eſt, verum eſt, & Catholicum. Probatur minor variis multiſque momentis.

Aerius, teſte S. Epiphanio hær. 75. & S. Auguſtino hær. 53. non eſſe orandum pro defunctis propugnavit, hinc & conſequenter de medio abſtulit purgatorium; ſed uterque S. Eccleſiæ Doctor eum vehementer de novitate accuſant, nec ei enim parcit illorum ſtylus cenſorius. Sic loquitur Epiphanius pag. 9. " Quæ pro
" mortuis concipiuntur preces: iis utiles
" ſunt, tametſi non omnes culpas extin-
" guant. Verum ex eo proſunt, quod
" plerumque, dum adhuc in terra degi-
" mus, ſponte aut inviti titubemus: ut
" id quod perfectius eſt, ſignificetur.
" Nam & juſtorum pariter & peccato-
" rum mentionem facimus: peccatorum
" quidem, ut iis a Domino miſericor-
" diam imploremus: juſtorum autem &
" Patrum.... ut Dominum Jeſum Chri-
" ſtum ſingulari quodam honore proſe-
" quentes, ab cæterorum hominum ordi-
" ne ſegregemus. "

Waldenſes auſu temerario adaperte purgatorium negarunt. Sic refert Guido Carmelita in ſumma de Hæreticis, ſed maxime B. Antonius 4. p. tit. 11. c. 7. §. 2. ſummæ Theologiæ.

In eundem impegerunt errorem Apoſtolici, videlicet quidam hæretici ſic dicti, eo quod paupertatem Apoſtolicam ſe imitari jactitabant, ut videre eſt apud Div. Bernardum 66. in Cantica qui eos ita revincit, pag. 766. " Non credunt autem
" ignem purgatorium reſtare poſt mor-
" tem, ſed ſtatim animam ſolutam a cor-
" pore, vel ad requiem tranſire, vel ad
" damnationem. Quærant ergo ab eo
" qui dixit, quoddam peccatum eſſe, quod
" neque in hoc ſæculo, neque in futuro
" remitteretur, cur hoc dixerit, ſi nul-
" la manet in futuro remiſſio, purgatio-
" ve peccati?

Lutherus libro de abroganda Miſſa privata, tandem purgatorium poſt varias dubitationes, & diſceptationes, quibus pendulus apparebat, ex profeſſo abnegavit; hunc in hoc ſequuti ſunt Lutherani rigidi, ut Centuriatores centur. 1. lib. 2. cap. 4. Lutherani molles ut Philippus c. de Satisfactione, Brentius in Confeſ. Witembergenſes cap. de purgatorio, Zuingliani apud Cochlæum in actis Lutheri anni 1526. Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 6. Hos omnes Proteſtantes ore gladii confodit ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 30. his verbis: *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit, anathema ſit.* Ergo, &c.

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

Probatur Purgatorium ex diverſis hiſtoriis fidelium defunctorum fide digniſſimis.

DEUS ita ſuæ providet Eccleſiæ ut ſicut ſanctis & Patriarchis & Prophetis miniſterio Angelorum ſanctorum ad veritatem de die in diem probandam & apparere & loqui dignatus eſt, nonnumquam etiam per mortuos, tum ad eorum ipſorum conſolationem, tum ad propriam vivorum utilitatem loqui poteſt & de facto, niſi omnis fides etiam ſanctioribus abnegetur, non ſemel locutus eſt: atqui res ſic ſe habet pro negotio quod hic pro virili contra impugnantes defendere ſatagimus. Igitur & datur purgatorium, & dogma

dogma omnium fide dignum ſane eſt. Probatur minor variis exemplis quæ Bellarminus l. 1. de Purg. c. 7. refert.

„ *Gregorius*, inquit, Turonicus l. de gloria Conſ. c. 5. ſcribit Beato Martino S. Virginem quandam nomine Vitalianam jam „ defunctam ſignificaſſe ſe adhuc in Purgatorio degere ob leve quoddam peccatum, ac paulo poſt precibus ejuſdem ſancti Martini liberatam. „

“ *Petrus Damianus* in Epiſt. ad Deſiderium ſcribit B. Severianum Colonienſem Epiſcopum apparuiſſe cuidam Preſbytero ejuſdem Eccleſiæ, eique ſignificaſſe ſe in Purgatorio graviter torqueri, quod Horas Canonicas non diſtinctis temporibus perſolviſſet, ſed mane omnes horas ſimul coacervaſſet, ut tota die negotiis Imperialibus liberius vacare poſſet. „

“ *Beda* l. 3. hiſtoriæ Anglorum c. 19. ſcribit, B. Furſeum a mortuis reſurgentem narraſſe multa, quæ vidit de Purgatoriis pœnis. Et l. 5. c. 13. Refert mirabilem viſionem Diethelmi qui ſimiliter mortuus, & poſtea reviviſcens mira narravit de Inferno, Purgatorio & Paradiſo, & vita ejus ſequens, ac fructus ſpiritualis, quem in aliis multis operatus eſt, teſtabatur veram fuiſſe viſionem. „

“ *D. Bernardus* in vita B. Malachiæ refert, B. Malachiæ ſororem ejus defunctam non ſemel apparuiſſe, cum adhuc in Purgatoriis pęnis degeret, & tandem, frequenti Euchariſtiæ ad Deum oblatione, liberatam, & libro primo vitæ B. Bernardi c. 10. refert Guillelmus Abbas, qui vitam ſancti Bernardi ſcripſit, ipſo adhuc vivente apparuiſſe aliquando B. Bernardo unum ex defunctis Monachis, in Purgatorio laborantem, & precibus, ac ſacrificiis viri ſancti paulo poſt liberatum, quod exemplum ipſum B. Bernardum narrare ſolitum ſcribit auctor ejus vitæ. „

„ *Libro primo* vitæ B. Anſelmi ſimiliter legimus, B. Anſelmum annum integrum inſtitiſſe ſacrificiis quotidianis, & tandem apparente ſibi amico defuncto pro quo tam diu oraverat, dixiſſe eum de Purgatorio liberatum. „

Replicant Proteſtantes omnia iſta ludicra eſſe, ſed ullo ſane abſque fundamento: nonne Samuel mortuus apparuit Sauli ut legitur 1. Reg. c. 28. 15.? Nonne Angelorum viſiones tum in veteri, tum in novo Teſtamento ad myſteria aliqua confirmanda factæ ſunt? quidni & fidelium animæ, vel per ſe, vel etiam Angeli Cuſtodis miniſterio ad aliqua poſtulanda ſuffragia apparerent? hoc profecto nedum impoſſibile ſed veriſimile & divinæ conſentaneum miſericordiæ eſt: maximæ vero cum viri omni exceptione, tum pro pietate, tum pro doctrina majores teſtentur. Si enim fides adhibetur Hiſtoricis prophanis, a fortiori ſumma debetur Sanctis.

OCTAVUM ARGUMENTUM.

Probatur Purgatorium ratione Theologica.

QUOD fulcitur ratione in Scriptura, in uſu Eccleſiæ, in decretis Summorum Pontificum, in jure, in principiis Theologiæ & in magnis mirificiſque congruentiis fundata, illud profecto eſt admittendum; atqui Purgatorium hocce fundatum eſt modo, igitur & admittendum eſt. Probatur minor quoad ſinguas partes.

Primo quidem Scriptura dicit Sap. 7. nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum: igitur cum animæ fidelium aliquam adhuc venialibus contractam rugam habeant, debent prius igne purgari antequam penetrent cælos. Hæc ratio eſt D. Thomæ qui 4. contra Gentes c. 91. ait: “ Sapientiæ 7. dicitur de Sapientia, quod nihil inquinatum in illum incurrit, & Iſaiæ 53. dicitur: Non tranſibit per eam pollutus, polluitur autem anima per peccatum in quantum rebus inferioribus inordinate conjungitur: a qua quidem pollutione purificatur in hac vita per pęnitentiam & alia Sacramenta ut ſupradictum eſt. Quandoque vero contingit quod purificatio talis non totaliter perficitur in hac vita, ſed remanet adhuc debitor pœnæ, vel propter negligentiam aliquam aut occupationem aut etiam quia debitor pœnæ morte prævenitur: nec tamen propter hoc meretur totaliter excludi a præmio: quia hæc abſque peccato mortali contingere poſſunt, per quod ſolum tollitur charitas cui præmium vitæ æternæ „ de-

„ debetur, ut apparet ex his quæ inter„ tio dicta ſunt. Oportet igitur quod „ poſt hanc vitam, purgentur antequam „ finale præmium conſequantur. Purgatio „ autem hæc fit per pœnas, ſicut etiam „ in hac vita per pœnas ſatisfactorias pur„ gatio completa fuiſſet; alioquin melio„ ris conditionis eſſent negligentes quam „ ſolliciti, ſi pœnam quam hic pro pec„ catis non implent, non ſuſtineant in fu„ turo. Retardantur igitur animæ bono„ rum qui habent aliquid purgabile in hoc „ mundo, a præmii conſecutione, quo„ uſque pœnas purgatorias ſuſtineant. Et „ hæc eſt ratio quare Purgatorium poni„ mus. „

Secundo. Uſus Eccleſiæ ab omni ævo eſt orare pro mortuis ut a peccatis levioribus & a pœnis ſolvantur: hoc habemus momentum ex Patrum ſententiis, hoc ex definitionibus Conciliorum, hoc ex Liturgiis, hoc ex commemoratione omnium fidelium quam Eccleſia univerſalis quotannis celebrat, hoc ex Miſſis privatis pro eorum requie, hoc ex oblationibus panis & vini quæ ex perantiquo more ea offeruntur intentione, ut fiat ſatis juſtitiæ divinæ quatenus animas e carcere in quo detinentur, eruere dignetur; quæ quidem omnia forent inutilia, ſi non daretur locus medius in quo animæ ad ultimum probentur: jam vero quis dicet Eccleſiam univerſalem aliquid aut ſuperfluum, aut ſuperſtitioſum pro defunctis admittere? Hæc ratio traditur utique a D. Thoma ibidem ubi ſic ait: " Ad hoc et„ iam eſt conſuetudo Eccleſiæ univerſa„ lis, quæ pro defunctis orat: quæ qui„ dem oratio inutilis eſſet, ſi Purgatorium „ poſt mortem non ponatur. Non enim „ orat Eccleſia pro his qui nondum ad ter„ minum pervenerunt. „ Idem docet ſuppl. q. 71. art. 9. " Dicendum, *inquit*, „ quod ſuffragia vivorum proſunt defun„ ctis ſecundum quod uniuntur viventibus „ in charitate, & ſecundum quod inten„ tio viventis, fertur in mortuos. Et ideo „ illa opera præcipue nota ſunt mortuis „ ſuffragari, quæ maxime ad communi„ cationem charitatis pertinent, vel ad „ directionem intentionis ad alterum. „

Tertio. Summi Pontifices non ſemel declaravere viventes, lucrari poſſe indulgentias ad ſublevandas animas in purgatorio detentas: eas enim per modum ſuffragii eis prodeſſe conſtans Theologorum opinio eſt.

Sixtus IV. pro ejuſmodi fidelium animabus indulgentias publicavit. Innocentius VIII. pro eiſdem conceſſit: ſimiliter & Calixtus III. eodem prorſus motivo Eccleſiæ Taraconenſi in Hiſpania. Paſchalis V. prædeceſſorum ſuorum erga animas fidelium defunctorum devotionem probans, ad imitationem in theſauro Eccleſiæ plurimum confidens de cujus conſumptione non eſt timendum, inquit Concilium generale Viennenſe, plures elargitus eſt, quæ quidem multorum ſubſequentium ſupremorum Pontificum calculo munitæ fuerunt. Alexander VI. Clemens VII. Julius III. Gregorius XIII. in decretis & Bullis Jubilæorum ſimiles dederunt, nec prætereundus Leo X. in ſua contra Lutheri errores Bulla anno 1520. qui hanc proſcribit propoſitionem: *Sex generibus hominum indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec utiles, videlicet mortuis*. Quæ quidem indulgentias concedendi pro mortuis poteſtas fundatur, inquiunt Theologi, in his Chriſti verbis: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*, nam & pro peccatis in terra commiſſis cruciatus ſubeunt animæ, & aliqualiter ſeu quodammodo, inquit Bellarminus lib. 1. de purg. c. ſunt in terris, videlicet inferioribus. Hanc exprofeſſo defendit poteſtatem Alexander Alenſis p. 4. q. 83. art. 2. S. Bonaventura in 4. diſt. 20. art. 3. q. 3. aitque: *Qui ſunt in Purgatorio .... Eccleſia poteſt juvare communicando eis merita vivorum, non tamen per modum auctoritatis per quam directe juvantur illi, quibus directe prſunt indulgentiæ*. Major qui initio 16. ſæculi florebat in 4. diſt. 20. qu. 2. aſſerit ſe ſuum addidiſſe calculum Facultatis Pariſienſis concluſioni ſeu decreto, quo cujuſdam opinionem indulgentias non prodeſſe mortuis perſtrinxit.

Jam D. Thomam audire juvat hic ſupp. q. 71. art. 10. ubi ſic loquitur: " Si autem „ indulgentia ſub hac forma fiat, quicum„ que fecerit hoc vel quicumque alius ei „ adjunctus in Purgatorio detentus, tan„ tum de indulgentia habebit, talis indul„ gentia non ſolum vivo, ſed etiam mor„ tuo proderit: non enim eſt aliqua ra„ tio, qua Eccleſia transferre poſſit com„ munia merita quibus indulgentiæ inni„ tuntur, in vivos, & non in mortuos.

Quap-

Digitized by Google

Quarto. Summiſtæ ajunt, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: ſed ſupponimus animas non plene feciſſe ſatis in præſenti ſæculo juſtitiæ divinæ; igitur debent ſolvere in futuro, ſeu Purgatorio.

Quinto. Animæ nedum reatum pœnæ, ſed & peccata venialia nonnunquam habent: ſed ejuſmodi peccata remitti neceſſe eſt antequam cælum ingrediantur; nihil quippe coinquinatum ibi admittitur.: igitur requiritur Purgatorium in quo & orationibus & actibus charitatis iteratis purgentur.

Sexto. Non opus eſt totum remitti una ſemel vice debitum, ne facilitas veniæ ſit incentivum nova de die in diem committendi peccata, tum quia ex hoc ſequeretur, inquit D. Thomas ſupra citatus 4. contr. Gent. c. 91. quod melioris eſſent conditionis negligentes quam ſolliciti. Igitur aliquid nonnunquam remanet purgandum in alia vita. Hoc ipſum non in uno loco indigitat Scriptura; namque 2. Reg. 12. cum David dixiſſet: *Peccavi Domino*, ait Propheta, *Deus quoque tranſtulit a te iniquitatem. Sed quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius qui natus eſt tibi, morte morietur*, Rurſus Numerorum 12. cum Maria contra Dominum obmurmuraſſet, pęnas luit peccati, dolore & fętore lepræ qua percuſſa eſt, orante autem pro ea Moiſe, dimiſſa eſt ei culpa, attamen voluit Deus, ut pęnam lueret per unam hebdomadam. Igitur a primo ad ultimum claret dari Purgatorium.

Reſpondetur Hæreticorum objectionibus.

OBJICIUNT 1. Purgatorium eſt pars quædam inferni: ſed animæ juſtorum non ſunt in inferno: igitur neque in Purgatorio. Minor probatur: Pſalmo 6. habetur: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Animas vero fidelium confiteri Dominum extra dubium eſt: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Purgatorium eſt pars quædam inferni, ideſt, locus inferior & ſubterraneus, concedo: eſt pars inferni in quo damnati recluſi manent, nego. Sancti Doctores illum ſecernunt locum a lacu abyſſi: porro Propheta loquitur de loco in quo reprobi alligati & incarcerati manent. Sic reſpondet S. Thomas ſupp. q. 71. art. 6. " Ad primum " ergo dicendum, *inquit* quod auctoritas " illa loquitur de inferno damnatorum, " in quo nulla eſt redemptio, quantum " ad illos qui ſunt finaliter tali pœnæ addicti.

Inſtant: pęna Purgatorii eſt finita; ſed ſi ſuffragia valent ad illam expiandam, eo multiplicari poſſunt, ut nihil remaneat amplius ſatisfaciendum, & ſic peccatum impunitum manebit ex parte delinquentis, quod eſt inconveniens: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Nihil remanebit ſatisfaciendum quatenus alter pro incarcerato ſatisfecit, concedo: & ſic peccatum impunitum non eſt: nihil remanebit ſatisfaciendum, ſi nullus debitum ſolvat, nego. Aliquis ſolvit pro incarcerato debitum, igitur ſatisfacit. Porro juſtitia, modo ei fiat ſatis, adimpleta eſt, nec jus ullo modo læditur. Ita ibidem S. Thomas: " Ad ſecundum dicendum quod " non eſt inconveniens, ſi multiplicatis " ſuffragiis, pęna exiſtentium in Purgatorio annihiletur, non tamen ſequitur, " quod peccata remaneant impunita, " quia pęna unius pro altero ſuſcepta, " alteri computatur. "

Rurſus inſtant. Nihil fiet in animabus ſi ſuffragia ſolvant debitum: igitur non purgabuntur: porro abſurdum eſt dicere eas eſſe in Purgatorio & non purgari.

Reſpondeo diſtinguendo. Nihil fiet in animabus quantum ad partem quæ pro eis ſolvitur, concedo: ſed quid mirum, cum incommodum patiatur ille qui pro animabus vel eleemoſynas elargitur vel jejunat? nihil abſolute fiet, nego. Prius quippe eſt animas eſſe in Purgatorio quam ab eo liberari: igitur primum patiuntur, deinde liberantur, ſed dato quod a toto liberarentur, nullum ſequitur inconveniens, quia labor eſt in ſatisfaciente, & ejus ſuffragiis liberantur atque purgantur, ſeu a purgatione redimuntur animæ: ſic aliquis vel ab incarceratione perlonga, vel a triremibus liberatur ab eo qui cito citius ſolvit totum debitum & totam damnati pęnam ſubit. Solutio eſt Div. Thomæ ibidem: " Ad tertium dicendum quod purgatio animæ per pęnas " Purgatorii non eſt aliud, quam expiatio reatus impedientis a perceptione " gloriæ, & quia per pœnam quam " unus ſuſtinet pro alio, poteſt reatus

„ alterius expiari, ut dictum eſt : non „ eſt inconveniens ſi per unius ſatisfa- „ ctionem alius purgetur. „

Urgent adhuc. Remiſſa culpa non remanet pœna : ſed culpa iuſti defuncti ſupponitur remiſſa, igitur nihil purgandum remanet, igitur non datur Purgatorium : probatur major 1. culpa eſt remiſſa per merita Chriſti. Igitur totaliter & quoad pœnam : quandoquidem merita Chriſti ſunt infinita, tum quia ſatisfactio inutilis eſt, alias foret duplex ſatisfactio, Chriſti ſcilicet & hominis rei, quod eſt inconveniens, maxime quia homo defunctus non poteſt mereri : igitur nec pro peccato ſatisfacere.

Reſpondeo diſtinguendo. Remiſſa culpa remittitur pœna totalis æterna, concedo : temporalis, ſubdiſtinguo; aliquando, puta ſi tantum doloris habuerit homo, quantum converſionis ad creaturam, concedo : ſin minus, nego. Tametſi enim Deus cujus natura bonitas, poſſit totam remittere pœnam, ne tamen facilitas veniæ, fiat & facilitas magis peccandi, ideo paululum ſuam contrahit manum. Hoc ipſum innuit Apoſtolus dicens : *Salvus erit quaſi per ignem*.

Ad primam confirmationem, diſtinguo : Chriſtus ſatisfecit ut cauſa generalis exigens concurſum cauſæ ſecundæ cujus pœnitentię applicatur ejuſdem Chriſti meritum, concedo : non exigens, nego. Dicit enim Apoſtolus : *Adimpleo quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea*. Unde in Purgatorio dicitur una ſatisfactio animæ quæ vim habet & efficaciam per ſatisfactionem Chriſti. Ipſi Proteſtantes ultro fatentur Baptiſmum & Cœnam homini prodeſſe, ſed quomodo? Niſi quatenus per ea Chriſti applicantur merita. Cæterum anima patiens non ſatisfacit per modum meriti, ſed per modum ſolutionis : incarceratus utpote gratia Domini ſui privatus, apud ipſum nihil promeretur : patiendo tamen pęne ſatisfacit quia ſolvit pro reatu debitum, quod ſufficit.

Perſiſtunt. Per Baptiſmum remittitur tota pœna etiam temporalis non ſolum infantulo, ſed & adulto : igitur & per pęnitentiam, unde cum juſtus ſupponatur mori pęnitens, profecto nihil purgandum habet.

Reſpondeo negando conſequentiam : diſparitas in eo eſt quod Baptiſmus eſt regeneratio & hominis plena renovatio : pęnitentia non ſic, maxime cum ſit pro recidivis, unde ratione ingratitudinis non inconveniens eſt aliquem pęnæ temporalis reatum remanere ad terrorem. Hoc ſane indigitat Apoſtolus Heb. 6. his verbis : *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati & guſtaverunt donum cæleſte rurſus renovari ad pænitentiam*. & c. 10. *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis non relinquitur hoſtia pro peccato*. Quibus verbis oſtendit Apoſtolus Baptiſmum non renovari ad abſtergenda ſicut prius totaliter peccata, ſed novam requiri pęnitentiam vel in hoc mundo, vel in Purgatorio, qua deficiente, pęnas luit æternas prævaricator, unde ſubdit Apoſtolus : *Terribilis expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios*.

Dices : quandoque reſtat culpa venialis : ſed culpa non remittitur in alio mundo : ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem : culpa mortalis peccati, concedo : peccati venialis, nego. Remittitur per charitatis actum quem anima elicit in momento quo ſeparatur a corpore : non deſunt enim noſtros inter Thomiſtas qui aſſerant animam Juſti tunc temporis in actum amoris intenſum prorumpere ad gradum uſque omnium meritorum quæ habuit in decurſu vitæ ut tantum gloriæ illi tribuatur, quatenus forma introducenda, gradus ſcilicet gloriæ donandus, præexigit diſpoſitionem, per quem actum ſimul peccata venialia quoad maculam abſterguntur : alii ſcribunt actum charitatis ut ſic animam producere, ut per iſtam perfectam ad Deum converſionem deleatur ejuſmodi macula : alii dicunt per actus repetitos charitatis, quos anima durante captivitate elicit, id fieri, non quidem per modum meriti, ſed ſatisfactionis, ſicut de aliis dicendum eſt. Id colligitur ex Scoto in 4. diſt. 21. q. 1. ſimile quid & affine docet D. Thomas in 4. diſt. 21. q. 1. art. 2.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Datur Purgatorium.

PRIMO. Quia teſte Propheta Regio datur

datur pœnarum locus ex quo animæ eductæ tranſeunt in refrigerium: Apoſtolus utique aſſerit eum qui ædificavit ſuper fœnum & ſtipulam ſalvum quidem fore, ſed quaſi per ignem.

Secundo. Idem dogma docent conſtanter utriuſque Eccleſiæ Patres, Dionyſius de cæleſ. Hier. c. 7. Clemens Romanus l. 8. conſt. c. 41. Origen. hom. 35. in Lucam. Tertullianus l. de anima c. 8. Hoc ipſum de fide definivit Flor. ſeſſ. 6. can. 30.

Tertio. Ab omni ævo mos ille fuit apud omnes Eccleſias orare pro defunctis, ut a peccatis ſolvantur: nonnumquam enim, inquit D. Thomas ſuppl. q. 71. art. 6. evenit juſtum e vita migrare cum aliquibus ad gloriam impedimentis, puta cum peccatis venialibus, immo & cum aliquo pœnæ temporalis reatu, ab his autem purgari debet. Igitur datur Purgatorium.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

PRIMO. tametſi Scripturæ loca de tribulationibus præſentis vitæ intelligi non implicet, de cruciatibus tamen Purgatorii utique explicari neceſſe eſt, cum Apoſtolus dicat de Juſto, qui diem clauſit ultimum in charitate, ſalvum fore, ſed quaſi per ignem: eſto quod tunc veniat hæreditas Domini quoad certitudinem, non tamen quoad poſſeſſionem donec anima omne ſolverit debitum. Ergone ejus peccata oblivioni non traduntur? Minime; non enim vindictam ſumit æternam Deus de gravioribus per pœnitentiam deletis, ſed ea conditione ſuo adſcire regno peccatorem pœnitentem vult, ut ab omnibus vel etiam minutiſſimis ſordibus igne Purgatorii mundetur. Quinimmo, hoc ipſum fide tenendum eſt: quamvis enim diſceptent Theologi de modis quibus purgantur animæ, non tamen de realitate pœnarum, quæ ad juſtam exiguntur ſatisfactionem.

Secundo. Verum eſt Patres dicere modo non eſſe poſt mortem pœnitentiæ locum, modo in infernis nullam eſſe redemptionem, modo etiam peccata ſemel & tecta, & remiſſa vere eſſe abſoluta: aſt his & ſimilibus ſententiis nihil a veritate ſtabilita detrahunt. Quippe qui loquantur de peccatis mortalibus, de quibus poſt mortem nec fit pœnitentia ſalutaris, nec pro eis in inferno reperitur redemptio; quod ſi ante mortem pœnitentia deleta fuerint, profecto non remanent ut imputentur ad pœnam æternam: addo nec ad temporalem, ſi ſufficiens præceſſerit ſatisfactio; ſin minus, purgari ſicut juſtum ita & neceſſe eſt, quandoquidem nihil inquinatum intrat in regnum cælorum.

Tertio. Satisfactio quam Chriſtus Dominus ſolvit pro peccatis noſtris infinita quidem eſt, ſed noſtram non excludit; verum potius exigit tanquam medium quo ſua nobis applicetur; unde ajebat Apoſtolus: *Adimpleo quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea*: igitur ſi noſtra deficiat, iterum facienda remanet in Purgatorio per cruciatus, a quibus tamen & per ſuffragia Eccleſiæ militantis & per pœnitentiam vivorum ſublevantur animæ piæ. Nec iis refragatur Eccleſia Orientalis; tametſi enim de qualitate & loco pœnarum diſputent Græci recentiores, non tamen de veritate. Cæterum cum peccatum veniale ſit tantummodo charitatis refrigerium, non implicat etiam quantum ad culpam aboleri per charitatem ferventem animæ in Purgatorio concluſæ; licet enim ejus charitas non ſit meritoria, eſt tamen ſatisfactoria, quatenus reddit ablatum, videlicet perfectam ad Deum converſionem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum animæ Juſtorum poſt expletam in Purgatorio pænitentiam, cito citius Deum intuitive videant?

CONCLUSIO CATHOLICA

Animæ cito & abſque mora convolant in cælum ubi viſione Dei intuitiva perfruuntur.

HÆc concluſio ſequitur ex dictis, & eſt de fide definita in Concilio Florentino.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

1. LEVITICI 19. hab. *Non morabitur apud*

te operis mercenarii tui uſque mane. A fortiori Deus non moratur compenſare, ſi hoc ipſum hominibus præcipiat.

2. 2. Reg. c. 14. v. 21. hab. *Revoca puerum Abſalon*. Abſalon poſt aliquam pœnam pro homicidio fratris expletam revocatur ad aulam Regiam, quod ſane eſt figura liberationis & gloriæ animarum, quæ, pęnitentia expleta, revocantur ab exilio in patriam.

3. l. 2. Machab. c. 12. v. 44. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis ſolvantur*. Sed ſolvi a peccatis, eſt non ſolum abſolvi a macula, verum etiam a pœna quæcumque ſit: privari vero viſione Dei intuitiva propter peccata, eſt graviſſima pœna: cum igitur piæ defunctorum animæ poſſint virtute precum ſolvi ab ejuſmodi pœnis, utique debent, quando ſolverunt debitum, frui Deo; alias eſſent in pęnis, etiam poſt ſolutionem debiti, cum privarentur gloria.

4. Matth. 5. v. 25. hab. *Eſto*, inquit Chriſtus *conſentiens adverſario tuo dum es in via, ne forte tradat te adverſarius tuus judicio, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, amen dico tibi non exies inde donec reddas noviſſimum quadrantem*. Hunc locum interpretantur ſancti Doctores de Purgatorio; igitur de illo egreditur anima quando luit pęnas juſtitiæ pro peccatis debitas, poſtea vero abſque mora abit in cælum.

5. 1. Corinth. 3. v. 15. *Ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem*. Apoſtolus loquitur de eo qui ædificavit ſuper fęnum & ſtipulam, ideſt qui commiſit peccata venialia: profecto peccatum aliquod leve non punitur pœna ignis bis mille & amplius annorum ſpatio, quod tamen fieret, ſi gloria retribuenda ad judicium uſque univerſale differretur.

Secundo, *Ex Decretis ſummorum Pontificum & Conciliorum.*

SUMMI Pontifices & Concilia ſupra laudata decernunt animas Purgatorii, quæ divinæ juſtitiæ fecerunt ſatis, viſione beatifica incunctanter donari; hinc ad earum accelerandam felicitatem, Paſchalis primus indulgentiam in Cappella S. Zenonis Romæ obtinendam pro piis defunctis conceſſit. Alexander VI. Clemens VII. Gregorius XIII. indulgentias per modum ſuffragii extendi voluerunt ad animas in Purgatorio pro ſatisfacienda juſtitia concluſas. Idem prorſus declaravit Leo X. in Bulla pro Indulgentiis data anno 1518. ibi enim dicit Romanum Pontificem Petri Clavigeri ſucceſſorem & Chriſti in terris Vicarium poteſtate clavium, poſſe pro rationabilibus cauſis indulgentias concedere Fidelibus, qui charitate membra ſunt Chriſti: ſive in hac vita ſint, ſive in Purgatorio.

Hæc expreſſe de fide definivit Florentinum jam laudatum. Hoc Benedictus 12. extravag. anno 1336. his verbis: "Auctoritate Apoſtolica definimus quod ſecundum communem ordinationem animæ .... in quibus nihil purgabile fuit quando deceſſerunt, vel ſi tunc erit aliquid purgabile, tamen poſt mortem ſuam purgaverint, mox poſt mortem ſuam & purgationem præfatam etiam ante Reſurrectionem corporum ſuorum, ſunt & erunt in cœlo, & vident, & videbunt eſſentiam divinam immediate."

Tertio, *Ex Patribus, ex Liturgiis, ex precibus Eccleſiæ, & Univerſitatibus.*

S. CYPRIANUS Epiſt. 52. Hieronymus Epiſt. ad Pammachium, Cæſarius Arelatenſis ſerm. 37. idem docent: Verum inter omnes eminet Gregorius Magnus qui in Pſal. 1. pęnitentialem ſic loquitur; "Poſt mortem alii æternis deputantur ſuppliciis, alii ad vitam tranſeunt per ignem purgationis, igne purgati ad Beatitudinis requiem reducuntur."

Liturgiæ tum antiquæ, tum novæ continent preces pro defunctis, ut a peccatis ſoluti, tranſeant abſque mora ad requiem æternam: hoc pii & devoti homines ante mortem deprecantur; hoc eleemoſynis tum pauperibus, tum Eccleſiæ addictis, ut & preces & ſacrificia habeant, in refrigerium ſibi concedi ſatagunt: hoc ipſum S. Auguſtinus pro pia matre Monica deprecatus eſt ut habetur l. 9. Confeſſ. c. 12. Hoc Eccleſia Orient. credit ut videre eſt in Ritualibus; hoc ipſum Chirurgus Meletius in Confeſſione fidei opponit pravæ & Calvinianæ Cyrilli Lucaris Confeſſioni. Hic variæ poſſint adduci in teſtimonium hiſtoriæ fide digniſſimæ,

quas

quas Gregorius Magnus in Dialogis, Gregorius Turonenſis, Beda, Bernardus, aliique permulti de animabus juſtorum referunt, quæ efficacia precum Eccleſiæ e Purgatorio liberatæ, ſtatim ad cælum exultantes convolarunt. Ipſemet Gregorius Magnus, ut fertur, obtinuit ut in Miſſa in ſui memoriam celebrata, una anima in Purgatorio patiens liberaretur: hinc uſus invaluit in Eccleſia, ut pro defunctorum refrigerio, Miſſæ celebrarentur, quæ dicuntur Gregorianæ.

Univerſitates omnes Catholicæ & Romanæ unanimi conſenſu docent animas poſt ſatisfactionem pro peccatis in Purgatorio datam, abſque mora recipi in cælum. Sacra Facultas Pariſienſis anno 1332. die 2. Januarii a Philippo Francorum Rege ſuper iſtud momentum conſulta, ſic reſpondiſſe legitur: *Omnes in hanc ſententiam convenimus quod .... fidelium animæ quæ de corporibus exierunt nihil habentes purgabile, vel quæ jam in Purgatorio ſunt purgatæ, ad viſionem beatificam divinæ eſſentiæ ſunt aſſumptæ*: Anno 1541. iſtud oppoſuit decretum perverſæ & impiæ Lutheri & Calvini doctrinæ: *Firmiter credendum, & nullatenus dubitandum eſſe Purgatorium in quo animæ detentæ oratione, jejunio, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus juvantur ut citius liberentur a pœnis, &c.* Lovanienſis anno 1544. idem ſtatuit aſſerendo animas fidelium ſic purgatas nunc regnare cum Chriſto in cælis.

Quarto, *Ex ratione multiplici*.

PRIMA. Cum aliquod promittitur bonum ſub quibuſdam conditionibus, fidelitas exigit vt illis adimpletis, abſque mora conferatur: ſed Deus promittit vitam æternam ea conditione ut & ſerventur mandata, & pœnitentiam pro peccatis expiandis legitimam rei nocentes perficiant: igitur cum animæ fidelium defunctorum, & legem & Prophetas adimpleverint, immo & pro peccatorum reliquiis in Purgatorio ſatis paſſæ ſint, æquum eſt, & jus divinum expoſtulat ut abſque mora, viſione donentur beatifica.

Secunda. Gloria promiſſa debetur ex juſtitia bene & laudabiliter operantibus, & hoc quidem abſque ulla legitima mora, juxta illud S. Pauli in Epiſt. 2. ad Tim. c. 4. v. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus*. Sed quod ſolvitur ex juſtitia debet abſque mora reddi, alias jus læderetur: igitur cum Deus ſit ipſa juſtitia, cito citius coronat animas quæ nihil amplius habent pro peccatis ſolvendum.

Tertia. Promiſſio fœderis adimpletur abſque mora quando nullum adeſt impedimentum: neſcit enim, inquit S. Ambroſius, tarda molimina Spiritus Sancti gratia & amor: ſed Deus promiſit ſe animam Juſti deſponſaturum in æternum, juxta illud Oſee c. 2. v. 9. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*. Animæ vero purgatæ nullum habent ad hoc impedimentum: igitur abſque mora conjungendæ ſunt Deo ſponſo ſuperamabili.

Quarta. Poſita ultima diſpoſitione, & ſublato omni impedimento producitur forma: ſed anima Juſti quæ ſolvit in Purgatorio debitum, nullum habet impedimentum ad fruitionem Dei, ſiquidem eſt ab omni reatu & culpæ, & pœnæ libera; inſuper ultimam habet diſpoſitionem, ſummam ſcilicet charitatem: igitur abſque mora poſſidet & videt intuitive Deum.

Quinta. Hæres poſſidet hæreditatem, ut primum conditio adimpleta eſt: ſed anima Juſti eſt regni æterni hæres juxta illud Joan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Et alia Scriptura, Rom. 8. v. 17. *Filii & hæredes*. Conditio ea eſt, quod ſit ab omni reatu & culpæ & pœnæ munda, & de facto eſt, ſiquidem nihil penitus habet ſolvendum, quinimmo bonis operibus habet jus ad hæreditatem æternam: igitur abſque mora donanda eſt hæreditate, quæ quidem in clara & intuitiva Dei viſione conſiſtit.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES I. l. 2. Machab. c. 12. v. 44. promittitur gloria ſolum poſt Reſurrectionem danda: nec ex illo capite quidquam pro concluſione erui poteſt: ſic enim habetur: *Niſi ..... eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*. In quo loco duo notanda ſunt. Primum quidem orationis motivum eſſe reſurrectionem: Secundum vero orationem pro fidelibus defunctis eſſe inutilem; quandoquidem

acceleratio ad cælum non datur, eo ipſo quo gloria differtur ad reſurrectionem uſque: apparet igitur contradictio in ipſo Scripturæ loco, & ideo noſtram non probat concluſionem.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: locus ille non probat a priori gloriam animæ purgatæ cito dandam, concedo: non probat illative, nego. Machabæus inſurgit contra impios propugnantes animam perire cum corpore, aliorum vero provocat fidem dicendo ſacrificium offerendum eſſe pro mortuis, ut a peccatis ſolvantur; ideſt a peccatorum pęnis, maxime cum omnes reſurgere debeamus; unde ſicut impii inferebant interitum animæ ex interitu corporis, ipſe e contra ex Reſurrectione, & immortalitate corporis futura, inferebat contra impios animæ immortalitatem. Loquitur igitur Judas de toto homine, & ſenſus eſt, ſi mortui non reſurgunt, anima mortalis eſt; ſi mortalis, ſuperfluum & vanum eſt pro mortuis orare. Hoc ergo argumentum adducitur pro immortalitate animæ, minime vero pro gloriæ dilatione a Deo retribuendæ. Cæterum etiam illative Machab. probat gloriam non differri uſque ad ultimum Judicii univerſalis diem; ſiquidem præcipit orationes fieri ut animæ a peccatorum pęnis ſolvantur.

Inſtabis. Ille non potuit ſacrificia & orationes præcipere pro liberatione animarum, qui fide inſtructus noverat aditum cæli omnibus peccato Adami clauſum eſſe, & aperiendum ſolummodo per mediatorem, cujus adventum nullus promereri poterat: qui ſciebat animas non obſtantibus quibuſcumque precibus in limbis ad Meſſiam uſque detinendas: atqui hæc omnia noverat per fidem pius Judas: igitur attendebat ſolum ad Reſurrectionem.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum. Si animæ ſolvendæ ſunt a peccatis & pęnis ſolum in reſurrectione, inutile prorſus erat, & vanum orare pro mortuis; ſtatutum eſt enim omnes mortuos reſurrecturos eſſe, alios quidem in ſupplicium, alios vero in vitam æternam.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Etiam noverat Judas animas defunctorum in Purgatorio detentas educi poſſe in refrigerium, videlicet ad limbos, ubi requieſcerent in ſinu & fide Abrahæ, cum aliis Patriarchis, cum Prophetis & Juſtis, expectantibus beatam ſpem, & adventum Domini, concedo: & non noverat, nego. Igitur animæ quæ in exitu vitæ mortalis habebant aliquid purificandum, deſcendebant tunc in Purgatorium & ibi expleta pęnitentia, quo quidem tempore tum orationibus, tum ſacrificiis pro eis oblatis, non modicum adjuvabantur, tranſibant in locum pacis ſcilicet limborum, ubi erat Abraham cum omnibus Juſtis, donec veniret Redemptor, qui fractis portis, eos liberaret, & adduceret ſecum in cęlum: igitur non erat ſuperfluum etiam in veteri lege, orare pro mortuis, cum orationum adjutorio citius deducerentur in limbos ubi requiem a tormentis habebant. Hanc habemus a D. Bernardo ſupra citato ſolutionem. Verum ad maiorem explicationem quatuor diſtinguenda ſunt loca, quorum tria in ſcripturis vocantur inferiora terræ, quippe quæ in profundiſſimo terrarum ſinu adſunt. Primus locus ille eſt in quo torquentur in æternum Reprobi, & vocatur abſque addito Infernus: alter in quo animæ Juſtorum detinentur ad ſatisfaciendum juſtitiæ, miris ſed tamen veris modis & pęnis, & dicitur Purgatorium. Tertius eſt limbus in quo quieſcebant veteris legis Juſti, in ſinu, ſive in fide Abrahæ qui illos fovebat ut filios, & eorum in Chriſtum venturum erigebat ſpem. Quartus eſt cælum ubi utriuſque Teſtamenti habitant Sancti qui nihil pro peccatis commiſſis expiandum habent.

Iterum inſtabis. Judas præcipiendo preces & ſacrificia pro mortuis attendebat ad Judicem placandum: ſed Judex judicaturus ſedebit ſolum in reſurrectione: etiam nunc Eccleſia attendit ſolummodo in precibus pro fidelibus defunctis, ad illum judicem ſupremum, quem introducit in Prosa Miſſæ venientem ut ſeverum, hunc deprecatur, ut pro tali hora ſit propitius, poſtulat filios in illo tremendo judicio liberari a pœna æterna. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Attendebat Judas ad Judicem pęnas in judicio particulari pro peccatis expiandis decernentem, concedo, & ideo vult orationes fundi ut animæ a peccatis ſolvantur, & deducantur

in

in refrigerium, in ſinum ſcilicet Abrahæ : attendebat ad Judicem pœnis in judicio univerſali pro peccatis infligentem, ſubdiſtinguo : ſecundario & ad terrorem, ut peccatores noviſſima meditantes ſaperent, concedo : eadem ratione attendit utique Eccleſia ad illud tremendum judicium quod quidem in Proſa Miſſæ Defunctorum, cum omnibus terribilibus circumſtantiis exponit : Primario, nego. Cæterum judicium univerſale ſequetur particulare, eritque ejus confirmatio : unde Scriptura loquendo de uno, conſequenter loquitur & de altero ; quia tamen ultimum erit publicum, adeoque notius, ideo ſæpius mentio fit in utroque Teſtamento de univerſali, ut peccatores a novis in dies patrandis criminibus deterreantur.

Objicies. 2. Apoſt. 1. Corinth. 3. v. 15. loquens de viro juſto qui ædificavit ſuper ſtipulam, ideſt, qui e vita mortali diſceſſit cum peccatis tantum venialibus, ait, *Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: ibi ſolummodo de igne immediate præcedente judicium univerſale ſermonem facit ; enimvero ſupra verſu 13. habetur. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur : & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*. Ergo omnia probant gloriam & refrigerium eſſe tantum pro fine ſæculorum.

Reſpondeo diſtinguendo. S. Paulus attendit ſpecialiter ad judicium univerſale ut ad aliquid notius quod movet ad virtutem, & deterreat impium a peccatis patrandis, concedo : ad judicium dumtaxat univerſale, excludendo particulare, nego. Scopus Apoſtoli in illo capite eſt quoſdam revincere devotos, quorum zelus non erat ſecundum ſcientiam, quique hominibus potiuſquam Deo placere ſatagentes, dicebant, ego ſum Cephæ, ego ſum Pauli, ego autem Apollo : probat eis in ſolo Domino eſſe gloriandum, & quale uniuſcujuſque ſit opus, ignem omnibus probaturum modis. Cæterum locus Apoſtoli intelligi debet etiam de judicio particulari ; dies enim mortis eſt dies Domini. Tunc liber aperitur : tunc coram ſevero judice ſiſtitur homo reus, ut recipiat prout in ſua geſſit vita, ſive bonum, ſive malum : tunc apparet homini neminem juſtificari in conſpectu Dei, &c.

Urgebis adhuc. Anima de corpore exiens cum peccatis venialibus, & cum reatu pœnæ pro cæteris, nequit in Purgatorio ſolvi ab utroque vinculo : ergo expectare debet judicium univerſale ut introeat in requiem Domini, juxta illud Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*.

Probatur antecedens quoad utramque partem. Animæ defunctorum ſunt in termino, adeoque mereri non poſſunt : igitur nec ſolvi a peccatis venialibus, nec a pœnis gravioribus pro cæteris debitis liberari, niſi accedat indulgentia, quæ reſervatur pro fine ſæculorum.

Reſpondeo 1. Non requiri abſolute aliud, niſi meritum Chriſti pro pœnarum relaxatione animabus ſanctis applicatum : porro meritum illud eis cum orationibus, cum ſacrificiis poſſe applicari perpetua docet Traditio.

Reſpondeo 2. Peccatum veniale remitti per actum charitatis & amoris quem animæ in Purgatorio concluſæ eliciunt. Quidam non abſque fundamento animam juſtam, eo ipſo quo e corpore egreditur momento, prorumpere in actum amoris erga Deum valde intenſum, quo quidem abluitur a macula venialium ; cum enim hujuſmodi peccata opponantur charitati, utique per charitatis actus remittuntur, non tamen per modum meriti, quia anima eſt in termino, & ideo fixa eſt immobiliter in bono, unde non ineſt ei potentia ad bonum & malum, quæ quidem eſt conditio ad merendum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Animæ in Purgatorio detentæ ut primum ſatiſpaſſæ ſunt, abſque mora viſione Dei intuitiva donantur.

PRIMO. Quia ſcriptum eſt Levitici 19. *Non morabitur apud te opus mercenarii tui*.

Secundo. Quia ita definiere & Summi Pontifices, & Concilia.

Tertio. Quia hæres poſſidet hæreditatem eo ipſo quo nullum ſupereſt impedimentum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Promittitur quidem gloria in ſcripturis poſt reſurrectionem, ſed ſermo eſt de gloria completa.

Secundo. Eccleſia utique ad judicium univerſale recurrit, non ut ab animabus omni reatu pœnæ puris excludat gloriam, ſed ut per tremendum judicium deterreat homines a peccatis patrandis.

Tertio. Animæ a corpore ſolutæ ſæpius aliquam habent venialium maculam, ſed iſte reatus abſolvitur & per actum charitatis quem eliciunt, & per merita Chriſti quæ illi applicantur.

ARTICULUS NONUS.

Utrum Joannes vigeſimus ſecundus aliquid definierit in gratiam Millenariorum.

CONCLUSIO.

Nihil definivit Joannes XXII. pro dilatione gloriæ Sanctorum ad judicii ultimi uſque diem, nec adhæſit Millenariis.

Probatur multiplicitér.

Primo. *Ex Regulis fidei quas ipſe miſit ad diverſa orbis terrarum regna.*

JOANNES profeſſionem fidei miſit anno 1318. ad Oſſimum Armenorum Regem, ut obſervat Rainaldus ad annum 1318. n. 10. Alteram anno 1321. ad ipſos Armenos ibidem n. 4. Alteram anno 1323. ad Oroſium Regem Sarviæ. Ibidem n. 16. Alteram anno 1329. ad Imperatorem Tartarorum. Ibidem n. 98. Alteram anno 1330. ad univerſos Chriſtianos habitantes in montibus Dealbors. Ibidem n. 5. immo Decreta Clementis IV. & aliorum Summorum Pontificum ſupra laudatorum pro beatitudine præſenti Sanctorum commemorat, iiſdem quippe verbis, ut obſervat Rainaldus ad annum 1331. n. 43. ſuam exprimit fidei profeſſionem. Igitur Joannes XXII. non impegit in errorem Millenariorum, ſed idem prorſus tenuit quod prædeceſſores ſui circa Sanctorum beatitudinem.

Secundo. *Ex Decretis canonizatis multorum quos in Sanctorum albo adſcripſit Joannes.*

PRIMO. In diplomate canonizationis S. Thomæ Aquinatis Joannes ait: *Cælum credentibus & humilibus patere..... S. Thomam devicto, triumphatoque mundo in perpetuas æternitates receptum, in patria ejus animam Cælum poſſidere, & cæleſtibus agminibus poſitum, Deum glorificare.*

Secundo. In diplomate canonizationis Sancti Ludovici Epiſcopi Toloſani, pariter ſic ſeſe explicat: *Huic cæli præſtant auſpicium: cæli cives ut ſibi conformem & comparem ad ſuum hunc conſortium admittunt in ſupernis: Chriſtus hunc reficit, idem ipſe prandium & conviva .... tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domus ſuæ, ad Deum ſuum in gaudio contemplandum, facie revelata in ſua innocentia eſt ingreſſus.*

Tertio, In diplomate canonizationis S. Thomæ Herphordienſis Epiſcopi, ſic procedit: *lætentur cæli ſurſum, qui hunc ſanctum glorioſum in ſe ſuſcipiunt .... cæleſtis imperii ipſe ineffabili throno gaudet.* Jam ſequitur Joannis Apologia contra calumniatores qui Millenariorum labem illi inurere auſi ſunt. Et vero ille fuit ab iſta labe purus, qui loquens ex cathedra declarat Sanctos viſione Dei intuitiva in æterna beatitudine gaudere: atqui Joannes in decretis canonizationis Sanctorum non ſemel hoc ipſum declarat, immo & proponit omnibus fidelibus credendum: ergo &c.

Tertio, *Ex Profeſſionibus fidei ejuſdem Pontificis & declarationibus juris publici factis.*

JOANNES XXII. morti proximus, accerſitis Cardinalibus, & Prælatis die 3. Decembris anno 1334. Tabellionibus publicis etiam aſtantibus, hanc protulit fidei ſuæ declarationem: *Ne ſuper iis qui de animabus purgatis, ſeparatis a corporibus, an citra reſumptionem corporum, divinam*

eſſen-

eſſentiam illa viſione videlicet quam vocat Apoſtolus facialem, videant, tam per nos, quam per nonnullos alios in præſentia noſtra recitando, & allegando ſacram ſcripturam, ac originalia & dicta Patrum, vel alias raticcinando ſæpius dicta ſunt aliter, quam per nos dicta & intellecta fuerunt, & intelligantur ac dicantur, auribus fidelium valeant inculcari. Ecce quod noſtram intentionem quam cum ſancta Eccleſia Catholica circa hac habemus & habuimus, ſerie præſentium, ut ſequitur declaramus. Fatemur ſiquidem & credimus, quod animæ purgatæ, ſeparatæ a corporibus, ſunt in Cœlo, Cælorum regno, & Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum ac divinam eſſentiam facie ad faciem clare, in quantum ſtatus & conditio compatitur animæ ſeparatæ. Poſtea declarat ſi quid contrarium incaute dixerit ipſo facto retractare. In hoc inſtrumento non ſolum ſuam aperit fidei puritatem Joannes, & integritatem, verum etiam dicit ſe non aliter crediliſſe, contradicentes vero ſuam non attigiſſe mentem: ergo non adhæſit unquam Millenariis, nec quidquam fidei contrarium in hoc momento definivit. Cæterum illa fidei profeſſio concordat cum ea quæ Clementis IV. & Joannis XXI. auctoritate prius miſſa & præſcripta Græcis fuerat. Ita Odoricus Rainaldus ad annum 1367. ſcriptor ſane fide dignus in hac materia: quippe qui hanc temporum hiſtoriam ex manuſcriptis Vaticanis hauſerit.

Quarto, *Ex aliorum Summorum Pontificum teſtimonio.*

NULLUS Papa rerum geſtarum Joannis XXII. indagator credidit ipſum adhæſiſſe Millenariis. Unum inter omnes Pontifices eligimus in veritatis teſtimonium, ſcilicet Benedictum XII. Joannis & ſucceſſorem, & geſtorum ab ipſo fideliſſimum teſtem. Hic ſtupens & demirans quod quidam ex falſis rumoribus hinc inde ſparſis, Joannem Millenarium crederent, non ſolum tanti Pontificis germanam aperuit mentem, ſed etiam, omni qua par eſt juſtitia, ab omni erroris nævo purgavit & vindicavit in diplomate quod ex manuſcripto Vaticano deſcripſit Rainaldus ad annum 1334. ubi ſic loquitur Pontifex Maximus: “ Cum jamdudum per nonnullos revocaretur in dubium an animæ a corporibus ſeparatæ, ac peccatis & pœnis peccatorum purgatæ, ante reſumptionem corporum videant divinam eſſentiam, illa videlicet viſione quam vocat Apoſtolus facialem, & ſuper hoc tam in ſermonibus, quam in aliis collationibus per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum, & plures alios in ejus præſentia multa dicta, recitata, ſcripta & prædicata fuiſſent, volens idem Prædeceſſor verbis & linguis malignantibus obviare, anno a Nativitate Domini 1334. in indictione 2. die 3. menſis Januarii S. R. E. Cardinalibus de quorum numero tunc eramus, multiſque Prælatis & in Sacra Theologia Magiſtris, aliiſque perſonis & Tabellionibus publicis in Conſiſtorio Apoſtolico, coram eo perſonaliter conſtitutis, dixit, aſſeruit, & proteſtatus extitit ſub hac formula.,,

„ *Ne quis* ſiniſtre interpretari poſſit, non ſenſiſſe aliquid aut ſentire quod ſacræ Scripturæ obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus & proteſtamur expreſſe, quod quidquid in quæſtione ſeu materia viſionis animarum, videlicet an animæ, a peccatis & pœnis peccatorum purgatæ, videant divinam eſſentiam illa viſione, quam Apoſtolus vocat facialem; ſeu de quacumque alia materia in ſermonibus & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeu credere, quod eſſet quovis modo Scripturæ ſacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ; ſed illud ſolum tenere & credere, quod & Scripturæ ſacræ poteſt & poterat, & catholicæ fidei convenire: etſi forſitan in prædictis ſermonibus, vel collationibus aliqua quæ vel Scripturæ ſacræ ſeu fidei orthodoxæ quovis modo eſſent, vel viderentur obvia, ipſa præter intentionem a nobis fuiſſe prolata dicimus & aſſerimus, eaque revocamus expreſſe, non intendentes illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum.

Quin-

Quinto, *Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis Joanni Coævis.*

Ptolomæus Lucensis lib. 24. Hiſt. Eccl. c. 42. Joannes Villanus l. 7. c. 19. vindicant Joannem XXII. ab errore Millenariorum. Guillelmus Nangius continuator Hiſtoriæ Florentinæ quam inceperat Villanus ad annum 1334. Nicolaus Gillus cujus verba citat Scriptor Hiſtoriæ Academiæ Pariſienſis Bulleus. Et inter alios omnes Rainaldus tam ſæpe laudatus idem faciunt: ergo a primo ad ultimum liquet Joannem XXII. eſſe ab omni erroris labe immunem.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Rainaldus ad an. 1331. n. 44. refert quemdam Scriptorem Joanni coætaneum de illo ſic ſcribere. "Dominus Joannes an. Dom. 1331. in Feſto omnium Sanctorum in ſermone quem publice fecit, qui incipit, mementote operum Patrum quæ fecerunt in generationibus ſuis.... Et in alio ſermone quem publice fecit eodem anno in Dominica 3. Adventus, qui incipit, gaudete in Domino ſemper; & in alio ſermone quem publice an. 1332. in Vigilia Epiphaniæ habuit, qui incipit, ſurge, tolle puerum... Dogmatizatus eſt, quod Sancti in cælo non vident, nec videbunt uſque ad diem generalis judicii & futuram corporum reſurrectionem, faciem Dei, ſive divinam eſſentiam, ſed tantummodo videbunt uſque ad futurum univerſale judicium humanitatem Chriſti." Igitur Joannem adhæſiſſe Millenariis extra dubium apparet.

Reſpondeo 1. Joannem creatum fuiſſe Summum Pontificem ann. 1316. tenuiſſe ſedem uſque ad an. 1334. & ſic ſediſſe per 19. annos. 2. Ab anno 1316. uſque ad ann. 1330. eodem modo ſcripſiſſe de beatitudine præſenti Sanctorum quo antea ſcripſerant Clemens IV. & alii ſui prædeceſſores; ab an. 1330. ad an. 1334. quo obiit. 3. diſputaſſe quidem de hoc momento ad materiæ elucidationem, ut conſtat ex probationibus, maxime quia Eccleſia nihil adhuc de fide circa iſtud momentum definierat, ſed nec crediḍiſſe, nec ullo decreto gloriam animæ Sanctorum, uſque ad judicium differri ſtatuiſſe.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Joannes opinative & non aſſertive protulit gloriam Sanctorum ad ſupremum uſque judicii diem differri, transeat; non enim hoc abſolute dixit, ſed inquirendo veritatem locutus eſt: dixit aſſertive & definitive, nego. Ita illud ſolvit argumentum Harricus Doctor Germaniæ lib. 4. c. ult. apud Rainaldum ad an. 1331. nu. 45. his verbis "Si ſermo Papalis, inquit, pie & ſane intelligitur, non proprie ſermo ac definitio, nec determinatio ſeu prædicatio, ſed magis quædam quaſi ſcholaſtica diſputatio, aut diſputationum collatio eſſe perpenditur."

Inſtabis: Girardus Ordinis Minorum Miniſter Generalis miſſus in Scotiam a Joanne XXII. transeundo Pariſios, ibi defendit publice opinionem Millenariorum tanquam ex auctoritate Joannis, & ut ipſius fœtum ac ſententiam, qua de cauſa commotus Philippus Valeſius Francorum Rex congregavit in Palatio Vicennarum ſacræ facultatis Pariſienſis Doctores, ſciſcitans ab eis, quid circa hoc momentum ſentirent? reſponderunt unanimiter ſe credere animas ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ puras cito citius viſione beatifica donari. Iterum Pariſiis eadem de cauſa adunati a Rege, in libellis, quid pie & orthodoxe tenerent, dederunt: quibus completis, ſcripſit Rex ad Joannem rogans ut quam primum ab opinione Millenariorum deflecterent. Iſta Congregatio Doctorum Pariſiis facta legitur apud Maturinos die 2. Januarii anni 1332. Hæc omnia ſic referunt Nicolaus Gillius ad an. 1332. Spondanus ad an. 1333. Rex Siciliæ etiam tunc temporis ſcripſit ad Joannem, illum deprecans ut ſuam de hoc momento deponeret opinionem, ut ſuæ propriæ conſuleret famæ. Ita referunt Cyaconius & Bladios ad an. 1331. Ergo &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo. Et Joannes docuit inquirendo num gloria animarum, uſque ad extremum Chriſti judicium differretur, concedo: dixit aſſertive, nego. Ita declarat ipſa ſacra Pariſienſis Facultas. Sic enim alloquitur Philippum Valeſium: "Attendentes ſpecialiter id quod ab ore veſtro itidem audivimus, quod nihil in hac materia quærebatis,

„ tis, quod tangere poſſet ſanctiſſimum „ Patrem ac Dominum noſtrum Joannem „ Dei providentia ſacroſanctæ Romanæ, „ & univerſalis Eccleſiæ Summum Pontificem, cujus ſumus devoti ſervi & filii; quinnimmo ſicut filius ejus devotiſſimus honorem ſuum in his & „ aliis zelabitis: advertenteſque quod „ multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit, non aſſerendo „ ſeu opinando protulit, ſed ſolummodo „ recitando. „ Ita legitur in exemplari quod aſſervatur in Archivis ſacræ Facultatis Pariſienſis.

Reſpondeo 2. Joannem multos varioſque habuiſſe inimicos, qui illum peregrinis Doctrinis inſimulare non erubuerunt: hoc ipſum indicant expreſſionis vocabula, *fertur Joannem dixiſſe*, &c. ut habetur in ſermonibus eorum qui contra ejus fidem ſcripſerunt; unde quid mirum, ſi incerta pro certis in mundo habita ſunt contra tanti Pontificis honorem & famam, cum fuerit eminens Eccleſiæ lumen? cujus rei argumenta ſunt ejus Decretales in corpore juris inditæ, quæ hunc præ ſe ferunt titulum: *Extravagantes Joannis XXII*.

Reſpondeo 3. Reges Siciliæ & Galliæ errore facti detentos, ſcripſiſſe ad Joannem; non quidem aſſerendo eum adhæſiſſe Millenariis, verum potius ut ab illorum ſententia, ſi quam eis adhibuiſſet fidem, deterrerent.

Ad Girardum: dubio procul impoſuit Joanni qua de cauſa Summus ille Pontifex reſcripſit ad Philippum, tum ut ſeſe a dictis & calumniis Girardi purgaret, tum ut ſuam genuinam circa capitulum de glorificatione Sanctorum mentem aperiret; unde declarat unum tantummodo voluiſſe, videlicet quæſtionem & a Theologiæ Magiſtris, & a Baccalaureis, variis in utramque partem diſputationibus elucidari, ut tandem aliquando ad finem decreto ſolemni & publico perduceretur. Et vero, ſic loquitur in ſua ad Philippum Epiſtola, ut refert Rainaldus ex codice Vaticano an. 1333. n. 46. “ Cum autem, inquit Joannes, hanc „ quæſtionem B. Auguſt. in ſcriptis ſuis „ reputaverit valde dubiam, & circa „ eam variaſſe dicatur, & nedum ipſe, „ ſed & multi Doctores alii circa iſtam „ materiam varient: propter hoc, ut „ veritas poſſit melius aperiri, nos interdum in noſtris ſermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de noſtro capite, ſed dictu Scripturæ ſacræ, & Sanctorum, præcipue „ illorum, quorum Scripturæ ab Eccleſia „ ſunt receptæ: multique tam Cardinales, quam alii, coram nobis & alibi „ in ſuis ſermonibus, immo publice, „ Prælatis ac Magiſtris in Theologia præſentibus, eſt in Curia pluries quæſtio „ hujuſmodi, ut ſic plenius poſſet inveniri veritas diſputata .... Et quia, amantiſſime fili, ſcimus quod in his vel aliis „ ut elucidetur veritas, intendas; rogamus benevolentiam Regiam, ut per fidelem ſeu fideles nuntios, Magiſtris in „ Theologia, & Baccalaureis Pariſiis legentibus facias nuntiari, quod talibus „ minis illatis non obſtantibus, quilibet „ dicere, & diſputare, & prædicare valeat, quod ſibi juxta doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam diſputandum „ videbitur, & etiam prædicandum, „ donec aliud ordinatum per ſedem ſuerit Apoſtolicam, vel etiam declaratum; ſic enim ad veritatem quæſtionis prædictæ poterit promptius perveniri. „ Quibus verbis manifeſte patet unum dumtaxat pro ſcopo habuiſſe, nimirum elucidare quæſtionem & inquirendo invenire veritatem.

Rurſus inſtabis. Ille adhæſiſſe Millenariis videtur qui nedum minis, verum etiam pœnis impoſitis perſtrinxit eos qui contrariam propugnabant ſententiam. Sed ita Joannes ſe geſſit erga Thomam Valeſium Dominicanum, ſi fidem adhibeamus Villano lib. 10. Hiſtoriæ Florentinæ, c. ult. & Rainaldo ad an. 1333. Ergo &c.

Reſpondeo 1. multa falſo impoſita fuiſſe Joanni XXII. immo quidam ſcripſerunt Philippum minatum fuiſſe rogum & ignem Summo Pontifici, niſi ſuam cito citius deponeret ſententiam. Sed nequidem hujus rei veſtigium apparet in Epiſt. Philippi, qui ea qua par eſt ſententia, & in ſenſu a Doctoribus ſacræ Facultatis Pariſienſis accepto, ſcripſit ad Summum Pontificem: neque etiam hoc magis apparet in reſcripto Joannis ad Philippum, quandoquinem verbis amicis & be-

Reſpondeo diſtinguendo ut ſupra. Et Gerſonius errore facti deceptus eſt, concedo: & non deceptus eſt, nego. In hoc autem apparet manifeſtus error, cum dicit Joannem in ſono buccinarum a Doctoribus Pariſienſibus propulſum, cum e contra idem Doctores omni qua par eſt reverentia, & ſicut decet filios Eccleſiæ amantiſſimos, Summum Pontificem apud Regem excuſatum habuerint: nimirum aſſerendo Joannem ſolum inquirendi, indagandi & elucidandi veritatem cauſa fuiſſe tum in ſermonibus, tum in ſcriptis locutum.

Objicies 4. OKamus Minorita in quodam compendio de opinionibus Joannis XXII. multa contra Pontificem debacchatur. Enimvero dicit 1. eum libellis & conſtitutionibus ſtabiliiſſe ſententiam de dilatione gloriæ animarum Sanctarum uſque ad ultimum judicii diem, 2. Eum cum pertinacia propugnaſſe Millenariorum opinionem. 3. Nulli permiſiſſe docere publice in Facultate Pariſienſi, niſi prius ſuam ſententiam ut Catholicam in perpetuum ſe habiturum juraret. Ergo, &c.

Reſpondeo. Fidem non eſſe in hoc momento adhibendam OKamo, ſiquidem in ore habebat Joannem XXII. Adhæſit enim Ludovico Bavaro qui hunc deponi Pontificem molitus fuerat, & in ipſius locum Petrum de Corbario ejuſdem Minoritarum Ordinis antipapam per fas & nefas ſubſtitui curaverat. Quod autem non ſit audiendus de hoc capitulo OKamus, conſtat ex dictis; maxime vero quia dicta OKami contradictionibus ſunt referta. Et vero dicit Joannem conſtitutionibus firmaſſe ſententiam Millenariorum: ubi ſunt illa decreta? ubi univerſali Eccleſiæ ejuſmodi ſtatuta propoſuit Joannes? Ne unum quidem reperitur de hoc veſtigium. Præterea quanta calumnia, dicere Joannem, ſuam cum pertinacia propugnaſſe ſententiam, cum potius contrarium authenticis & publicis inſtrumentis ſuam expreſſerit illibatam fidem & intentionem. Denique qua mente, quo animo OKamus auſus eſt dicere Joannem coegiſſe Doctores Pariſienſes Millenariorum celebrare approbationibus & juramentis opinionem, qui ſupra omnes religioſi declaraverunt Philippo ſe unanimiter credere animas ab omni labe tum pœnæ, tum culpæ putas ſine mora videre Deum intuitive, quique nedum conqueſti ſunt Joann. jugum impoſuiſſe defendendi contrariam opinionem, ſed & affirmant, non fuiſſe Joannis animum, & ſi quid ſimplicibus apparet in Pontificis ſermonibus, in gratiam ſententiæ oppoſitæ, hoc eſſe ſolum ad veritatis inquiſitionem.

Objicies 5. Calvinus l. 4. Inſtitut. c. 7. n. 28. ait Joannem XXII. palam aſſeruiſſe animas eſſe mortales, una cum corporibus interire donec in ultimo judicio reſurgerent: ergo &c.

Reſpondeo. Hoc eſſe Calvini commentum quod in odium Eccleſiæ Romanæ evomuit: & ex iſta calumnia liquet, quod alii quidam aut malevoli, aut erga Summos Pontifices minus affecti etiam conficta ſparſerint adverſus Joannem. Quoad Calvinum, iniquitas mentitur ſibi. Nullus quippe fuit inter hoſtes Joannis XXII. infenſiſſimos, quos ille Pontifex longo temporis ſpatio habuit, qui illum circa animæ immortalitatem erroribus inſimulaverit. Cæterum ſufficienter oſtendimus validiſſimis argumentis Joannem non adhæſiſſe Millenariis: ſi quid enim aut dictis, aut ſcriptis protulit pro dilatione gloriæ Sanctorum ad ultimi Judicii uſque diem ſane ut Doctor particularis, & ad quæſtionis elucidationem effatus eſt,

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Joannes XXII. non adhæſit Millenariis.

PRIMO quidem; hoc patet ex variis fidei profeſſionibus quas ad varios Orientis Reges direxit, quæque Prædeceſſorum ſuorum confeſſionibus penitus ſunt affines.

Secundo. Ex modo quo non ſemel ſuam explanavit mentem, aſſerendo ſolummodo inquirendæ veritatis cauſa licentiam feciſſe in utramque partem diſputare.

Tertio. Ex propria confeſſione fidei quam animam agens, aſtantibus & Cardinalibus & Tabellionibus, emiſit, ut nullus ſupereſſet circa integritatem ſuæ doctrinæ ambigendi locus.

SYNO-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO. Quidem ultro fatemur multos vel errore facti deceptos, vel etiam compulſos odio, Joanni hæreſeos notam inuſſiſſe, ſed iſta profecto inſimulatio nullius eſt apud cordatos momenti, nec quicquam virium habet adverſus fidei tanti Pontificis integritatem.

Secundo. Neque negamus Philippum Francorum Regem, & Siciliæ Monarcham non modicum fuiſſe circa ſententiam Joannis conturbatos, ſed non alio niſi falſi rumoris fundamento, quod patet tum ex Sacræ Facultatis Pariſienſis declaratione, tum ex ipſo Joaunis ad Francorum Regem reſcripto.

Tertio. Non magis adverſus Pontificem ponderant tum OKami indignæ objurgationes; tum ipſa Valeſii a Summo Pontifice correctio. Primum enim ex ore æmuli procedit, unde nullius eſt ponderis: alterum vero momentum nuſquam infirmat fidei Joannis præſidium, quandoquidem Valeſius pœna multatus eſt non ea certe ratione, quia Catholicam propugnaverat ſententiam: verum potius quia propria & privata auctoritate, quod licitum non erat, contrariam ſententiam tanquam hæreticam & habebat, & prædicabat.

DISSER-

DISSERTATIO QUINTA.

DE CULTU SANCTORUM, ET EORUMDEM RELIQUIARUM ET IMAGINUM.

DOMINICAM incarnationem etiam ex parte impugnaverunt Iconomachi, quatenus cultum & Chriſto & Sanctis relative ad ipſum Chriſtum deberi negabant. Lutherani & Calviniſtæ in eumdem prope impegerunt errorem, maxime ſi de Sanctis, & eorumdem Reliquiis atque Imaginibus agitur. Chriſtum quidem adorandum eſſe propugnant: Sanctos vero Sanctaſque colere Imagines idololatriam ſapere autumant. Sed contra quod ait Propheta Pſalm. 138. 16. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt Principatus eorum*.

Dogma fidei de cultu ſanctorum & ſanctarum Imaginum quatuor potiſſimum explicatur & probatur argumentis.

PRIMO, Quia humanitas Chriſti ut unita verbo cultu latriæ, BB. Virgo, hyperduliæ. Sancti vero, duliæ colendi ſunt.

Secundo, quia Reliquiæ Sanctorum cultu religioſo juſte donantur.

Tertio, Quia ſancti invocari poſſunt, & eos invocare debemus.

Quarto, Quia venerandæ ſunt ſanctæ Imagines.

HISTORIA CRITICA ICONOMACHORUM.

ORTUS.

EX Concilio 7. generali hiſtoriam Iconomachorum habemus, præcipue vero ex actione 1. & 5. Talis hæreſeos auctores primi fuerunt Gentiles, deinde Judæi, poſtea Marcioniſtæ & Manichæi: ſed anno 726. Leo Iſauricus Imperator tempeſtatem excitavit magnam adverſus ſanctas Imagines edicto, quo illas aboleri voluit & deſtrui: incaſſum ei reſtitit B. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, immo ipſius ſupplicatione in rabiem actus Imperator, duodecim ſacrarum Litterarum Profeſſores, & fidei protectores una cum Collegio & pretioſa Bibliotheca vivos comburi juſſit; alios Catholicos ferro & igne occidit, Imagines omnes ſubvertit, præcipue vero mirabilem æneam Salvatoris figuram quæ jacebat in civitatis porta.

Gregorius II. Papa miſit legatos qui eum ab impio conſilio deterrerent, ſed ſtatim exulare coacti, Martyres obiere; adunatis poſtea perfidis Epiſcopis in Pſeudoconilio cultum ſanctarum Imaginum proſcribi curavit Leo: S. Germanus ſubſcribere renuens cito citius ſtrangulatus eſt: Anaſtaſius vero Iconomachus in ejus ſuffectus eſt ſedem. Joannes Damaſcenus ſanctarum Imaginum defenſor acerrimus malitia hæreticorum accuſatus eſt apud Præpoſitum Saracenum Damaſci, quod ipſius regnum Imperatori Conſtan-

tinopolitano tradere moliretur. Propter illud ſuppoſititium ſcelus Barbarus voluit manum Joannis amputari, quæ eodem die, orante Damaſceno coram Beatæ Virginis imagine, in priſtinum reſtituta eſt ſtatum.

Gregorius Magnus miſit legatos quos abſque mora incarcerari juſſit Imperator. Tandem iratus Deus novum iſtum Pharaonem graviter punivit: primum enim ipſius claſſis ad litus maris Adriatici periit: deinde vero mœnia civitatis Conſtantinopolitanæ ad ſolum terræ motibus adæquata ſunt, denique ipſe Leo infelix & impœnitens obiit.

PROGRESSUS.

CONSTANTINUS Leonis filius, & Copronymus dictus, eo quod malo quodem præſagio fontem baptiſmatis ſtercore fœdaverat, Patris impietati addidit edictum, quo prohibebat Sanctos invocari, eorum coli Reliquias, immo impius ille prohibuit ne Beat. Virginem, uti talem, venerarentur populi. De tanta impietate indignati Proceres anno 742. Artabaſdum Imperatorem nominaverunt: iſte reſtituit SS. Imagines. Sed heu! obſeſſus in urbe a Copronymo atque urbs Conſtantinopol. capta eſt: tunc Catholicos horrendum in modum variis tormentis perſecutus & inſectatus eſt Copronymus, præcipue vero Monachos; quorum Domos & Conventus ſubvertit, Concilium 338. Epiſcoporum perfidorum adunavit, in quo omnibus impietatibus approbatis, Monachos & Moniales, aut nubere aut mori voluit & præcepit.

Circa annum 767. Coſmas Conſtantinopolis Patriarcha, Theodorus Antiochiæ, alter Theodorus Jeroſolymæ, multas adunaverunt Synodos, in quibus Iconomachi proſcripti fuere, & ſanctæ Imagines reſtitutæ; anno 769. Stephanus III. Concilium pro eadem cauſa in Baſilica Lateranenſi congregavit, ubi eadem definita ſunt: interea Imperator carbunculis per totum corpus adustus, in errore pertinax & reprobus obiit.

Leo ipſius filius prima fronte ſimulavit fidem, ſed ſtatim e vivis ereptus eſt, cum enim coronam gemmis ſplendentem quam Heraclius in majori Eccleſia poſuerat, ad ſuum ſumpſiſſet uſum, prima vice qua ſupra caput appoſuit, febre ardenti ſtatim captus, mortuus eſt, anno 5. Imperii ſui, Chriſti vero 780.

Nota Conſtantinum Pſeudopapam auctoritate Copronymi, excommunicatum fuiſſe & depoſitum in Concilio Romano.

EXTINCTIO, ſeu PROSCRIPTIO.

LEONIS erat & filius & hæres Conſtantinus puerulus annos 10. natus ſub ſapienti moderamine matris ſuæ ſcilicet Irenes: Irene Clavum Imperii tenens Religioni omnibus favit modis; cum enim Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus æger factus, abjecta voluntarie ſede, in Fori monaſterio ſeceſſiſſet, Irene ad ipſum concurrens & facti novi ſciſcitans rationem, lacrymabundus exclamavit: niſi cito congregari cures, o Regina, Concilium ad fidem reſtituendam, omnes peribitis. Ergo Tharaſius Imperator factus, adjuvante Irene, ſcripſit ad Adrianum primum pro Concilio congregando; ipſe vero elegit urbem Nicæuam & ibi convenere 350. Patres.

Anno Chriſti 787. habitum eſt illud Concilium, ibi & proſcripta ſunt omnia Iconomachorum Concilia, & reſtitutæ ſunt ſanctæ Imagines.

De geſtis poſt Synodum ſeptimam pro cauſa Sanctarum Imaginum.

PAX Eccleſiæ perduravit uſque ad annum 714. Leo Armenus Imperator a Theodoro Mediſſeno ſeductus renovavit perſecutionem edicto, quo prohibebat Monaſteriorum Præſulibus aliquid pro defenſione ſanctarum Imaginum, aut ſcribere, aut prædicare, cui edicto ignari multi ſubſcripſere, nuſquam vero Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qua de cauſa exul factus eſt, & depulſus ad inſulam Prochoneſam, ipſius loco ſuffectus eſt Theodorus.

Multi quoque alii Catholici exulaverunt ab urbe & a patria, in primis celebris Theodorus Studita, qui in exilio varias ſcripſit Epiſtolas, quibus zelum, & Monachorum & Epiſcoporum accendebat pro defenſione fidei. Interea Theodorus convocato Conſtantinopoli Concilio Nicænum ſecundum proſcribere auſus eſt:

alia

alia vero impia Pſeudoſynodorum dogmata confirmavit.

Anno 820. Michael Balbus Leonis Imperatoris ſucceſſor, fidei ſpeciem præ ſe ferens exules primum revocavit, ſed anno 823. Copronymi inſiſtens veſtigiis ſicut Theodorum Studitam ſic & Methodium, in exilium mittit. Illum vero in Inſula Acritæ in carcerem detrudi juſſit, qui, ſedata tempeſtate, Eccleſiam ſumma cum laude Conſtantinopolitanam gubernavit.

Theophilus, mortuo patre, imperans præ cæteris ſæviit in ſanctas Imagines, quas a parietibus avelli, & earum loco ad delendam memoriam, avium & quadrupedum figuras depingi voluit. Tunc Lazarus Monachus egregius pictor, admotis ad duas manus laminis ardentibus, crudele ſubiit martyrium, qui tamen Theodoræ Imperatricis precibus deductus eſt in refrigerium: ſed reddita Eccleſiæ pace, idem Lazarus manibus licet veluti impotens, nihilominus non ſine miraculo mirabilem Salvatoris pinxit Imaginem; Methodius vero avulſis dentibus juſſu Imperatoris incluſus eſt in ſepulchro duorum Latronum, quorum ſœtor per ſeptem annos mortem in eo exercebat perpetuam, donec ipſe Imperator eum ad ſe revocaverit, ut ei difficultates quas in intelligentia Scripturarum ſanctarum, quarum lectione delectabatur, exponeret.

Michael ſucceſſit patri: Theodora vero ejus mater ſupra modum Catholica & prudens, imperium regebat cum illo, ſed ipſe annos tantum quatuor natus obiit. Tunc pia mater, adjuvante Theophilo, aliiſque Catholicis Imperii Proceribus, reſtituit ſanctas Imagines, & Concilio Conſtantinopoli adunato, omnia Pſeudoconcilia proſcripta ſunt, Heraclius Pſeudopatriarcha exauctoratus & Magnus Methodius ipſius loco omnium applauſu ſuffectus eſt: igitur anno 841. cuncta ad priſtinum ſtatum feliciter redière, quocirca in perpetuam rei memoriam Feſtum annuum ſub nomine Orthodoxiæ reſtitutæ inſtitutum eſt.

Theophilo imperante Antiochiæ, Claudius Taurinenſis Epiſcopus in Occidente ſacras Imagines impugnavit, poſtea vero ſedente Innocentio III. in Cathedra Petri circa annum 1212. Albigenſes, ut ſcribit Claudius Couſſodius lib. contra Valdenſes, articulo ult. imagines Sanctorum deformes in earum deriſum depingebant an. 1372. Vicleſus, referente Thoma Valdenſe, debacchatus eſt adverſus ſanctarum Imaginum cultum, quem poſtea acrius impugnarunt eius Diſcipuli, ſed maxime Hieronymus a Pragi, qui imaginem Jeſu Chriſti dejecit, & ſtercore fœdavit: cum tamen ipſe coleret & adoraret in ſuo cubiculo figuram Vicleſi diademate coronatam. Ita refert Coclæus in hiſtoria Huſſitarum. Denique poſthumis temporibus hunc fœtidum errorem ex inferis revocavit Andreas Carolſtaldius, ut idem Coclæus in vita Lutheri ſcribit. Factum quidem non improbavit Lutherus, ſed quod propria auctoritate, non petita ab ipſo licentia, hoc feciſſet increpavit. In eumdem impegerunt errorem Zuinglius, Magdeburgenſes, Calvinus, ejuſque aſſeclæ.

Hi ſunt qui ſacrarum Imaginum uſum, & cultum impugnarunt, licet non eodem modo omnes. 1. Judæi illas ut idola reiiciebant, male interpretantes illud Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*. Quod dictum erat ſolum per oppoſitionem ad Paganos, qui divinitatem in operibus manuum hominum venerabantur. 2. Aliqui cum Calvino lib. 5. Inſtitutionum, c. 2. Imagines Chriſti & Sanctorum domi vel alibi habere permittunt, ſed hoc ſolum propter hiſtoriam rerum geſtarum, hinc eas in Templis collocandas eſſe negant: Lutherani vero etiam in Templis collocari ſinunt, ita tamen ut aliqua non donentur veneratione religioſa, ſed ad ſummum cultu mere civili efficiantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum humanitas Chriſti ut Verbo unita adoranda ſit? utrum Beata Virgo & Sancti colendi ſint?

ANTEQUAM ad ſingularia deſcendamus, notandum eſt. 1. Nomen adorationis ortum ducere ſecundum quoſdam a Verbo *ador*; quæ quidem vox ſignificat ſpeciem quandam frumenti in ſacrificiis adhibitam; ſecundum alios a vocabulo *oro*, quatenus oratio ſemper comitabatur ſacrificium: ſecundum Græcos a

Digitized by Google

voc e προσκυνέω, ideſt, oſculor, quia antiqui deoſculabantur manus Principum ad quos accedebant, & hoc cum inclinatione corporis verſus terram: ſic mulier Thecuita acceſſit ad David illum adorans, & orans pro vita Abſalon; ſed quocumque modo ſumatur verbum, adoro, ſignificat ſemper cultum honorificum alteri exhibitum propter ipſius ſupra alios homines excellentiam; nunc vero uſus invaluit ut ſumatur pro cultu debito & Deo, & Sanctis: adoratio ſic ſumpta definitur actus a voluntate elicitus quo quis alteri ſe ſubjicit propter ejus excellentiam & ſubjectionis extrinſeca exhibet ſigna. Ita D. Thomas 2. 2. q. 84. art. 2. Dicitur actus voluntatis, quia eſt amor perfectionis in ſubjecto relucentis, præſuppoſitive tamen eſt ab intellectu, nihil enim volitum quin præcognitum, ex trito axiomate. Motivum cultus eſt excellentia objecti; terminus, ipſa perſona honoranda: porro cultus ille non conſiſtit principaliter in intellectu, quandoquidem multi cognoſcunt excellentiam alterius, & tamen præ invidia illum flocci faciunt: neque etiam abſolute ſitus eſt in ſignis exterioribus; Angeli enim adorant Dominum & tamen carent ſenſibus; in hominibus tamen utrumque eatenus includit, quatenus ſubjecti Deo ſumus & quoad animam & quoad corpus. 3. Reg. 19. Sermo fit de adoratione cum oſculo manuum: Eſther 3. Cum inclinatione genuum: Exodi 12. Cum incurvatione totius corporis: & lib. 2. Reg. David ſedens adoravit Dominum: Iſaiç 49. Refertur quoſdam Reges ſtando adoraſſe Deum; quem adorationis modum olim ſervavere Chriſtiani in Eccleſia a Paſchate uſque ad Pentecoſten in ſignum Reſurrectionis Chriſti.

Notandum eſt 2. duplicem eſſe adorationem; alteram abſolutam, qua quis propter intrinſecam excellentiam adoratur; alteram vero relativam, qua adoratur propter excellentiam alterius quem repræſentat: ſic imagines coluntur propter Sanctos quos repræſentant. Item adoratio triplex eſt, latriæ ſcilicet, hyperduliæ & duliæ. Latriæ a verbo Greco λατρεύω dicta, ideſt famulor: ſoli Deo debetur propter infinitam excellentiam. Duliæ a verbo δουλεύω, ideſt ſervio, ſic nuncupata, Sanctis propter excellentiam Dei participatam redditur. Hyperduliæ a verbo ὑπὸ, ideſt ſupra, nominatur; & debetur Sanctiſſimæ Virgini propter ſuam ſupra reliquos Sanctos excellentiam.

Rurſus. Adoratio duplex ſecernenda eſt, altera ſtricte, altera late dicta. Prior eſt cultus quo creatura rationalis ſummum Dei agnoſcit in ſe dominium, ſuamque in omnibus dependentiam: poſterior vero eſt reverentia alicui exhibita creaturæ quatenus participat Dei bonitatem & ſanctitatem. Denique adoratio una eſt interna quæ in actibus interioribus ſita eſt, alia externa quæ extrinſece exprimitur, & manifeſtatur; tertia mixta quæ actus internos & externos complectitur: quia vero diverſam importat erga diverſos rationem adoratio, idcirco non univoce prædicatur de Deo & Sanctis.

CONCLUSIO PRIMA.

Humanitas Chriſti verbo unita adoratione latriæ adoranda eſt, ſecundum ſe vero ſpectata, hyperduliæ.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

NOn unus aut alter ſed multiplex Scripturæ ſacræ textus aſſertionis probat veritatem. Matth. 2. de Magis Chriſtum colentibus habetur: *Et procidentes adoraverunt eum*. Joan. 9. 34. *Et procidens adoravit eum*. Hæc de cæci illuminati grato erga Chriſtum animo leguntur. Rurſus Heb. 1. Apoſtolus de Jeſu loquens, ait: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*. Igitur humanitas ut verbo unita cultu latriæ donanda eſt: maxime vero quia humanitas a Verbo in quo ſubſiſtit non ſeparatur, juxta illud S. Damaſceni effatum de Filio Dei, *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*.

Secundo, *Ex Conciliis*.

Beatus Cyrillus anathematiſmo 8. approbato in Concilio Chalcedonenſi, act. 5. damnat dicentes hominem aſſumptum coadorari ut alterum a Verbo: in 5. generali, collat. 8. can. 9. habetur: *Si quis duas adorationes introducit, & non una adoratione Verbum incarnatum cum ejus*

carne

Digitized by Google

carne adorat, juxta quod ſancta Dei Eccleſia ab initio traditum eſt, anathema ſit. Idem habetur in Trid. ſeſſ. 5. & can. 6. ubi præcipitur Euchariſtiam adorari. Unde ſic argumentor: Chriſtus unica adoratione adoratur: igitur ut homo unitus Verbo adoratur cultu latriæ.

Tertio, *Ex Patribus.*

S. AMBROSIUS lib. 3. de Spiritu ſancto exponens illa verba Pſal. 108. *Adorate ſcabellum pedum ejus*: & S. Auguſtinus ſuper eadem verba docent per ſcabellum & terram, intelligi carnem Chriſti. Igitur ex Patribus humanitas ſancta ut Verbo Divino unita, cultu latriæ donanda eſt.

Quarto, *Ratione.*

CHRISTUS ſecundum ſe eſt adorandus: ſed Chriſtus eſt Deus & homo: ergo ut Homo unitus Verbo adorandus eſt cultu latriæ, & ad hoc ſufficit ut humanitas intrinſece ſubſiſtat Verbo.

Probatur 2. pars concluſionis. Humanitas in abſtracto & ſecundum ſe conſiderata abſtrahit a Verbo: igitur ut ſic adoranda eſt ſolum cultu hyperduliæ, quia in illa relucet excellentia omnem creaturæ excedens perfectionem.

CONCLUSIO SECUNDA.

Beatiſſima Virgo cultu hyperduliæ colenda eſt, Angeli vero & Sancti cultu duliæ venerandi ſunt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

GENESEOS 18. & 19. Abraham & Loth adoraverunt Angelum. Num. 22. Balaam adoravit Angelum quem vidit ſtantem in via, evaginato gladio. Joſue 5. habetur: *Cum videret Joſue virum ſtantem evaginato gladio, ſic eum affatus eſt: noſter es, an adverſariorum? Cui reſpondit nequaquam, ſed Princeps ſum exercitus Domini, & continuo cecidit Joſue pronus in terram, & adoravit.* 1. Reg. 28. Saul adoravit Samuelem redivivum, nec propter hoc reprehenſus eſt. 3. Reg. 18. Abdias adoravit Eliam, & 4. Reg. filii Prophetarum adoraverunt Eliſæum. Igitur Beatiſſima Virgo & Sancti colendi ſunt.

Secundo, *Ex Conciliis.*

CONCILIUM Turonenſe primum anno 461. celebratum decreta ſua ſic concludit: " Et humilitatis noſtræ conſti-,, ſtitutio, ut adjuvante Domini miſeri-,, cordia, valeat cuſtodiri, Sancti, ac ,, beatiſſimi Sacerdotis Domini Martini, ,, quæ Deo accepta eſt, obtinebit inter-,, ceſſio.,,

Septimum generale actione quarta in decreto fidei ſancivit, venerandos eſſe Sanctos omnes. " Et eorum interceſſiones ,, poſtulandas, utpote quæ nos conciliare ,, poſſint ſummo Regi univerſorum Deo.,, Sacra Synodus Tridentina ſeſſ. 25. ait atque definit Sanctos eſſe colendos.

His accedit quod ſanctus Joannes Chryſoſtomus in ſua Liturgia pag. 302. ait: " In odorem & memoriam ſuperbene-,, dictæ glorioſæ Dominæ Dei Geni-,, tricis, & ſemper Virginis Mariæ: ,, cujus interceſſionibus ſuſcipe, Domi-,, ne, ſacrificium hoc, in ſupercæleſte ,, tuum altare.,,

Tertio, *Ex Patribus.*

S. JUSTINUS apolog. 2. ſic loquitur: " Deum & ipſius Filium, exercitum An-,, gelorum, & Spiritum Prophetarum co-,, limus.,, S. Gregorius Nyſſenus idem docet orat. de S. Theodoro Martyre. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Julianum, ſic ait: " Nos non Deos factos eſ-,, ſe dicimus ſanctos Martyres, ſed omni ,, honore dignari conſuevimus.

Divus Auguſtinus ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo, ſic intonat: " Beatiſſimum Pe-,, trum Piſcatorem modo, genibus provo-,, lutis, adorat gentium multitudo: ,, ergo, &c.

Succinit S. Ambroſius ſermone 14. de ſancto Nazario & Celſo, his verbis: " Ho-,, noro ergo in carne Martyris exceptas ,, pro Chriſti nomine cicatrices: honoro ,, viventis memoriam perennitate virtu-,, tis: honoro per confeſſionem Domini ,, ſacratos cineres.,,

Suum addit calculum S. Gregorius Magnus homilia 8. in Evangelia, his ver-

Digitized by Google

bis: " Quos prius infirmos objectoſque deſ-
" pexerat, jam ſocios venerantur, *An-*
" *geli*, hinc eſt enim quod Loth & Joſue
" Angelos adorant, nec tamen adorare
" prohibentur, Joannes vero in Apoca-
" lyp. ſua adorare voluit. &c. " Quibus verbis S. Gregorius docet Sanctos, tametſi antea in terra humiles, atque abjectos, colendos tamen eſſe cum Angelis quibus in beatitudine conſociantur.

Quarto, *Idem ratione probatur.*

PRINCIPES & Magiſtratus ſuas propter dignitates ſpeciali honore donantur inter homines: ſed Beatiſſima Virgo & Sancti majorem promerentur honorem: Lucæ enim 22. Chriſtus dicit Apoſtolis: *Diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum ut ſedeatis ſuper Thronos judicantes duodecim Tribus Iſrael.* Et Apoc. 3. *Qui viceris, dabo ei ſedere mecum in Throno.* Et illud Pſalm. 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Igitur colendi ſunt Sancti: hoc ipſum probat Traditio: Primis quippe ſæculis fideles Martyrum ſepulchra & inviſere & venerari ſolebant.

Dixi Beatiſſimam Virginem adorari debere cultu hyperduliæ; cum enim ſit Mater Dei, cum ſit plena gratiæ, Regina Angelorum, Fidelium omnium Mater & refugium, habet excellentiam qua omni puræ creaturæ ſicut in virtute, ita & in meritis atque in ſanctitate ſuperemi-net.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES 1. contra primam concluſionem, Solus Deus adoratur cultu latriæ: ergo Chriſtus ut homo non poteſt ſic adorari. Confirmatur: ſoli Deo debetur ſacrificium: igitur & adoratio.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Solus Deus adoratur tanquam objectum motivum, quia in illo ſolo relucet excellentia infinita, concedo: ut objectum terminativum, nego. Adoratio enim poteſt extendi ad humanitatem ſanctam, ut in Verbo divino & per Verbum ſubſiſtentem.

Ad confirmationem, nego paritatem; ratio diſcriminis ea eſt, quod ſacrificium debeatur ſolum Enti ſupremo formaliter ut independenti, ſecus adoratio; poteſt enim ſeſe extendere ad partem quæ unitur formaliter & intrinſece Deo; unde quando S. Athanaſius lib. 1. de Incarnatione, dicit corpori Chriſti ſacra offerri, per ſacra non intelligit ſacrificia, ſed ſolummodo ſigna externa adorationis.

Dices: Humanitas ſecundum ſe eſt humanitas Chriſti: ergo ſi adoratur, debet adorari cultu latriæ.

Reſpondeo diſtinguendo: Si humanitas conſideretur ſub iſta reduplicatione, concedo. Sic enim eſt humanitas unita Verbo, quod Chriſtus in ſuo importat conceptu: ſi ſecundum ſe, & pure in abſtracto concipiatur, nego. Sic enim adoratur tantu cultu hyperduliæ: ſed iſta abſtractio nunquam facienda eſt.

Oppones adverſus ſecundam concluſionem. Deuter. 6. habetur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* Eſther. 13. Mardochæus noluit ſe inclinare coram Aman: *Ne*, inquit, *honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Matth. 14. Chriſtus reſpondit Tentatori: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Act. 10. Cum Cornelius Petrum adorare vellet, prohibuit Apoſtolus dicens: *Surge, & ego ipſe homo ſum.* Ibidem c. 14. Paulus & Barnabas prohibuerunt Licaonibus ne illos adorarent: & Apoc. 19. Angelus dixit Joanni volenti illum adorare, *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum.* Ergo ſolus Deus adorandus eſt & colendus, nuſquam vero Sancti.

Reſpondeo diſtinguendo: ſolus Deus debet adorari cultu latriæ & rigoroſo, concedo; latria enim dicit ſervitutem mancipalem & omnimodam in adorante. Ita Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum, c. 2. ubi mentionem facit de latria quoad nomen, & de dulia quoad rem; quæ voces aſſumptæ ſunt, inquit, propter penuriam vocum ad utrumque cultum diſtinguendum, & ſignificandum, unde allucinantur hæretici dicentes utrumque cultum eſſe noviter adinventum: ſolus Deus adoratur abſolute, nego. Sancti enim adorantur cultu duliæ qui quidem procedit a virtute religionis, & ordinatur ad Deum ut auctorem gratiæ, ſicque diſtinguitur ab adoratione civili, qua Jacob, v. g. dicitur adoraſſe Eſau fratrem ſuum. Latria vero immediate elicitur a fide & charitate, quæ imme-

dia-

diate reſpiciunt Deum ut ſupremum Dominum.

Jam ad ſingula reſpondeo : ad primum diſtinguo : *Soli Deo ſervies* cultu latriæ, concedo : cultu duliæ qui dicit famulatum ut ſic, nego.

Ad D. Matthæi auctoritatem eadem eſt reſponſio : ad Mardochæum, diſtinguo : noluit ſe inclinare per timorem, concedo : quia non poterat in conſcientia facere, nego. Poterat quippe cultu mere civili illum venerari principem : quidam Hebræi contendunt quod Aman ferebat in pectore idolum textile, ut inclinantes coram ſe, idolum adorarent : unde Mardochæus juſte noluit hoc ei præſtare obſequium.

Ad Petrum reſpondet Chryſoſtomus illum per humilitatem noluiſſe acceptare honorem. Ad Paulum & Barnabam dico debuiſſe rejicere cultum, quia Gentiles volebant illis divinos offerre honores, ſic enim habetur : *Dii ſimiles hominibus facti deſcenderunt ad nos*, hinc tauros atque coronas afferentes illis ſacrificare volebant.

Ad ultimum hæc eſt reſponſio. Angelus recuſavit adorationem etiam per modum cultus duliæ ei oblatam, ut ſignificaret quantam dignitatem acceperat natura humana per Incarnationem : ita Gregor. Homil. 8. in Evangelia.

Inſtabis. Ad Coloſſenſes. 2. ſic loquitur Apoſtolus. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in argumentum Dei*. Quibus verbis prohibet S. Paulus colere Angelos.

Reſpondeo diſtinguendo : Angelos malos & genia non oportet colere, concedo. Bonos, ſubdiſtinguo : cultu latriæ & per excluſionem a Chriſto, concedo : cultu duliæ & religioſo, nego. Judæi adorabant malos Angelos & genia, ſicut Platonici : quidam etiam bonos tanquam mediatores per excluſionem a Chriſto, & hanc religionem confutat Apoſtolus, dicens Chriſtum illam exterminaſſe ; immediate enim ante verba in objectione laudata, dicit de Chriſto : *Expolians Principatus & Poteſtates* : increpat vero alios qui agnoſcunt Angelos ut Deos minores, his verbis : *Non tenens caput ex quo totum corpus, &c.* Ita Apoſtolum interpretatur S. Hieronymus. S. Chryſoſtomus hom. 7. ait Simonem Magum, Menandrum, & Cerinthum multa deliria ex Schola Platonis deprompta docuiſſe de Angelis.

Inſiſtes : Theodoretus in Comment. in textum Apoſtoli, ſic loquitur : *Qui legem defendebant*, ideſt Judæi de novo converſi ad fidem, *eos etiam ad Angelos colendos inducebant*, dicentes : *Legem fuiſſe datam. Manſit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Piſidia, proinde Synodus quæ convenit apud Laodicæam Phrygiæ, lege prohibuit, ne precarentur Angelos*. Ergo ex Theodoretus non ſunt colendi Angeli.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens : Angeli non ſunt colendi modo ſuperſtitioſo & eis offerendo ſacrificium, ut quidam populi ſancto Michaeli offerebant juxta ſuperſtitionem Judæorum, vel excludendo mediationem Chriſti, concedo : cultu debito & ordinato, nego. Solutio eſt ipſius Concilii Leodiceni quod can. 35. ſic loquitur : *Non oportet Eccleſiam Dei relinquere, & abire, atque Angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens, ſit anathema, quia Dominum Jeſum Chriſtum dereliquit*. Theodoretus & alii quidam Patres cultum Angelorum debellantes, eodem modo explicandi ſunt ; ſcribunt enim contra eos qui errore Judæorum, Cerinthi & Simonis decepti, altaria Angelis tanquam Diis erigebant.

Perſiſtes : Adrianus Papa in ſua ad Conſtantinum & Irenem Epiſtola ſic ſcribit de cultu SS. *Qualis iſte eſt adorationis honor ? Profecto non alius quam is quo nos peccatores quoque invicem proſequimur ſalutantes*. Ergo ſolum cultu civili SS. colendi ſunt, non enim alio donantur cultu viatores. Confirmatur : non eſt de fide Sanctos tales eſſe in cælo : ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo : Sancti cultu civili elevato per religionem colendi ſunt, concedo : naturali tantum, nego. Adrianus autem comparat cultum SS. cultui viatorum ſolum ſecundum litteram, & ut oſtendat cultum latriæ ſoli Deo eſſe debitum.

Ad confirmationem, diſtinguo : non eſt de fide divina tales vel tales qui in albo

Cc 4 Sancto-

Sanctorum poſiti ſunt, eſſe in cælo, concedo: de fide Eccleſiaſtica, nego. Dupliciter aliquid eſſe de fide contingit; primo quidem quando aliquid eſt immediate revelatum, ut ea omnia quæ in divinis continentur Scripturis: alio modo cum Eccleſia quæ eſt in ſuis definitionibus, circa puncta Religionem ſpectantia, infallibilis proponit ut quid certum & pie credendum, quod quidem fides Eccleſiaſtica recte nuncupatur. Talem juſtum eſſe in cælo non eſt de fide divina, niſi hoc ſit in Scriptura declaratum, bene tamen de fide Eccleſiaſtica ſi pro iſto momento accedat Eccleſiæ decretum & conſenſus, ut fit in canonizatione Sanctorum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

1. *Sancta humanitas ut divino unita Verbo colenda eſt cultu latriæ*. 2. *Sancti cultu duliæ*. 3. *Beatiſſima Virgo cultu hyperduliæ*.

PRIMUM patet, quandoquidem Chriſto debetur cultus latriæ: Eum quippe & Angeli, & Magi, & Apoſtoli ſic adoraverunt, quippe qui ſit Deus: porro Chriſtus neque Deus ſolum, neque homo tantum, ſed Deus ſimul & homo; ipſa vero ſancta humanitas ſubſiſtit intrinſece ſubſiſtentia Verbi: ſi tamen eam quis ut a Verbo abſtractam, & ſecundum ſe illam conſideraret; ſub iſto Metaphyſico reſpectu nonniſi cultu hyperduliæ donanda foret.

Secundum utique claret, cum & Abraham & Joſue adoraverint Angelum; hoc eſt cultu duliæ coluerint. Etvero Sancti ſpecialem habent ad Deum per gratiam conſummatam relationem, quocirca cultu religioſo colendi ſunt. Hoc ipſum definierunt Concilium Turonenſe, & ſeptimum Generale: hoc probat uſus perpetuus, cum primis ſæculis Chriſtiani accederent ad Martyrum ſepulchra, ut fidei generoſos Heroes venerarentur.

Tertium pari facilitate demonſtratur. Enimvero B. Virgo propter maternitatem divinam & in gratia, & in virtute ſicut & meritis ſupra cæteros eminet Sanctos, immo & ſupra Angelos quorum eſt Regina: igitur cultu hyperduliæ, hoc eſt cultu duliæ eminentiſſimo propter ſuam ſupra omnes Sanctos excellentiam donari debet.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

PRIMO. Quum Scriptura dicit, *ſolum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies*, unum ſolummodo intendit, videlicet ſolum Deum cultu latriæ, eoque abſoluto eſſe adorandum, nuſquam vero excludit cultum duliæ pro Sanctis; non enim ſemel indigitat illos eſſe honorandos.

Secundo, Nonnumquam prohibent PP. colere Angelos, ſed intellige cultu latriæ, & eis offerendo ſacrificia, vel etiam eoſdem habendo ut mediatores.

Tertio. Adrianus Papa Sanctos quidem præcipit coli cultu civili, ſed per religionis virtutem elevato.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Reliquiæ Sanctorum venerandæ ſint.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Reliquiæ Sanctorum venerandæ ſunt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex veteri Teſtamento*.

EXODI 13. habetur: quod Moyſes egrediens de Ægypto tranſtulerit oſſa Joſeph, de quibus Eccleſiaſtici 49. dicitur: *Oſſa ejus viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt*. Rurſus 4. Reg. 13. 21. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei; quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo*. Et iterum Pſal. 33. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex eis non conteretur*. Quibus poſitis ſic argumentari fas eſt. Illorum Reliquiæ cultu religioſo donandæ ſunt, quas Juſti viatores, inſpirante Domino, venerati ſunt: quas ipſe Deus ſpecialiter protegit & cuſtodit, quibus utitur tanquam inſtrumentis ad magna patranda miracula: atqui res ſic ſe habet. Igitur Reliquias Sanctorum & venerari, & colere debemus.

Secun-

Secundo. *Ex Novo Teſtamento.*

ACT. 19. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Ibidem c. 5. *Ut veniente Petro ſaltem umbra illius adumbraret quemquam illorum ut liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Certe ſi ipſa linteamina quæ corpus S. Pauli tetigerant, immo ipſa B. Petri umbra ægrotos adumbrans ſanitatem eis reddebant; citra dubium eſt Reliquias Sanctorum ſummopere eſſe venerandas.

Tertio. *Ex Traditione.*

EX ANTIQUA habemus traditione Fideles ad ſepulchra Martyrum oraturos & eorum invocaturos ſuffragia abiiſſe: in Epiſtola Encyclica Smyrnenſis Eccleſiæ de Martyrio S. Polycarpi mentio fit de veneratione Reliquiarum. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. loquitur de Miraculis ex contactu oſſium Eliſæi Prophetæ patratis. Eandem venerationem prædicat Baſilius Homil. in Pſal. 115. ſuper illa verba: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*, ubi ſic habet: *Si quis tetigerit cadaver (intellige in veteri lege)* " immundus erit, nunc
„ e diverſo Martyris oſſa quiſquis teti-
„ gerit, ob gratiam corporis incidentem,
„ fit quadantenus ſanctificationis parti-
„ ceps. „ Igitur Reliquiæ Sanctorum colendæ ſunt.

Hoc ipſum docent Gregorius Nyſſenus Orat. de 70. Martyribus. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. contra Iulianum. Chryſoſtomus Orat. de S. Ignatio Martyre: Theodoretus Serm. 8. contra Græcos: Hieronymus Epiſt. 53. ad Riparium Presbyterum: Ambroſius de Inventione corporum S. Gervaſii & Protaſii, quæ multa tunc patravere miracula; quæque Auguſtinus lib. 9. Conf. c. 7. ſe vidiſſe teſtatur; S. Doctor lib. 22. de Civit. Dei refert Reliquias S. Stephani Protomartyris in Inventione & Translatione multa patraſſe prodigia: idem refert Evagrius de Reliquiis S. Simeonis Stilitæ, quando Antiochiam translatæ ſunt. Caput, inquit, omnibus adornatum capillis, dentibus ſtipatum, pelle coopertum rugoſa perinde ac ſi virens adhuc fuiſſet: cum autem Leo Magnus Imperator ſacrum pignus depoſceret, rogaverunt ipſum Antiocheni ut pro ſeipſis intra ſepta mœnium remaneret, quod ultro eis conceſſum eſt l. 10. Hiſt. Eccleſ. c. 13.

Juvat antiquos textus Patrum hic referre. Hieronymus in Epiſtola 17. " Et
„ Martyrum, inquit, ubique ſepulchra
„ veneramur. „

Chryſoſtomus Hom. 66. de Sancta Pelagia: " illuſtrius, ait, eſſe Palatiis Re-
„ giis omnium judicio ſupulchrum illud,
„ in quo ſitum eſt corpus ejuſmodi, quod
„ cum virtute, pietateque vixit. Atque
„ hujus rei teſtes vos eſtis, qui divitum
„ ſepulchra, quamvis aureis ornata pal-
„ liis, tanquam ſpeluncas, prætervola-
„ tis: ad hanc vero ſanctam cum ingen-
„ ti alacritate concurritis: quoniam mar-
„ tyrio & confeſſione, ac virginitate,
„ pro aureis veſtibus, ſemetipſam velut
„ ad funebrem apparatum componens,
„ inclyta Martyr exceſſit. „

Prudentius in triumphis Martyrum, ſic loquitur in hymmo primo de SS. Hemiterio, & Chelidonio Calaguritanis.

> *Pollet*, inquit, *hoc felix per orbem terra Ibera ſtemmate.*
> *Hic locus dignus tenendis oſſibus viſus Deo,*
> *Qui beatorum pudicus eſſet hoſpes corporum,*
> *Hic calentes hauſit undas corde tinctus duplici:*
> *Illitas cruore ſancto nunc arenas incola*
> *Confrequentans obſecrantes voce votis, munere.*

Ambroſius Sermone 14. de SS. Nazario & Celſo. De Reliquiis Corporum agens ait. " Honoro ergo in carne Martyris
„ exceptas pro Chriſti nomine cicatri-
„ ces &c. „

Quarto, *Ex Conciliis.*

CARTHAGINENSE 5. can. 4. ſtatuit ne altaria abſque Reliquiis SS. Martyrum extruantur & conſecrentur. Generale

7. Act.

7. Act. 3. definit Reliquias Sanctorum multa a Deo obtinere beneficia : eis vero illudeutes, ſi Epiſcopi ſint, deponi vult: ſi vero Monachi vel Laici communione privari jubet. Ergo &c.

Quinto. *Ex ipſis Eccleſiis Orientalibus*.

PRIMO quidem ab omni tempore Patriarcha Alexandrinus S. Marci Reliquias toto populo venerandas exponebat, & Feſtum pro hoc momento tribus diebus continuis celebrabatur, ut legitur in Pontificali Copticarum Ebenaſſal & Abulbircar. Qui quidem cultus non obſtante Mahumetarum perſecutione apud illos Chriſtianos perſeveravit.

Hoc ipſum demonſtratur ex Calendario Eccleſiæ Copticarum in quo quidem multa Feſta Sanctorum relative ad eorum Reliquias magno celebrantur apparatu, die 16. menſis Toth qui eſt apud eos annus primus. Inventionem oſſium S. Joannis Baptiſtæ celebrant die 18. Etiam Inventionem Reliquiarum S. Thomæ pari habent cultu apud Alexandriam : die 19. ejuſdem menſis diem Feſtum agunt de Inventione oſſium S. Ignatii Martyris : die 29. eodem celebranr ritu depoſitionem capitis S. Ioannis Baptiſtæ : aliis menſibus ſimilia in honorem Reliquiarum Sanctorum percelebrant Feſta; ut fuſo calamo ſcribit D. Abbas Arnodotius tomo 5. perp. fidei lib. 7. cap. 4.

Inter omnia argumenta pro fide Orientalium circa venerationem Reliquiarum Sanctorum eſt teſtimonium Simeonis Teſſalonicenſis, qui inter Græcorum celebriores Theologos annumeratur : ille autem in 1. Tractatu inter omnia omnipotentiæ argumenta in capite ponit miracula quæ Reliquiis Sanctorum non ſemel patrata ſunt. pag. 12. Sic loquitur : " Miracula quæ fiunt Reliquiis Sanctorum, quæ ipſi iidem Impii, quorumque veritatem coguntur agnoſcere. " In Tractatu Dedicationis Eccleſiarum diſertum habet ſermonem de Sanctorum Martyrum Reliquiis quæ intra altare obteguntur pag. 120. 121. Rurſus cap. 125. pag. 124. & 164.

Hanc ſane doctrinam acceperunt Orientales ab antiquis Patribus Græcis eandemque uſque ad noſtra tempora firmiter tenuerunt & tenent. S. Chryſoſtomus tom. 5. ait Reliquias S. Ignatii Martyris eſſe gratiarum Theſauros pro iis qui cum fide illas venerantur, Gregorius Nyſſenus Homil. 8. ad populum Antiochenum, Iſidorus Peluſiota Epiſt. 55. & 189. Theodoretus quæſt. 83. & alii permulti Græci mira de cultu Reliquiarum Sanctorum & docent & referunt : Igitur abſque fundamento & univerſam adverſus Traditionem Proteſtantes cultum oſſium Sanctorum exſufflaverunt.

Sexto. *Ratione*.

PRIMA ſic deducitur. Quod ipſe Deus glorificare decernit, & veneratione & cultu religioſo donandum eſt : atqui Deus optimus maximus corpora Sanctorum tametſi in pulverem reducta glorificare ſtatuit. Igitur Reliquiæ Sanctorum, eorumque corpora venerari debemus.

Secunda : Quod habet relationem intrinſecam & eſſentialem ad animam beatam, quod illi conjungi debet ut vita vivat æterna, citra dubium coli debet cultu relativo ad animam, qui ad Deum ultimate terminetur : atqui oſſa Sanctorum habent relationem intrinſecam ad animam, & ei conjungi debent, ut in æternum cum illa vivant. Ergo &c.

Tertia : quod fuit iterato Sacramentorum uſu conſecratum, veneratione digniſſimum eſt : atqui corpora Sanctorum fuerunt Sacramentorum uſu non ſemel conſecrata : igitur cultu religioſo donanda ſunt.

Quarta : Templum Spiritus Sancti ea qua par eſt reverentia colere ſicut conveniens, ſic & juſtiſſimum eſt. Sed corpora & oſſa Sanctorum fuerunt Spiritus Sancti Templum, quod quidem violare nefas eſt, immo licet ab anima ſint ſeparata, ſunt tamen hujuſce Templi reſtaurandi pretioſæ partes. Ergo &c. hæc ratio ex Apoſtolo Cor. 3. 16. colligitur; ait enim : *Neſcitis quia Templum Dei eſtis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*.

Quinto. Totus homo, ſi ſanctus eſt, & in bono per gloriam animæ confirmatus, veneratione dignus eſt : ſed Reliquiæ ſunt aliquid Sanctorum, quandoquidem homo ex anima & corpore conſtat, atque componitur. Ergo &c.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Deuter. 1. Deus præcipit corpus Moyſis abſcondi ne colatur a Judæis: Matth. 25. Chriſtus ſic increpat Phariſæos, his verbis: *Væ vobis, Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum & ornatis monumenta Juſtorum.* Ergo Reliquiæ Sanctorum non ſunt colendæ.

Reſpondeo diſtingnendo conſequens: Reliquiæ SS. non ſunt colendæ cultu latriæ & per idololatriam, vel etiam vanæ gloriæ motivo, concedo: cultu religioſo & ordinato, nego. Quia vero Judæi erant ad idololatriam propenſi, noluit Deus conſulens eorum fragilitati, eos ſcire ubi eſſet corpus Moyſis, ne illud tanquam aliquid divinum venerarentur: Phariſæi autem per hypocriſim, & ad oſtentationem adornabant ſanctorum Prophetarum ſepulchra, ut ab hominibus & juſti & religioſi haberentur. Solutio eſt D. Ambroſii qui in c. 11. Lucæ aſſerit Chriſtum in hoc non cultum ſed vitium reprehendere.

Urgebis: Concilium Eliberitanum Can. 84. & S. Hieronymus ſcribens adverſus Vigilantium prohibent accendi cereos ad Reliquias & ſepulchra Martyrum. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & hoc fecerunt ad ſuperſtitionem impediendam, concedo: damnando cultum ſecundum ſe ſpectatum, nego. Gentiles accenſis facibus animas defunctorum incantationibus advocabant, quas circa ſepulchra circuire putabant: ne igitur Catholici eos imitari viderentur, Patres prohibuerunt ad tempus Reliquiarum SS. cultum: ſic Hieronymus explicandus eſt: enimvero loquitur tantum de illis, qui falſo exiſtimabant luminaribus illuſtrari animas Martyrum. Quod hic ſit genuinus S. Doctoris ſenſus, patet ex objectione Vigilantii, ad quam reſpondet. Eandem propter rationem lib. de idololatria cap. 13. mortuos coronari prohibet, *quoniam*, inquit, *ipſi idola ſtatim fiunt.* Patres primorum ſæculorum quandoque idem prohibuere, ne Chriſtiani aſſimilari viderentur Paganis, qui mortuorum animas ut genia habebant circa cadaver volitantia. Sed, reddita pace Eccleſiæ, 4. ſcilicet ſæculo, modus colendi ordinate Reliquias SS. inſtitutus eſt: immo altaria ab hoc tempore non fuerunt ſine Reliquiis Martyrum conſecrata. Antea autem, propter perſecutiones, res non ſic ſe habebat: hinc diſciplina ſecundum diverſa tempora, & quidem prudenter ac ſapienter diverſa fuit.

Urgebis. Ex corporibus Sanctorum reſtat tantummodo materia, quæ non eſt capax adorationis: ergo Reliquiæ non ſunt colendæ, tum quia plures inventæ ſunt ſuppoſititiæ.

Reſpondeo diſtinguendo: & illa materia pertinet ad Sanctum, dicit enim ordinem & quidem intrinſecum ad animam, concedo: & non dicit, nego. Ad confirmationem dicimus certitudinem moralem de veritate Reliquiarum ſufficere ad illas religioſe colendas, tum quia oratio præcipue dirigitur ad animam & Sanctum: porro Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. jubet omnem adhiberi diligentiam ad diſtinguendum veras Reliquias a falſis. Cæterum Reliquiæ eodem coluntur cultu, quo colitur Sanctus cujus ſunt, quia coluntur ſolum relative & per ordinem ad Sanctum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Reliquiæ Sanctorum cultu religioſo donandæ ſunt.

Primo. Quia eis tanquam inſtrumentis utitur Deus ad patranda miracula: namque contactus corporis Eliſæi Prophetæ, injectum cadaver ad vitam revocavit, & linteamina quæ S. Paulum tetigerant, virtutem ſanandi morbos habebant.

Secundo. Ita declaravit ſeptima Synodus generalis: ita propugnant Ambroſius & Auguſtinus, prior loquendo de Reliquiis Sanctorum Gervaſii & Protaſii, poſterior de inventione corporis Stephani Protomartyris.

Tertio. Ita quoque declarat perpetua Traditio; quandoquidem primis ſæculis Chriſtiani accedebant ad ſepulchra Martyrum, ut eorum venerarentur Reliquias.

SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO. Verum quidem eſt Sanctum Judam in ſua affirmare Epiſtola corpus Moyſis juſſu Dei fuiſſe abſconditum; ſed nihil inde concludendum eſt adverſus Sanctas Reliquias: hoc quippe factum eſt ne Judæi ad idololatriam propenſi, corpus Prophetæ tanquam idolum colerent.

Secundo. Ultro non diffitemur Concilium Eliberitanum & quoſdam Patres prohibere Chriſtianis ne ſepulchra Martyrum frequentarent: ſed hoc ad tempus ſolum fieri volebant, ne Chriſtiani adhærerent ſuperſtitionibus Gentilium, qui eſcas ad ſepulchra mortuorum deferebant, falſo exiſtimantes, per hanc cæremoniam advocari defunctorum animas.

Tertio. Tametſi corpora Sanctorum in pulverem ſint, oſſa tamen eorum & pulvis relationem ad animam, cui iterum conjungi debent, important: & ideo illa oſſa veneranda ſunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Beatiſſima Virgo, Sancti & Beati invocandi ſint.

CONCLUSIO.

Sanctiſſima Virgo, & Sancti invocandi ſunt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex veteri Teſtamento.*

GENESEOS 48. Jacob deprecatur Angelum ut benedicat filiis Joſeph. Exodi 32. Moyſes invocat Deum per Patriarchas, his verbis: *Recordare, Domine, Abraham dilectum tuum, & Jacob ſervum tuum.* Abraham oravit pro Abimelech, & avertit flagellum ab ipſius domo, immo ipſe Deus nonniſi oratione Sancti Job placatur, & tanti viri obtrectatoribus parcit: ipſe hujuſce mediationis eſt & ſuaſor & auctor, ſic enim habetur c. 42. *Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis: Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* Ergo &c.

Secundo. *Ex novo Teſtamento.*

SANCTUS Petrus Epiſt. 2. cap. 1. promittit Chriſtianis quod poſt ſuum e vita mortali diſceſſum pro eis ſupplices apud Deum preces fundet. *Dabo autem operam*, inquit, *& frequenter habere vos poſt obitum, ut horum memoriam faciatis:* Rom. 15. & 1. ad Theſſalon. Apoſtolus fidelium orationes pro ſeipſo fieri expoſtulat. Quid plura adjiciam? Cananæa a Chriſto propulſa confugit ad Apoſtolos quatenus pro ea intercedere dignentur, quod ultro ex charitate ei conceſſerunt, ſic enim habetur Matth. 15. 23. *Et accedentes Diſcipuli ejus, rogabant eum dicentes, dimitte eam; quia clamat poſt nos.* Igitur jure merito Sanctos invocare debemus.

Tertio. *Ex traditione Patrum.*

SANCTUS CYPRIANUS Epiſt. ad beatum Cornelium: hunc beatiſſimum Papam adhortatur, ut ſemper etiam poſt diſceſſum pro Fratribus in Chriſto Jeſu, & Sororibus oret "Si quis iſthinc noſtrum divinæ dignationis celeritate prior deceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio pro fratribus & ſororibus noſtris: apud miſericordiarum Patrem non ceſſet oratio."

Subſcribit S. Hieronymus Epiſt. 53. ad Rip. "Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt, adoremus: honoramus ſervos, ut honor redundet ad Dominum."

Cæteri Patres pari claritate & alacritate in idem conſpirant: quippe qui doceant cultum Sanctorum & debitum eſſe & in honorem Dei in quo terminatur, cedere. A primis ſæculis Fideles ſeſe Martyrum precibus commendabant, eos ſuppliciter deprecantes, ut cum in Cælis coronam acceperint, pro eis apud Deum intercedere dignarentur. Sancta Potamiana uni e ſuis tortoribus promiſit, ſe Deum pro eo deprecaturam: paucis vero elapſis diebus, ipſe poſt Potamianam ſuum pro Chriſto fudit ſanguinem Sanctus Gregorius Nazianzenus ſanctam repræſentat Juſtinianam quæ beatiſſimam Virginem

ginem rogat ut in auxilium cujuſdam puellæ veniat. Quid plura? Patres ubique & paſſim prædicant Sanctos eſſe & debito cultu honorandos, & certa fiducia invocandos. Ita Origenes l. 8. contra Celſum pag. 432. Gregorius Nyſſenus orat. 2. in quadraginta Martyres. Ambroſius in Lucæ caput 20. Chryſoſtomus tom. 5. Hom. 72. pag. 520. Auguſtinus ſerm. 1. de S. Stephano & alii multi apud Petavium l. 1. de Incar. c. 10.

Quarto. *Ex Eccleſiis Orientalibus.*

QUOD ab omnibus Eccleſiis Orientalibus tametſi a Romana Eccleſia divulſis, tenetur, quod ex perpetua atque inviolabili traditione obſervatur; quod in operibus Polemicis, in quibus ſcribentium mens ſeipſam ubique prodit adverſus impugnantes, Theologi pro aris & focis defendunt; quod in libris Eccleſiaſticis, in Ritualibus, in Menologiis ubique ad praxim reducendum proponitur, & pro uſu religioſo atque pio, ſanis regulis ad animarum frugem firmatur, illud profecto abſque & errore, & temeritate, aut negari aut abjici, vel etiam contemni poteſt. Atqui Eccleſiæ Orientales quamvis a Sancta Eccleſia Romana ſchiſmate divulſæ, ſic propugnant Beatiſſimæ Virginis, Beatorum Angelorum, & omnium Sanctorum venerationem & invocationem. Igitur abſque cauſa & fundamento illam rejiciunt Proteſtantes. Igitur ea qua par eſt fide & reverentia Sanctos & venerari, & invocare debemus. Probatur minor quoad omnes partes omni argumentotum genere.

Ex Conciliis.

CYRILLUS Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus pecunia vel aliqua alia victus & captus paſſione, non ſine magno ſcandalo confeſſionem Genevenſem grandi apoſtaſia anno circiter 1636. ſuſcepit. In articulo octavo cultum & Sanctorum, & eorumdem Reliquiarum atque Imaginum abjecit. Sed Eccleſiarum Orientalium Proceres tantum ſcelus tum Synodorum definitionibus, tum doctiſſimis tractatibus inſectati ſunt; quocirca ne quidem levis manet de fide Orientalium ambigendi locus circa iſtud momentum. Ergo &c.

Prima Synodus adunata eſt anno 1638. In ea ſic loquuntur Græci adverſus Cyrillum. " Anathema eo quod in octavo
,, articulo ſubobſcure, immo & mali-
,, tioſe docuerit Sanctos apud Deum pro
,, nobis neque mediatores, neque inter-
,, ceſſores eſſe cum dixit Chriſtum ſolum
,, eſſe mediatorem, ipſique ſoli curam
,, de ſuis eſſe; in quo quidem multa
,, Sancti Spiritus oracula exſufflabat Cy-
,, rillus, cum Deus ipſe dixerit, hanc,
,, propter David ſervum meum, prote-
,, gam Urbem. Tres pueri in Fornace
,, ſic eloquuntur. Ne nos Domine dere-
,, linquas propter Abraham dilectum tuum,
,, Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum
,, tuum. Petrus quoque ait 2. Epiſt. 1. 19. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* " Sed quomodo curam de
,, his habuiſſet, niſi apud Deum interce-
,, dendo, & illum pro illis deprecando? ,,

Altera Synodus anno 1642. non abſimili modo propter eoſdem errores perſtringit Cyrillum his verbis. " Eo quod iſto ar-
,, ticulo interceſſionem Sanctorum, &
,, beatorum Angelorum, immo & pre-
,, ces atque orationes Sacerdotum quæ in
,, univerſa funduntur terra, ubi ſervatur
,, Eccleſia, explodat. ,,

Eodem prope ſtilo ſeſe explicant Orientales Epiſcopi in Confeſſione orthodoxa, quam ad hunc effectum, videlicet ad debellandum Cyrilli octavum articulum, compoſuere: *Omnes orthodoxi ſanctiſſimam debent venerari Virginem Matrem Dei, qui illam dignam fecerat, ut in ipſa Incarnationis adimpleretur myſterium: qua quidem ratione Eccleſia ſalutationem conſtituit Angelicam, verbis & Angeli Gabrielis, & Sanctæ Eliſabeth compoſitam: quæ quidem tanquam divina haberi debent, utpote a Deo inſpirata.* Conf. ortho. q. 40.

Obſerves velim, benevole Lector, iſtarum Synodorum Patres, nedum Calviniſtarum & Cyrilli Lucaris circa cultum & invocationem Sanctorum errores damnare, verum etiam & luculentiſſimis ex Scriptura ſacra depromptis rationibus probare, & ſuavem eſſe, immo & debitum Sanctis talem honorem.

Ex

Ex Theologis.

PRIMUS occurrit Syrugus Meletius qui
diſerte in Tractatu ſpeciali, confutat octa-
vum Cyrilli articulum. “ Nos omnes,
„ *inquit*, qui ex Eccleſia Orientali ſumus
„ filii, credimus ſolum Jeſum eſſe Me-
„ diatorem reconciliatione hominum quam
„ proprio operatus eſt ſanguine cum Deo,
„ qua quidem habemus ſicut Judæi qui
„ erant ipſi Deo propinqui, & Genti-
„ les ab eodem elongati, acceſſum ad Pa-
„ trem in eodem Spiritu ..... Attamen
„ convicti ſumus in precibus quæ apud
„ Deum pro nobis funduntur, nedum
„ Angelos, ſed & Sacerdotes & Sanctos
„ tum in hac præſenti vita, tum in al-
„ tera eſſe mediatores, quod ex ipſa ſa-
„ cra ediſcimus Scriptura. „ Quod qui-
dem probat auctoritate ex capite 12. ver-
ſu 13. libri Tobiæ excerpta. Pro eodem
momento adducit in teſtimonium Orige-
nem Homilia 16. in Num. in quo aſſerit
Angelos Deo offerre orationes & bona
opera Sanctorum.

Pergit Syrugus & fuſo calamo probat
Sanctos propter charitatem & amorem quo
erga proximum flagrant, pro nobis via-
toribus apud Deum intercedere, quippe
qui noſtras ſciant miſerias & neceſſitates;
“ Namque, *inquit*, omni adverſatur ra-
„ tioni ſibi confingere, Sanctos ſuorum
„ non recordari fratrum, cum dives in
„ Inferno in gradu charitatis multo San-
„ ctis inferior, pro ſuis tamen propriis
„ fratribus oraret, ut in eundem miſe-
„ riæ locum non venirent. „ Subdit ve-
ro nullos ex Sanctis Eccleſiæ Doctoribus
invocationem abnegaſſe Sanctorum, ſed
potius omnes una voce docuiſſe Beatos
pro nobis apud Deum intercedere, noſ-
que ea qua par eſt fide & reverentia,
eorum expoſtulare mediationem: “ Sic,
„ *inquit idem Theologus*, S. Baſilius invo-
„ cat quadraginta Martyres, eos generis
„ humani vocando & conſervatores, &
„ cuſtodes .... pari & conſimili modo
„ S. Gregorius Nazianzenus Sanctum in-
„ vocat Cyprianum. „

Jeremias Patriarcha ſicut pari zelo, ita
& conſimili eruditione debellavit Theo-
logos Vitembergenſes, qui auctoritate
Cyrilli Lucaris freti omnia moliti ſunt,
ut Græcos in Proteſtantium protraherent
errores. Reſp. 1. ſic illos revincit &
confutat in iis quæ adverſus Sanctorum
cultum debacchabantur, quem quidem ut
ſanctum & debitum ex Liturgia probat:
“ Etiam Sanctos ut mediatores habemus,
„ maxime vero Domini Matrem: po-
„ ſtea chorum Angelorum & Sanctorum
„ quos veneramur, tum templis, tum re-
„ bus quas illis offerimus, orationibus &
„ ſacris Imaginibus, ſed relative, nuſ-
„ quam vero cultu latriæ. „

Rurſus loquens de interceſſione in ſæcu-
lo venturo Sanctorum ibidem ſubdit: “ Pro
„ illis ſolummodo rogant quorum inter-
„ ceſſiones receptibiles ſunt, hoc eſt,
„ pro his qui ante obitum peccatorum ſuo-
„ rum ſordes pœnitentia abſtergere non
„ potuerunt. Primo quidem hæc media-
„ tio & fit in Eccleſia & in eadem an-
„ nuntiatur, & hac de cauſa noſtras ad
„ Sanctos, ad Beatam Virginem & An-
„ gelos dirigimus preces. Virgini dici-
„ mus: Mater Dei intercede pro nobis pec-
„ catoribus: omnes cæleſtes Poteſtates San-
„ ctorum Angelorum & Archangelorum,
„ intercedite pro nobis. Eo prope modo,
„ ad Prophetas, ad S. Joannem Baptiſtam
„ Præcurſorem, ad glorioſos Apoſtolos,
„ ad Martyres, ad Sanctos Paſtores & Do-
„ ctores omnis Terræ, ad alios Sanctos &
„ Sanctas accurrimus, eos deprecantes,
„ quatenus pro nobis intercedere dignen-
„ tur. „ Ecce quomodo Jeremias fidem de
cultu Sanctorum clariſſime explicat & uti
talem a Græcis omnibus propugnatam;
quod ipſe Chytræus Calviniſta Oratione de
Eccl. ſtatu non diffitetur: “ Magna pars
„ vulgi, inquit, & Sacerdotum pietatis
„ ſummam in cultu Mariæ Virginis &
„ Imaginum collocat &c. „

Ex Libris Eccleſiaſticis.

QUOT libri Eccleſiaſtici, tot ferme te-
ſtes qui Græcos Orientales pro mure an-
tiquo invocare Sanctos conclamant. Liber
cujus titulus Horologium; cujus Meno-
logia; cujus, Triodon; cujus, Parcleti-
cus, aliique complures, ſicut & Li-
turgiæ, multas, piaſque complectun-
tur orationes quibus fideles & Beatiſſi-
mam Virginem, & Sanctos invocant.
Melchitæ qui Græcum obſervant ritum,
hoc eſt Græci qui in his habitant regioni-
bus, ubi lingua Arabica vulgaris eſt,
utun-

Digitized by Google

utuntur libro Horologii in quo continentur preces ad invocandos Sanctos perutiles. Libri Horologii Syriaci tum Melchitarum, tum Jacobitarum hujuſmodi referti ſunt orationibus. Pari & conſimili pietate Coptitæ præter Horologii librum, ſpecialem habent qui Theotozia nuncupatur, in quo orationes ad Beatiſſimam Virginem continentur. Simili Organon nomine celebrato utuntur Æthiopes. Quid plura? ipſi Neſtoriani, tametſi Beatiſſimam Virginem uti Dei Matrem non agnoſcant, attamen in ſuo Horologii libro & tribus Liturgiis varias, multaſque ad eam directas habent orationes, quibus pro mentis affectu, illam in neceſſitatibus invocant. Ergo &c.

Ex Feſtivitatibus quas in honorem & Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum celebrant Orientales.

MAGNUM eſt pro Sanctorum invocatione argumentum feſtivitas quæ in eorum celebratur honore, cum eo ſolum ſcopo, ut colantur & invocentur Sancti, inſtituatur. Sed Orientales ab omni ævo ſicut Occidentales plura inſtituerunt in honorem Beatiſſimæ Virginis Feſta, nec unus quidem deficit dies in quo alicujus Sancti memoriam non celebrent. In toto & univerſo Mundo Oratoria, Cappellæ, Altaria & Templa in honorem Sanctorum erecta conſpiciuntur. Calendaria & Menologia Orientalium Feſta ſanctorum certis diebus celebranda indicant. Æthiopes præter Feſta Beatiſſimæ Virginis omnibus communia, unam ſpecialem & particularem quolibet menſe non ſine magna pietate & celebrant & habent. Syriaci ſpeciali utuntur Calendario pro Feſtis Sanctorum aſſignandis. Neſtoriani quoſdam etiam Sanctos Doctores habent, quorum Feſta peragunt. Coptitæ quoque habent Calendarium ſanctorum Feſtivitatibus refertum, ut fuſo & erudito calamo deſcribit & probat D. Renaudotius Abbas Tomo 5. perpetuitatis fidei lib. 7. cap. 3. ubi etiam textum Græcum Theologorum Orientalium pro invocatione ſanctorum refert adverſus Proteſtantes malignantes. Ibidem cap. 4. de veneratione Reliquiarum ſanctorum cap. 5. de cultu ſanctarum Imaginum adverſus eoſdem tractat.

Denique eadem veritas ratione, eaque multiplici probatur.

PRIMA: eodem honore donandi ſunt amici Dei, quo donantur amici Principum in terra: ſed Magnates ægre non ferunt ſubditos gratias ab eis expoſtulare interceſſione eorum quos vel ex ſanguine, vel ex innata amicitia conjunctos habent: a fortiori Deus ſanctorum benigne ſuſcipit interceſſiones, quæ in gratiam mortalium illi fiunt: quod quidem Propheta Regius indicat his verbis Pſalmo 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*: Ergo &c.

Secunda: omnibus modis honorandus eſt Deus, hoc eſt & in ſe, & in ſuis filiis: ſic Aſſuerus honore Regio voluit Mardochæum donari propter ejus & fidelitatem, & erga ſemetipſum beneficentiam: ſed ſancti ſunt filii Dei, immo & ab ipſo Chriſto totius orbis judices conſtituti: Igitur jure merito invocandi ſunt.

Tertia: qui omnem habent in cælo poteſtatem apud Deum, invocandi ſunt, ut nobis ſuccurrant: atqui talis eſt ſanctorum auctoritas, juxta illud Proph. Reg. 70. 16. *Introibo in potentias Domini*, & iſtud Chriſti effatum 14. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet*. Tum quia ſunt ejuſdem Chriſti Domini noſtri bonorum hæredes. Ergo &c.

Fit ſatis objectionibus.

OBJICIUNT Proteſtantes nonniſi Viatores invocandos eſſe, & hoc unum probare auctoritates tum ex Scriptura, tum ex Patribus excerptas. Hoc ipſum confirmat iſto Eccl. oraculo cap. 9. ubi habetur: *Mortui nihil noverunt amplius*: Et iſta Iſaiæ ſententia; *Abraham neſcit nos, & Iſrael ignoravit nos*: unde Auguſtinus libro de Cura pro Mortuis cap. 13. ait. " " Si parentes non interſunt, qui ſunt alii " mortuorum, qui noverunt quid agamus quidve patiamur? Iſaias Prophe- " ta dicit: nos neſcivit. " Item Gregorius libro 12. Moralium cap. 14. Origenes lib. 5. contra Celſum, & alii non pauci aſſerunt mortuos nihil de nobis cognoſcere: ſed inutile eſt invocare eos, qui

qui nihil de nobis agnoſcunt: igitur ſancti nullo modo ſunt invocandi.

Reſpondeo negando, Scripturam & Patres nonniſi de juſtis viatoribus loqui, dum ſanctorum commendant invocationem, & interceſſionem: quandoquidem Pater Abraham cognoſcebat quæ illi Dives in Inferno pro fratribus ſuis auxiliandis exponebat: immo & ille ipſe Dives tametſi in lacu profundo concluſus, ſuorum tamen propinquorum urgentes ſciebat, & cognoſcebat neceſſitates. Sed celebris eſt pro noſtræ ſolutionis confirmatione illud Geneſeos 48. ubi Jacob benedicens filios, invocat pro eis ſanctos jamjam defunctos, & ſui ipſius nomen poſt ſuum e vita deceſſum ſubdit invocandum eſſe his verbis: *Invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac*. Hoc ipſum confirmat Apoſtolus in ſua ad Philemonem Epiſtola cum ait: *Gratias ago & Deo meo, audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino Jeſu & in omnes Sanctos*. Eo loci loquitur de illa fide qua Philemon de Sanctorum auxilio plurimum ſperare debebat.

Ad auctoritatem Eccleſiaſtæ, diſtinguo: mortui ſancti nihil noverunt amplius quod illos conturbet, & a divina diſtrahat viſione, concedo: nihil abſolute de nobis cognoverunt ſcientia infuſa ſicut & intuitiva, nego. Beati, teſte divo Thoma, quadruplici donantur ſcientia, ea ſcilicet qua Deum intuitive vident & cuncta in ipſo: ea qua per ſpecierum infuſionem & revelationem omnia ſcrutantur myſteria: ea qua etiam per ſpecierum rerum naturalium infuſionem, ſciunt res omnes naturales: ea denique quam in terris degentes ſtudio & labore comparaverunt: iſta quidem non cognoſcunt quæ in terris patrantur, cum ibi non ſint, bene vero aliis ſcientiis, accedente Dei placito, & revelatione. In iſto ſenſu Dionyſius, & poſt ipſum ſanctus Thomas Angelos ſanctos purgari, illuminari, & eatenus perfici docent, quatenus per revelationem intelligunt hominum poſtulata, & orationes; quas Deo ut interceſſores noſtri offerunt ſicut legitur in libro Apocalypſeos cap. 8. v. 3. *Data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum*. Igitur Beati, utpote viatores ſcientia ſuperantes, orationes & invocationes ſibi factas optime norunt; non ita tamen ut de hoc aut tædium, aut a Deo diſtractionem patiantur, ſicut viatores qui implicati negotiis, non ſine perturbatione ad multa attendere valent: & hoc unum ex auctoritatibus tum Eccleſiaſtæ, tum Iſaiæ concludi poteſt.

Ad Patres, dico plurimos errore Millenariorum fuiſſe detentos, quocirca invocationem ſanctorum quidam non ſatis propugnarunt. Sanctus Auguſtinus in loco laudato nihil determinat: ſed alibi multis in locis eandem defendit invocationem, ſicut ſanctus Gregorius orat. 24. de ſancto Athanaſio.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Patres rejiciunt invocationem ſanctorum modo ſuperſtitioſo factam, concedo: modo debito & religioſo ad ſanctos directam, nego. Non ſemel annotata eſt in plebeiis circa invocationem SS. ſuperſtitio; quidam enim Angelos, veluti Deos habebant, & cultu latriæ venerabantur: ita ſeſe explicat Origenes lib. 5. adverſus Celſum his verbis. " Si intellexiſſet (loquitur de Celſo) veros miniſtros Dei, poſt ipſius unigenitum Gabrielem, Michaelem..... fortaſſe colendi ſignificatum expurgantes, & actiones colentium; dixiſſemus aliquid de hoc loco pro tantæ rei dignitate, non tamen honorem ſoli Deo debitum his reddimus."

Inſtant: Atqui invocatio ſanctorum eſt ſuperſtitio: ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum. Altaria & Templa in ſolius Dei honorem eriguntur, nec alteri quam Deo ſacrificium offertur: atqui tamen & pro cultu, & pro invocatione ſanctorum ſicut Templa, ita & altaria ædificantur. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo minorem: ædificantur Templa & altaria in honorem ſanctorum, & totus cultus in Deo veluti in fine ultimo terminatur, concedo: & ad Deum veluti ad ultimum finem non refertur, nego. Hæc omnia fiunt, ut Deus in ſuis honoretur Sanctis, & illi ſoli ſacrificium offertur, ut illum in ſanctis mirabilem prædicemus. Igitur totus cultus ſanctorum eſt relativus, & ad Deum omnium bonorum auctorem principaliter ut ad finem ultimum terminatur

&

Digitized by Google

& in eo conſummatur. Ita docet S. Auguſtinus de Civit. lib. 8. c. 27. contra Fauſt. libro 20. cap. 21. Tractat. 48. in Joan. Serm. 167. novæ editionis & 224.

Urgent: atqui invocatio Sanctorum etiam relative facta, eſt quid ſuperſtitioſum. Ergo, &c. probatur ſubſumptum. Invocatio fide nititur, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Sed fides Deum ſolum reſpicit: igitur non datur ſecluſa ſuperſtitione, invocatio Sanctorum.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo: invocatio Dei fide fit & fide innititur, concedo: invocatio Sanctorum; ſubdiſtinguo: fide quæ eſt pius cordis affectus, fide qua de alicujus protectione multum confidimus, concedo: quæ eſt virtus Theologica, nego. Fides duplex diſtinguitur, altera qua Deo loquenti credimus, & in quem ut in ultimum tendimus finem: altera qua aliquod ſperamus aſſequi beneficium amici protectione. Prima credimus in Deum, poſteriori in Sanctos, iſta Iſraelitę credebant in Moiſen juxta illud Exodi 14. v. 31. *Crediderunt Domino, & Moiſi ſervo ejus.* Igitur non eſt ſuperſtitioſum invocare Sanctos. Apoſtolus loquitur tantum in loco pro objectione allato de fide Theologica, quæ Deum ut ultimum reſpicit finem, ut verba iſta ſubſequentia indicant: *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Perſiſtunt: non ſine injuria Chriſto facta invocari poſſunt Sancti: igitur per omnia invocatio Sanctorum eſt ſuperſtitioſa. Probatur antecedens: ſolus Chriſtus, teſte Apoſtolo, eſt Dei & hominum mediator: ſed ſi invocarentur Sancti, eſſent utique mediatores, quod quidem procul facit S. Auguſtinus l. 2. contra Parmenianum c. 8. his verbis. "Si eſſet mediator Paulus, eſſent utique & cæteri Apoſtoli; nec ipſius Pauli conſtaret ratio qua dixerat *unus Deus, unus mediator, Dei & hominum.*" Igitur Sanctos invocare non licitum eſt: maxime vero, cum in Scripturis ſacris nullum extet de hujuſmodi invocatione præceptum.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem diſtinguo: eſt unus mediator redemptionis, concedo: unus invocationis, ſubdiſtinguo: principalis, concedo: miniſterialis, nego. Chriſtus ſolus eſt mediator redemptionis, immo & ſolus invocationis principalis: at Sancti abſque injuria facta Deo & Chriſto poſſunt eſſe mediatores invocationis miniſteriales, quatenus apud Deum pro nobis intercedunt. Sanctus Auguſtinus unum ſolummodo intendit, ſcilicet viatores non debere invocare Sanctos, ſuum in eis ultimum ponendo finem. Sanctus Doctor ſuam prodit mentem Tractatu primo in Epiſtolam primam Joannis, ubi duplex mediatoris genus diſtinguit, & hoc in eodem prorſus ſenſu quo impræſentiarum dicimus.

Ultro fatemur non eſſe quidem præceptum explicitum in ſacris Scripturis de invocationem Sanctorum: ſed certe eſt implicitu, cum non ſemel in iiſdem Scripturis, immo &, Deo permittente, quandoque etiam ordinante, Juſti & Sancti invocati ſint: cum autem Chriſtus Eccleſiæ reliquerit poteſtatem, ea quæ ſpectant cultum determinandi, & ipſa in Conciliis definierit Sanctos eſſe invocandos, abſque fundamento Heterodoxi Sanctorum invocatione ut quid ſuperſtitioſum & illicitum rejiciunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Pium eſt & juſtum invocare Sanctos.

PRIMO. Ipſe Moiſes invocavit Patriarchas, & Beatus Petrus promittit fidelibus ſuum etiam poſt obitum ſeſe curam de eis habiturum.

Secundo. Hoc ipſum declaravit & licitum & juſtum, ſecundum Concilium Nicænum: cui concinunt Sanctus Cyprianus, Hieronymus & alii Patres.

Tertio. Quia data eſt Sanctis omnis poteſtas in cælo & in terra: amicis ſuis quippe Deus nihil denegat, & eorum in omnibus quæ ſuam ſpectant gloriam, exaudit orationes.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO. Beati nihil quidem noverunt de his quæ in terris patrant homines per modum anxietatis & ſollicitudinis, bene vero per modum commiſerationis & cha-

charitatis : namque cuncta in Verbo, accedente revelatione, & Dei ordinatione, cognoſcunt : igitur & viatorum poſtulationes ad eos directas ſciunt, & pro nobis apud Deum intercedere poſſunt.

Secundo. Eccleſia quidem & Templa & altaria in honorem Sanctorum quandoque erigit, ſed ſoli Deo offert Sacrificium, & eum ſolum bonorum auctorem ac gratiæ largitorem agnoſcit.

Tertio. Sancti ſunt quidem mediatores, non ſane redemptionis, ſed ſolummodo invocationis, & hoc miniſterialiter, adeoque, ſecluſa omni & ſuperſtitione, & injuria Deo facta.

ARTICULUS QUARTUS.

De cultu ſanctorum Imaginum.

MATERIA illa mirabilis admodum copioſa eſt : hinc illam claritatis cauſa in diverſis ſectionibus pertractare non injucundum erit.

SECTIO PRIMA.

De adoratione ſanctæ Crucis.

CLAUDIUS Taurinenſis Felicis Urgelitani diſcipulus, anno 816. in Occidente debacchatus eſt contra S. Crucem, dicendo illam eſſe inſtrumentum ignominioſum : ejus quoque impugnavit cultum Petrus de Bruys; eos imitati ſunt Valdenſes, Vicleſitæ & Calviniſtæ. Contra iſtos perditionis filios ad dogma Catholicum ſtabiliendum Crucem Chriſti trifarie conſiderabimus, primo quidem in ſe, 2. in ejus imagine permanenti, quales ſunt Cruces vel depictæ vel ſculptæ : 3. in imagine tranſeunte, quale eſt ſignum Crucis, quo quiſque Catholicus ſe ſignare conſuevit. Unde ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Vera Crux & ſingulæ illius partes adorandæ ſunt cultu latriæ relativo ad Chriſtum.

Probatur prima pars, ſcilicet Crucem Chriſti eſſe adorandam.

Primo, *Ex figuris veteris Teſtamenti*.

ARBOR vitæ ex Damaſceno lib. Orthodoxæ fidei ſignificabat vitam nobis per arborem S. Crucis datam, ut medelam Deus ferret, hoſtis unde læſerat. Arca Noe que reſiduum mundi ab aquis ſalvavit, teſte Iſidoro in cap. 14. Gen. fuit typus liberationis a diluvio peccati & Inferni per eandem Crucem conferendæ. Scala Jacob, teſte S. Hieronymo in Pſal. 98. & S. Auguſtino ſerm. 79. in cujus cacumine videbatur Deus, Chriſtum in altari Crucis aperientem cælos demonſtrabat. Virga Moiſis, quæ diviſit mare ad ſalvandos Iſraelitas, & in Terram promiſſionis deducendos, quæque poſtea in aquis concluſit Pharaonem eorum inimicum, ſignificabat Crucis baculum quo Chriſtus noſtra abſterſit crimina ; quo, morte devicta, cælum nobis aperuit ; quo dæmonem generis humani hoſtem devicit. Lignum projectum a Moiſe in aquas Mara ut dulces eas redderet, teſte Proſpero lib. 1. de prædicationibus c. 380. utique eſt ſignum S. Crucis, qua multas nobis promeruit Dominus Jeſus conſolationes. Serpens æneus elevatus in deſerto, ipſo teſte S. Chryſoſtomo indigitabat Filium Hominis in Cruce exaltandum ut de inimicis noſtris triumphans, ſalvaret nos per fidem & intuitum in ipſum. Quibus poſitis, ſic argumentor: Inſtrumentum gratiæ, inſtrumentum vitæ & ſalutis cultu latriæ eſt adorandum : atqui ſancta Crux fuit inſtrumentum & vitæ & ſalutis, ut veteris Teſtamenti indicant figuræ. Igitur Crux Chriſti adoranda eſt cultu latriæ.

Secundo, *Ex novo Teſtamento.*

1. CRUX fuit ara in qua Chriſtus immolatus nos redemit, juxta illud ad Coloſſ. 1. de Chriſto : *In ipſo complacuit omnem plenitudinem abundare, & per eum reconciliare*

Digitized by Google

liare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem Crucis ejus. Igitur adoranda eſt.

2. Chriſtus per Crucem diabolum devicit, juxta illud ad Colloſſ. 2. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, & exſpolians Principatus*. Ergo &c.

Denique Crux fuit conſecrata per Chriſti contactum: ergo adoranda eſt, juxta illud Pſal. 131. de Chriſti Cruce, teſte Damaſceno: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*. Etvero ſi locus in quo ſtabat Angelus, Joſue 5. ſanctus erat, quanto magis Crux in qua ſtetit Chriſtus Sanctus Sanctorum, Sancta eſt, adeoque & veneranda?

Tertio, *Ex miraculis patratis in Inventione & Translatione ſanctæ Crucis*.

MAGNUM habemus ad adorandam S. Crucem motivum in miraculis quæ ejus contactu non ſemel patrata ſunt. Inter tot & tanta ſigna duo celeberrima ſunt, illa ſcilicet quæ in Crucis & Inventione & Exaltatione facta referuntur: in Inventione quidem, namque alte defoſſæ tres Cruces erutæ ſunt; repertuſque ſeorſum ab illis Crucis Dominicæ titulus: qui cum ex tribus, cui affixus fuiſſet, non appareret, eam dubitationem, inquit Eccleſia, ſuſtulit miraculum. Nam Macarius Jeroſolymorum Epiſcopus, factis Deo precibus, ſingulas Cruces cuidam feminæ gravi morbo laboranti admovit: cui cum reliquæ nihil profuiſſent, adhibita tertia Crux ſtatim eam ſanavit: In Exaltatione quoque magnum affulſit prodigium. Sic enarrat eadem Mater Eccleſia. Heraclius Imperator ſanctam Crucem auro & gemmis ornatus ad Calvariæ locum eam deferre tentans, media in via hæſit, & gradum ſiſtere non ſine circumſtantium ſtupore compulſus eſt. Tum Zacharias Jeroſolymorum Antiſtes Heraclium ſic allocutus eſt: Vide Imperator, ne iſto triumphali ornatu, In Cruce ferenda parum Jeſu Chriſti paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius abjecto ampliſſimo veſtitu, detractiſque calceis, ac plebejo amictu indutus, reliquum viæ facile confecit.

Quarto, *Ex ſanctis Patribus*.

CYRILLUS Jeroſolymitanus Cathec. 10. Hieronymus Epiſt. 17. ad Marcellam: S. Leo Serm. 8. de Paſſ. prædicant Crucem ſanctam adorandam eſſe: ita ſtatuit Concilium generale ſeptimum act. 7. definivit quippe typum ſeu imaginem ſanctæ Crucis adorandam eſſe, a fortiori ipſam Crucem.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet Crucem adorandam eſſe ſolum cultu latriæ reſpectivo. Adoratur Chriſtus cultu latriæ: ſed Crux adoratur propter Chriſtum: igitur cultu latriæ ſolum reſpectivo. Confirmatur: excellentia eſt motivum adorationis ſpecificativum: ſed excellentia in ipſa Cruce relucens, eſt excellentia Chriſti, ad quem habet ordinem: igitur adoranda eſt cultu latriæ ſolum relativo.

CONCLUSIO SECUNDA.

Imago S. Crucis vel picta, vel fuſa, vel ſculpta, vel ex qualibet materia fabricata, eſt adoranda cultu latriæ reſpectivo.

Probatur primo ex Conciliis.

CONCILIUM ſextum generale act. 73. ſeptimum actione ultima, octavum actione quoque ultima ſic ſtatuunt atque definiunt. Igitur imago ſanctæ Crucis adoratione relativa & reſpectiva donanda eſt.

Secundo, *Ex Patribus*.

S. IGNATIUS Martyr Epiſt. ad Philipp. Crucis imaginem ſpectatam relative ad Crucem veram vocat trophæum erectum contra diaboli potentiam: Tertullianus in apolog. c. 16. hunc probat Religionis cultum adverſus Gentiles: Origenes lib. 6. in Epiſt. ad Romanos, c. 6. dicit hoc Signum omnem & dæmonis, & concupiſcentiæ impetum frangere: Lactantius qui floruit 3. labente ſæculo in carmine de Paſſione Domini, ait:

Quiſquis ades, mediique ſubis ad limina Templi,

Digitized by Google

Siſte gradum, inſontemque tuo pro crimine paſſum,
Reſpice. . . . . cerne manus clavis fixat, tractoſque lacertos.

Ex his & ſimilibus auctoritatibus patet ab initio Eccleſiæ morem fuiſſe non ſolum adorare Crucem, ſed ipſum Chriſtum in ea depingere; qui quidem uſus publice floruit pietate Conſtantini, ut refert Euſebius lib. 1. de illius vita, c. 40. Igitur Crux adoranda eſt. Quod iſto ulteriori poteſt probari argumento. Idem eſt motus in Imaginem & prototypum: ſed Chriſtum adoramus crucifixum: ergo & Crucem relative ad ipſum colere & adorare, ſi ut pium ita & juſtum eſt.

CONCLUSIO TERTIA.

Signum Crucis quo aliquis ſe ſignat in fronte, ab Apoſtolis originem ducit, & eſt quidem in praxi religioſiſſimum.

PROBATUR prima pars. Juxta regulam D. Auguſtini lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 24. quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilii alicujus decreto inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum recte creditur: atqui uſus ſigni Crucis, ubique ſemper, & ab omnibus Chriſtianis fuit uſurpatus, nec in ullo Concilio legitur inſtitutus; & probatur: Tertullianus lib. de corona militis, ait: " Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad limina, ad cubilia, ad ſedilia quocumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſigno terimus. " Poſtea ſubjungit: " Harum hujuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies, Traditio tibi prætendetur, auctrix conſuetudo, confirmatrix, & fidei obſervatrix. " Succinit Origenes hom. 6. in Exod. Athanaſius in vita S. Antonii, quem ſigno Crucis non ſemel dæmones fugaſſe enarrat tom. 2. pag. 823.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet ſignum Crucis eſſe veneratione dignum, & religioſum 1. Ex effectibus mirabilibus, quorum primus eſt fugare dæmones, ut ait S. Ephrem lib. de pœnitentia, & Cyrillus Jeroſolymitanus: Quia dum videat, inquit, recordantur Crucifixi, a quo fuerunt devicti, unde ejiciuntur e corporibus & animabus efficacia ſigni Crucis. Secundus eſt, morbos pellere, & a malis imminentibus ſervare: conſtat enim ex Hiſtoriis ſacris multa miracula ſigno illo mirabili fuiſſe patrata. Tertius eſt, ſanctificare elementa: hoc quippe ſigno Eccleſia utitur pro materia Sacramentorum, juxta illud Auguſtini tract. 118. in Joannem de illo ſigno: " Signum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſive oleo quo unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil rite perficitur.

Secundo, *Ex figuris veteris Teſtamenti*.

PRIMA, eſt ſanguis Agni occiſi in poſtibus Ædium reſperſi, ut Hebræi liberarentur per tale ſignum ab Angelo exterminatore, ut refertur Exodi 12. " Ita, inquit Aug. lib. 21. ſentent. ſententia undecima, ſignabimus limina frontis & cordis ad fugandos dæmones. "

Secunda figura eſt TAV, juxta illud Ezech. 9. *Signa* Tav *ſupra frontes virorum gementium & dolentium*, ait Dominus: *Tranſite per mediam civitatem & percutite, non parcat oculus veſter .... Omnem autem ſuper quem videritis* TAV, *ne occidatis*. De quo Tertullianus lib. 3. contra Marcionem ſic ait: " Ipſa eſt littera Græcorum *Tav*. noſtra autem ת, ſpecies Crucis quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & Catholicam Jeruſalem. "

Tertia figura eſt ſignum illud Dei vivi, quod habens Angelus Apoc. 7. *Clamavit voce magna quatuor Angelis: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum*. Quod quidem Beda, Rupertus, & alii interpretantur de ſigno Crucis: igitur mos ſe Crucis ſigno munire, ortum ab Apoſtolis habet. Revera quidem Martyres ſignabant ſe Cruce, ut ad tormenta æquo, invictoque animo propter Chriſti amorem toleranda pergerent. Sic refertur Act. Mart. pag. 440. & 572.

Tertio, *Ex perpetuo Orientalium uſu*.

OMNES Orientales tum in Liturgiis, tum in confectione Sacramentorum, tum

rum etiam in benedictionibus & panis & veſtium Sacerdotalium ſigno Crucis cum magna fide & pietate utuntur. Coptitæ ſignum Crucis ita multiplicant, ut tractatum habeant particularem, in quo ſigna Crucis quæ a conſecratione uſque ad communionem fieri debent numerantur & ordinantur: eadem ſignorum Crucis ceremonia reperitur in officiis Baptiſmi Græcorum, Melchitarum, in officiis Severi Antiochi, & Jacobi Edeſſæ, quos quidem Ritus obſervant Jacobitæ, & referuntur in omnibus Ritualibus, maxime vero Æthiopum, Coptitarum & Neſtorianorum.

Quid plura? omnia Pontificalia omniaque Ritualia ſignum Crucis veluti omnium cæremoniarum fundamentum inſtituunt, ut obſervat S. Aug. tract. 18. in Joan. his verbis: " Quod ſignum niſi adhibea-
,, tur frontibus Credentium, ſive ipſi aquæ
,, qua regenerantur, ſive oleo quo chriſma-
,, te inunguntur, ſive ſacrificio quo alun-
,, tur, nihil eorum rite perficitur. ,,

His omnibus addo morem apud primos Chriſtianos inolevisse, uti ſigno Crucis in omnibus ferme actionibus, maxime vero in Sacramentorum uſu eodem per omnia utebantur Anachoritæ & Martyres, ut ipſa Martyrum Acta referunt his ver-
" bis: Euplius libera manu ſignans tibi
,, frontem, Euplius ſignaculum Chriſti fa-
,, ciens in fronte ſua. Act. Martyr. pag.
,, 319. & 34. rurſus ergo perterrefacti
,, Crucis ſignum ſuæ quiſque impreſſit fron-
,, ti p. 362. totumque ſuum corpus ſigno
,, Crucis muniens p. 364. & Act. S. Theo-
,, dori; hæc ubi dixit Chriſti miles ſigno
,, Crucis ſe muniens: Act. S. Gordii p.
,, 572. ,, Renod. l. 7. c. 6. perp. fi.

Quarto, *Ratione.*

ILLUD eſt religioſum, quod nos Chriſto unit per ſanctam commemorationem, juxta illud Pſal. 118. *Memor fui Dei & delectatus ſum*; quod nos ad Chriſtum amandum ſtimulat; quod compeſcit paſſiones & fugat dæmones: atqui ſignum ſanctæ Crucis hæc omnia operatur: primo quidem ex opere operantis, ideſt per fidem illius qui ſe ſignat, & per confeſſionem Chriſti: deinde vero etiam aliquo modo ex opere operato; refert enim S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, S. Epiphanius hæreſ. 30. Judæos & Paganos ſolum intendentes facere, quod faciunt Chriſtiani hoc ſigno fugaſſe dæmones: ergo, &c.

Solvuntur objectiones adverſus primam concluſionem militantes.

OBJICIUNT 1. Heterodoxi. Tempore Apoſtolorum vera Crux integra extabat, nec tamen legitur eos illam adoraſſe. 2. Magdeburgenſes adverſus Inventionem ſanctæ Crucis, plurima opponunt dicentes quæſitam fuiſſe a ſancta Helena curioſitatis, & non devotionis animo: S. Ambroſium fuiſſe primum qui locutus ſit de hac Inventione; Euſebium in vita Conſtantini nihil de ea referre: quocirca hiſtoriam apocrypham eſſe propugnat, maxime vero quia Scriptorum de hoc momento non ſunt convenientia teſtimonia, tum quia Gelaſius Papa ſcripta de Inventione ſanctæ Crucis non probavit, ut patet ex illius verbis quæ habentur in decreto diſtinct. 15. cap. *Sancta Romana Eccleſia*, neque in Synodo Romana habita anno 492. approbata ſunt denique ſcripta de Inventione ſanctæ Crucis & capitis S. Joannis Baptiſtæ hominum commenta & falſis innixa revelationibus eſſe aſſerunt. Igitur Crux abſque fundamento a Chriſtianis adoratur.

Reſpondeo ad primum: non omnia quæ fecere Apoſtoli eſſe ſcripta: falſum eſt autem eos non coluiſſe ſanctam Crucem, quandoquidem S. Andreas magno cum jubilo illam deſideravit & amplexus eſt, ſicut & cæteri Martyres. De Apoſtolis Act. 5. legitur; *Ibant Apoſtoli ... gaudentes quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Et Apoſtolus ad Gal. 6. 14. *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

Ad ſecundum: Euſebius, Ambroſius, Paulinus, Sulpitius, & alii magnis ſanctam Helenam efferunt laudibus eo quod pro invenienda S. Cruce laboraverit. Falſum eſt ſanctum Ambroſium fuiſſe primum qui de ſancta Cruce ſcripſerit: Cyrillus enim Jeroſolymitanus Epiſt. ad Conſtantium Auguſtum, & Conſtantinus ipſe in Epiſt. ad Machar. ut refert Euſebius, lib. 8. de vita illius, de ſancta Cruce ſuſum habent ſermonem.

Ad tertium: Falſum eſt etiam Euſebium

non loqui de ſancta Cruce, nam in Chronico a Divo Hieronymo Latine reddito, ſcribit anno 3c5. Helenam cœlitus monitam, Jeruſalem petiiſſe pro ſancta Cruce invenienda: parum vero reputatur Auctores de anno & chronologia diſceptare, cum nequidem conveniant de anno Baptiſmi & Paſſionis Chriſti, ſed una voce factum Inventionis ſanctæ Crucis profitentur, quod ſane ſufficit ad fundandum judicium prudentiale ad ſanctam Crucem, ea qua par eſt reverentia & religione adorandam.

Ad Gelaſium dicimus eum non condemnare Hiſtoriam de Inventione S. Crucis; ſed potius libellum quemdam, qui ſuo tempore circumferebatur, cujus hæc erat inſcriptio: *Revelationes de Inventione ſanctæ Crucis*, quem quidem libellum non abſolute reprobat, ſed caute legendum declarat: igitur Magdeburgenſes, Eraſmus & quidam alii incaſſum Inventionis ſanctæ Crucis hiſtoriam explodunt.

Inſtant: Crux non eſt veneranda, quippe quæ dolorem & ignominiam Chriſto attulerit: tum quia Catholici in hoc imitarentur Judæos, qui gaudebant de ignominia Chriſti in Cruce affixi: tum quia Filius non Patris patibulum venerari uſquam debet.

Reſpondeo negando Crucem Domini non eſſe venerandam. Ad primam in contrarium probationem, diſtinguo: Crux attulit dolorem Chriſto ſimul & gloriam, concedo: nam ad Ppilipp. 1. habetur: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum*. Attulit dolorem & ignominiam tantum, nego.

Ad ſecundam objectionis probationem, etiam diſtinguo: ſi animo odii & per contemptum, ut Judæi, de Chriſti patibulo gauderemus, illos imitaremur perfidos, concedo: ſi de Cruce gaudeamus propter ejus & triumphum, & exaltationem, nego. Porro in ſecundo tantum ſenſu crucem veneramur; namque gaudium mundo attulit maximum, cum illa Chriſtus noſtram operatus ſit ſalutem, dicens, Joann. cap. 12. 32. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*.

Ad tertiam Heterodoxorum inſtantiam patet ſolutio: non enim gaudemus de cruce reduplicative ut eſt patris noſtri amantiſſimi Domini Jeſu opprobrium; ſed potius ut eſt ejus gloriæ inſtrumentum, juxta illud ad Philipp. 2. de Chriſto: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem; mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus eſt in gloria Dei Patris*.

Reponunt: ſi Crux adoranda eſt, maxime propter duo: videlicet quia & Chriſtum ſuſtinuit atque tetigit, & in hoc fuit ſalutis noſtræ inſtrumentum: ſed hoc poſito, uterus quoque ſacer Sanctiſſimæ Virginis qui Chriſtum ipſum novem portavit menſibus, & omnia quæ Chriſtus tetigit propter ſanctæ humanitatis contactum vel activum, vel paſſivum; quinimmo & manus tortorum quæ Chriſtum cruci affixerunt, & ipſum Judæ impium os quo Dominum deoſculatus eſt, ut illum morti traderet, & alia ſimilia adoranda forent: quod certe nemo cordatus dixerit. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Illa ſolum veneratione digna eſſe quæ ſpecialem habuerunt ad Chriſtum per modum aut amoris, aut religioſi famulatus relationem: & hoc per diſtributionem accomodam. Menſa v. g. in qua Chriſtus ſui corporis inſtituit Sacramentum, cultu religioſo, ſed non latriæ donanda eſt. Dico non latriæ, quia Chriſtum veluti ſancta Crux non repræſentat. Idem dicendum de cæteris paſſionis Dominicæ inſtrumentis: aſt neque manus tortorum, neque proditoris os aliquo digna ſunt cultu, cum non per modum converſionis, ſed potius averſionis ordinem habuerint ad Chriſtum.

Reſpondeo 2. Uterum Beatiſſimæ Virginis præ cæteris omnibus eſſe venerandum, cultu ſcilicet hyperduliæ, juxta illam piæ mulieris ad Chriſtum acclamationem Lucæ 11. 27. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*. Sed non cultu latriæ, quandoquidem uterus ille ſacer erat quid a Chriſto diſtinctum; crux vero conſideratur ut Chriſtus ipſe reduplicative ut crucifixus: & ſic non ſequitur ea omnia quæ Chriſtum tetigerunt, eſſe adoranda, tametſi crucem adoremus. Solutio eſt D. Thomæ qui 3. p. 4. 25. art. 5. ita loquitur; " Cum igitur Beata Virgo ſit

" pura

„ pura creatura rationalis, non debetur „ ei adoratio latriæ : ſed ſolum veneratio duliæ, eminentius tamen quam „ cæteris creaturis, in quantum ipſa eſt „ Mater Dei. Et ideo dicitur quod debetur „ ei non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia. „ & ibidem ad 3. ait "Dicendum, quod „ Crux non eſt capax venerationis prout „ in ſe conſideratur, ut dictum eſt : ſed „ Beata Virgo ſecundum ſe ipſam eſt „ venerationis capax. Et ideo non eſt ſimilis ratio. „

Urgent : S. Ambroſius in Oratione Funebri Theodoſii Imperatoris de ſancta Helena ſic loquitur. " Helena Regem „ adoravit, non lignum, quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum : „ ſed adoravit illum qui pependit in ligno. „ Idem prorſus aſſerit Minutius Felix in Dialogo qui Octavius inſcribitur. " Cruces, *inquit*, nec colimus, nec „ optamus. „ Igitur crux non eſt adoranda.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : & vult ſolum S. Ambroſius S. Helenam non adoraſſe crucem more Gentilium qui errore detenti lignum tanquam numen habebant & colebant, concedo : & propugnat S. Helenam non coluiſſe lignum Crucis relative ad Chriſtum, hoc eſt, non adoraſſe Chriſtum in cruce, nego. Ipſa objectionis verba piam Imperatricem ſic coluiſſe Crucem indicant. Hæc veritas colligitur ex eodem S. Ambroſio l. 3. Epiſtolarum Epiſt. 22. hoc iterum declarat S. Doctor in Oratione Funebri citata; namque poſt verba pro objectione allata, ſubdit: " Sapiens Helena in caput Regum „ levavit, ut Crux a regibus adoraretur. „ Eadem eſt ſolutio ad auctoritatem Minutii.

Dices. Si crux propter Chriſti contactum adoranda eſt, adorare quoque oportet omnia Paſſionis inſtrumenta, & ea omnia quæ ſacrum Chriſti Corpus tetigerunt : immo & colendæ ſunt Imagines & expreſſiones clavorum, item & paleæ admodum Crucis expreſſæ quæ occurrunt in via, & pedibus calcantur.

Reſpondet D. Thomas 3. p. q. 25. art. 4. his verbis ad tertium : " Dicendum „ quod quantum ad rationem contactus „ membrorum Chriſti, adoramus non ſolum Crucem, ſed etiam omnia quæ „ ſunt Chriſti. Unde Damaſcenus dicit „ in lib. pretioſum lignum ut ſanctificatum tactum ſancti Corporis & Sanguinis, decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam, & ſacra ejus tabernacula, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, & hujuſmodi. Iſta tamen non repræſentant Imaginem Chriſti, ſicut „ Crux, quæ dicitur ſignum Filii hominis, quod apparebit in Cælo : ut dicitur Matth. 24. ideoque mulieribus dixit Angelus, Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum. Et inde eſt quod Crucem Chriſti veneramur in quacumque „ materia, non autem Imaginem clavorum, vel quorumcumque hujuſmodi. „

Ceterum paleæ admodum Crucis expreſſæ in via occurrentes non habent ex uſu & ordinatione Eccleſiæ relationem ad ſanctam Crucem & Chriſtum, quippe quæ caſualiter & per accidens ad modum Crucis ſint expreſſæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Crux vera cultu latriæ, eoque ad Chriſtum relativo veneranda eſt : idem dicendum de Imagine ejuſdem Crucis : mos ſignandi ſe cruce ortum habet ab Apoſtolis, & eſt religioſus.

PRIMUM patet ex figuris veteris Teſtamenti : ſcala quippe Jacob qua Angeli deſcendebant in terram, & aſcendebant in cælum; ſicut lignum projectum a Moiſe in aquas, cujus contactu dulces factæ ſunt, deſignabant ſanctam Crucem, qua Chriſtus noſtram ſalutem operatus eſt. Igitur ſancta Crux cultu latriæ donanda eſt, & hoc relative ad Chriſtum, ejus quippe contactu omnem ſortita eſt ad ſanctificandos homines virtutem. Quid plura? Chriſtus cultu latriæ colitur abſoluto; igitur & relativo eodem cultu eatenus donanda eſt ſancta Crux, quatenus fuit ara in qua immolatus Dominus Jeſus Patri nos reconciliavit.

Secundum utique verum eſt : namque definivit ſeptimum Concilium Generale actione ſeptima Imaginem ſanctæ Crucis adorandam eſſe, & hoc relative ad Chriſtum : & vero motus in Imaginem terminatur ad prototypum.

Tertium, videlicet morem ſe ſignare Cruce ortum habere ab Apoſtolis, claret ex ipſa Traditione. Ita teſtatur S. Auguſtinus,

ſtinus libro 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. & ante ipſum Tertullianus libro de Corona Militis. Quod autem ille uſus ſit bonus & ſacer, patet ex multis Hiſtoriis: Martyres quippe ſignabant ſe Cruce, ut æquo tolerarent animo tormenta. Sic refertur Act. Mart. pag. 440. Scribit quoque ſanctus Athanaſius in vita ſancti Autonii eundem Sanctum ſigno ſanctæ Crucis non ſemel fugaſſe Dæmones.

SYNOPSIS OBJECTIONUM,

ET RESPONSIONUM.

PRIMO. Tametſi non legamus Apoſtolos adoraſſe ſanctam Crucem, non ideo factum iſtud negandum eſt, cum de iis ſcriptum ſit Act. *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Cum igitur in Cruce Domini gloriabantur, citra dubium eſt lignum illud pretioſum omni qua par erat reverentia adoraſſe. Hoc ipſum indigitat Traditio, cum ex Apoſtolis cultus ſanctæ Crucis ortum ducat.

Secundo. Incaſſum debacchantur Magdeburgenſes adverſus Hiſtoriam Inventionis ſanctæ Crucis, ejuſque cultum: utrumque enim momentum defendunt Patres, & perpetuo Eccleſiæ uſu confirmatum eſt.

Tertio. Licet Crucem veram adoremus, non ideo tamen crucifixores qui Chriſtum tetigerunt ſunt colendi: namque Crucem propter ad Chriſtum relationem veneramur: at tortores odio Chriſtum habebant, quippe qui illum tangerent, ut eundem dilaniarent & occiderent.

SECTIO SECUNDA.

De cultu Sanctarum Imaginum.

MULTA ad quæſtionis intelligentiam obſervanda ſunt. Primo quidem aliquas Imagines effingi poſſe 2. Nullam ineſſe eis virtutem, qua honor aliquis illis debeatur. 3. Cultum divinum nuſquam eis deberi. 4. Nullum eſſe in Eccleſia præceptum de cultu Imaginum, nec hoc pertinere ad fidem; ſed tantum licitum eſt. Sanctas honorare & venerari Imagines non redolet aut ſuperſtitionem, aut idololatriam ut Inconomachi tum veteres, tum recentiores poſuerunt. Igitur ad diſciplinam pertinet SS. Imaginum veneratio, eamque Eccleſia modo permittere, modo reſcindere, ſi adeſſet abuſus aliquis, poteſt. Tota igitur inter nos & Proteſtantes controverſia eſt, an cultu religioſo & non ſolum civili donandæ ſint ſanctæ Imagines: primum ſiquidem tantum inficiantur.

Non abs re erit iterum obſervare, Imagines vulgo effingi ſolum de rebus corporalibus: nam debet eſſe relatio inter ſignum & rem ſignatam. Quia tamen Verbum ſuam præludens Incarnationem quandoque ſub figura vocis, quandoque etiam ſub figura humana, ſimiliter & Angeli ſenſibiles ſeſe hominibus præbuerint, uſus invaluit, ut Deus, & Angeli quibuſdam Imaginibus, non quidem illos repræſentantibus, ſed ſignificantibus, hominum oculis objicereutur, ut inviſibilia Dei per viſibilia intellecta ad ciendos pietatis affectus conſpicerentur. Nam & Arca repræſentabat Iſraelitis Deum: & Cherubin illam protegentes, exprimebant Angelos quos Dominus fecit Miniſtros ſuos atque ignem amore creatoris urentem.

Jam vero tria diſtinguere oportet, ſcilicet Imaginem, idolum & ſimulacrum. Imago eſt expreſſio rei ſubſiſtentis, idolum vero, rei fictæ, ut cum numen aliquod repræſentatur cum corpore humano caput hirci præ ſe ferente, ſicut legitur de figura Jovis. Simulacrum tandem eſt expreſſio rei quandoque veræ, ut idolum repræſentans Mercurium qui fuerat homo peccator; quandoque falſæ, ut cum Imago vel ſtatua monſtri figuram exprimit, & ſemper falſæ in Divinitate, quæ nulli creaturæ convenire poteſt.

Porro Imago poteſt depingi tripliciter, primo quidem ita ut aliquis intendat depingere vel Deum, vel Angelum ſecundum ſuam naturam. 2. Ita ut ſcopus ſit illos duntaxat repræſentare in forma ſub qua apparuere Prophetis. 3. Ita ut Imago ſit ſignum quoddam nos manuducens ad cognitionem Dei inviſibilis qui ad ſuam, v. g. deſignandam majeſtatem ſub forma Regis in Throno ſedentis, apparere voluit.

Certum eſt idola & ſimulacra eſſe prohibita: certum eſt etiam Imagines tum Dei,

Dei, tum Angelorum in primo ſenſu explicato, eſſe prohibitas, ſicut & eas quæ repræſentarent aliquem Sanctum modo vel inhoneſto, vel ridiculo & inepto. Tridentinum ſeſſ. 25. eas prohibet, & Epiſcopi in ſuis viſitationibus convelli curant. Quia vero ſolent hæretici irridere Eccleſiam Sanctam Chriſti eamque in cultu, quem exhibet ſanctis Imaginibus, exoſam reddere ſatagunt, dicendo eam & Deo atque Angelis corpora tribuere, & cultum ſuperſtitioſum ſanctis Imaginibus tanquam idolis reddere. Tria nunc occurrunt examinanda; alterum de pictura Dei & Angelorum ſecundum Eccleſiæ uſum: alterum de pictura Chriſti, Deiparæ & Sanctorum: alterum de cultu Sanctarum Imaginum.

PUNCTUM PRIMUM.

Utrum Deus & Sancti Angeli repræſentari poſſint ſub aliqua ſenſibili figura, qua manuducatur animus per viſibilia ad inviſibilium cognitionem & amorem?

CONCLUSIO.

Licitum eſt & pium repræſentare Deum & ſanctos Angelos ſub aliqua ſpecie forma ſenſibili.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo. *Ex veteri Teſtamento.*

ILLUD eſt licitum, quod ipſum Deum habet auctorem: atqui ejuſmodi pictura ipſum Deum habet auctorem: igitur licitum eſt, immo & pium Deum & Angelos ſub aliqua ſpecie corporali repræſentare. Probatur minor. Deus ipſe apparuit Adamo ſub forma hominis deambulantis in Paradiſo, ut habetur Gen. 3. ſub forma vero Regis ſedentis in Throno viſus eſt Iſaiæ: ſic enim ſcribit Propheta c. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*. Idem argumentum eſt pro Sanctis Angelis eademque probatio. Nam Exodi 25. Moiſes juſſu Dei duo Cherubim aureos ſub forma hominis alati poſuit ſuper Arcam. Et 3. Regum c. 6. legitur Regem Salomonem duos alios ex ligno olivarum decem cubitorum altitudinem habentes, qui expanſis manibus & alis eandem protegerent Arcam, conſtruxiſſe. Item Iſaias ſub hujuſmodi forma vidit duos Angelos c. 6. *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſub ſolium excelſum & elevatum . . . . Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni & ſex alæ alteri*. Nonne Angelus ſub ſpecie hominis luctabatur cum Jacob? Sic enim ſcriptum eſt Gen. 32. *Ecce vir luctabatur cum eo uſque mane*. Porro eadem prope eſt ratio pro picturis ac pro ſtatuis, & ſculptura, ac pro quacumque ſpecie ſenſibili. Igitur & Deus & Angeli ſub aliqua forma corporali repræſentari poſſunt.

Secundo. *Ex novo Teſtamento.*

CONSTAT Spiritum Sanctum corporali ſpecie apparuiſſe & ſuper Chriſtum deſcendiſſe, quinimmo, & Patrem Æternum ſub vocis Symbolo ſe præbuiſſe ſenſibilem: ſic enim habetur Matth. 3. *Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit de aqua. Et ecce aperti ſunt cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Marci 1. eadem repetuntur 2. 10. his verbis: *Aſcendens de aqua vidit cælos apertos, & Spiritum tanquam columbam, deſcendentem & manentem in ipſo*. Luc. 3. 22. habetur: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum*. Unde Concilium ſeptimum Generale Act. 5. approbat Spiritum ſanctum ſub forma columbæ depingi.

Jam vero quid de variis modis figuriſque quibus Joan. vidit Filium Dei in Apoc. dicam? Hunc vidit in Throno ſedentem ſimilem lapidi jaſpidis. Vidit & ſeptem Spiritus Dei ſub forma lampadum. Quid plura? Vidit Verbum incarnatum ſub ſpecie Agni immolati. Sic enim habetur c. 4. *Statim fui in ſpiritu: & ecce ſedes poſita erat in cælo; & ſupra ſedem ſedens: Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis. . . . Et de Throno procedebant fulgura, & voces & tonitrua: & ſeptem Lampades ardentes ante Thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei*. Denique c. 5. *Vidi: & ecce in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum,*

Agnum

Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei. Certe nemo non ſcit, neque Deum ſimilem eſſe lapidi jaſpidis: neque Chriſtum, Agno; neque Spiritus Dei eſſe aut ſeptem Lampades, aut oculos Agni: ſi igitur iſtis Symbolis Deus uſus eſt ut ſe manifeſtum redderet Prophetæ Evangelico: haud dubium eſt poſſe ejuſmodi ſignis indigitari hominibus.

Tertio, *Ex Conciliis*.

PRIMO. Ex ſeptima Synodo quæ Act. 5. probavit, pium eſſe Spiritum Sanctum ſub forma Columbæ repræſentari. Item & in Tridentino Can. 5. in Decreto de ſanctis Imaginibus. Ratio triplex affertur: prima, quia ejuſmodi picturæ & Imagines in memoriam noſtram revocant tum Dei majeſtatem immenſam, tum Verbi incarnati myſteria, tum etiam SS. Angelorum Cuſtodum beneficia. Quis enim aliquod Dei ſignum religioſum videbit, & ejus non adorabit majeſtatem? Quis Chriſti recordabitur, & cor in ejus non exardeſcet amore? Quis Angelorum Cuſtodum, immo vere Patrum noſtrorum releget veſtigia & intuebitur Imagines, quos redamare pigebit? Secunda ratio ea eſt, quia ſumus ſenſibiles: teſte autem Apoſtolo, inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Nonne quælibet creatura repræſentat auctorem: ſicut effectus indigitat cauſam? quinimmo ex Auguſtino, quælibet repræſentat totam Sanctiſſimam Trinitatem: dicit ordinem ad Principium quidem a quo emanavit, & eſt Pater: ad Ideam ad quam reſpiciens Deus eam formavit, & eſt Filius: ad Finem propter quem producta eſt, & eſt Spiritus ſanctus: nullum igitur inconveniens reperitur, ſi Deum vel Angelos ſignis quibuſdam & Symbolis repræſentemus, ut his quaſi manuducamur tum ad eorum cognitionem, tum etiam ad eorumdem amorem.

Triplex celebris fuit Chriſti Imago. Prima ea cenſetur quam in linteamine ſuper faciem ſuam appoſito ipſe expreſſit, & miſit ad Abagarum Edeſſenæ Regem, quæque aſſervatur Romæ in Eccleſia Monialium ſancti Sylveſtri. Secunda eſt ſtatua ænea fuſa & erecta apud Pareadem mulierem, quam Chriſtus a profluvio ſanguinis ſimplici ſuæ fimbriæ contactu ſanavit: illam figuram Euſebius l. 7. Hiſt. Eccl. c. 14. ſe vidiſſe teſtatur. Tertia expreſſio faciei Salvatoris ſuper velum Veronicæ, quæ Chriſto Crucem bajulanti occurrit & hæc aſſervatur in Eccleſia S. Petri. His addimus ſindonem duplicem, alteram quæ Veſuntione, alteram quæ in urbe Taurinenſi videtur: utraque enim Corpus Chriſti emortuum repræſentat.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Tribus primis ſæculis nullum uſus pingendi Deum & Angelos immo & reliquos Sanctos veſtigium apparet. Igitur uſus ille non eſt licitus, quia eſt inventio pure humana.

Reſpondeo diſtinguendo: uſus pingendi tum Deum, tum ſanctos Angelos & Reliquos non fuit in uſu primis ſæculis formaliter & explicite, tranſeat: fundamentaliter, nego. Nonne ordinante Deo depicti ſunt Cherubim circa Arcam? Nonne ipſe Deus ſub ſpecie humana, & ipſi Angeli apparuerunt? Quinimmo & Spiritus ſanctus ſub ſpecie corporali Columbæ viſus eſt ſuper Chriſtum, cum baptizatus eſt in Jordane: igitur fundamentum ſufficiens erat pingendi Deum ſub aliquo Symbolo; Sanctos vero in ſpecie corporali illis correſpondente. Equidem propter perſecutiones rarus fuit ſanctarum Imaginum tribus primis ſæculis uſus, cum myſteria celebrarent ſancti Sacerdotes in cryptis & cavernis, non tamen abſolute nullus, ut patet de Hiſtoria Statuæ Salvatoris quam in beneficii a Domino accepti memoriam erigi curavit mulier Hæmorrhoiſſa, ut refert Euſeb. l. 7. Hiſt. c. 18. Ipſe Tertullianus ſupra citatus qui 3. florebat ſæculo mentionem facit de Sanctis Imaginibus. Item Euſebius loco citato aliqua ſcribit de Effigie BB. Ap. Petri & Pauli, quam primi Chriſtiani domibus aſſervabant. Concinit Aug. l. 1. de Conſenſu Evang. c. 16.

Inſtabis. Traditio per avorum & Scriptorum atque Synodorum ſeriem dignoſcitur: atqui Traditio contraria penitus & oppoſita picturæ Dei reperitur: ergo &c. Probatur minor ex Conciliis. Elibe-

rita-

rita num Can. 26. prohibet Imagines pingi in parietibus. 2. Concil. 10. Gener. Act. 7. vindicat Chriſtianos a calumnia quæ illis imputabatur, in eo quod pingerent Deum, & Imaginibus eum circumſcriberent " Chriſtiani, inquit, in-„ viſibilis & incomprehenſibilis naturæ „ Imaginem numquam fecerunt, ſed ſe-„ cundum quod Verbum caro factum eſt „ & habitavit in nobis, ea quæ huma-„ næ ejus diſpenſationis ſunt, pingunt. „ Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem: ad primam probationem diſtinguo: Concilium Eliberitanum prohibet Imagines propter abuſum, & quia permulti ſive ſimplicitate, ſive etiam errore adducti honorem ſoli Deo debitum illis tribuebant, quaſi fuiſſet in eis virtus, & quid divinum, concedo: eo quod exiſtimaret cultum illicitum & pernicioſum ſecundum ſe, nego. Loquitur in primo tantum ſenſu, ut patet ex verbis Canonis: " Placuit pictu-„ ras in Eccleſiis eſſe non debere, ne „ quod colitur, aut adoratur, in parieti-„ bus depingatur. „

Ad ſecundam probationem diſtinguo: vindicat Concilium Decimum Chriſtianos a calumnia, quæ quidem in eo ſita erat, quod adverſarii ipſis tribuerent velle pingere Deum ſecundum ſe, concedo: prohibendo pingere ſub aliquo corporali Symbolo, nego. Dictum eſt ſupra in obſervationibus, aliquem pingendo Imaginem, Deum exprimentem, duo poſſe intendere, nempe vel repræſentare Deum ſicuti eſt, vel ſolum aliquo Symbolo ducere aliquem in ejus cognitionem. Deus pingi non poteſt primo modo, quia incorporeus eſt, & incircumſcriptibilis; hunc tamen defectum Gentiles ſeu etiam Judæi tribuebant Chriſtianis; unde eos purgat ab hoc Concilium, dicendo eos nunquam Imaginem Dei feciſſe niſi Verbi incarnati, & ſecundum quod Homo eſt, quia natura divina utpote tota ſpiritualis, & ex omni parte infinita neque terminis locorum, neque quantitatis dimenſionibus circumſcribi valet.

Inſtabis: pictura Dei non ſolum inaudita fuit primis ſæculis, verumetiam uſque ad noſtra ferme ſæcula prohibita: igitur Traditioni ſemper contraria, adeoque omnino rejicienda. Probatur antecedens diſcurrendo per ſæcula. De tribus primis ſæculis res aperta eſt. Quarto ſæculo ejuſmodi picturam improbat Euſebius, ſcribens enim ad Conſtantiam qua de cauſa Imaginem Chriſti quam expoſtulabat, non mitteret; reſpondit Chriſtum ut Deum non pingi poſſe, quia ſub iſta conſideratione ejus ſpecies ignota & prorſus impervia erat. Quinto ſæculo ſimilia dicit Auguſtin. lib. de Fide & Symbolo cap. 7. " Ne, *inquit*, Deum putemus habe-„ re corporalia membra. „ Ætate ſequenti Joannes Theſſalonicenſis diſputans cum quodam Gentili objiciente Chriſtianos Deum depingere, reſpondit ut legitur Act. 4. Gen. 7. " Imagines Dei „ facimus, ideſt Domini noſtri Jeſu „ Chriſti quomodo viſus eſt ſuper ter-„ ram, non ut intelligatur natura Deus. „ Octavo ſæculo, tempore Iconomachorum, uſus ejuſmodi Imaginum ignotus erat. Sic enim loquitur Gregorius II. Epiſtola prima ad Leonem Iſaurum: " „ Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti non „ oculis ſubjicimus & pingimus. „ Nono ſæculo nondum erant in uſu Imagines Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut colligitur ex Libris Gallorum. Eas rejecit decimo tertio ſæculo Henricus de Gandavo. Durandus ſæculo 14. utique improbavit, ut refert Aventinus in Annalibus temporum lib. 7. Joannes XXII. punire voluit quoſdam qui Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines pingi curaverant. Denique Toſtatus vir alias percelebris & doctiſſimus etiam ejuſmodi picturas rejecit. Igitur cum Traditio novitati prævalere debeat, dicendum eſt picturas tum de Deo, tum de Angelis eſſe illicitas.

Reſpondeo hæc omnia probare ſolum Eccleſiam ſe abſtinuiſſe primis ſæculis a picturis propter graſſantes perſecutiones, ſed quarto ſæculo libertate donata, non amplius in cryptis & locis ſubterraneis, ſed publicis & ſolemniori ritu celebrabat myſteria: quo tempore loca Sancta Sanctis decoravit Imaginibus. In veteri ſancti Martini Baſilica apud Turones conſpicitur in ſummitate Templi Imago Crucifixi ipſius ſtructuræ coæva, & ideo quinti exeuntis ſæculi & ſexti inchoantis. Imago Chriſti ſub forma Boni Paſtoris ovem ſuper humeros deportantis vetuſtiſſima eſt.

Reſpondeo 2. Sequi adhuc aliud parvi mo-

momenti, nempe Eccleſiam picturis & Dei & Angelorum ex profeſſo tardius adhæſiſſe, minime vero eas eſſe aut abſurdas, aut illicitas: quandoquidem eaſdem permittendi fundamentum pluſquam ſufficiens habet in viſionibus Verbi incarnandi factis tum Patriarchis, tum Prophetis. Unde diſtinguo; picturæ Dei & Sanctiſſimæ Trinitatis fuerunt prohibitæ ad tempus & propter abuſum, eo quod quidam eodem cultu, quo Deus ipſe colitur, ſimpliciter illas adorarent, immo & quandam virtutem divinam in eis diffuſam eſſe autumarent, concedo: prohibitæ ſunt quia in ſe malæ forent, nego.

Solutio deducitur ex ipſis auctoritatibus quæ videntur contrariæ ſanctis Imaginibus. Synodus Eliberitana eas prohibet Can. 26. “ Ne, inquit, quod colitur aut „ adoratur, in parietibus depingatur. „ Quibus verbis vult ſolum Deum utpote purum ſpiritum, eumque immenſum, & incircumſcriptum non poſſe, etiam de potentia abſoluta depingi aut effingi. Auguſt. loco citato dicit: “ Ne Deum „ putemus habere corporalia membra, & „ ne in illud eorum incidamus ſacrilegium qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. „ Item Joannes Theſſalonicenſis, de quo in objectione, hanc reddit rationem, cur Verbum ſolum ut incarnatum, & non reduplicative ut Deus depingeretur, quia Deus non eſt nec fuit effigiatus & incarnatus: “ Quæ enim, „ inquit, ſimilitudo eſt, vel qui habitus „ incorporei Patris? „ Igitur ſolum ſuperſtitionem abhorrent Concilia & Patres, & quando apparuit periculum, Eccleſia tunc abſtinere a ſanctis Imaginibus cenſuit. Res aperta eſt ex Adriano I. cujus hæc verba leguntur Act. 2. Concilii ſeptimi generalis. “ Sicut, inquit, a „ ſanctis Patribus & Prædeceſſoribus probatiſſimis Pontificibus ſuſcepimus..... „ Sacram Imaginem Domini Dei & Salvatoris Jeſu Chriſti ſecundum incarnatam ejus formam in aula Dei conſtituimus.... ut per viſibilem vultum ad „ inviſibilem divinitatis Majeſtatem mens „ noſtra rapiatur ſpiritali affectu. „ Pium eſt igitur & perutile pingere aut Deum, aut Angelos ſanctos ſub aliqua forma & ſpecie ſenſibili, cum eo dumtaxat ſcopo faciat permittatque Eccleſia, ut inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intelligantur: maxime vero cum ipſis teſtantibus Parribus eo fine Verbum ipſum factum ſit Caro. Ita Clemens Alex. pro Trep. pag. 51. Ambroſ. l. 3. de Fide c. 4. Chryſoſtomus Hom. 34. & alii permulti.

Reſpondeo 3. in forma & diſtinguendo. Prohibentur depingi Imagines, in locis humidis & in parietibus ne ludibrio exponantur, vel etiam ne adorentur ut numina a ſimplicibus, concedo: prohibentur quia in ſe eſt aliquid malum, nego. Ultro fatemur Diſciplinam Eccleſiæ in hoc momento fuiſſe diverſis temporibus etiam diverſam: quandoque prohibitæ ſunt primis ſæculis SS. Imagines, ne ſimplices & rudes ex Paganiſmo de novo converſi ad Fidem, ad idololatriam occaſione hujuſmodi cultus, ducerentur & provocarentur, vel etiam ne in parietibus & locis depingerentur humidis: in parietibus quidem, cum enim alternatis perſecutionibus quateretur Eccleſia, tunc Imagines quæ aſſervari in tuto loco non poterant, quales erant illæ quæ fuerant in parietibus depictæ, manebant ludibrio Gentilium expoſitæ: in locis vero humidis, quatenus coloribus propter humiditatem aut abraſis, aut penitus ablatis, ſancti cum membris mutilatis in Imaginibus ſpectaculum facti, irreverentiam potius & deriſum commovebant. Hanc propter rationem Theodoſius & Valentinianus Imperatores, ut habetur l. 1. Codicis titulo 8. prohibent ne ſanctorum Imagines vel in ſilice, vel in marmore & in locis aquoſis atque humidis pictura ſculpturave exprimerentur. Et ſic ſolvuntur omnes in contrarium auctoritates, maxime Concilii Eliberitani quod adunatum eſt anno 305. quo tempore adhuc excandeſcebant Perſecutores contra Eccleſiam. Igitur Imagines aut Dei, aut ſanctorum in parietibus depingi propter rationes datas non conveniebat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Licitum eſt Deum & Angelos repræſentare ſub aliqua forma ſenſibili.

PRIMO: Gen. 3. Deus apparuit Ada-

mo

mo ſub forma hominis in Paradiſo deambulantis. Iſa. 6. Propheta vidit Deum quaſi Regem in throno ſedentem. Ibidem legitur Iſaiam vidiſſe Seraphim alatos, & eos collaudantes Dominum audiviſſe. Luc. 3. Spiritus ſanctus ſub columbæ ſpecie in Chriſtum deſcendit: ergo, &c.

Secundo: Res ita fieri poſſe declarat Concilium Nicænum ſecundum, act. 5. declarat & Tridentinum can. 5. ubi de decreto pro ſanctis Imaginibus.

Tertio: Ratio hoc ipſum comprobat; cum enim homo ex anima & corpore conſtet, manuducitur per res ſenſibiles ad inviſibilium cognitionem.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tribus primis ſæculis propter ingruentes perſecutiones, Chriſtiani non utebantur pictura ad Deum & Sanctos Angelos ſibi repræſentandos: ſed, pace Eccleſiæ reddita, uſus hic religioſus poſtea invaluit; quæ quidem Religio in utroque Teſtamento fundamentum habet.

Secundo: Tametſi decurſu temporum nonnumquam prohibitæ ſint depictæ & Dei & Sanctorum Imagines, eo ſolum factum eſt ſcopo ad reſcindendos quoſdam abuſus: vel etiam ad coercendam & impediendam irreverentiam, non ſemel enim compertum eſt Imagines in locis humidis expreſſas, cito citius reſolvi in varias partes, quæ ſitu & ordine, quem inter ſe ſervare debent, ſpoliatæ, quandam præ ſe ferunt deformitatem, quæ quandoque riſum, quandoque etiam contemptum excitant; quocirca Epiſcopi prohibuerunt Imagines aut Dei, aut Sanctorum in hujuſmodi locis depingi.

Tertio: Ultro concedimus ſubſtantias ſpirituales non poſſe, ut ſunt in ſe, delineari coloribus: ſed nihil prohibet per aliqua ſymbola indigitari.

PUNCTUM SECUNDUM.

Utrum pium ſit & licitum pingere Sanctorum imagines?

CONCLUSIO.

Pium eſt & licitum pingere Sanctorum imagines, eaſque in Templis & locis privatis reponere.

HÆC concluſio ſequitur ex præcedenti, in priori puncto probata, iiſdem demonſtratur rationibus. Hoc ipſum uſus confirmat: unde ſic argumentor:

Ille uſus eſt pius & religioſus qui ortum habet ex utraque Eccleſia, veteri ſcilicet & nova: atqui uſus pingendi Sanctorum imagines, ortum ducit ab utraque Eccleſia: igitur pius eſt & religioſus; nec idololatriam redolet. Probatur minor quoad utramque partem, nempe quod uſus ille ortum habeat, tum a Synagoga, tum ab Eccleſia Chriſti. De primo patet, cum juſſu Dei Moyſes conſtruxerit duos Cherubim alterum a ſiniſtris, alterum a dextris Arcæ, inſuper & Serpentem æneum Chriſtum repræſentantem elevavit in deſerto, ut legitur Exodi 21. 8. de ſecundo vero probatur multipliciter.

1. *Tertullianus* l. de Pudicitia c. 7. refert veterem fuiſſe apud Chriſtianos conſuetudinem Chriſtum ſub forma Paſtoris ovem deperditam ſuper humeros geſtantem depingere.

2. *Gregorius Nyſſenus* eidem ſuffragatur veritati oratione de ſancto Theodoro Martyre, in qua loquitur de ſanctis Imaginibus quarum collaudat uſum. Et in oratione de Filii & Spiritus Sancti Divinitate de quodam homine dicit: "Cum „ in mentionem Iſaaci ab Abrahamo in „ ſacrificium oblati incidiſſet, ſæpenu„ mero miſerabilis hujus rei imaginem „ in pictura vidit, nec abſque lacrymis „ ſpectaculum præteriit. „

3. *Sequitur* Ambroſius qui Epiſtola 53. dicit SS. Gervaſium & Protaſium ſibi per viſum apparuiſſe cum quaſi tertia Perſona quæ ſimilis B. Paulo videbatur: "Cujus me vultum, *inquit*, pictura do„ cuerat. „ Jam igitur depingendi Sanctos uſus increbuerat in Eccleſia.

4. Di-

4. *Divus Hieronymus* in c. 4. Jonæ cæterorum Patrum de pictura SS. Imaginum placita confirmat, dicens : " In ipſis cu-
„ curbitis vaſculorum imagines BB. Apo-
„ ſtolorum adumbrari. „

5. *Chryſoſtomus* ſententiam noſtram ſuo munivit calculo orat. 45. ad populum Antiochenum in laudem Meletii habita : ibi enim aſſerit quod effigiem ejus nemo eſſet qui non ambiret conſpicere.

6. *Affine* quoddam de pictura ſanctarum Imaginum dicunt reliqui Patres : in primis Baſilius orat. de S. Barlaam Martyre, Aug. ſerm. 94. de diverſis. His addendi ſunt Paulinus qui ſuam Baſilicam picturis Sanctiſſimæ Trinitatis exornavit ut legitur apud ipſum Epiſt. 12. Theodoretus qui in religioſa hiſtoria Simeonis Stilitæ, multa præclara de iſto Sancto enarrat, cujus effigiem multos ad præſidium ſervaſſe aſſerit. Leontius Cypri Epiſcopus in Apologia pro Chriſtianis adverſus Judæos ſimilia dicit de pictura ſanctarum Imaginum. Hoc opus mirabile refertur act. 4. Conc. 7. pag. 233.

Ex his ſequitur iſtud argumentum : ille uſus eſt & laudabilis & religioſus, qui Deum habet in veteri lege auctorem, qui ab Eccleſia poſt perſecutiones tertio circiter ſæculo vigere cœpit, qui ſignis ſenſibilibus in memoriam noſtram revocat Sanctorum & virtutes & prælia atque victorias ad fidem noſtram ſtimulandam : atqui talis eſt ex dictis ſanctas Imagines depingendi uſus. Igitur eſt pius & laudabilis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIUNT Iconomachi tum veteres, tum recentiores. Deus prohibet fieri alicujus creaturæ imagines : igitur Imagines Sanctorum non ſunt faciendæ. Probatur antecedens multipliciter, 1. Exodi 20. v. 4. legitur : *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.* 2. Hecatheus auctor profanus apud Joſephum l. 1. contra Appionem refert, nullas propter hoc præceptum Judæor. imagines & ſimulacra in Templo depingi permiſiſſe. Idem cenſet ipſe Joſeph l. 2. contra Appionem, & præter ipſum Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. Origenes l. 4. contra Celſum pag. 185. 3. Tertullianus l. de Idololatria dicit Deum ad eradicandam materiam idololatriæ, non tantum idola, ſed omnem ſimilitudinem prohibuiſſe. Libro vero 4. contra Marcionem c. 22. ſcribit Moyſem & Eliam cum Chriſto in monte colloquentes agnitos fuiſſe a Petro in Spiritu non ex imaginum fide. " Neque enim, *inquit*,
„ imagines eorum vel ſtatuas populus ha-
„ buiſſet & ſimilitudines, lege prohi-
„ bente. „ 4. Tantus erat Judæorum ergi imagines horror, ut ægre admodum tulerint, quod Herodes Aquilæ figuram ſupra majorem Templi portam collocari voluerit & curaverit : ergo, &c.

Reſpondeo 1. Opponendo Scripturam Scripturæ : nam eadem quæ prohibet creaturarum & ſtatuas & imagines, præcipit Arcam de lignis Setim incorruptibilibus fabricari, item & duos Cherubim qui protegerent Arcam, ſimiliter & Serpentem æneum elevari in deſerto. Quæ quidem omnia dilucide probant nedum novæ, ſed & veteris Eccleſiæ diſciplinam circa ſanctas Imagines diverſis temporibus diverſam fuiſſe : quandoque & pro certo fine eas permiſiſſe, ut Arcæ, & Serpentis imaginem, Arcæ quidem ut Deum in ſigno illo ſenſibili quaſi præſentem ſiſteret coram populo, Serpentis vero ut hac figura Judæi veluti manuducerentur ad Chriſti fidem, qua ſolum a plagis ſanari valebant : quandoque etiam prohibuiſſe, ne forent in ſcandalum & in ruinam populi ad idololatriam admodum proclivis. Unde

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Imagines creaturarum prohibitæ & interdictæ ſunt Judæis, tranſeat ; namque Moiſes jubente Deo duos conſtruxit Cherubim qui ſuis alis protegerent Arcam. Imagines omnes & ſigna aut Deum, aut Verbum incarnatum deſignantia, nego. Primas Imagines ſolum interdixit Deus Judæis ne propenſi ad idolatriam, haberent lapides & metalla, creaturaſve pro Diis. Sic enim habetur ibidem Exod. 20. 4. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem .... Non adorabis ea, neque coles.* Et Deut. 4. 15. *Cuſtodite ſollicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti facia-*

tis

Digitized by Google

tis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem muſculi, &c. Quibus ſententiis Deus eo dumtaxat fine prohibet quaſdam creaturarum Imagines, ne populus craſſior aut jumenta, aut militiam cæli, aut etiam metallum tanquam numen adoraret. Unde diſtricte ei prohibet nullum aliud ſculptile apud ſe habere præter Arcam & Cherubim eam protegentes. Et hoc ſolum probant Patrum auctoritates.

Inſtant: atqui eſt contra Dei præceptum fabricare & aſſervare imagines. Ergo &c. Probatur ſubſumptum: 4. Reg. 18. Laudatur Ezechias Rex Juda eo quod ſerpentem æneum confregerit atque deſtruxerit, quamvis foret ille ſerpens figura Chriſti. 2. Quando legitur, adorate ſcabellum pedum ejus, Hebræum ponit, ad ſcabellum, quia loquendi formula inſinuatur ipſam fœderis Arcam non fuiſſe aliquo cultu donatam, ſed Deum tantum ad præſentiam Areæ. Quibus concinit Div. Thomas qui 3. p. q. 25. art. 3. ad 1. ſic loquitur: " Ipſi autem vero Deo, cum ſit
,, incorporeus, nulla imago corporalis po-
,, terat poni quia non debuit, nec poſſunt
,, fieri imagines Dei. ,,

Reſpondeo 1. ipſos Calviniſtas in ædibus habere & aſſervare Moiſis imaginem cum Decalogi tabula: Lutherani vero nedum Moiſis, ſed & Apoſtolorum & Chriſti in Cruce pendentis figuram in Templis collocant, nec tamen idoſolatriæ crimine fœdatos ſeſe exiſtimant; qua de cauſa igitur aut idololatriæ, aut ſuperſtitionis notam nobis inurere audent? nam & abſque injuria tolerant Calviniſtæ apud Lutheranos imagines, ut conſtat ex colloquio Monsbelgartenſi.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: eſt contra Dei præceptum imagines habere & fabricare ut in eis aliquod numen adoretur, concedo: ut revocent in memoriam virtutes quæ in Sanctis, dum erant in hac vita ſuperſtites, apparuerunt, nego. Solus abuſus interdicendus eſt, ut notat Trid. ſeſſ. 25. unde Gregorius Magnus l. 7. Epiſtolarum Epiſt. 109. graviter increpat Cerenum Maſſilienſem, eo quod propter aliquem a quibuſdam inductum abuſum, Imagines ſanctas a ſua Diœceſi abſtulerat ac procul fecerat, injungitque ablatas reſtitui.

Ad primum diſtinguo: laudatur Ezechias eo quod ſerpentem æneum deſtruxerat, quia Judæi volebant aut illum tanquam aliquam divinitatem venerari, aut de facto ſic eum colebant, concedo: quia erat quid in ſe malum illa imago, nego. Vel aliter diſtinguo & ille ſerpens non erat amplius Chriſti imago, adeoque inutilis, concedo: & erat, nego. Serpens fuit imago Chriſti ſolum in deſerto & quando hic ſurſum elevatus eſt, ut Chriſtum in Cruce pendentem repræſentaret & hoc ex Dei inſtituto, ut ſic provocaret ægrotorum fidem, & credentes in Chriſtum ſanarentur: tempore autem Ezechiæ & præceptum non erat pro illo ſerpente ut Chriſtum crucifixum exprimeret, neque de facto elevatus in aliquo loco conſpiciebatur; unde jam tunc inutilis erat, adeoque confringi debuit: maxime vero quia provocabat ad idololatriam Hebræos.

Ad ſecundum: verbum Hebræum latine redditur, proſternite coram Arca: igitur illa ſummo afficiebatur honore, unde nihil ſequitur contra nos.

Ad tertium diſtinguo ut ſupra, Deus poteſt repræſentari ſicuti eſt, concedo: quoad ſuas virtutes, & hoc per formas & ſpecies, quibus poteſt animus manuduci per ſenſibilia ad inviſibilia quę non novit, nego.

Opponunt 2. Imagines depictæ ſæpius ſunt occaſiones modo ſcandali & ſchiſmatis, modo etiam idololatriæ. Igitur nec ſunt pingendæ, vel ſi quæ inveniantur, auferendæ ſunt. Ita ſe geſſit in hoc momento Epiphanius; in Epiſtola enim ad Joannem Patriarch. Jeroſolymitanum ſcribit ſe ſcidiſſe imaginem quam in Eccleſia quadam prætereundo viderat, quam quidem Epiſtolam latine reddidit Hieronymus. In ea autem ſic loquitur: " Quando pergeba-
,, mus, *inquit*, ad locum ſanctum qui vo-
,, catur Bethel, ut ibi collectam facerem
,, & veniſſem ad viam quæ dicitur Ana-
,, blatha, vidiſſemque ibi præteriens lu-
,, cernam ardentem, didiciſſemque eſſe
,, Eccleſiam .... inveni ibi velum pen-
,, dens in foribus ejuſdem Eccleſiæ, non
,, enim ſatis memini cujus imago fuerit.
,, Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chri-
,, ſti contra auctoritatem Scripturarum ho-
,, minis pendere imaginem, ſcidi illud,
,, & magis dedi conſilium cuſtodibus hu-
,, jus loci ut pauperem mortuum eo ob-
,, volverent & efferrent. ,,

Confirmatur 1. Amphilochius in Lycaonia Iconienſis Epiſcopus imagines utique reje-

rejecit, cujus verba referuntur in Concilio 7. generali actione 6. pag. 483. " Non in „ tabulis carnales vultus Sanctorum per „ colores curæ nobis eſt figurati, quia his „ opus non habemus, ſed converſationem „ eorum virtutibus imitari . „ 2. Optatus Millevitanus l. 3. refert quoſdam quaſi ut abominationem habuiſſe imaginem quandam ſuper altare poſitam . 3. Concilium Turonenſe 3. can. 2. Jubet ut Euchariſtia medio in altari ſub Crucis titulo, non imaginario ordine componatur , qua quidem ſententia liquet Imagines non habuiſſe tunc in Eccleſia locum.

Reſpondeo 1. ut ſupra , hæc omnia duo tantum probare ; alterum quidem imagines non eſſe abſolute ad ſalutem neceſſarias, cum honor ſponſæ ſit potiſſimum ab intus . Utinam homo ita foret a terrenis alienus, ut, ſecluſo etiam rerum corporalium adminiculo, poſſet ad rerum divinarum aut cognitionem , aut contemplationem aſcendere : ſed quoniam , inquit Chryſoſtomus, anima corpori concreta eſt , nonniſi ſacrorum varietate velaminum ad Deum tendere , ut plurimum conſuevit . Alterum vero quod auctoritates allatæ inſinuant , eſt, Eccleſiæ diſciplinam, ut ſupra diximus , pro diverſitate temporum fuiſſe diverſam . Conſtat quidem quandoque abſtinuiſſe à SS. Imaginibus Eccleſiam ; modo eas aſſumpſiſſe , modo ad tempus vel propter perſecutiones , vel etiam propter hominum craſſorum hebetudinem & abuſum recidiſſe : ſed tandem juſte & pro ſemper eas adoptaſſe ut media quibus animus poteſt manuduci ad cæleſtia quæ ſunt inviſibilia.

Reſpondeo 2. retorquendo argumentum contra Iconomachos recentiores , ſcilicet Calviniſtas : ſi pingere & honorare ſanctas Imagines eſt idololatria, cur ipſi venerantur, & ſumunt cœnam, quæ, ipſis teſtantibus , eſt Chriſti figura & imago ? ſi non opus habemus rebus ſenſibilibus tum ad cognoſcendum, tum ad colendum Deum, ad quid Sacramenta quæ etiam ſecundum eos ſunt ſigna ſenſibilia fœderis inter Deum & homines , & ſecundum omnes Catholicos ſigna practica gratiæ?

Reſpondeo 3. ad argumentum diſtinguendo antecedens: imagines depictæ idololatriæ præbent occaſionem per accidens & defectu illius qui eas intuetur, concedo : præciſe ratione ſui, nego . Homo abutitur omnibus , immo & ipſis Sacramentis, ergo ne ideo abroganda ? minime . Quis non ſcit , ſi attendere vult , nullam eſſe in metallo & in figura inanimata virtutem, nullumve numen ? Si quis igitur ita bardus eſt , ut hoc ipſum ſtulte credat , ipſius ignorantia eſt vincibilis , & ab ea ſe retrahere facile poteſt . Populus Judaïcus ad idololatriam non modicum propenſus erat : non ideo tamen Moiſes abſtulit ab ejus oculis Arcam quæ erat Dei viventis ſignum.

Ad S. Epiphanii auctoritatem, Suarez , Iſambertus & alii plurimi non ſine fundamento propugnant iſtas particulas , *Ne in Eccleſia Chriſti contra auctoritatem Scripturarum hominis penderet imago* , Epiſtolæ fuiſſe additas , quia ſanctus Joannes Damaſcenus orat. 2. de SS. Imagin. ſub finem teſtatur ſermonem illum eſſe confictum ab aliquo qui ſancti Epiphanii nomine abuſus eſt . Etvero alter Epiphanius in ſeptima Synodo , actione 6. alia ſimilia ſancti Epiphanii loca ab Iconomachis in tanti Doctoris operibus inſerta fuiſſe , contendit & probat , quia ante verba in objectione allata Epiſtola ſancti Epiphanii erat finita.

Dices: locus eſt genuinus Epiphanii fœtus , ſiquidem integer a Hieronymo refertur Epiſt. 61. ad Pammachium & 101. 2. Poſtremam loci particulam 8. & 9. ſæculo Carolus Magnus l. 4. de Imag. c. 25. & Galli Epiſcopi in Conventu Pariſienſi c. 7. citant . Hoc ipſum omnium Codicum conſenſu verum apparet .

Reſpondeo : dato & non conceſſo , quod totus locus ſit genuinus , diſtinguo : & hoc probat ſolum tempore Epiphanii uſum ſanctarum Imaginum nondum in univerſali Eccleſia inoleviſſe , concedo : & hoc probat & uſum eſſe malum aut nondum apparuiſſe in Eccleſia , nego . Scriptura non dicit ſanctas Imagines abſolute ad ſalutem neceſſarias , unde potuit S. Epiphanius eas tunc temporis propter aut idololatriæ , aut contemptus periculum auferre : maxime vero quia nondum in univerſali Eccleſia invaluerat uſus ſanctarum Imaginum , qua de cauſa & Carolus Magnus & Galliarum Præſules uti potuerunt auctoritate S. Epiphanii ad probandum & cultum ſanctarum Imaginum non eſſe ad ſalutem conſequendam abſolute neceſſarium , nec ipſas ſanctas Imagines hono-

honore divino eſſe donandas. Sed conſtat ex uſu & definitione Eccleſiæ pium eſſe & religioſum pingere Sanctorum Imagines. Quinimmo, jam uſus invaluerat in quibuſdam Eccleſiis tempore S. Epiphanii, ut probat Imaginis pictura, quam reſcindere judicavit: quod quidem etiam probat obmurmuratio ejuſdem cuſtodum, qui ægre admodum S. Epiphanii factum tulerunt: ſic enim habetur in eadem Sancti Præſulis Epiſtola: " Illique contra
„ murmurantes dixerunt, ſi ſcindere vo-
„ luerat, juſtum erat, ut aliud da-
„ ret velum atque mutaret, quod cum
„ audiſſent me daturum eſſe, pollicitus
„ ſum .... nunc miſi. „

Ad Optatum, dico ſermonem habere de imagine Cæſaris, quæ circa altare pendebat, unde Chriſtiani ferventiores hoc tanquam abominationem habebant. Cæterum ſi ſit ſermo etiam de ſanctis Imaginibus, hoc probat ſolum tunc uſum non fuiſſe ubique parem. Et hoc utique ad ſummum inferri poteſt ex Concilio Turonenſi, aliiſque auctoritatibus.

Objicies 3. prohibitæ ſunt ſanctæ Imagines in Concilio ſeptimo generali actione 6. pag. 475. ubi hæc habentur: " Atten-
„ dite vobis & tenete Traditiones quas
„ ſuſcepiſtis .... & hoc in memoriam
„ habete, filii dilecti, ne inducatis Ima-
„ gines in Eccleſiam, neque in Cœmete-
„ ria Sanctorum ... ſed neque in domum
„ communem. " Igitur penitus ſunt amo-
„ vendæ Imagines.

Reſpondeo diſtinguendo: Imagines prohibitæ ſunt in 7. Concilio generali ſpurio, quod fuit Iconomachorum Conſtantinopoli adunatum, concedo: in ſeptimo legitimo, nego. Quinimmo iſtud firmat ſanctarum Imaginum & fabricam & cultum, unde Catholici explodunt auctoritatem citatam, & tanquam Iconomachorum adinventionem longe rejiciunt.

Objiciunt 4. Patres primorum ſæculorum inſectantur ſimulacra & ſtatuas Gentium; in primis Tertul. apol. c. 12. dicendo quod ſtatuæ ſint, & imagines frigidæ mortuorum, " Quas milvi & mures & ara-
„ neæ intelligunt. „ 2. Pagani vero e contra, ut legere eſt apud Arnobium l. 6. Chriſtianis in crimen vertebant quod nulla haberent ſimulacra. Idem refertur a Minutio Felice in Octavio. 3. Judæi Chriſtiani nominis ejurati hoſtes in diſputationibus quas non ſemel habuerunt cum noſtris, neutiquam eos de idololatria criminati ſunt. 4. Imagines aut in vaſculis ſacris, aut in ſacra Eccleſiarum ſupellectili, puta in caſula, in candelabris, primis temporibus nullæ videntur. Ita refert Euſebius l. 10. hiſt. Athanaſius Epiſtola ad Solitarios. 5. Aug. l. 8. de Trin. dubitat quænam vere fuerit Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis facies, quæve oris forma, atque effigies. Sed ſi licitum fuiſſet pingere imagines, neque Gentiles exprobraſſent Chriſtianis quod in Templis abſtinuiſſent a Sanctorum figuris: Judæi e contra Imaginibus ex profeſſo adverſantes hoc tanquam horrendam abominationem criminati eſſent. Neque ipſi Chriſtiani Paganos propter ſimulacra arguere potuiſſent, cum in eadem fuiſſent damnationis cauſa. Inſuper & Sanctorum effigies non ſemel depictæ apparuiſſent in caſulis, dalmaticis, cæteriſque Sacerdotum veſtibus, necnon & in vaſculis, in candelabris & in ſimilibus ſacris inſtrumentis: nec utique quid impervium & omnino abſconditum fuiſſet, tum Salvatoris, tum Deiparæ ſacra effigies. Igitur non licitum eſt effingere Sanctorum Imagines.

Reſpondeo. Ex his & ſimilibus argumentis ſequi ſolum, 1. SS. imagines non eſſe abſolute ad ſalutem neceſſarias, ſed ad diſciplinam dumtaxat pertinere. 2. Non unam fuiſſe pro hoc momento in Eccleſia diſciplinam quæ raro in primis ſæculis habere voluit Imagines propter rationes jamjam non ſemel allatas 3. Abſtinuiſſe uſque ad decimum quintum circiter ſæculum ab Imaginibus Deum exprimentis juxta illud Gregorii II. Epiſtola 1. ad Leonem Iſaurum: " Patrem, *inquit*, Do-
„ mini Jeſu Chriſti, non oculis ſubji-
„ cimus, ac pingimus, quoniam quis ſit non novimus. 4. Statuas vix in uſu fuiſſe apud veteres Chriſtianos qui ab illis abſtinebant, maxime propter duo. Primo quidem ne exoſi fuiſſent Judæis ad fidem Chriſti accedentibus. 2. Ne cultus Eccleſiæ collimaret in cultum ſuperſtitioſum Gentilium qui ſimulacra veluti tot numina habebant; unde uſus pingendi ſanctas Imagines, ſtatuarum ſculptura longe vetuſtior eſt. Hoc patet ex multis momentis.

Primo, Ex Epiſtola S. Germani Patriar-

chæ Conſtantinopolitani ad Thomam Claudiopolitanum Epiſcopum, in qua quidem poſt relatam ab Euſebio Hiſtoriam ſtatuæ in Chriſti honorem a muliere Hæmorrhoiſſa apud Paneadem collocatæ ſubjungit: “ Non autem hoc dicimus nos ut „ ſtatuas æneas facere ſtudeamus, ſed „ ut ſignificemus, cum illud ſecundum „ Gentilem conſuetudinem factum non „ repudiaverit Dominus; verum longo „ tempore ſuæ bonitatis miraculum in „ eo demonſtrari ipſi placuerit; ſan„ ctiorem illam, quæ apud nos obti„ nuit conſuetudinem nefas eſſe vitupera„ re: Hæc ſententia habetur Act. 4. Con. „ 7. p. 315.

Secundo. Ex Stephani Boſtrorum Epiſcopi judicio ut refertur Act. 2. Conc. 7. diſcrimen enim inter Statuas & Imagines iſtud affert. „ Confitemur, *inquit*, quod omne „ opus in nomine Dei factum bonum eſt „ & ſanctum; aliud porro eſt Imago, aliud „ ſtatua.

Tertio. Ex Auguſtino qui l. de Fide & Symbolo c. 7. ait: “ Simulacrum Deo ne„ fas eſt Chriſtiano in Templo colloca„ re. „ Et de facto Synodus ſecunda Nicæna in definitione Fidei ſolius meminit picturæ. Cæterum non mirum alicui videri debet, ſi vera tum Chriſti tum Beatiſſimæ Virginis effigies nondum tempore Auguſtini habebatur, cum vix invaluerat tunc Imaginum uſus. Quidam tamen utramque Romæ in diverſis Eccleſiis eſſe autumant. Quidquid ſit, licet ſacræ iſtæ effigies Chriſtum & Deiparam adamuſſim exprimentes non viſæ ſint, non ſequitur non poſſe effingi Filii & Matris Imagines, ſi non quoad omnia, ſaltem quoad formam ſub qua in terris apparuerunt.

Jam ad ſingula reſpondeo. Ad primum quidem, diſt. Patres inſectabantur Paganos quia vel ſimulacra tanquam Deos habebant, vel virtutem ſupernaturalem agnoſcebant in creatura & quidem ſæpius peſſima ut in Jovis ſtatua, quam tanquam numen adorabant, concedo; inſectabantur præciſe quod ſtatuas erigerent, nego. Neque enim Heroum aut Pyramides aut Figuras aſpernabantur: quinimmo, Imagines Imperatorum magni faciebant, & reverentia quadam civili eas habebant, ut ad cultum SS. Imaginum promeverent incredulos. Duo igitur in ſimulacris jure merito damnabant: alterum quia ejuſmodi ſimulacra ſubjiciebantur oculis in honorem peccatorum; alterum & quod eſt pejus, tanquam numina colebantur. At vero Chriſtiani, nullam virtutem, nullamve divinitatem agnoſcebant in Imaginibus, nec illas pingebant ut in his ſiſteret eorum cultus, ſed ut Creatorem in Sanctis mirabilem contemplarentur.

Solutio eſt Germani Epiſcopi Conſtantinopoleos in Epiſtola ſua ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos quæ refertur in Concilio 7. generali actione 4. Typographiæ Regiæ pag. 421. in qua quidem duo ſtatuit, 1. Perantiquum fuiſſe morem pingere Imagines. 2. In hoc Chriſtianos multum differre a Paganis, qui ſimulacra in auro & argento fundebant. Sic enim habetur:

“ *Quod* autem res pervetuſta ſit, Hiſto„ ricas Scripturarum narrationes in Ima„ gine effigiare, aſtruit Beati Gregorii „ Nyſſeni Epiſcopi ſermo, in Abraham „ inſcriptionem præ ſe ferens, in quo de „ oblatione Iſaac in tabula expreſſa re„ cenſet. Quod ſi autem illorum res ita „ expreſſæ ſunt, quanto magis miracula „ Dominicæ diſpenſationis & Paſſionis „ talem demonſtrationem habere debent? „ Sic etiam Athleticæ Sanctorum Marty„ rum fortitudines, quæ ad zelum & bo„ nam imitationem aſpicientes inducunt, „ exprimi debent, in quibus habetur etiam „ generoſi & admirandi Martyris Anaſta„ ſii veri pugilatus certamen. „

Proſequitur & hoc ſibi objicit Iconomachorum argumentum: “ At illi forte di„ cent neceſſario eſſe ſanctæ Scripturæ „ mandata ſequenda, veluti cum dici„ tur Exod. 20. Non facies tibi ipſi ido„ lum, neque ſimilitudinem ullam eorum „ quæ aut in cælo, aut in terra ſunt in„ fra, aut in aquis ſubter terram; neque „ adorabis ea, neque ea coles. „

Reſpondet: “ Et hæc quidem illi dicunt. „ Sed clarum habent intellectum, natu„ ram enim Dei ſcimus forma repræſen„ tari non poſſe, incomprehenſibilemque „ eſſe; neque aliquem honorem eſſe qui „ illi tanquam viſo exhibeatur, ſed con„ jecturis & opinationibus ad corporeas „ conceptiones ducimur. Prædicens enim „ illis Moiſes, cuſtodite diligenter ani„ mas, ne quam ſimilitudinem aſpicia-

„ tis,

,, tis, ne die illa qua locutus eſt Domi-
,, nus ad vos in Horeb, in monte, ex
,, medio ignis. Hac præfatus, ſtatim
,, ſubdidit: Ne legem tranſgrediamini,
,, nec facite vobis, & quæ ſequuntur.
,, Hoc quidem ob id quia recordabatur
,, conſtructionis vituli: atque ita diligenter
,, hoc inculcavit, ne ex Ægyptiorum con-
,, ſuetudine ad tantam impietatem redi-
,, rent, divinaque illis arbitrarentur ſi-
,, milia. Hoc & magnus Apoſtolus in
,, Oratione ad Populum Athenienſem ha-
,, bita ait Act. 17. Genus igitur cum ſi-
,, mus Dei, argento, auro, lapidi aut
,, figuræ artis, aut excogitationis homi-
,, nis, divinum eſſe ſimile exiſtimare non
,, oportebit. ,, Quibus verbis oſtendit Deum ea ſolum ratione prohibuiſſe Judæis ſimilitudines arte & ſculptura exprimere, ne ad idola aurea & argentea redirent, quæ, teſte Apoſtolo, Gentiles Athenienſes habebant ut Deos.

Poſtea ſubdit: " Nulli igitur nomen
,, illud ſuper omne nomen exiſtens, po-
,, pulus Chriſti in hunc uſque diem, præ-
,, terquam ad ſanctam vivificantem Tri-
,, nitatem retulit. ,,

Ad ſecundum, diſtinguo: Pagani improperabant Chriſtianis quod nullas in Templis ſtatuas, nullaque ſimulacra Deum indigitantia haberent, quia neſciebant quid inter Chriſtianos pro Religione fieret, concedo; omnia quippe Religionem ſpectantia ſummo ſtudio occultabant illis, ne ſubſannarent myſteria: & de facto Chriſtiani nullas habebant Imagines, nego. Præterea dato & non conceſſo, quod primis temporibus Eccleſia propter perſecutiones abſtinuerit a ſanctis Imaginibus, non inde ſequitur eas ad pietatem vel commovendam, vel fovendam aut etiam augendam aſſumere non potuiſſe.

Ad tertium, patet ſolutio: myſteria ſiquidem Judæis occultabant Chriſtiani. Ad quartum & quintum ſimiliter reſpondemus; utrumque enim argumentum probat ſolummodo uſum ſanctarum Imaginum primis ſæculis aut nullum fuiſſe, aut admodum rarum, quod abſolute non diffitemur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Licitum & pium eſt Sanctorum & fabricare & aſſervare Imagines.

PRIMO: quia ille uſus ortum habet ab utraque Eccleſia, veteri ſcilicet & nova. A veteri quidem, nam ſicut Arca Deum, ita & Serpens æneus Chriſtum repræſentabat: a nova, jam dictum eſt.

Secundo: Imagines Sanctorum inſerviunt ad ciendos pietatis affectus, & imitandum Sanctorum virtutes, quatenus eorum præ oculis præclara exhibent facta.

Tertio: Religio ſanctarum picturarum ad Deum totius boni principium terminatur, quocirca Tertullianus lib. de pud. c. 7. Greg. Nyſſ. Orat. de Divin. Filii & Spiritus Sancti, & alii multi Patres illam celebrant.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Deus prohibet quidem aliquam imaginem creaturæ, ne Judæi ad idololatriam propenſi illam veluti numen haberent: ſed non omnem certe prohibet repræſentationem, cum ipſe præceperit Moiſi & Arcam & Cherubim alatos ſuper eam fabricari; immo & Serpentem æneum Chriſtum præfigurantem in deſerto elevari, quam quidem imaginem Ezechias poſtea deſtruxit, ſed ad impediendam idololatriam: tum quia tunc temporis erat inutile illud ſymbolum, namque ea ſolum de cauſa conſtructum fuerat, ut ſerpentibus vulnerati reſpiciendo Chriſti imaginem ad Mediatoris fidem confitendam excitarentur, & credendo ſanarentur.

Secundo: quandoque compertum eſt quidem Imagines anſam præbuiſſe ſcandalo; ſed per accidens & defectu inſtructionis: qui enim bene de religione edocti ſunt, ſigna Sanctorum nonniſi relative ad ipſos venerantur.

Tertio: neque vero negamus Eccleſiæ diſciplinam circa ſanctas Imagines fuiſſe diverſam; quandoque enim Eccleſia abſtinuit a ſanctis Imaginibus, maxime primis ſæculis, ne idololatris eſſent & in fabulam & in ludibrium: quandoque etiam

Ee 2. pro-

prohibuit ſtatuas, ne Chriſtiani Paganis ſimulacra adorantibus adhærere viderentur.

PUNCTUM TERTIUM.

Utrum Sanctorum imagines pio & religioſo cultu venerandæ ſint?

CONCLUSIO.

Imagines Jeſu Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum eodem cultu quo ipſe prototypus colitur, ſed reſpectivo venerandæ ſunt.

Probatur auctoritate & ratione.

Primum argumentum ex Scriptura utriuſque Teſtamenti deſumitur.

ILLE cultus Sanctis debetur Imaginibus, qui approbatur a Deo, qui ab omni ferme ævo adhibitus eſt, quem ipſa exigit juſtitia, qui denique nihil niſi bonum & ſanctum redolet, Deumque in quo quieſcit, pro ultimo habet fine: atqui talis eſt cultus quo Eccleſia ſanctas proſequitur Imagines. Igitur colendæ ſunt cultu relativo. Major patet: ideo enim Judæi & Iconomachi hunc objiciunt quia aut inutilem, aut omnino ſuperſtitioſum reputant: Probatur igitur minor variis momentis.

Ex veteri Teſtamento.

PRIMO: Gen. 1. habetur quod in creatione hominis ſic locutus ſit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sed imago Dei honoranda profecto eſt, quia ad ipſum neceſſariam habet connexionem: eadem prorſus ratione Imaginem Principis venerari non ſolum bonum, ſed æquum ducit quilibet ſenſatus: igitur & a fortiori bonum & juſtum eſt venerari Sanctorum imagines. Ita cenſet Adrianus I. in Epiſtola ſua ad Patres Concilii ſeptimi Generalis quæque Actione 2. & legitur, & approbatur ab univerſo Concilio. Ibi ponderans verba Geneſeos allata ſic ſubſumit: " Ergo „ quod imago Dei ſit homo, ob id ſtatua „ Deorum & idololatria & impietas? „ haudquaquam. Etenim ſi Adam Imago „ Dæmonum fuiſſet, utique reprobandus „ fuiſſet, & receptu indignus: quando „ vero Dei imago eſt, honore proſequen„ dus & admitti dignus. Omnis enim „ imago, ſive Angelorum, ſive Prophe„ tarum, aut Apoſtolorum, aut Marty„ rum, aut aliorum Juſtorum virorum in „ nomine Dei facta, ſancta eſt. „ Quibus verbis duas affert rationes pro hujuſmodi cultu: primam quidem, quia imagines, non Dæmonem & aliquam malam creaturam, ſed Sanctos nobis repræſentant: alteram vero quia imagines Juſtorum in nomine Dei & ad ejus gloriam factæ ſunt, ſcilicet ut Creatorem bonorum omnium auctorem in creatura demiremur.

Secundo: Jacob Gen. 28. adoravit Dominum quem in ſummitate ſcalæ ſibi repræſentatum conſpexit, eundem utique adoravit in ſummitate virgæ ſuæ. Præterea duos Cherubim aureos & productiles ex utraque parte oraculi, quinetiam in velis & cortinis tentorii duorum Cherubim opus textile & diverſi coloris fieri juſſit Deus. Exod. 38. Item & Serpentem æneum Chriſtum præfigurantem elevari in deſerto ad ſalutem populi, Num. 18. ita ut quicumque animo fidei & religionis in eum reſpiceret, ſanaretur a quacumque detineretur infirmitate. *Fac Serpentem, & pone illum in ſignum: & qui ſaucius fuerit, illumque inſpexerit, vivet.* Sane nemo non videt Jacob actum religionis ſanctiſſimum feciſſe cum Dominum in ſummitate ſcalæ ſub ſpecie & forma ſenſibili apparentem adoravit. Nec idololatriam ſed bonum opus operatus eſt cum eundem in virga coluit. Nam ut dicit Apoſtolus Heb. 11. 21. eam collaudans actionem tanquam fidei magnæ monimentum habet: *Fide*, inquit, *Jacob moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit: & adoravit faſtigium virgæ ejus.* Subdit Adrianus I. in ſua Epiſtola: " Non quod „ virgam illam, ſed tenentem eam, in „ ſignum dilectionis adoravit. „ Poſtea ſic exclamat: " O inſaniam infrementium „ adverſus fidem & cultum ſacrum Chri„ ſtianorum! o ſtultitiam vetantium ve„ nerandas Imagines honorari, in quibus „ Servatoris noſtri, cujus potentia genus „ humanum & conſtat adhuc, & ſervatur; & „ præ-

,, præterea Gentricis ejus, omniumque
,, Sanctorum hiſtoriæ continentur. Nam
,, ſi Iſraeliticum populum per inſpectio-
,, nem ænei Serpentis ſervatum a ſua pe-
,, ſte credimus, Chriſti vero Dei & ſer-
,, vatoris noſtri, omniumque Sanctorum fi-
,, guras contemplantes & venerantes du-
,, bitamus non ſervari? abſit, ut amplius
,, dubitemus.

Tertio: Legitur Joſue 7. 6. quod magnus ille populi Judaici Dux adoraverit Arcam Teſtamenti: *Joſue. ,.. pronus cecidit in terram coram Arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe quam omnes ſenes Iſrael: miſeruntque pulverem ſuper capita ſua, & dixit Joſue: Heu, Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi?* c. 6. Muri Jericho corruunt in conſpectu & circuitu Arcæ. 1. Reg. 36. Transfertur Arca in Hymnis & Canticis a domo Abinadab in domum Obededon. Igitur Arcam, quæ erat tantum figura & Dei potentiæ imago, venerabantur Judæi. Unde Propheta Regius Pſal. 98. 5. dicit: *Exaltate Dominum Deum veſtrum & adorate ſcabellum pedum ejus*. Hebraice (incurvate vos.) Per ſcabellum intelligitur Arca: Scriptura eſt ſui ipſius interpres l. 1. Paral. c. 28. 2. ubi ſic loquitur idem pius David: *Audite me, fratres mei, cogitavi ut ædificarem domum in qua requieſceret Arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri: ædificandum omnia paravi*. Igitur pium eſt venerari tum Dei tum Sanctorum imagines.

Ex novo Teſtamento.

PRIMO: S. Joannes Baptiſta ſuos docet diſcipulos Chriſtum colere & agnoſcere ſub ſigno Agni: *Ecce*, inquit eis, indigitans Chriſtum, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Paulus ſub forma petræ, 1. Cor. 10. 4. *Petra autem*, ait, *erat Chriſtus*. Jam vero Spiritus Sanctus ſub ſpecie Columbæ requievit ſuper eum. Pater apparuit aut ſaltem intonuit loquendo. Sic enim ſcribit Luc. 3. *Factum eſt cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato & orante, apertum eſt Cælum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba in ipſum: & vox de Cælo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Quis autem abſque impietatis crimine dicere auderet nec vocem Patris honore dignam eſſe, cum ipſa cedros Libani confringat, & nollet populus præ timore & reverentia Deum ſibi loqui, quem jam in Horeb proſtratus loquentem audierat: nec Columbam ſuper caput Salvatoris requieſcentem venerandam eſſe, cum ſub hoc ſigno datus eſt Chriſto Spiritus ſapientiæ & intellectus? Et tamen ſicut vox Patrem, ita & Columba Spiritum Sanctum dumtaxat ſignabant. Pari igitur & ſimili ratione Imagines colendæ ſunt, quia repræſentant & Deum & Filium ejus incarnatum, & Deiparam & reliquos Sanctos, qui omnes honore & ſumma veneratione digniſſimi ſunt.

Secundo: Apoc. 4. Deus apparet Joanni ſub ſpecie & forma Regis ſedentis in Throno. Circa ſedem & Animalia & Seniores videntur. Et totus cœtus adorat Deum ſub ſpecie Regis expreſſum, atque collaudat. Sic enim habetur: *In circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro .... & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens ... Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in Throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum*. Ecce quomodo Filius Dei ſub forma & imagine Regis adoratur & colitur. Ergone Sanctorum imaginem & ipſum Deum in hac expreſſione flocciſaciendum dicent? ſi ipſum cultum Sanctorum imaginum tanquam idololatriam criminari volunt; ergo & prununtient iſtam Dei formam idolum eſſe; ergo & Seniores Apocalypſeos ventilent ut idololatras.

Tertio: Iterum ſub alia imagine ſe prodit Filius Dei in viſione quam habuit eodem tempore Joannes, nempe ſub figura Agni quæ pari cultu ſicut forma Regis donata eſt. *Et vidi*, inquit Joannes, *& ecce in medio Throni, & quatuor Animalium, & in medio Seniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum .... quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno .... & cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum .... Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem .... & honorem, & gloriam & benedictionem .... & quatuor Animalia dicebant:*

bant: Amen. Et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies ſuas: & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum. Certum eſt & Angelos & homines de quibus fit mentio, adoraſſe Agnum: certum eſt utique Chriſtum dumtaxat in ſenſu figurativo Agnum dici: certum eſt denique Seniores veneratos eſſe & Chriſtum in ſe & Chriſtum in Agno repræſentatum: ſed nec aliud exigit religio: igitur bonum eſt & pium venerari ſanctas Imagines.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Petitur ex Traditione Patrum.

QUIDQUID Traditione & uſu Eccleſiæ firmatum eſt, illud ipſum eſt omni acceptione dignum: atqui talis eſt cultus quem ſanctis exhibemus imaginibus: igitur venerandæ ſunt & pio cultu donandæ ſanctæ Imagines. Probatur minor.

Hæc Traditio quamvis ipſi Chriſtianiſmo coæva, cum ſtatuam in honorem Salvatoris & in perpetuum beneficii ab ipſo accepti monimentum erexerit mulier Hæmorrhoiſſa, quamque apud Paneadam vidiſſe aſſerit Euſebius l. 7. c. 18. ſummis affectam honoribrs, a quarto tamen inchoante ſæculo, quo tempore uſus colendi ſanctas Imagines invaluit, deducitur.

Athanaſius ergo Magnus primus ſe prodit. Sic autem loquens de carne noſtra aſſumpta, ſcribit & citatur in Epiſtola Adriani I. Act. 2. Conc. Nic. pag. 297. " Ex „ multis commode pauca ſumentes, ſcripſimus: quandoquidem ea quæ in tabu„ lis picta ſunt, cum figura per ſordes & „ ſitum deleta fuerit, neceſſarium eſt, „ ut denuo pingatur & reficiatur, modo „ talis ſit, ut adhuc renovari in eadem „ materia & tabulis poſſit. Nam per „ eamdem formam & materiam, in qua „ depingitur, non deſtruitur; verum po„ tius in eo quod ante fuit, conſenſit. „ Idem ſermone contra idola noſtram aſſertionem clare explicat & probat.

Huic accedit S. Chryſoſtomus, qui ſermone in ſanctam quintam diem Paſchæ ſic effatur: " Omnia facta ſunt in gloriam Dei, „ & ad noſtram doctrinam .... omnia „ Deo ſerviunt, immo potius imagini „ Dei. Nam cum regia figuræ & ima„ gines in civitates inferuntur, populus „ non ipſam tabulam, aut ex cera fa„ ctam imaginem honore proſequitur, „ cumque Magiſtratu illuc obviam pro„ cedit, ſed potius Regiam hiſtoriam, „ & veluti præſentiam ſuſcipiunt: eodem „ ſane modo, & ipſa creatio non terre„ nam iſtam ſpeciem, ſed cæleſtem hiſto„ riam admiratur. „ Idem in ſua Liturgia injungit Sacerdoti ut converſus ad imaginem Crucifixi caput inclinet.

Poſt illum venit S. Baſilius qui ſermone in quadraginta Martyres, ait de ſanctis Imaginibus diſſerens. " Quinetiam bellorum „ trophæa, & victorias, & Hiſtorici „ ſcriptores & Pictores demonſtrant: hi „ quidem oratio rem exornantes, hi „ vero in tabulis depingentes multos ad „ virtutem & virilitatem excitarunt. Si„ quidem quæ oratione exprimit, *hæc* ta„ cens pictura per imitationem oſten„ dit. „ Igitur ex Baſilio bonum eſt venerari ſanctas Imagines & colere, cum ad virtutem & ad imitationem Sanctorum nos provocent.

Ecce Beatus Cyrillus Alexandrinus partes ſanctarum Imaginum fortiter propugnans multis in locis, ſed maxime Commentario in ſanctum Matthæum, ſic autem loquitur: „ " Fides enim depingit Verbum, „ quod in forma Dei extitit, quod li„ berata noſtra vita adjunxit ſe Deo, „ ſimilitudineque noſtra aſſumpta factum „ eſt homo . . . . Imaginum uſum nobis „ ſupplent Parabolæ, quæ ſignorum vir„ tutem nobis ſubjiciunt, nimirum per „ oculorum appoſitionem, manuum tactum „ & quæ in nudo intellectu oontempla„ tionem obſcure habent. „ Profecto Parabolæ a Chriſto prolatæ veneratione dignæ ſunt: igitur & ſanctæ Imagines, quia ex S. Cyrillo par eſt & parabolæ & imaginis ratio: utrumque ad contemplationem divinorum ducit animum, & ſicut Parabola hominis Negotiatoris quærentis bonas margaritas, ſignum eſt regnum Cælorum exprimens: ita & Chriſti Imago, v. g. ſubjicit oculis mentis ipſum Chriſtum amandum.

Non deficit pro concluſione noſtra Ambroſius, qui l. 3. c. 9. ad Gratianum Imperatorem, mirum hunc in modum ſanctarum Imaginum partes ſuſcipit. " Quid „ ergo? *ait*, numquid cum divinitatem „ & carnem adoramus, Chriſtum dividimus? „ Num, quando in eo, & divinam Ima-

„ gi-

Digitized by Google

„ ginem, & Crucem adoramus, ipſum partimur? abſit. „ Attende, pie Lector, quod Crux & Chriſti imago jam tempore D. Ambroſii adorabantur.

Itidem audiamus quid nobis de hoc momento S. Gregorius Nyſſæ Epiſcopus prædicet, qui de Patriarcha Abrahami ſermonem faciens, inſignem hanc pro cultu SS. Imaginum profert ſententiam: “ Vi- „ di, *inquit*, non infrequenter Paſſionis „ figuram, neque ſine lacrymis ejuſcemo- „ di picturam tranſii, cum ſcilicet opus „ artificii in perſonam ſignificatam demonſtratum eſſe viderem. „ Et oratione in Theodorum Martyrem ait picturas nobis repræſentare Martyris certamina & victorias, quibus delectatur animus & pie commovetur ad paſſiones pro Chriſto libenter ſufferendas. Qua ratione vero ſtimulant SS. Imagines ad virtutem, niſi quia Sanctos ſubjiciunt oculis mentis noſtræ? æquum eſt igitur illas ſicut prototypum digno celebrare cultu.

Jam audiamus S. Auguſtinum qui l. 3. de Trin. c. 20. loquens de ſignis ſacris qualia ſunt Imagines, litteræ & Sacramenta, in quorum numero reponit Serpentem æneum, dicit: “ Hæc honorem „ tanquam religioſa poſſunt habere, ſtu- „ porem tanquam mira non poſſunt. „ Et l. 22. de Civ. c. 8. num. 6. ſcribit terram e Jeroſolymis aſportatam ſuis temporibus plurimum in veneratione habitam fuiſſe. Igitur ex Aug. SS. Imagines cultu religioſo donandæ ſunt.

Inſignis eſt locus S. Hieronymi Presbyteri Hieroſolymitani qui ſic habetur in Epiſt. Adriani. I. pag. 299. “ Etenim, „ ut conceſſit omnibus Gentibus adorare „ quæ manufacta ſunt, Judæis quidem „ cruſtas illas quas fabricavit Moſes, „ præterea duo Cherubim aurea: ita no- „ bis Chriſtianis Crucem largitus eſt, & „ bonorum operum Imagines pingere & „ venerari, atque ita noſtrum opus apud „ eum probare. „

His omnibus accedunt, & teſtimonium perhibent veritati, Paulinus Epiſtola 12. ad Severum Sulpitium & Sermone in Natali S. Felicis, Leontius Neopolitanus in Cypro Epiſcopus Serm. 5. apologetico pro Chriſtianis adverſus Judæos cujus hæc ſunt verba loquendo de Chriſtianis: “ Quot- „ quot figuras Crucis, & Iconarum ſalu- „ tant, non ipſis culturam ſignis vel lapidibus „ offerunt, vel auro, vel corruptibili Ima- „ gini, vel Arcæ, vel Reliquiis; ſed „ per ea Deo, & ipſorum, & cuncto- „ rum Creatori gloriam, & ſalutatio- „ nem, & cultum impendunt. Honor „ enim, qui Sanctis ejus impenditur, ad „ eum recurrit. Sicut e contra quidam „ Imagines Imperiales demolientes, prin- „ cipem offenderunt, & non ipſam tabu- „ lam. „

Adjuvat partes Simeon Theſſalonicenſis ut refertur Actione 5. Conc. 2. Nicæni „ Nos, *inquit*, Imagines Hominum San- „ ctorum facimus ad recordandum & ho- „ norandum eos. „ Hanc Traditionem complent Summorum Pontificum & Conciliorum decreta, uſus a quarto & præſertim octavo ſæculo uſque ad nos perpetuus. Ergo, &c.

TERTIUM ARGUMENTUM

Petitur ex decretis Summorum Pontificum & Conciliorum.

ILLE uſus eſt pius & religioſus quem talem declaraverunt varia, tum Summorum Pontificum, tum Conciliorum decreta atque definitiones: atqui uſus ſanctas colendi Imagines talis eſt: igitur pium eſt & religioſum colere ſanctas Imagines. Major patet; ad ſolam ſiquidem Eccleſiam ſpectat determinare ea quæ cultum reſpiciunt. Probatur igitur minor ex Summorum Pontificum & Conciliorum ſententiis.

Supremus controverſiarum Judex, qui primus in hac cauſa audiri debet, eſt Adrianus I. ad quem contra Iconomachos appellavit Eccleſia Orientalis. Ipſe vero in ſua Epiſtola ad Patres Niceæ in Bithynia pro tanto negotio adunatos probat auctoritate & Scripturæ & Patrum venerandas eſſe Sanctorum Imagines. “ O inſaniam, *in-* „ *quit*, infrementium adverſus fidem & „ cultum ſacrum Chriſtianorum! O ſtul- „ titiam vetantium venerandas Imagines „ honorari! „ Poſt multas vero allatas pro hoc momento rationes ſic concludit: „ Hæc ſunt, sereniſſimi & piiſſimi Im- „ peratores & dilectiſſimi filii, quæ ex ſa- „ cra Scriptura novi & veteris Teſtamen- „ ti, item piis Sanctorum Patrum Sen- „ tentiis de ſacris Imaginibus Dei San- „ ctorumque Virorum, item de divina

„ pictura Eccleſia ad laudem Dei, & „ memoriam Sanctorum ſuſcipienda breviter deſcripſimus.

Divus Gregorius l. 7. indic. 2. Epiſt. 109. idem confirmat dicendo recte quidem depingi Imagines in gloriam Dei: quia, inquit, revocant in memoriam quæ in carne converſatio Domini noſtri Jeſu Chiſti pro noſtra operata eſt ſalute.

Concilia eidem veritati ſuffragantur: Trullanum Can. 82. dicit Imagines venerandas eſſe.

Romanum ſub Gregorio II. teſte Adriano in Epiſtola ad Carolum Mgnum & Anaſtaſio Bibliothecario, confirmat SS. Imaginum uſum; & venerationem eis animo religionis reddendam eſſe pronunciat.

Romanum ſub Gregorio III. cujus meminit idem Anaſtaſius: & alterum ſub Stephano IV. ſubſcribunt eidem doctrinæ, iiſdem uſibus.

Generale ſeptimum ſpecialiter ad hunc effectum adunatum rem fuſe probat exquiſitis & auctoritatibus, & factis & rationibus: poſtea ſic concludit Actione 4. pag. 428. " Sancta Synodus dixit: Di„ viniloquorum Patrum doctrinæ nos cor„ rexerunt; ex iis veritatem haurientes, „ admoniti ſumus; ipſis adhærentes, „ mendacium perſecuti ſumus, ab iis „ eruditi venerandas Imagines ſalutamus, „ Patribus annuntiantibus bona filiis obe„ dientes ſumus: gloriamur autem in „ facie Matris, Sanctæque Traditionis „ Eccleſiæ, credentes unum Deum in „ Trinitate laudatum. Venerandas Ima„ gines veneramur. Qui ſic non credunt, „ anathema. „

Hanc fidem ſuo calculo munivit octavum Concilium generale; verum ſolemniori forma contra novos Iconomachos ſcilicet Proteſtantes Tridentina Synodus Seſſ. 25.

„ *Mandat* ſancta Synodus omnibus Epiſ„ copis & cæteris docendi munus, cu„ ramque ſuſtinentibus, ut juxta Catholi„ cæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, a „ primævis Chriſtianæ religionis tempo„ ribus receptum, Sanctorumque Patrum „ conſenſionem, & ſacrorum Concilio„ rum decreta, in primis de Sanctorum „ interceſſione, invocatione, Reliquia„ rum honore, & legitimo Imaginum „ uſu, Fideles diligenter inſtruant..... „ Imagines porro Chriſti, Deiparæ Vir„ ginis, & aliorum Sanctorum, in tem„ plis præſertim habendas & retinendas, „ eiſque debitum honorem & veneratio„ nem impertiendam., non quod credatur „ ineſſe aliqua in iis divinitas, vel vir„ tus, propter quam ſint colendæ, vel „ quod ab eis ſit aliquid petendum, vel „ quod fiducia in Imaginibus ſit figenda, „ veluti olim fiebat a Gentibus quæ in „ idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quo„ niam honos qui eis exhibetur, refertur „ ad prototypa quæ illæ repræſentant: „ ita ut per Imagines quas oſculamur, & „ coram quibus caput aperimus, & pro„ cumbimus, Chriſtum adoremus & San„ ctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, „ veneremur. „

QUARTUM ARGUMENTUM

Deſumitur ex auctoritate Eccleſiæ Gallicanæ.

QUIDAM maxime inter Hæreticos Eccleſiam Gallicanam ab uſu ſanctarum Imaginum alienam prædicare auſi ſunt, qua de cauſa fidem talis Eccleſiæ intemeratam permanſiſſe oſtendere juvat. Et ſic argumentor. Ille ſanctarum Imaginum cultus eſt religioſus & pius, quem uti talem Eccleſia Gallicana ſemper habuit: atqui a tempore quo uſus ſanctarum Imaginum invaleſcere cœpit, quarto ſcilicet ſæculo, Eccleſia Gallicana eum ſumma veneratione babuit., tum honorifice tractando ſanctas Imagines, tum eas in Templis collocando, tum etiam hunc eis honorem propter Dei amorem & gloriam exhibendo. Igitur, ipſa teſte Eccleſia Gallicana, venerandæ ſunt ſanctæ Imagines. Probatur minor, in qua eſt difficultas, & quidem multipliciter. Controverſia & dubium, ſi quod eſſe poteſt, profecto de octavo & nono præſertim ſæculo circumfertur: habemus igitur probandum Eccleſiam Gallicanam ſuum dediſſe calculum his duobus ſæculis pro cultu ſanctarum Imaginum.

Primo. Cum Conſtantinus Iconomachorum fautor acerrimus miſiſſet quoſdam oratores ad Pipinum Galliarum Regem qui ipſum cum Regno protraherent in hæreſis communionem, re in Concilio Gentiliaco anno 767. mature ponderaa-

derata, Patres & Pipinus legatis hoc dedero reſponſum, ſe Conſtantinum adhortari plurimum ut cum cæteris pie ſentiret de ſanctis Imaginibus.

Secundo loco venit Concilium Romæ congregatum anno 769. ſub Stephano IV. ubi aderant duodecim Galliarum Præſules. Quod quidem Concilium omnibus Patrum & nullo excepto votis definivit ſanctas Imagines eſſe venerandas his verbis: “ Si quis ſanctas Imagines Domini ,, noſtri Jeſu Chriſti & ejus Genitricis ,, atque omnium Sanctorum ſecundum ,, ſanctorum Patrum doctrinam venerari ,, noluerit, anathema ſit. ,, Ita refertur in Epiſtola Adriani ad Carolum Magnum, tom. 7. Conciliorum pag. 950. Eadem Synodus ſuſcepit quæ ante acta fuerant pro cultu SS. Imaginum in alio Concilio Romano ſub Gregorio II. ita Anaſtaſius & Adrianus ibid. p. 923. 929. 944. 946. 947.

Tertio: Eandem fidem amore ſuo proſecuta eſt Eccleſia Gallicana in Conventu Pariſienſi: ſic enim hujus Eccleſiæ Proceres ſcribunt atque loquuntur in Epiſtola ad Ludovicum Pium. Imagines ,, Sanctorum, *inquiunt*, ſtulta præſumptione non ſunt confringendæ & ad ,, injuriam Sanctorum abolendæ .... nec ,, aſſertione ſuperſtitioſa colendæ & adorandæ, ſed potius, hujuſmodi ſuperſtitione remota, juxta veram religionem ,, memoriæ & amoris cauſæ ob recordationem eorum quorum Imagines ſunt ,, habendæ. Sicut a Beato Gregorio ſatis catholice perſpicueque dictum eſt. ,, Ibi dicit hæc Synodus Imagines colendas eſſe ex amore erga Sanctos quos veluti ſubjiciunt oculis noſtris. Igitur exiſtimat vere venerandas eſſe ſacras & ſanctas Imagines.

QUINTUM ARGUMENTUM

Petitur ex diverſis fidei Profeſſionibus ab Eccleſia receptis & approbatis.

ILLE cultus eſt pius & religioſus quem talem profeſſi ſunt multi & in hoc ab Eccleſia approbati; atqui multi profeſſi ſunt ſe venerari SS. Imagines & Eccleſia eorum non ſolum probavit, ſed laudavit & tanquam ſuam adoptavit profeſſionem: igitur cultus ſanctus Imaginibus exhibitus, bonus eſt & religioſus. Probatur minor. Varias referendo pro hoc momento fidei profeſſiones.

Profeſſio fidei S. Baſilii Doctoris eximii.

MAGNUS ille pater in Epiſtola qua in Julianum deſertorem invehit. Sic ait: “ Quemadmodum a Deo Chriſtianam & ,, inculpabilem noſtram fidem veluti hereditario jure accepimus, ſic confiteor, ,, & in eo maneo. Credo autem in unum ,, Deum Patrem omnipotentem, Deum ,, Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, unum Deum; hæc tria ,, adoro, & glorifico. Confiteor etiam ,, Filii incarnatam οἰκονομίαν: deinde ,, Sanctam Mariam, quæ ſecundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocans. Suſcipio etiam Sanctos Apoſtolos ,, Prophetas & Martyres qui pro me apud ,, Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus noſter benigniſſimus & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ,, ob cauſam & hiſtoriam Imaginum illorum honoro, & palam adoro. Hoc ,, enim nobis traditum a Sanctis Apoſtolis, ,, non eſt prohibendum, ſed in omnibus ,, Eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus. ,, Vides, pie Lector, quomodo S. Baſilius colat ſanctas Imagines, & hunc cultum ab Apoſtolis promanatum aſſerat; quomodo dicat hunc cultum non eſſe prohibendum, & ipſe Imagines ſanctas in Eccleſiis erigi curaverit.

Profeſſio fidei Baſilii Ancyræ Epiſcopi.

Hic Eccleſiæ perfecte reconciliari & priſtinæ vitæ errata corrigere cupiens, hunc ſuæ fidei libellum exhibuit in Concilio 7. generali Act. 1. pag. 256. “ Credo igitur & confiteor in Deum Patrem ,, omnipotentem, &c. ... univerſam autem ,, Hæreticorum linguæ incontinentiam ,, abjiciens execror, quemadmodum ipſos ,, ſeſe reddiderunt execrabiles. Interpellans etiam intemeratæ Virginis noſtræ ,, Deiparæ, Sanctarum cœleſtium Poteſtatum, omniumque Sanctorum interceſſionem: horum etiam ſanctas Reliquias cum ,, omni honore ſuſcipiens & amplectens honorifice veneror, firmiter credens me ,, illorum ſanctitatis fieri poſſe participem.

,, Eo-

„ Eodem modo venerandas Imagines quæ „ œconomiam Jeſu Chriſti Domini & „ Dei noſtri qui propter ſalutem noſtram „ Homo factus eſt, & inviolatæ Virgi- „ nis Dominæ noſtræ Deiparæ, Sancto- „ rumque Apoſtolorum, Prophetarum, „ Martyrum & omnium Sanctorum ſu- „ ſcipio, & amplector, eiſque honorem „ debitum exhibeo. „

Et infra. " Taraſius beatiſſimus & ſan- „ ctiſſimus Patriarcha dixit: Omnis ſa- „ cratus cœtus det gloriam, & gratia- „ rum actionem rependat, propter hanc „ confeſſionem tuam quam præſtitiſti Ca- „ tholicæ Eccleſiæ. Sancta Synodus di- „ xit: Gloria illi Deo qui concordat „ diſſidentes. „

Profeſſio fidei Theodoſio Amorii Epiſcopi.

PRÆSUL ille pius hanc ipſe legit coram Patribus ejuſdem Concilii Act. 1. fidei Profeſſionem ab omnibus & receptam & approbatam. " Ego Chriſtianorum mi- „ nimus, ſic confiteor: In primis appro- „ bo, ſuſcipio, ſaluto & veneror, ante „ omnia intemeratam Domini Jeſu Chri- „ ſti veri Dei noſtri imaginem, & ejus „ quæ ipſum ſine ſemine peperit, Sanctæ „ Matris Virginis, cujus etiam auxilium, „ protectionem & interceſſionem nocte „ dieque, ut peccatori mihi ſubveniat, „ invoco, ut quæ eam poteſtatem habet „ ab illo, quem in mundum edidit, Chri- „ ſto Deo noſtro... eadem ratione & Re- „ liquias Sanctorum veneror & honore pro- „ ſequor & ſaluto veluti Athletarum & „ certatorum pro Chriſto: quippe gra- „ tiam a Deo conſecuti ſunt, & remedia „ præſtare, morbos curare, dæmones eji- „ cere, quemadmodum Chriſtiana Eccle- „ ſia veluti per manus accepit a ſanctis „ Apoſtolis & Patribus uſque in præſens „ ſæculum.... Probo ſimiliter quæ a pri- „ mordio receptæ traduntur Imagines, „ principio Jeſu Chriſti, & ſanctæ Dei- „ paræ Virginis, ſive ex auro, ſive ex „ argento, ſive colorum ductibus, ſive „ quacumque materia exprimantur.... „ neque diſſimili ratione probantur a me „ Sanctorum & omnibus ſæculis laudato- „ rum Apoſtolorum, Prophetarum, Mar- „ tyrum geſta, politiæque, ut in omnium „ oculis prælia & certamina, quæ pro „ Chriſto ſubierunt, hæreant, atque id „ in compendioſam veluti Scripturam, „ narrationem & eruditionem populi, „ maxime ſimplicioris.... ob id obteſtor „ vos Sancti Dei & exclamo: Peccavi „ in cælum & coram vobis: ſuſcipite „ me, ut Deus recepit prodigum. „

Et infra. " Taraſius beatiſſimus Patriarcha, *inquit*, qui olim erant orthodoxæ „ fidei calumniatores, nunc veritatis „ præcones exiſtunt. „ Obſerva quod in hac fidei Profeſſione dogma de invocatione Sanctorum, de cultu SS. Reliquiarum, SS. Imaginum mirum in modum firmetur.

Profeſſio fidei Patrum Concilii ſeptimi generalis.

NON ſolum inſignes illi Synodici Patres tres iſtas fidei Profeſſiones tanquam veras & omni acceptione dignas ſuſcepere, ſed ſua ſpeciali voluerunt firmare.

„ Credimus autem, *inquiunt*, unum „ Deum Patrem omnipotentem, omnium „ viſibilium, & inviſibiliam factorem, „ & in Verbum ejus, per quod cuncta „ creata ſunt. In Sanctum Spiritum vivi- „ ficantem Dominum & ſalutamus etiam „ ſanctas Dominicas, Apoſtolicas, & Pro- „ pheticas, item Sanctorum, præcipue „ autem Dominæ noſtræ Deiparæ Imagi- „ nes, quæ nobis veluti exemplaria ſunt „ & inſtructiones bonorum operum imi- „ tationis & fidei erga Chriſtum; om- „ nem idololatriam execrantes, & la- „ triam ſolum Chriſto tribuentes, & Deo „ Patri, & Spiritui Sancto, tanquam uni „ Deo cui honor & laus in ſæcula. „

SEXTUM ARGUMENTUM

Eruitur ex Eccleſiis Orientalibus.

ILLI eandem tenent pro cultu ſanctarum Imaginum fidei, qui in hoc definitiones ſecundi Concilii Nicæni amplectuntur & ſequuntur. Atqui ſic ſe gerunt Orientales pro hoc momento: igitur ex Traditione perpetua conſtat bonum eſſe ac religioſum ſacras venerari Imagines. Probatur minor multipliciter.

Primo: Ex definitione primæ Synodi adverſus Cyrillum Lucarem adunatæ, in qua quidem ſic loquuntur Patres Syn. 1. p. 82. " Anathema, quia tentabat de- „ ſtrue-

„ ſtuere honorem & venerationem relativam Imaginum : & eo quod ea quæ „ ſancta Concilia de ſanctis Imaginibus „ pronuntiarunt, vaniloquia appellabat, „ ſic in hoc ſecundum Concilium Nicænum contemnendo. „

Secundo: ex officio ſecundæ Dominicæ Quadrageſimæ quam diem orthodoxiam vocant. Eo loci Presbyteri vel Epiſcopi qui divinum peragunt officium varia pronuntiant anathemata, maxime adverſus Iconoclaſtas his verbis : " Ter anathe„ ma tumultuoſo cœtui qui ſuam adver„ ſus venerabiles Imagines elevavit vo„ cem. „

Tertio: Nullus ex Græcis, ſi Cyrillum Lucarem excipias, definitiones ſecundi Concilii Nicæni non recepit. Hoc ipſum patet ex Confeſſione fidei quæ invenitur in Pontificali Græco de ordinatione Epiſcoporum, cura Patris Morini juris publici facto. Epiſcopus de novo conſecra„ tus, ſic loquitur: " Sum adorator re„ lative & non cultu latriæ, venerabi„ lium & divinarum Imaginum Jeſu Chri„ ſti & ſanctæ Matris Dei & omnium „ ſanctorum.

Quarto: Meletius Syrigus his verbis Eccleſiæ, de cultu ſanctarum Imaginum, explicat doctrinam: " Poſtea adoramus, vel „ potius veneramur Imagines ſanctorum, „ eo quod fuerint grati Deo & ejus ami„ ci facti ſint. „ Reſ. Cyrilli p. 732. Mſ. Edit. Gr. Barbaræ fol. 161.

Quinto: Ex Confeſſione orthodoxa, par. 3. quæſt. 55. in qua ſic habetur: " Cum, „ *inquiunt Græci*, veneramur imagines & „ eis reddimus cultum, hunc non reddi„ mus aut coloribus, aut ligno, ſed ſan„ ctis quos Imagines repræſentant, quaſ„ que veneramur cultu duliæ vel ſervitu„ tis, eo quod ſanctos veluti præſentes no„ bis exhibeant. „

Sexto: Ex Gregorio Protoſyncello qui Græcorum opinionem de cultu ſanctarum Imaginum ſic exponit. Poſtquam dixit Idola a Græcis non coli, ſubdit: " Quocir„ ca honor quem ſanctis reddimus Imagi„ nibus, ad ſanctos, quos repræſentant, „ refertur. „

Denique alii Orientales idem cum Græcis pro cultu ſanctarum Imaginum ſentiunt in primis Melchitæ ſeu orthodoxi ut legitur in collectionibus ſecundi Concilii Nicæni, cujus definitiones ſequuntur Mſ. Ar. Bib. R. & Horol. Melchit. & Mſ.

Septimo: Ex Ritu Conſecrationis Patriarchæ Alexandriæ. Ut primum enim Conſecrationis officium completum & abſolutum eſt, novus Patriarcha præeuntibus tribus Crucibus, Reliquiis Sanctorum & S. Marci Imagine in domum Patriarchalem deducitur. Pontif. cop. Mſ. De hoc momento Copticarum Eccleſiæ Traditio ita vetuſta eſt, ut ortum a primis ſæculis habuiſſe enarret hiſtoria.

Octavo. Idem colligitur ex Ritu Extremæ-Unctionis. Orientales in hoc Græcorum morem gerunt. Lampadem ſeptiformem benedicunt & juxta eam Imaginem Sanctiſſimæ Virginis ponunt. Ita ſtatuit Rituale Patriarchæ Gabrielis. Eo loci obſervandum eſt Sacerdotem ad altare Liturgiam celebraturum aſcendentem ter incenſo Imagines Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum adolere. In eodem Rituali officium ſpeciale pro Imaginis benedictione legitur. Igitur luce clarius apparet Orientales in cultu ſanctarum Imaginum cum Eccleſia Romana conſociari; hinc qui illum veluti ſuperſtitioſum rejiciunt, omni adverſantur Traditioni, & pietati.

SEPTIMUM ARGUMENTUM

Petitur ex miraculis ſanctarum Imaginum.

ILLÆ Imagines ſummopere colendæ & veneradæ ſunt, quæ multorum fuere miraculorum iſtrumenta: atqui Sanctorum Imagines non ſemel fueruut miraculorum & Dei beneficiorum inſtrumenta: igitur cultu, eoque religioſiſſimo donandæ ſunt. Major patet, quis enim ita rationis expers foret, ut beneficiorum & gratiarum inſtrumenta floccifieri duceret? Probatur minor ab exemplis, ſed talibus, ut nec rejici, nec in dubium revocari fas ſit.

Primo: Magna & omni exceptione majora ſunt ſanctæ Crucis miracula. Omnes norunt & hiſtoriæ referunt quod in Inventione ſanctæ Crucis infirma mulier ex ſolo ligni pretioſi contactu ſana protinus evaſerit; qua vero virtute hoc Crux patravit demirandum miraculum, niſi quia Chriſtum repræſantabat? Factum celebrat Eccleſia quotannis in Feſtivitate Inventionis ſanctæ Crucis. Iſtud vero mul-

multum commendat Leontius Neapoleos
Cypri Epiſcopus l. 5. Apologiæ pro Chri-
ſtianis & contra Judæos & de Imaginibus
,, Sanctorum his verbis : " Multa Deus
,, per Crucem auditu mira fecit : ſiqui-
,, dem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ
,, appellavit : . . . . virga Pharaonem ob-
,, texit , mare diviſit , aquam dulcem fe-
,, cit , Serpentem exaltavit , petram ru-
,, pit & aquam eduxit : lignum etiam
,, germinans in Tabernaculo , Aaronis
,, Sacerdotium confirmavit . Sic & Salo-
,, mon inquit Sap. 14. Benedicite lignum
,, per quod fit juſtitia . Sic & Eliſæus li-
,, gnum in Jordanem projiciens , ferrum
,, in typum Adam velut ex inferis redu-
,, xit : ſic mandat ſuo puero per virgam
,, reſuſcitare filium Sunamitidos mulieris ,
,, nota quod virga ſuſcitavit quia erat fi-
,, gura & imago Crucis Salvaroris . ,, De-
inde ſic concludit : " Is igitur qui tanta
,, miracula per ligna fecit Deus , dic ro-
,, go, numquid per ſanctæ Crucis pretio-
,, ſum lignum miranda efficere poteſt ? ,,

Secundo : Stupendum prorſus & ſimul
uſque ad conſummationem ſæculi demi-
raudum miraculum in Beryto civitate in
imagine Jeſu Chriſti crucifixi proditum ,
de quo fuſum & elegantem habet Sermo-
nem Beatus Athanaſius ut refertur Act. 4.
Concilii ſeptimi : ſic autem intonat ſan-
ctus ille Doctor . " Levate , *inquit* , ocu-
,, los intellectus veſtri , novum hoc ſpe-
,, ctaculum contemplamini . Inſpicite in
,, Dei immenſum hoc miraculum , date
,, illi gloriam , illius inexplicabilem erga
,, homines amorem , illiuſque diſpenſatio-
,, nis magnitudinem conſiderare , lacrimas
,, cum lætitia fundite . ,, Poſtea narrat
,, factum : " Berytus , *inquit* , civitas eſt
,, in finibus Tyri & Sidonis ſita , vectiga-
,, lis autem Antiochienſibus . In ea plu-
,, rimi commorantes Judæi amplam habe-
,, bant Synagogam , prope quam quidam
,, habitabat Chriſtianus : hic ex adverſo le-
,, ctuli imaginem Domini noſtri Jeſu Cri-
,, ſti fixerat : erat hæc ſane veneranda quod
,, integram Chriſti Domini proportionem
,, exprimeret . Contigit autem Providen-
,, tia potius quam oblivione manſionem ut
,, Chriſtianus quærens ampliorem , e do-
,, mo ſua in aliam demigrans Imaginem
,, in illa reliquit . Judæus autem quidam
,, commoditate loci captus ædiculam illam
,, conduxit , nondum animadvertens hujuſ-
,, ſcemodi Imaginem illic affixam : ſuaque
,, iſthuc transferens , aliquandiu illic ha-
,, bitavit : ſed a quodam Gentili quem in-
,, vitaſſet in prandium apud Synagogæ
,, Proceres denuntiatus quod more Chri-
,, ſtianorum Imaginem Chriſti in domo ſua
,, haberet , derepente iſti illuc properan-
,, tes Judæum verbis atrociſſimis & con-
,, vitiis propter hoc affecerunt . Qui ſei-
,, pſum purgare ſtudens affirmabat etiam
,, ſancte ſe hujuſcemodi Imaginem hacte-
,, nus non vidiſſe . Nihilominus Seniores
,, populi & Sacerdotes placati ejiciunt qui-
,, dem Judæum extra Synagogam , irruen-
,, tes vero in Imaginem Salvatoris per
,, apoſtrophen dixerunt quemadmodum Pa-
,, tres noſtri illuſerunt illi ita & nos fa-
,, ciamus . Tunc omnes cœperunt expue-
,, re in faciem ſanctæ Imaginis Chriſti ,
,, colaphis cædere , pedes & manus clavis
,, perforare , ſpongiam aceto plenam ad os
,, adhibere , calamo caput ſacrum percu-
,, tere ; tandem ut nihil de Paſſione omit-
,, terent , latus lancea aperire . Ex eo au-
,, tem , *inquit B. Athanaſius* , ſanguis &
,, aquæ rivuli emanare cœperunt . ,,

,, *Pergit* : Judæi territi ſed nondum con-
,, verſi Hydriam ad locum vulneris appo-
,, nentes , de repente utroque liquore re-
,, pletam viderunt . Tunc probare volen-
,, tes veritatem Chriſti miraculorum de
,, quibus multa audierant , Hydriam defe-
,, runt in Synagogam varios hic convocan-
,, tes infirmos , quos liquore pretioſo in
,, deriſionem Chriſti inaniter , ut exiſti-
,, mabant , ungerent . Sed o miſericordia
,, Chriſti ſupra modum amabilis ! qui ter-
,, ribilia in Ægypto patravit ad punien-
,, dum obduratum Pharaonem , mira ope-
,, ratur non in vindictam , ſed in ſalutem
,, adverſus eum ſævientium . Undequaque
,, accurrunt languidi omnes & quotquot
,, liquor miraculoſus tangit , cito ſanan-
,, tur a quacumque detinentur infirmita-
,, te . Homo ætate provectus qui a nati-
,, vitate quaſi diſſolutione membrorum la-
,, borabat , repente de ſuo grabato , qua-
,, ſi cervus exiliens ad laudem Filii Dei
,, incolumis redditus , ad propria remea-
,, vit . Cæci recipiunt viſum , &c. Sed
,, omnium miraculorum maximum ! Judæi
,, omnes a minimo ad majorem in terram
,, proſtrati agnoverunt Chriſtum Dominum

&

,, & contritione fracti cum lacrymis cla-
,, more valido a Metropolitano ſanctum
,, Baptiſmum petiere, a quibus de his
,, omnibus certior factus ampullas pretioſi
,, & miraculoſi ſanguinis per Aſiam,
,, Africam & Europam ad Fidelium con-
,, ſolationem dirigens venerabilis Antiſtes,
,, cuncta quæ apud urbem jam dictam ſuo
,, tempore contigerant, deveniſſe ſuis
,, ſcriptis vel eloquiis manifeſtiſſime uni-
,, verſis ſanctæ Eccleſiæ filiis viriliter de-
,, claravit. Hoc inſuper ab his efflagitans,
,, ut per annos ſingulos in menſe Novem-
,, bri, qui apud Hebræos eſt nonus, apud
,, nos vero menſis undecimus, nono die
,, ipſius menſis, ideſt, quinto idus No-
,, vembris, non minori reverentia, quam
,, natalis Domini, vel Paſchatis, iſta dies
,, præcipue obſervatione colatur. Hæc eſt
,, vera & vehementer credula ratio de
,, cruore lateris Domini noſtri Salvato-
,, ris, qui profluxit de ſancta Imagine ip-
,, ſius, quæ crucifixa eſt in Syria, in Be-
,, ryto civitate. Hic eſt etiam ſanguis
,, ille Dominicus qui apud pleroſque re-
,, pertus eſſe dicitur. ,,

Non doctas fabulas hic enarravimus, & licet aliquod foret dubium de auctoribus hiſtoriarum; omnes tamen ratas habet Concilium: plures alias quæ in ejuſdem Concilii actibus referuntur brevitatis cauſa omittentes pergimus ut extemplo gradum faciamus ad aliud æqualis ponderis argumentum; ſed ante juvat unum adhuc in toto mundo diffamatum miraculum, recenſere.

Tertio: Negotium eſt de ſancta Maria Ægyptiaca. Petrus Lector Concilii ſeptimi in Actione quarta legit Mariam de vita plurimum obſcœna erubeſcentem fuſis lacrymis oraſſe coram pia Imagine Deiparæ Virginis, quam effuſis lacrymis proſtrata ſuper pavimentum, enixe deprecabatur, quatenus ejus auxilio e tantarum miſeriarum pelago a Beata Maria liberaretur: ſcribit ab Imagine miraculoſe ipſam alloquente accepiſſe vitæ reſponſum, & de repente mutatam vitam duxiſſe cæleſtem, ita ut in albo Sanctorum collocari & aſcribi meruerit. Relata hiſtoria ſic habetur in Concilio: " Jo-
,, annes religioſiſſimus Monachus & Vi-
,, carius Summorum Epiſcoporum Orien-
,, tis, dicit: talem Imaginem nos vidi-
,, mus in Sancta Chriſti Dei noſtri civi-
,, tate, eamque ſæpius ſalutavimus. ,,

Quarto: Non omittam alteram in actibus S. Procopii relatam ibidem de miraculis ſanctarum Imaginum hiſtoriam. Tempore quo Diocletianus furens inſectabatur atrociter Chriſtianos ſub Gallicinum. Dux nomine Neanias rogavit quemdam ſculptorem cujus nomen erat Marcus, ut aliquod devotionis inſtrumentum pro ſuo uſu conficeret. Rem eſſe difficilem propter perſecutiones eſſe reſpondit Marcus. Attamen annuens Ducis votis, noctu ex auro & argento fabricavit Crucem. Vix completur opus, tres ſine ſtudio & labore, immo & longe ab intentione, tres inquam miraculoſe apparuerunt ſanctæ Imagines: ſcriptum autem erat hebraice in ſuperiore parte Emmanuel, & utrimque in ſummitate alarum Michael & Gabriel. Volens Marcus expungere Imagines, manus ſicca permanſit. Piam & miraculoſam Imaginem contuens Neanias adoravit. Sciſcitans autem ab artifice, quænam eſſet illa inſcriptio? quæ perſonæ?
,, Domine, *inquit Marcus*, in qua hora
,, Crux a me erigebatur, Imagines iſtę
,, per ſe enatæ ſunt; neque ego cognoſco
,, quænam aut cujus inſcriptio. ,, Cæterum norunt omnes S. Joannem Damaſcenum orantem coram Imagine Beatæ Virginis dexteram crudelitate principis Damaſcenorum abſciſſam propter ſcelus in odium ſanctarum Imaginum illi ſuppoſitum, recuperaſſe: ita refert Baronius.

OCTAVUM ARGUMENTUM

Petitur ex pœnis quibus Iconomachi luerunt impietatis ſcelus in ſanctas Imagines patratum.

VIDIMUS quænam beneficia gratia ſanctarum Imaginum fuerit a Deo conceſſa. Nunc differendum de vindicta quam & Eccleſia, & Deus ſumpſit de peccatis contra ſanctas Imagines. Ex quibus hoc in veritatis confirmationem eruitur argumentum.

Pium & religioſum eſt ſanctas colere Imagines, ſi Eccleſia abjicit Iconomachos & ſæpius etiam in hac vita Deus eos punierit: atque res ſic ſe habet: Igitur pium & religioſum eſt ſanctas colere Imagines. Probatur minor. Quoad primam partem: nempe quod Eccleſia ab illis ab-

ſti-

ſtinuerit, illos abhorruerit & tanquam putrida membra abjecerit.

Anathematiſmi Baſilii Ancyræ Epiſcopi a ſacro ſeptimo Concilio approbati.

ANATHEMATISMUS tertius: " Qui „ venerandas & ſanctas Imagines non „ amplectitur, execratio. „

Quartus: " Qui aſſerunt Chriſtianos, „ ut Deos Imagines adorare, execratio.

Quintus: " Qui fivent ex animo vio- „ latoribus & ignominia afficientibus ſan- „ ctas Imagines, execratio. „

Anathematiſmi Theodoſii Amorii Epiſcopi ab eodem Concilio approbati.

PRIMUS: " Qui venerandas Imagines „ non veneratur, anathema. „

Secundus: " Qui in ſanctas & venera- „ biles Imagines blaſphemias congerunt, „ anathema. „

Tertius: " Qui traducere & maledi- „ cis verbis inceſſere audent venerandas „ Imagines, aut eaſdem rejicere, ana- „ thema. „

Quartus: " Qui ex animo Chriſtianum „ populum non docent venerationem ſan- „ ctarum & honorabilium Imaginum om- „ nium Sanctorum, qui ab initio Deo „ placuerunt: anathema. „

Jam audiamus Adrianum primum in ſuo reſcripto ad Patres Concilii ſeptimi ſic loquentem: " Neſcis quod quicumque ex „ ligno coloribus Imagini convicia dicit, „ illum non damnari, veluti in rem ina- „ nimatam ſed contra Regem ipſum di- „ xerit? Indicatur enim occulte Regi „ injuriam intuliſſe &c. „ Cui illud Sermonis B. Athanaſii ad Simeonem Epiſcopum Boſtrorum de Sabbato concinit, & refertur Actione quarta ejuſdem Concilii. " Quemadmodum cum quiſpiam temulen- „ tus in Imaginem Imperatoris impetum „ faciens juſte corrigitur, veluti ipſum „ Regem ignominia affeciſſet, cum ta- „ men ipſa imago nihil ſit præter li- „ gnum, aut colores cum cera mixti: „ eodem modo qui in alicujus typum aut „ effigiem ignominioſus eſt, in illum, „ cujus eſt typus, injuriam factam arbi- „ tramur. „

Anathematiſmi ſeptimi Concilii generalis contra Iconomachos, Seſſ. 4. pag. 428.

PRIMUS: " Venerandas Imagines veneramur. " Qui ſic non credunt, ana- „ thema. Qui aliter ſentiunt, longe ab „ Eccleſia abjiciantur. „

Secundus: " Nos venerandas Imagines „ ſalutamus. Nos, qui ſic nolunt, ana- „ themati ſubjicimus. „

Tertius: " Qui ſacras Imagines idola „ vocent, anathema. „

Quartus: " Qui communionem habent „ cum iis qui ſanctas Imagines rejiciunt „ aut contemnunt, anathema. „

Infelix exitus in ſanctas Imagines ſævientium.

LEO Iſaurus Imperator qui primus poſt Judæos bellum ſacris indixit Imaginibus, diverſis modis flagellatus eſt a Domino, magnis præſertim & inſolitis atque horrendis terræ motibus, ita ut urbs Conſtantinopolitana a fundamentis concuſſa & quaſi avulſa pro ſanctis Imaginibus pugnaret contra inſenſatum qui tandem, hydropiſi morbo confectus, vi dolorum animam peſſimam 18. Junii anno 741. exhalavit. Ita referunt Beda de ſex mundi ætat. ſub finem; Paulus Diaconus l. 6. c. 47. Anaſtaſius in Græc. 2. & 3.

Conſtantinus Copronymus patris impietatem ſequutus, plurimum in ſanctas Imagines & in earum cultores ſæviit, ſed bellum contra Bulgaros commiſſurus vadens, paulo poſt carbone percuſſus, tantis affectus eſt caloribus, ut vivum propter blaſphemias adverſus Dei Matrem ſe mori exclamaret; tandem actus in rabiem ſibi ipſi crudelis miſerande obiit anno 775. Ita Theophanes hiſt. Miſcell. Baptiſta Ignatius in ejus vita.

Michael Balbus alter Imperator utique & alter ſanctarum Imaginum terribilis extitit perſecutor, verum etiam terribiliter a Deo flagellatus eſt. Saraceni quippe Cretam Inſulam, deinde, adjuvante Euphemio proditore, Siciliam, Calabriam, Apuliam, fraude & armis invaſi etiam Imperatori abſtulerunt: ipſe vero omnibus odioſus & execrabilis, pœnas iterum & in æternum luendus obiit 1. Octob.

Octob. ann. 829. Cedrenus, Curopalata, Theodorus Studita.

Michaeli ſucceſſit Theophilus in perſequendis ſanctis Imaginibus, hinc ejus ſequens veſtigia, luit utique impietatis graviſſimas pœnas; quippe qui in quinque contra Saracenos præliis victus mœrore & triſtitia confectus in æternum adhuc puniendus defunctus eſt die 30. Januarii ann. 842.

Michael tertius poſt Theophilum Imperator, etiam inſectatus eſt & ſanctas Imagines & earum Fautores. Verum a quodam Baſilio, quem in ore habebat, ſubtiliter occiſus eſt die ſecundum quoſdam 23. Aprilis: ſecundum alios 24. Septembris ann. 867. Nicetas in vita S. Ignatii: Zonaras.

NONUM ARGUMENTUM

Deſumitur ex ratione, eaque multiplici.

ILLE cultus eſt pius & religioſusquem ipſa ratio, ſuppoſita fide, inſpirat & dictat: atqui ipſa ratio, ſuppoſita fide, inſpirat & dictat cultum ſanctis Imaginibus eſſe debitum: igitur ille cultus eſt pius & religioſus. Probatur minor & quidem variis rationibus.

Prima: idem eſt motus in Imaginem & prototypum: ergo, &c. Probatur antecedens. Qui honorat Regis tabellam honorat & Regem. Simili modo qui honore afficit Chriſti Imaginem, Chriſtum in Imagine veneratur. Quis autem dicet aut Chriſtum non eſſe honorandum, aut quod pejus foret, honorem illi exhibitum, eſſe execrabilem idololatriam? Iſta ratio eſt Adriani I. qui in ſua Epiſtola ſupra citata ſic loquitur: " Omnis enim Imago ſive Angelorum, ſive Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut aliorum Juſtorum virorum in nomine Dei facta, ſancta eſt. Non enim ipſum lignum honoratur, ſed ipſum illud quod in ligno datur contemplandum, atque ita per recordationem veneratio exhibetur. „

Secunda: in ſanctis Imaginibus non malos & impios, ſed juſtos honore digniſſimos veneramur: ergo, &c. Probatur antecedens. Adrianus ibidem " ait: Quid aliud apud Dominum Deum noſtrum tentamus, quam adorantes, glorificantes & trementes eum? Imago enim nihil aliud eſt, quam figura Illius, in qua pictura expreſſus eſt. Impii vero qui ipſi nihil boni faciunt, neque Sanctorum recordantur, caveant bona operantes impedire: neque ſcandalo ſint his qui Sanctos Dei ſervos honore afficiunt... ex his liquido conſtat ob recordationem Sanctorum Imagines tantum pingi, venerari & coli quos clare conſtat ſervos eſſe Dei, & pro nobis apud Deitatem obſecrantes intercedentes. Dignum namque eſt, ut ducum noſtrorum memores ſimus & Deo gratias agamus. „

Tertia: Sanctæ Imagines ſunt Hiſtoriæ & geſtorum & virtutum quibus illiterati commoventur plurimum ad Sanctorum imitationem, quippe qui ſine tabulis aut ſermone, nihil de Sanctis ſcient: ergo, &c. Hanc rationem explanat idem Pontifex, eamque ex Gregorio mutuavit. " Quemadmodum etiam, *inquit*, Divus Pater Gregorius Apoſtolorum ſucceſſor prædicavit, ob id depingi in Templis Evangelicas hiſtorias, ut homines illiterati, & qui ſacros Libros legere nequeunt, quorum ſane maxima pars eſt, conſpectis illis, redderent Deo gloriam, & reducerent in mentem, quæ in carne converſatio Domini noſtri Jeſu Chriſti fuiſſet? Ut taceam interim orthodoxos alios & Chriſtianos Imperatores cum Sacerdotibus omnibus & honeſtis viris Deum colentibus: ſimul etiam cum univerſo Chriſtiano populo qui omnes juxta antiquam ſanctorum Patrum Traditionem venerandas Imagines & receperunt, & tenent, & compunctionem cordis conſervant, & in hunc uſque diem venerantur. „ Igitur Imagines inſerviunt ad omnia, maxime ad compunctionem cordis pro peccatis, quod ſane multopere inſervit ad ſalutem.

Eamdem rationem expandit B. Aſterius Epiſcopus Amaſiæ ſermone in Euphemiam Martyrem Act. 4. ſeptimi Concilii relato: loquendo enim de pictura quæ ejus referebat & prælia & agones atque victorias, dicit: " Æditui autem divina myſteria populo oſtendunt & oratione memoriam illius celebrant & quomodo certamen fortitudinis ſubierit, advenientes docent. „ Quibus verbis præter ulteriores rationes ſubjicit iſtam, quod Imagi-

nes

nes Sanctorum nos ſtimulent ad eorum præclara facta collaudanda, & Deum pro tantis victoriis benedicendum.

Juvat referre Canonem ſeptimi Concilii de pictura Chriſti ſub forma Agni, „ quam quidem non ſolum approbat, verum etiam ſuadet fieri, quia exprimit Chriſti manſuetudinem quam imitari pro virili debemus. " In quibus, *inquit*, ſanctarum Imaginum picturis Agnus digito Præcurſoris indicatus expreſſus eſt, „ qui in formam acceptæ gratiæ verum „ nobis per legem Agnum Chriſtum Deum „ noſtrum oſtendit. „ Et poſtquam hunc „ Chriſti typum erigi debere declaravit; reddit rationem: " Per hoc enim humilitatis altitudinem Verbi Dei conſiderantes, & ad memoriam in carne Paſſionis illius & ſalutaris mortis diſpenſationis veluti manuducti, quæ mundo „ illinc contingit liberatio, cognoſcimus. „

Plures alias breviter rationes ſubjicimus. Colendæ ſunt ſanctæ Imagines, quia multam hic cultus conſolationem animi affert, ſubjiciendo oculis fratres noſtros qui de mundo, de peccato & inferis victores nos invitant ad palmam. Ita cenſet & dicit Chryſoſtomus de Imagine B. Meletii in ejus encomio Act. 4. Conc. 7. Quia ſicut coronam a Rege victori Duci datam omnes venerantur, ita debemus ſanctorum Imagiues quæ eorum inſerviunt gloriæ, venerari: maxime vero quia non ut idola habemus, cum potius idola ubique confringamus. Ita ratiocinatur Leontius in Can. 7. Act. 4. Quid plura? Deoſculamur Librum Evangeliorum facta Chriſti repræſentantem: ipſi Calviniſtæ venerantur Cœnam quamvis illam ſolum Chriſti figuram dicant: igitur ex concedendis pium & religioſum eſt venerari ſanctas Imagines.

Solvuntur objectiones Iconomachorum ex Scriptura ſacra deſumptæ.

OBJICIUNT Judæi, & cum eis tum veteres, tum recentiores Iconomachi, Illud Exod. 20. *Non facies tibi ipſi Idolum, neque ſimilitudinem ullam . . . . neque adorabis ea, neque ea coles*. Sed Imagines ſunt creaturarum ſimilitudines: igitur nulli licet ex præcepto Dei eas aut adorare, aut colere.

Reſpondeo retorquendo argumentum contra Judæos. Librum Legis deoſculantur; coram Arca cum Joſue ſe proſternunt; venerantur Cherubim illam protegentes; Serpentem æneum cum fide & devotione aſpiciunt, ſummoque afficiunt honore: igitur licitum eſt pio fine & bono piaque intentione venerari ſanctas Imagines. Ita reſpondet Leontius Epiſcopus Neapoleos Cypri, lib. 5. Apologiæ pro Chriſtianis contra Judæos. In Concilio ſeptimo generali Act. 4. p. 382. Judæum alloquens ait: " Sicut autem tu adoras „ Librum Legis, non naturam membranarum aut atramenti adorans, ſed verba Dei quæ in illo continentur: ſic & „ ego Imaginem Chriſti adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro, abſit, ſed inanimatum characterem Chriſti. Hunc enim cum habeam, per ipſum Chriſtum me tenere & adorare mihi videor . . . . tu vero cum me criminaris, quod ut Deum lignum Crucis adoro; quid eſt, quamobrem non vertis in „ crimen Jacob adorantem in ſummitate „ baculi Joſeph? Sane manifeſtum eſt quod „ lignum non adoravit, ſed per lignum „ Joſeph, quemadmodum nos per Crucem, „ Chriſtum. „

Pergit confundendo Judæum. " Fare, „ quid habes quod de duobus Cherubim fuſilibus, bobus, palmis, & leonibus, „ quæ in Templo ſculpta ſunt, te defendas? vere nihil habes quod adverſus „ illum dicas, niſi hoc unum, quod ea „ non tanquam Deos habeas, ſed in memoriam Dei ejuſque gloriam, Cherubim hæc in Templo viſantur. Quod ſi „ iſta ſic ſe habent, qua ratione nos de „ Imaginibus reprehendis? „

Rurſus ſic loquitur: " Pudore ſuffunduntur Judæi, qui proprios Reges & „ alienos adorantes, nos Chriſtianos tanquam Idololatras derident. Nos autem „ Chriſtiani omnibus in civitatibus & regionibus in dies & in horas ſingulas contra Idola ſtamus armati, contra Idola „ pſallimus, contra idola & preces fundimus: & qua tandem fronte Judæi nos „ vocant Idololatras? Ubi nunc ſunt, „ quæ olim ab ipſis oblatæ ſunt Idolis, „ boum, ovium, & filiorum quoque victimæ? ubi ſacrificiorum fumi? ubi aræ „ & profuſiones ſanguinum? „

Rurſus ibidem pag. 383. " Jam ſi con-
„ ſtat

„ ſtat me Idola adorare, quid cauſæ eſt, „ quamobrem Martyres qui Idola deſtruxerunt, veneror ut Deos & glorifico? „ quo pacto ipſos Martyres qui ſtatuas ligneas confregerunt, honore proſequor? „ ſi ligna ut Deos glorifico quomodo veneror & adoro Martyres, & Apoſtolos, qui effigies perdiderunt? „ Igitur nos Chriſtiani non ſumus colendo ſanctas Imagines idololatræ, quia Chriſtum & Sanctos in Imaginibus veneramur: quia cultus noſter ad Deum glorificandum terminatur, quia ſacrificium non Imaginibus ſed ſoli Deo offerimus: quia preces contra Idola nos fundimus, quinimmo eadem confringimus.

Reſpondeo 2. retorquendo argumentum contra recentiores Iconomachos, Calviniſtas intelligo. Iſti Cœnam ſummo venerantur cultu, cum tamen figuram & imaginem Corporis Chriſti dumtaxat appellent. Ipſe Dallæus explicans locum D. Gregorii imperantis, ut ea qua par eſt reverentia, Imaginem & Crucem Salvatoris veneremur, dicit ſe ab hoc non eſſe alienum, quemdamque agnoſcit honoris gradum omnibus religionis inſtrumentis debitum, ut v. g. Libris ſacris. Albertinus de Euchariſtia in Theodoreto triplicem diſtinguit adorationem, alteram Deo debitam, Principibus alteram exhibendam, tertiam mediam non denegandam rebus ſacris, licet inanimatis, hancque ratam habet pro Euchariſtia. Calvinus jubet eam reverenter ſuſcipi: id & præcipit Catechiſmus Genevenſis: Quorſum igitur nos tanquam idololatras criminantur? cum Sanctos in Imaginibus veneremur, & hoc cultu religioſo, eoque medio inter cultum Deo, & Principibus debitum, ita ut ſanctas Imagines, nec cultu latriç, ſoli Deo convenienti, nec etiam mere civili, aliqui Reges terræ donantur, celebremus?

Reſpondeo 3. in forma, & diſtinguo: non facies tibi ſculptile, nec illud ut Deum adorabis, concedo: Sculptile in memoriam Sanctorum ut Deum ipſum mirabilem in Sanctis ſuis & contempleris & colas, nego. Deus prohibet ſculptile faciendum ne Judæi ad idololatriam propenſi, creaturam tanquam Deum venerentur, ſed non ſculptile ad laudem Sanctorum, & ſui ipſius gloriam; quandoquidem Deum in Sanctis intendit glorificare Eccleſia. Ita ad objectionem reſpondet S. Germanus Patriarcha in ſua Epiſtola quæ refertur Act. 4. Conc. 7. p. 411. “ Nullam „ facies ſimilitudinem ad adorandam illam, neque in cœlo deſuper, neque „ ſuper terram. Deinde dixit: Non oportet manufacta adorare, hoc eſt, quæ manu hominum elaborata ſunt. Cum vero „ Sanctos Chriſti Martyres, veras fidei „ margaritas, omni honore dignos arbitremur & interceſſiones eorum poſtulemus, non potui illi non reſpondere. „ Chriſtianorum itaque fidem, cultum & „ adorationem in unum & ſolum Deum „ exiſtere dixi . . . . Hic ſane creaturas „ non adoramus: abſit, neque cultum divinæ dominationi debitum in conſervos „ deducimus, abſit. „

Poſtea ſic concludit: “ At ſi Domini & „ Servatoris noſtri, item intemeratæ ejus „ Matris vere Deiparæ, necnon Sanctorum „ Imagines ſalutamus, confeſtim etiam „ fidem & diſpoſitionem mentis erga illos habemus, ſed unum Deum ſine „ principio, ſine fine qui omnia in ſua „ manu habet, factorem noſtrum & omnis „ creaturæ & Servatorem habentem poteſtatem in cælo & in terra pro genere humano hominem factum agnoſcimus. „ Proſequitur dicendo & beatiſſimam Virginem & Sanctos nos colere, ut intercedant pro nobis apud Deum, tanquam ejus & amici benevoli, & filii dilectiſſimi.

Quod autem in loco Exodi Deus ad ſolos Judæos dirigat ſermonem, ne ad idololatriam pro more declinent, omnes ſic interpretantur Patres. Unde Leontius loco citato p. 386. Judæum revincit: “ „ Utinam ſanctum aureum thuribulum ſervaſſes, & non vitulas Samariæ coluiſſes! „ Utinam florentem virgam, & non Aſtartem urbis deſolatricem! Utinam a Deo „ ſtillantem Petram pro Baal amplexus fuiſſes! „

Inſtant. Illa ſolum ſculptilia adoranda & colenda ſunt, quæ ex præcepto & licentia Dei colere oportet, & quibus Deus exhibetur ſpecialiter præſens, ut legitur de Arca, de Serpente elevato in deſerto: ſed de cæteris non ſolum non eſt licentia facta, datumque mandatum, verum potius prohibitio expreſſa ab ipſo Deo emanavit: igitur qui colit aut Statuas, aut Imagines, contra præceptum facit, &

Digitized by Google

& inter Idololatras annumerandus eſt .

Reſpondeo 1. Deum dumtaxat prohibere ſculptilia adoranda ut numina . Si enim vel ipſo præcipiente Arca conſtructa eſt, vel ipſo permittente boves & leones fuſa ſunt pro uſu Templi abſque idololatriæ labe & convictio , cur indiſcriminatim aſſerat Judæus , inquit Leontius , omne ſculptile , omneſque Imagines idola eſſe ? Sic inſurgit adverſus malignantem loco citato p. 386. “ At dices mi-
„ hi ; Moiſi a Deo juſſum eſt , ut ejuſmo-
„ di ſculptilia in Templo collocanda cu-
„ raret : ego ſane hoc ipſum etiam dico .
„ Sed Salomon illic digreſſus , plura in
„ Templo apparavit , quæ tamen Deus non
„ mandaverat , quæ neque tabernaculi te-
„ ſtimonium habuit , neque Templum quod
„ vidit Ezechiel : non tamen in hac a Deo
„ in crimen vocatus eſt Salomon . Nam
„ in gloriam Dei , quemadmodum etiam
„ & nos , ejuſcemodi effigies excogita-
„ runt .

Reſpondeo 2. diſtinguendo : Deus prohibuit omne ſculptile & imagines Judæis , tranſeat ; Chriſtianis , nego . Dico pro prima parte tranſeat , cum ipſe Salomon abſque ſpeciali præcepto ſimilitudines etiam animalium fuderit ad magnificentiam Templi & gloriam Dei bonorum omnium auctorem : ſed dato quod omnes Imagines prohibitæ ſint Judæis propter eorum ad idololatriam propenſionem ; non tamen Chriſtianis qui majori affluentes gratia , majori utique pollent lumine ; Spiritus quippe Sanctus , multiformiter Eccleſiam ſuis illuſtrat donis : namque , inquit Apoſtolus 1. Cor. 12. 8. *Alii datur ſermo Sapientiæ : alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum* , ut fideles ſciant a ſenſibilibus gradum facere ad inviſibilia . Nam & , *Spiritualis*, ait S. Paulus , *judicat omnia* . 1. Cor. 2. 15. Ergo Eccleſia judicavit concedere dilectis filiis ſuis Imagines , ut in his tanquam in quibuſdam libris legant quid Apoſtoli , quid Martyres pro vita æterna aſſequenda geſſerunt , ut & ipſi imitatores facti certaminum & paſſionum , ſint & gloriæ conſocii : unde Adrianus I. in ſua Epiſtola quæ refertur Act. 2. Conc. 7. ſic loquitur pag. 292. “ Ponantur in aula Dei ſimilitudo , cius ante Matris ,
„ Sanctorum quoque & Beatorum Apoſto-
„ lorum , Prophetarum , Martyrum &
„ Confeſſorum , & ex animi deſiderio eas
„ veneremur .... ut per viſibilem figu-
„ ram , ad inviſibilem magnitudinis ejus
„ divinitatem ſpirituali diſpoſitioni men-
„ tes noſtræ rapiantur ſecundum carnem ,
„ quam Dei Filius propter ſalutem no-
„ ſtram ſuſcipere dignatus eſt , Redempto-
„ rem noſtrum in cælis exiſtentem adore-
„ mus , & in Patre glorificantes , laude-
„ mus , quemadmodum ſcriptum eſt , *Deus*
„ *Spiritus eſt* . Joan. 4. & illud comproban-
„ do ſecundum Spiritum Deitatem illius
„ adoramus . „

Eo prope modo ſe explicat Leontius . l. 5. Apol. pro Chriſtianis contra Judæos , & legitur Act. 4. Conc. 7. p. 382. Alloquens enim Judæum ait : “ Hinc etiam
„ propter Chriſtum Chriſtique paſſiones ,
„ paſſim in Eccleſiis , in domibus & foro ,
„ in picturis , in ſindonibus , in promptua-
„ riis , veſtibus , omnibus denique in locis
„ hanc figuram ponimus , quo continuo
„ contemplantibus nobis hæc in mentem
„ veniant , & non obliviſcamur , quem-
„ admodum tu oblitus es Domini Dei
„ tui . „

Inſtant : atqui præceptum de non faciendis ſculptilibus & ſimilitudinibus , eſt etiam pro Chriſtianis : ergo &c. Probant ſubſumptum ex noſtris auctoribus & ſanctis Doctoribus qui ſuum acuunt ſtylum contra ſtatuas & ſimilitudines . Et contendunt præceptum Judæis impoſitum omnes non ſolum veteris , ſed & novæ legis homines obligare . Clemens Alex. l. 5. Stromatum dicit Moiſen defendiſſe ſimulacra ut *ad ea tranſiremus quæ percipiuntur* . lib. 6. Strom. defendit & reprobat pingendi artem . Tertullianus l. 16. de idololatria c. 3. ait : *Diabolum in ſæculo intuliſſe artifices ſtatuarum* . Et ſibi c. 4. objiciens Serpentem æneum reſpondet : *Tu imitare Moiſen , ne facias adverſus legem ſimulacrum aliquod , niſi & tibi Deus juſſerit* . Origenes l. 4. contra Celſum dicit : *In civitatem eorum nullus pictor admittebatur* . Lactantius l. 2. inſtitutionum c. 2. abſolute reiicit ſimulacra & rationem reddit : *Non ipſa timemus ſimulacra ſed eos ad quorum Imagines ficta , & quorum nominibus conſecrata ſunt* . Confirmatur : Ethnici non lapidem aut aurum , ſed Deos in ſimulacris colebant , ut patet ex Celſo apud Origen. l. 7. in quo ſic loquitur : *Quis enim alius eſt , niſi ſit plane fatuus ,*

Google

tuus, qui hæc Deos eſſe putet, non autem Deorum donaria & ſimulacra? Idem aſſerit Athenagoras in Apol. pro Chriſtianis dicens non defuiſſe inter Ethnicos qui idola, *Nihil quam ſimulacra eſſe dicerent; Deos vero, quorum honori ea ſint dedicata, & quæcumque in ipſos conferuntur, redditus, ſacrificia, ad ipſos referri Deos*. Et tamen Patres etiam & in hoc puncto damnant ſimulacra Gentium: igitur neque licitum eſt Chriſtianis ſimulacra facere, licet vel Deum, vel Sanctos colant in ipſis. Quinimmo venerando in eis creaturas, imitantur Ethnicos qui homines in ſimulacris ſummo afficiebant honore.

Reſpondeo 1. Hoc omnia dumtaxat probare ſtatuarum uſum ipſa pictura recentiorem eſſe, & in primis ſæculis Eccleſiam a ſimulacris tum Chriſtum, tum Sanctos exprimentibus abſtinuiſſe, ne Chriſtiani in Gentilium cultum collimare viderentur; nullo modo vero uſum ſtatuarum eſſe malum, maxime quando acceſſit Eccleſiæ auctoritas quæ cuncta ſanctificet, unde legitur in Actibus 10. 15. *Quæ Deus purificavit, tu ne commune dixeris*.

Reſpondeo 2. Patres vel loqui de Judæis quibus ſimulacra interdicta fuerant: vel ſi de Chriſtianis, ſolum abuſum perſtringere. Quamobrem ſic diſtinguo: Patres rejiciunt ſtatuas aut propter abuſum, aut ne abuſus ſcandalumve aliquod obrepat, concedo: abſolute in ſe, nego. Ne putarent Gentiles Chriſtianos adhærere eorum ſimulacris, ne etiam Judæi ad fidem accedentes, quique a ſculptilibus abhorrebant, ſcandalum paterentur, æquum duxit Eccleſia primis temporibus abſtinere a ſtatuis, immo & ſæpius a pictura: Igitur attendendum ad diſciplinam quæ œconomiæ cauſa diverſa fuit pro temporum diverſitate.

Ad Clementem dico prohibere tantum inanium Deorum ſimilitudines & quoſdam annulos ſuperſtitionis motivo portare, aitque: *Non eſſe geſtandos annulos, neque Deorum imagines eſſe eis inſculpendas, ſicut Moiſes multis ante ſæculis aperte legem ſanxit*. In ſecundo loco ſuum acuit ſtylum adverſus eos qui inveniſſe fingendi vel pingendi plantas & animalia artem gloriabantur, eoſque fures vocat, quia ſoli Deo qui omnia fecit, & cujus homines in arte miniſtri ſunt, gloria debita eſt. Sic autem loquitur Clemens l. 6. Strom. *Qui ergo dixerit ſe aliquid excogitaſſe, vel feciſſe ex iis quæ pertinent ad creationem, impii & nefarii incœpti dabit pœnas*. Ibidem dicit falſam eſſe opinionem ad Deos inanes referre originem rerum.

Ad Tertulliani auctoritatem, diſtinguo: & ibi Tertullianus invehit tantum contra Idola, concedo: & abſolute damnat picturas & Sanctorum aut Chriſti ſtatuas, nego. Ibidem ſic loquitur: *Idolum tam fieri quam coli Deus prohibet*. Unde & in libro de ſpectaculis damnat ſculptilia Deorum ad hiſtoriam ſanctorum Prophetarum expreſſa: *An Deo placebit, inquit auriga ille, tot animarum inquietator, tot furiarum miniſter, tot ſtatuarum velut Sacerdos coronatus, vel coloratus ut Leno quem curru rapiendum diabolus adverſus Eliam exornavit? &c.* Quod autem ſibi objicit de Serpente, ſolvit dicendo de hoc momento fuiſſe Dei mandatum; vult ſolum probare omnia ſculptilia populo rudi Judæo & carnali prohibita fuiſſe, nec ulla ei licita fuiſſe niſi Dei acceſſerit ſpeciale mandatum, & affert pro exemplo Serpentem æneum, ſed non negat Chriſtianis licitum eſſe Chriſti & Sanctorum Imagines venerari.

Ad Origenem ſimilis eſt reſponſio: loquitur enim de Judæis qui ne ad defectum idololatriæ deflecterent, prohibitum erat ne aliquis ſimulacrorum ſculptor in urbem eorum admitteretur. Quod quidem probant verba immediate antecedentia: *Apud quos*, ſcilicet Romæ Judæos, *nullum aliud numen erat receptum, quam Deus hujus rerum univerſitatis præſes procul ablegatis omnibus ſimulacrorum opificibus. Nam in civitatem eorum nullus pictor admittebatur*.

Eodem prope modo ſit ſatis objectioni Lactantii: prohibet quidem ſtatuas, ſed ne fides aliquod patiatur periculum ex ſimplicitate populorum, qui ad imitationem Gentilium, vel aliquod numen, vel virtutem aliquam divinam in ſtatuis agnoſcere quodammodo videbantur.

Ad confirmationem, nego paritatem: multum enim eſt diſcrimen inter Ethnicos in uſu ſimulacrorum, & Chriſtianos in uſu Statuarum & Imaginum. Primo quidem Ethnici ut plurimum idola tanquam numina adorabant: ita teſtantur utriuſque Teſtamenti Scripturæ:

Ff 2 Lev.

Lev. 19. Pſal. 113. Sap. 14. Danielis 14. Actuum 19. ita teſtatur S. Cyprianus l. 3. teſtimoniorum adverſus Judæos : *De Idolis quæ Gentiles deos putant. In ſapientia Salomonis : omnia Idola nationum æſtimaverunt deos*. Concinit Minutius Felix in Octavio. Tertullianus in Apol. c. 12. Qui vero inter Paganos acutiores erant, ſi ſimulacra non ut deos habebant, attamen virtutem quandam divinam in ipſis ſatue venerabantur, ut notat Aug. l. 8. de Civ. c. 23. ubi de Trimegiſto ait : „ At ille viſibilia & contrectabilia ſimulacra velut corpora Deorum eſſe „ aſſerit : ineſſe autem his quoſdam Spiritus invitatos qui valeant aliquid ſive „ ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda a quibus eis „ divini honores & cultus obſequia deferuntur. „ Denique ſi numen in Imagine colebant, vel numen multiplex, & ſemper creaturam aliquam alias peſſimam & peccatricem confitebantur. Non ſic Chriſtiani : unicum adorant Deum, Sanctos quidem venerantur in Imaginibus, verum eatenus colunt, quatenus ſpecialem habent ad Deum relationem : quinimmo Deum in creatura demirantur, & illum ſolum adorant ; ita S. Germanus, ita Leontius ſupra citati explicant. Cæterum attendendum eſt ad intentionem, inquit Adrianus in Epiſtola ſua citata. Sic enim ait pag. 297. „ Omnis enim imago ſive Angelorum, ſive „ Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut „ Martyrum, aut aliorum Juſtorum vi„ rorum in nomine Dei facta, ſancta eſt. „ Non enim ipſum lignum honoratur, ſed „ ipſum illud quod in ligno datur con„ templandum : atque ita per recorda„ tionem veneratio exhibetur. „

Objiciunt 3. Ergo ad ſummum cultu mere civili venerandæ ſunt ſanctæ Imagines. Probatur ſequela. Nihil amplius exigit Adrianus, adeoque & Concilium ſeptimum generale. Probatur : Adrianus ſic loquitur : " Qualis vero iſte eſt ado„ rationis honor ? Profecto non alius, „ quam is, quo nos peccatores quoque „ invicem proſequimur ſalutantes nos in„ ter nos per honorationem & dilectio„ nem. Quid aliud apud Dominum Deum „ noſtrum tentamus, quam adorantes, „ glorificantes, & trementes eum ? „ Sed ſane amicos cultu mere civili celebramus : pari igitur dumtaxat cultu debemus, & celebrare ſanctas eorum Imagines.

Reſpondeo negando ſubſumptum. Ad probationem, diſtinguo : venerandæ ſunt ſanctæ Imagines cultu mere civili, ſed elevato per religionem, concedo : ſecus, nego. Summus Pontifex Hæreticorum vult contundere proterviam, ipſorumque propellere tela quibus idololatriæ gladio fideles confodere nituntur, dicendo neque nos adorare vere, ideſt cultu latriæ Sanctos, eorumque Imagines, neque ipſum lignum vel metallum, aut picturam noſtris celebrare laudibus & encomiis, ſed exhibere cultum ſimilem illi quo & parentes & amicos proſequimur : neque etiam nos honorare lignum, ſed Sanctos & amicos Dei tum in ligno, tum in pictura. Etvero ſimili cultu vult Adrianus Imagines Chriſti celebrari, quo Judæi Arcam venerabantur. Ibidem enim dicit : „ Non enim ipſum lignum honoratur, „ ſed ipſum illud quod in ligno datur „ contemplandum, omnes enim Princi„ pes etiamſi peſſimi ſint peccatores, „ adoramus, & reverenter ſalutamus. „ Quid vetat igitur, quominus non liceat „ & Sanctos Dei Miniſtros venerari, & „ in memoriam eorum Imagines ſta„ tuere & erigere ne in oblivionem per„ petuam veniant ? Verum, inquis, Deus „ ipſe manufacta prohibuit adoranda. Dic „ mihi, o Judæe ! quid eſt quod ſuper „ terram extet, quod non ſit manu ho„ minum factum, poſtquam a Deo fuerat „ creatum ? Quid ? Arca Dei quæ ex li„ gno Sethim conſtructa eſt, & ædificata, „ nonne opus eſt hominum ?... Gentium „ autem Idola, quia Imagines fuerunt „ Dæmonum, Deus ejecit & condemna„ vit, nos vero in memoriam Sanctorum „ Imagines facimus... Apoſtolorum & „ Sanctorum Martyrum qui propter Chri„ ſtum tribulati ſunt, quo omnis qui in „ Imagine contemplatur, & meminerit „ illorum & glorificet Deum. Quibus verbis docet Adrianus Sanctos in Imaginibus coli, ut relationem habent ad Chriſtum pro quo tribulati ſunt, & ut glorificemus Deum mirabilem in ſanctis ſuis Miniſtris : igitur cultu pio & religioſo, eoque fide elevato venerandæ ſunt Sanctorum devotæ Imagines.

Solun-

Digitized by Google

Solvuntur objectiones ex auctoritate Patrum deducta.

OBJICIUNT 1. Iconomachi recentiores, Patres primorum ſæculorum nedum abſtinuiſſe a ſanctis Imaginibus, verum etiam uſum earum & cultum damnaſſe: igitur nullo cultu donandæ ſunt Sanctorum Imagines. Probatur antecedens. Irenæus l. 1. c. 24. de Gnoſticorum erroribus loquens dicit: " Etiam Imagines quaſdam quidem ,, depictas, quaſdam autem & de reliqua ,, materia fabricatas habent, dicentes for- ,, mam Chriſti factam a Pilato. ,, Similia tribuit Carpocratianis Epiphanius ſermonem faciendo de eorum erroribus. Ergo ſancti Patres rejiciunt cultum ſanctarum Imaginum, eumque penitus abnegant.

Reſpondeo: Patres primorum ſæculorum ut plurimum quidem abſtinuiſſe a ſanctis Imaginibus, ſed neutiquam eas damnaſſe: unde ad auctoritatem Irenæi, diſtinguo: arguit Gnoſticos quod Imagines colerent ritu Gentilium, concedo: quia eas venerabantur, nego. Arguit in duobus illos hæreticos: primo quidem quod eoſdem Imaginibus deferrent honores, quos ipſi Pagani ſuis præſtabant Idolis: Secundo, quod ipſum Chriſtum afficerent contumelia, dum ejus effigiem eodem collocarent in loco, quo Pythagoræ, Platonis & Ariſtotelis imagines. Sic enim ſubdit: " Has coronant, & ,, proponunt eas cum imaginibus mundi ,, Philoſophorum, videlicet cum imagine ,, Pythagoræ, & Platonis & Ariſtotelis, ,, & reliquorum, & reliquam obſervatio- ,, nem circa eas ſimiliter ut Gentes fa- ,, ciunt. ,, Idem dicit Epiphanius de Carpocratianis: " Inſuperque Philoſophorum ,, quorumdam, Pythagoræ, Platonis, A- ,, riſtotelis & aliorum cum quibus etiam ,, alias Imagines Jeſu collocant, colloca- ,, taſque adorant, & Gentium myſteria ,, perficiunt. Qui vero ſunt Gentium mo- ,, res alii, quam ſacrificium, atque alia? ,, Damnat ergo illos eo quod ſacrificium ſoli Deo debitum Imaginibus offerrent; non cultum preciſe, ſed ritum ſuperſtitioſum abjicit atque proſcribit.

Objiciunt 2. Origenem, qui ſimulacra quæcumque & ſtatuas tanquam ex arte diaboli prodeuntes rejicit, nec vult ullo modo coli: ergo &c. Probatur antecedens. Origenes l. 3. contra Celſum qui Chriſtianos irridebat, eo quod Chriſtum flagellatum & ſpinis coronatum adorarent, quod mortuos quoſdam homines cum Chriſto venerarentur. Sic reſpondet: " Hos ,, omnes immerito nobiſcum conferri de- ,, clarabimus. Nam iſtis, quos enumera- ,, vit, templa & ſimulacra poſita ſunt ,, a ſuis populis. Nos vero qui non exhi- ,, bemus Deo tales honores, utpote ma- ,, gis congruos dæmonibus hoc illove loco ,, conſecratis, ut quemque aut ipſi oc- ,, cupaverunt, aut myſteriis quibuſdam in- ,, cantati habitare coguntur. Admiramur ,, Jeſum, qui mentes noſtras ab omni ſen- ,, ſibili nec corruptibili tantum, ſed etiam ,, corrumpendo, traduxit ad cultum ſum- ,, mi Dei, conſtantem correctione vitæ ,, atque precibus quas offerimus ei, ſeu ,, Mediatori inter omnem naturam ge- ,, nitam & ingenitam, qui nobis a ſuo ,, Patre omnia beneficia deferat, & vi- ,, ciſſim in morem Pontificis vota noſtra ,, ad ſummum Deum perferat. ,, Quibus verbis ſatisfacit Celſo Origenes hoc ſtatuendo diſcrimen inter Ethnicos & Chriſtianos, quod illi ſimulaera iis afficerent honoribus qui ſoli Deo debentur; iſti vero Chriſtum colerent ea maxime de cauſa quod abſque formis ſenſibilibus Deum in ſpiritu adorare nos edocuiſſet. Igitur omnem cultum procul facit ab imaginibus Origenes.

Reſpondeo 1. Origenem non loqui de Imaginibus, ſed de ſtatuis quas quidem Eccleſia tardius ſuo adſcivit ritui & cultui propter rationes non ſemel ſuperius datas: quod ſi qui velint Origenem ſermonem habere etiam de Imaginibus, ad ſummum concludi poteſt Imagines non fuiſſe primis ſæculis in uſu ut ſupra jam delibavimus: & hoc profecto probant ſolum auctoritates quæ e trium primorum ſæculorum Patribus erui poſſunt: ſed neque Origenes, neque alii cultum ſanctarum Imaginum aut damnant, aut ut quid contra Deum abdicant: alias & librum Evangelii & vaſa ſacra quæ ex ſententiis Patrum ſummo in honore ſemper fuiſſe conſtat, utique & reprobarent, quod certe affirmari nullo modo poteſt.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, & vult tantum Origenes Imagines & ſimulacra cultu latriæ ſoli Deo debito non eſſe co-

lenda, concedo: & damnat abſolute cultum ſanctarum Imaginum, nego. Damnat dumtaxat cultum ſuperſtitioſum more Gentilium, ſanctis Imaginibus præſtitum. Magnus ille Doctor eſt ſui ipſius interpres: ibidem enim ſic proſequitur: " Quod ſi „ dixerit, ſive Dæmonas, ſive Heroas, „ ſive Deos eſſe quos enumeravit, videat „ quod his, quæ dixit, aſtruit imprudens, „ etiam Jeſum fuiſſe tale quippiam, ideo- „ que facile tantæ multitudini appro- „ baſſe ſe miſſum a Deo ut genus hu- „ manum inviſeret. Id ſi ſemel admiſe- „ rit, vide non cogetur fateri potentio- „ rem eum his quibus modo connumeran- „ dum eſſe aſſenſit. Quandoquidem illo- „ rum nemo vetat coli etiam alios. At „ hic ſibi ipſe fidens ut pollentiori, in- „ terdicit ne iſtos recipiamus pro numi- „ nibus; quippe qui ſint impuri ac ſcele- „ ſti Dæmones, incubantes terræ locis „ variis, ut quemque occupaverunt. „ Ex quibus patet Origenem acuere ſtilum adverſus eos qui Chriſtum falſis numinibus aut natura, aut cultu parem faciebant, quos ſane redarguit dicendo omnibus Gentium diis Deum potentiorem eſſe, nec cum eis eſſe confundendum & annumerandum, quandoquidem falſorum deorum adoratores non vetabant colere plures deos. At Creator utpote verus Deus, interdicit ne iſtos etiam recipiamus pro numinibus.

Opponunt 3. Permultos alios Patres, ut fucum faciant ſimplicibus. 1. Chryſoſtomum qui dicit: " Nos per Scripturas frui- „ mur Sanctorum præſentia, non corpo- „ rum eorum, ſed animarum Imagines „ habentes. „ 2. Theodotum Ancyra- „ num Epiſcopum qui ſimilia profert: " „ Sanctorum vultus, *inquit*, non Imagi- „ nibus ex materialibus coloribus factis for- „ mandos accepimus; ſed horum virtu- „ tes per ea quæ de illis in Scripturis in- „ dicantur, quaſi quaſdam Imagines imi- „ tari didicimus, & ex hoc ad ſimilem „ illis zelum erigimur. „ 3. Hierony- „ mum, qui cap. 20. Exodi, ſic interpretatur: " Sive ſtatuam, ut Symmachus, „ ſive Imaginem auream, ut cæteri tranſtu- „ lerunt, voluerimus legere, cultores Dei „ eam adorare non debent. „ Ergo, &c.

Reſpondeo auctoritates probare ſolum Imagines non eſſe abſolute ad ſalutem neceſſarias, nec ſiſtendum eſſe in rebus ſenſibilibus, ſed magis ad ſpiritualia aſcendere oportere.

Ad Chryſoſtomum, dico S. Doctorem Imagines non abdicare, ſed Scripturas ſacras dumtaxat commendare: ita interpretantur Patres 7. Synodi: " Quæ enim, „ *inquiunt*, ſermo per auditionem repræ- „ ſentat, hæc pictura tacens per imitatio- „ nem oſtendit. „

Ad Theodotum reſpondet R. P. Alexander, Diſſert. 6. 8. ſæcul. Teſtimonium allatum ex ejus auctoritate eſſe ſuppoſititium: " Idque, *inquit*, manifeſto probarunt (Pa- „ tres Nicæni,) perlectis ejus ſermoni- „ bus, & interpretatione Symboli Nicæ- „ ni ab ipſo edita. Addidere, verba „ illa non ex codice Theodoti, ſed ex „ charta volatica in Pſeudoſynodo Ico- „ nomachorum lecta eſſe. „ Ad ſummum ex loco allato ſequitur tantum neminem ad Imagines præciſe, ut ſunt quid aut pictum, aut ſculptum debere attendere, ſed ad virtutes Sanctorum, quorum hiſtoriæ per Imagines & colores noſtris ſubjiciuntur oculis.

Ad tertium, diſtinguo, & Hieronymus vult ſolum perſtringere eos qui cultu ſuperſtitioſo, & pluſquam civili proſequebantur ſæculi Principes, concedo: & probare contendit cultum ſanctarum Imaginum eſſe malum, nego. " Ergo, *inquit ibi-* „ *dem*, Judices & Principes ſæculi, qui „ Imperatorum ſtatuas adorant & Imagi- „ nes, hoc ſe facere intelligant, quod „ tres pueri facere nolentes placuerunt „ Deo. „ Et iterum ibidem: " Velox „ oblivio veritatis: ut qui dudum ſervum „ Dei quaſi Deum adoraverat, nunc ſta- „ tuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe adoretur in „ ſtatua. „

Objiciunt 4. Auctoritatem Divi Auguſtini qui Serm. 2. in Pſal. 110. non modicum adverſari videtur cultui SS. Imagi- „ num. Quippe qui eas vocet ſimulacra Gentium, opera manuum hominum: eo prope modo loquitur de ſculptilibus Imagines Sanctorum præ ſe ferentibus, quales ſunt figuræ quæ in ſacris inſtrumentis nonnumquam animadvertuntur; " Sed enim „ & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex „ hujuſmodi materia vel metallo habemus „ in uſum celebrandorum Sacramento- „ rum quæ ipſo miniſterio conſecrata, „ ſancta dicuntur. Et ſunt profecto etiam „ iſta inſtrumenta vel vaſa quid aliud

„ quam

,, quam opera hominum . Verumtamen ,, nunquid os habent & non loquentur ? ,, S. Aug. hic comparat ſculptas Imagines Gentium ſculptilibus : ſed Gentium ſculptilia nullo honore cultuve digna ſunt : igitur ex S. Auguſtino nec noſtra .

Reſpondeo diſtinguendo : & ibi S. Auguſtinus inſurgit contra Paganos qui ipſo teſte ibidem idola vel tanqnam numina , vel tanquam numinum virtutem ad bene aut male faciendum hominibus præcontinentia habebant , concedo : & prohibet cultum ſanctarum Imaginum , ſubdiſtinguo : Imaginum ſculpturæ arte expreſſarum , tranſeat : pictura effigiatarum , nego . Eo loci tantum reprobat S. Doctor Gentium idola quæ os habent & non loquuntur ; & hoc etiam comparatione vaſorum ſacrorum , ne populus Imagines in eis fuſas vel ut quandam divinitatem , vel ut virtutem divinam in eas illapſam celebrarent : at non eis penitus adjudicat omnem cultum , cum dicat vaſa conſecratione & miniſterio Sancta : ea igitur ſculptilia ſecernit ab idolis quæ ſunt omni ex parte abominabilia quippe quæ ducant homines ad interitum : Poteſt etiam dici S. Auguſtinum in loco laudato ſolum rejicere ſtatuas & ſimulacra quæ nondum erant ſuis temporibus uſu celebrata, propter rationes ſupra allatas .

Inſtant : idem S. Doctor l. 1. de moribus Eccleſiæ c. 34. penitus abjicit picturas . " Nolite , *inquit* , conſectari turbas ,, imperitorum , qui vel in ipſa vera re- ,, ligione ſuperſtitioſi ſunt ..... Novi mul- ,, tos eſſe ſepulchrorum & picturarum ,, adoratores ; novi multos eſſe qui luxu- ,, rioſiſſime ſuper mortuos bibant . ,, Er- ,, go , &c.

Reſpondeo diſtinguendo , & ibi inſectatur Aug. abuſum , concedo : cultum , nego . Multi vel ſtupiditate , vel ſimplicitate , vel errore , aut etiam gula ducti pergebant ad ſepulchra mortuorum quorum adorabant Imagines , quos etiam cibare credebant , adeo bardi & illuſi ut animas defunctorum circa ſepulchra volitare , comedere & bibere exiſtimarent : hinc epulæ , hinc convivia , hinc & luxuria inquit Aug. at non hoc dicit actitatum ad ſepulchra Martyrum : & ſi quando cibi ad ea deportarentur , cito citius in Sanctorum honorem pauperibus erogabantur , ut refert ipſe Aug. l. 6. Confeſſ. c. 2.

Opponunt 5. S. Gregorii Papæ locum , qui cultui ſanctarum Imaginum videtur eſſe contrarius , quique eruitur ex l. 7. Epiſt. 111. indict. 2. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum . Primo quidem eum increpat quod zelo quodam abreptus confregiſſet ſanctas Imagines . " Et quidem zelum ,, vos , ne quid manufactum adorari poſſit , ,, habuiſſe laudavimus , ſed frangere eaſ- ,, dem Imagines non debuiſſe judicamus . ,, Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhi- ,, betur ut ii qui litteras neſciunt , ſal- ,, tem in parietibus videndo legant , quæ ,, legere in codicibus non valent . ,, Verum certior factus quod Serenus intemperanti zelo a prima ſententia non diſcederet , octodecim elapſis menſibus aliam ad eum direxit Epiſtolam qua ejus agendi erga ſanctas Imagines modum vehementer arguit . ,, Aliud enim eſt , *inquit* , pictu- ,, ram adorare , aliud per picturæ hiſto- ,, riam , quid ſit adorandum addiſcere . ,, Igitur S. Greg. prohibet cultum SS. Imaginum .

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum contra Dallæum qui hanc in pravum ſenſum detorquet auctoritatem . S. Greg. increpat Serenum quod confregiſſet SS. Imagines : vult eas apponi in Templis , ut rudiores diſcant de Sanctorum virtutibus , quod ipſi in codicibus legere non valent . Igitur non eſt idololatria ſanctas habere Imagines .

Reſpondeo 2. diſtinguendo conſequens . S. Greg. prohibet adorare SS. Imagines cultu ſuperſtitioſo & latriæ , concedo : cultu duliæ , nego . Controverſiæ caput erat inter Serenum & SS. Pontificem de Imaginibus : ille eas confregerat eo ductus motivo , quod videret populum cultu ſoli Deo debito illas honorare : increpat & redarguit zelum amarum S. Gregorius , dicendo quod manſuetudine populum ab adoratione retrahere debuerat , minime vero Sanctas frangere Imagines : non igitur cultum , ſed adorationem ſtrictam , eamque indebitam damnat , & ait : " Tua ,, ergo , frater , fraternitas & illas ſer- ,, vare , & ab earum adoratu populum ,, prohibere debuit , quatenus & littera- ,, rum neſcii haberent , unde ſcientiam ,, hiſtoriæ colligerent & populus in pi- ,, cturæ adoratione minime peccaret . ,, Quod autem S. Greg. experte propugnet cultum regulatum SS. Imaginum , claret

ex Epiſtola 54. in l. 7. ad Secundinum incluſa, ubi ſic loquitur: " Scio quidem " quod Imaginem Salvatoris noſtri non " ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed " ob recordationem filii Dei in ejus amo- " re recaleſcas, cujus te Imaginem videre " deſideras. Et nos quidem non quaſi an- " te Divinitatem, ante illam proſterni- " mur, ſed illum adoramus quem per " Imaginem aut natum, aut paſſum, ſed " & in throno ſedentem recordamur." Sanctus ille Pontifex fatetur ſe ante Imaginem Salvatoris proſternere, non quidem ut adoret lignum, ſed illum qui pependit in ligno. Non alium autem neque alio animo cultum exhibendum admittit pro SS. Imaginibus ſancta Dei Eccleſia.

Solvuntur objectiones ex auctoritate Eccleſiæ Gallicanæ deſumpta.

OBJICIT Dallæus. Si quod evinceret Sanctorum Imagines cultu religioſo donandas, maxime auctoritas Concilii ſecundi Nicæni: atqui ex illa auctoritate nihil poteſt concludi pro hoc momento: igitur SS. Imagines non ſunt cultu religioſo & ſacro venerandæ. Probatur minor. Concilium Francofurtenſe, ubi aderant trecenti ex Gallia, Britannia, Germania atque Italia Epiſcopi, damnavit atque proſcripſit definitionem Concilii Nicæni pro cultu SS. Imaginum. Sic enim loquitur Can. 2. " Allata eſt in medium " quæſtio de nova Græcorum Synodo, " quam de adorandis Imaginibus Conſtan- " tinopoli fecerunt, in qua ſcriptum ha- " bebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, " ita ut deificæ Trinitati ſervitium, aut " adorationem non impenderent, ana- " thema judicarentur: qui ſupra ſanctiſ- " ſimi Patres noſtri omnimodis adoratio- " nem & ſervitutem renuentes contemp- " ſerunt, atque conſentientes condem- " naverunt. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Patres Francofurtenſes non adverſari cultui ſanctarum Imaginum: quod quidem ex variis conſtat momentis. Primo, ex uno inter capita ab ipſa Synodo Francofurtenſi ad Adrianum Papam miſſa, in quo ſic habetur: " Sciat Dom- " nus Apoſtolicus, & Pater noſter, & " cuncta ſimul Romanorum Eccleſia, ut " ſecundum quod continetur in Epiſto- " la Beatiſſimi Gregorii, quam ad Se- " renum Maſſilienſem Epiſcopum dire- " xit, permittimus Imagines Sanctorum, " quicumque eas formare voluerint, tam " in Eccleſia, quam extra Eccleſiam prop- " ter amorem Dei & Sanctorum ejus: " adorare vero eas nequaquam cogimus: " frangere vel deſtruere eas, etiam ſi " quis voluerit, non permittimus: & " quia ſenſum ſanctiſſimi Gregorii ſequi " in hac Epiſtola univerſalem Catholicam " Eccleſiam Deo placitam indubitanter " libere profitemur." Ecce Patres Francofurtenſes SS. Imaginum cultum ſuo calculo approbantes, videlicet in eodem ſenſu quo B. Gregorius in Epiſtola ad Serenum, & l. 7. Epiſtola 2. & 5. ad Januarium & Secundinum illas celebrat, nempe ut amoris Dei & Sanctorum motivo Sanctas veneremur Imagines, & hoc cultu religioſo & Eccleſiæ regulis munito, unde Adrianus Papa ſub finem Epiſtolæ, qua libris Carolinis reſpondet, Gregorii Magni & Synodi Nicænæ diverſas de Imaginum cultu ſententias non fuiſſe demonſtrat.

Patres Francofurtenſes in hoc ſenſu approbaſſe cultum SS. Imaginum patet ex multis auctoritatibus quas in medium profert Binius in ſuis notis ad Concilium Francofurtenſe pag. 162. & 163. Ita, inquit, docuerunt Alanus Dialog. 4. c. 18. & 19. & Dialog. 5. & l. 7. de viſibili Monarchia num. 613. Surius in Præfatione hujus Concilii. Vaſquius l. 2. de adoratione Imaginum. Suarez tom. 1. p. 3. diſp. 54. ſect. 3. Concilium Senenſe in decretis fidei cujus hæc ſunt verba: " Ca- " rolus Magnus Francorum Rex Chriſtia- " niſſimus Francofordienſi Conventu, " ejuſdem erroris, *Iconomachiæ ſcilicet*, " ſuppreſſit inſaniam quam infeliciſſimus " quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat." Æmilius l. 2. de geſtis Francorum prope finem dicit Concilium Francof. egiſſe contra Hæreticos damnantes Imagines. " Et Imaginibus, " *inquit*, ſuus honor ſervatus eſt." Idem expreſſiſſimis verbis aſſerit Platina in vita Adriani I.

Dallæi commentum tertio perſtringimus argumento. Quomodo Galli ſacras Imagines colere & venerari prohibuiſſent, cum & librum Evangeliorum deoſculari & ſanctæ Crucis effigiem ſummo affici honore vellent &, utrumque venerari

coa-

conſueverant? Jam veniamus ad objectionem quam quidem variis varii modis, ſed omnes ſalvo honore Concilii tum Nicæni, tum Francoſurtenſis, ſolvunt.

Reſpondent quidam Concilium Francoſurtenſe non Nicænam Synodum legitimam abnuere, ſed ſpuriam Conſtantinopolitanam quam Imperator Copronymus Iconoclaſta adunavit, quamque ſeptimi Concilii generalis nomine inſigniri voluit: in quo quidem cultus ſanctarum Imaginum abrogatus & proſcriptus legitur. Ita cenſet Alanus Copus Dialog. 4. c. 14. nec ipſi profecto eximiæ deſunt rationes. Hoc quippe deſignant iſta Canonis Francoſurtenſis verba: " Quæſtio de nova „ Græcorum Synodo, quam de adoran„ dis Imaginibus Conſtantinopoli fece„ runt. „ Et certe ſi de Concilio Nicæno ſermonem faceret Concilium Francoſurtenſe, in ſuo poſuiſſet Canone. " Quæ„ ſtio de nova Græcorum Synodo quam „ de adorandis Imaginibus Nicæni fece„ runt. „ Hunc eſſe Concilii Francoſ. ſenſum non ſolum Canonis verba innuunt, ſed & innuere videtur Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis l. adverſus Hincmarum Laudunenſem c. 20. in quo quidem aſſerit Synodum a Patribus Francoſurtenſibus damnatam eam eſſe, quæ nec coacta, nec approbata fuit auctoritate Summi Pontificis: quæ quidem adverſæ circumſtantiæ Synodo Copronymi & non Nicænæ conveniunt.

Reſpondet Vaſquez l. 2. de adorat. c. 7. diſp. 7. Concilium Francoſurtenſe nec damnaſſe Nicænum, nec in ullo voluiſſe aut corrigere, aut immutare & offendere. Primo quidem quia Concilium Nationale nihil moliri poteſt contra Concilium œcumenicum approbatum, quale erat Nicænum triginta tunc ab his annis celebratum, & calculo Adriani Papæ munitum, nam & Concilium & Summum Pontificem perſtrinxiſſent Patres Francoſurtenſes, quod abſit dicere, cum e contra profiteantur ſe procedere ſub obedientia Romani Pontificis; & in libro ſacroſyllabo ſub finem, dum ſententiam contra Hæreticos proferunt, ſubjungant hæc verba: " Reſervato per omnia juris pri„ vilegio Summi Pontificis Domini & „ Patris noſtri Adriani primæ ſedis Bea„ tiſſimi Papæ. „ Quinimmo ipſe Carolus Magnus qui huic interfuit Concilio in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ aſſerit, ſe in primis conſuluiſſe Apoſtolicæ ſedis Pontificem, ut quid de cauſa in illo Concilio tractata opinaretur, aperiret. Et paulo infra hæc verba ſubjungit: " Apo„ ſtolicæ ſedi, & antiquis ab initio na„ ſcentis Eccleſiæ, & Catholicis Tradi„ tionibus tota mentis intentione, tota „ cordis alacritate conjungar. „ Quis ergo rerum æquus æſtimator propugnare auderet Adrianum, qui fortiter ſteterat pro cultu SS. Imaginum, in Epiſtola ſua, tum ad Patres Concilii Nicæni, tum ad Imperatorem, immutaſſe in re tanti momenti ſententiam, vel Carolum omni titulo Magnum ab Adriano diſceſſiſſe contra promiſſionem? 2. legati Summi Pontificis aderant Concilio Francoſurtenſi, nec paſſi fuiſſent aliquid aut fieri, aut moliri contra auctoritatem Synodi Nicænæ. *Accedit*, inquit Surius, *hic in notis ſeu admonitione ad Concilium Franc. pag.* 164. " quod ſi hujus Synodi auctoritate „ Nicænum Concilium damnatum, atque „ ita error Iconomachorum ex mala „ etiam informatione reipſa approbatus „ eſſet, certe ante noſtra tempora, il„ lius erroris aliquis ſectator ejus aucto„ ritate ſe ſuamque ſententiam munire „ ſtuduiſſet: quod tamen nullus fecit, „ maxime cum paulo poſt Carolum Ma„ gnum in eadem Gallia exortus fuerit „ Claudius Taurinenſis, qui errorem il„ lum in Occidentalem Eccleſiam intro„ ducere voluit: quem ſane plurimum „ confirmare potuiſſet auctoritate Occiden„ talis plenarii Concilii, ſi errorem il„ lum ſua definitione confirmaſſet. At „ vero neque Claudius in ſuum favorem „ illud adduxit, neque Jonas Aurelia„ nenſis, qui contra illum eodem tem„ pore ſcripſit, & illius fundamenta con„ futavit, quidquam de Concilio Franco„ fordienſi reſpondit, vel quoad hanc „ partem ſcripſit. „

Vaſquez hanc propugnat opinionem, & contendit auctores adverſæ ſententiæ erraſſe in facto & poſuiſſe Concilium Nicænum a Francofordienſi oppugnatum falſo deluſos rumore, vel ſcriptis ab Iconomachis hinc inde ex induſtria maligna vulgatis, cujus rei argumentum illud credit evidens, quod auctores longo tempore poſt celebrationem Concilii Francoſurtenſis ſcripſere, ex quo errorem facile irrepſiſ-

ſe in Hiſtoriographis autumat. Primus enim qui ſcripſit Concilium 2. Nicænum fuiſſe damnatum, eſt Ammonius qui elapſis centum circiter a celebratione Francofurtenſis annis, eius texit hiſtoriam. Nec mirum, quia acta diu latuiſſe compertum habemus. Verum quidem eſt in eo apparere Canonem ſecundum damnantem Concilium Nicænum, ſed hunc ſuſpicatur Vaſqueſius ſuppoſititium, tum quia non eſt veriſimile PP. Franc. vel damnaſſe fidem de cultu SS. Imaginum, vel mentem Concilii Nicæni ignoraſſe, vel agnitam non attigiſſe, tum quia Canones Concilii Francofurtenſis non fuerunt ſimul cum actibus typis excuſſi: acta ſiquidem in lucem prodiere anno 1567. opera Surii; Canones vero anno 1629. diligentia & labore R. P. Syrmundi.

Ad hujuſcemodi ſententiæ & reſponſionis confirmationem, annotandum eſt libros Carolinos publici juris factos eſſe anno 1540. a quodam anonymo Auctore Gallò, qui creditur Iconomachus: His quidam libris appoſuit Præfationem in qua reperiuntur primus & ſecundus Canon Concilii Francofurtenſis: unde, inquit Petavius l. 15. de Incarn. c. 12. num. 7. Canon de quo procedit controverſia aut defloratus fuit & ex integro immutatus, aut etiam ſuperadditus. cenſetur; & ideo parum ponderat. Cæterum Ammonii ſecuti ſunt errorem alii hiſtorici.

Reſpondeo cum aliis plurimis ad argumentum negando minorem: ad probationem, diſtinguo: Concilium Francofurtenſe prohibet cultum latriæ Sanctis exhiberi Imaginibus, concedo: cultum ut ſic, eumque religioſum, nego. Duplex cultus, alter latriæ, & qui ſoli Deo debetur propter ejus excellentiam: alter vero duliæ quo honore pio & religioſo proſequimur Sanctos propter eorum cum Deo optimo conjunctionem: ſimili cultu, duliæ ſcilicet eoque mere relativo donantur Sanctorum Imagines: igitur nec adoratione latriæ eas veneramur, nec cultu abſoluto, ita ut aliquam ineſſe Imaginibus virtutem agnoſcamus. Certum eſt Concilium Francofurtenſe procul facere a Sanctorum Imaginibus cultum dumtaxat latriæ, qui uni ſoli Deo exhibendus eſt. Et hoc patet ex ipſis Concilii terminis: " Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent. "

Inſtat Dallæus: Concilium Francofurtenſe damnat Nicænum ſecundum, in eo quod cultum SS. Imaginum aſſervat, nuſquam vero proſcribit Concilium Copronymi; conſtat enim damnare Concilium quod cultum SS. Imaginibus exhibendum ſtatuerat; Conſtantinopolitanum vero ſub Copronymo non ſolum nihil pro Imaginibus, ſed omnia contra ipſas definierat: unde quando Francofurtenſe in ſuo ſecundo Canone dicit: " Allata eſt in medium quæſtio de Græcorum Synodo quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt; " Luce clarius patet Patres Nicænos eatenus Conſtantinopolitanos vocari, quatenus Synodus Nicæna congregata fuit & Irene & ejus filio Conſtantinopoli imperantibus: tum quia plurimi & magna ex parte Patres erant Patriarchæ Conſtantinopoleos ſuffraganei, tum quia etiam Synodus Conſtantinopolim primo indicta eſt, ac Nicæam deinde tranſlata: igitur Concilium Francofurtenſe omnem abjicit cultum pro Sanctorum Imaginibus; alias ſibi contradiceret.

Reſpondeo ut ſupra diſtinguendo, Concilium Francofurtenſe errore facti deceptum damnat Synodum Nicænam, concedo, ſecus, nego. Suſpicabantur Patres Francofurtenſes, Orientales Iconomachorum æmulos nimis tribuere SS. Imaginibus, & pares illas cum Deo in honore facere, & ideo eorum explodere definitionem non ſine fundamento autumare poſſumus. Quod in ea verſati ſint mente ex duobus maxime liquet. Primo quia eorum Canon iſtò nititur motivo quod abrogare velint honorem & ſervitium ſoli Trinitati Deificæ exhibendum. Secundo, quia conſtat Patres Nicænos nuſquam talem ſanctis imaginibus cultum reddendum definiviſſe ut liquet ex probationibus iterum atque iterum adductis.

Urget Dallæus: non poteſt concipi Patres Francofurtenſes Nicænorum mentem aut ignorare, aut capere non potuiſſe: cum codices præ oculis haberent, cum ejuſdem Adriani, qui confirmaverat Nicænum, ibi adeſſent & legati.

Re-

Reſpondeo 1. cum R. P. Alexandro Diſſert. 6. Sect. 8. Patres Francofurtenſes duas reprobaſſe Synodos, Conſtantinopolitanam ſcilicet Ichonomachorum & Nicænam. Primam quidem, eo quod Imagines SS. ſervandas & honorandas eſſe negaret: Nicænam vero quia putabant illam cultu latriæ donandas eſſe ſanctas Imagines ſanxiſſe.

Reſpondeo 2. Multis de cauſis Patres Francofurtenſes in hoc facto errare potuiſſe. Primo quidem magis attenderunt ad profeſſionem fidei Conſtantini Epiſcopi quam ad Synodi definitionem: ſic enim habebat profeſſio Conſtantini Conſtantiæ Cypri Epiſcopi de qua liber tertius Carolinus cap. 17. in ipſa capitis inſcriptione ait: " Quod infauſte & præcipitanter, „ ſive inſipienter Conſtantius Conſtantiæ „ Cypri Epiſcopus dixit: ſuſcipio & am„ plector honorabiliter ſanctas & veneran„ das Imagines ſecundum ſervitium ado„ rationis, quod conſubſtantiali & vivi„ ficatrici Trinitati emitto. „ Quam etiam profeſſionem vitio interpunctionis defloratam dicit ibidem R. P. Alexander. Unde hunc genuinum reddere debet ſenſum: " Ego etiam indignus his conſentio, & „ ejuſdem ſum ſententiæ, ſuſcipiens, & „ honorarie amplectens ſanctas ac vene„ rabiles Imagines. . . . . Et adoratio„ nem quæ fit ſecundum latriam, ſoli ſu„ perſubſtantiali & vivificæ Trinitati emit„ to. „ Ex quibus ſic concludit R. P. „ Alex. " Error igitur Synodi Francofor„ dienſis circa ſeptimam Synodum, vitio „ interpretis tribui debet, qui ipſam juſſu „ Adriani Papæ latinitate donaverat. De „ cuius imperitia conqueritur Anaſtaſius „ Bibliothecarius, qui alteram verſionem „ adornavit tempore Joannis VIII. (In„ terpres, *inquit*, pæne per ſingula re„ licto utriuſque linguæ idiomate, adeo „ eſt verbum a verbo ſequutus, ut quid „ in eadem editione intelligatur, aut vix, „ aut numquam poſſit adverti, in faſti„ diumque verſa legentium pæne ab om„ nibus hac pro cauſa contemnatur.) Ex „ his patet Synodum Francofordienſem, „ errore facti deceptam, Synodum ſepti„ mam damnaſſe quod ſupremi gradus ado„ rationem & cultum latriæ Imaginibus „ ab ea decretum exiſtimaret, non qui„ dem aperta definitione, ſed conniven„ tia, quia Conſtantinii Epiſcopi ſenten„ tiam non emendaverat. „

Ratio hæc ulterior plurimum convincit Patres Francof. calamo & definitione ſua perſtrinxiſſe Nicænum Concil. quia non credebant legitimum, ut conſtat ex libris Carolinis l. 4. cap. 13. & cap. 28. in iſto quippe ſic loquuntur: " Inter cætera de„ liramenta, quæ in eadem Synodo vel „ geſta, vel ſcripta dicuntur, hoc quo„ que non omnibus eorum deliramentis, „ minus eſt, quod eandem Synodum uni„ verſalem nuncupant, cum neque uni„ verſalis fidei inconvulſam habeat purita„ tem, neque per univerſarum Eccleſia„ rum geſtam conſtet auctoritatem. „ Quod quidem ita compertum habere putabant, quia totius ferme Occidentis ſuffragia Nicæno deerant. Unde Adrianus I. Capitulari a Carolo Magno miſſo per Angilbertum Abbatem ita reſpondet, ut œcumenicæ Synodi nomen auctoritatemque nuſquam illis objiciat. Ea fuiſſe in ſententia Eccleſiam Britannicam conſtat ex his quæ refert Rogerius de Howeden, Annal. p. 1. ex vita Regis Offæ: " Anno, „ *ait*, 792. Carolus Rex Francorum mi„ ſit Synodalem Librum ad Britanniam, „ ſibi a Conſtantinopoli directum, in quo „ Libro multa inconvenientia & veræ „ fidei contraria reperiebantur; maxime „ quod pæne omnium Orientalium Do„ ctorum, non minus quam trecentorum, „ vel & amplius Epiſcoporum, unani„ ma aſſertione confirmatum fuerit, Imagines adorari debere, quod omnino „ Eccleſia Dei execratur. „ Exiſtimabant igitur errore facti detenti Britanni ſicut Galli, Concilium Nicænum ſecundum aſtruxiſſe pro ſanctis Imaginibus latriæ cultum.

Ad id vero quod Dallæus adjicit de legatis, qui de mente Concilii Nicæni potuiſſent edocere Patres Francofurtenſes; dico vel ipſos defectu genuinæ verſionis non ſatis explanaſſe ſenſum Nicæni Concilii, vel etiam non potuiſſe Gallos Germanoſque Epiſcopos a præconcepta opinione contra Nicænum ad genuinum adducere ſenſum, maxime vero cum ipſe Carolus Magnus vereretur ne faveret Imperatori Conſtantinopolitano, qui, ſpreta & relicta ejus ſorore, aliam in ſponſam aſſumpſerat. Hinc & ſui imperii Proceres atque Epiſcopi tanta commoti perfidia, dubitare de Orientalium fide, etiam in re-

re-

relus religiouis non pertimeſcebant.

Inſtant Proteſtantes & concludunt; ergo & poſſumus & potuimus provocare ad examen definitiones Conciliorum etiam a ſummo Pontifice confirmatorum, & maxime Tridentini, quod in multis nos damnat, quandoquidem Concilium Francofurtenſe ipſum damnavit Nicænum.

Reſpondeo neminem Catholicum approbare Concilium Francofurtenſe in eo quod proſcripſerit Nicænum, ſed omnes excuſare quod errore facti detentum, alterius rejecerit de colendis ſanctis Imaginibus definitionem.

Reſpondeo 2. negando paritatem: diſſimilis ſane ratio eſt pro Tridentino & Nicæno ſecundo. Primum ex Epiſcopis tum Orientalibus, tum Occidentalibus conſtabat: ſaltem omnes rite & canonice convocati fuerant: Nicææ vero vix ulli aderant Occidentales. Præterea non uno aut altero, ſed quatuor Summis Pontificibus confirmatum fuit Tridentinum; immo & per univerſam Eccleſiam publicatum, atque ab omnibus receptum: verum non ſic Nicænum, ut patet ex dictis. Denique ita apertus fuit Tridentini circa fidei dogmata ſenſus, ut nullus plane relictus ſit ambigendi locus: non idem dici poteſt de Nicæno ſecundo: cum enim profeſſio fidei Conſtantini actibus adjuncta ſit, eam adamuſſim corrigere ipſius erat. Cæterum, apprime ſalvari ex integro poteſt auctoritas Concilii Nicæni ſecundi juxta priores ſolutiones, quæ certe probabiliſſimæ ſunt.

Ex Libris Carolinis.

OBJICIUNT Hæretici. Non poteſt melius Eccleſiæ Gallicanæ cognoſci ſententia, quam ex Libris Carolinis, quorum auctor eſt Carolus Magnus Francorum Rex: atqui in his libris nedum latriæ ſed & duliæ cultus pro ſanctorum Imaginibus penitus abjicitur: igitur cultus omnis ex Eccleſia Gallicana denegari debet ſanctis Imaginibus. Major patet; iſtorum quippe librorum auctor eſt Carolus Magnus, & hoc ex pluribus momentis conſtat. Primo quidem ex Præfatione totius operis: "Quoniam, *inquit*, in Eccleſiæ ſinu Regni gubernacula, Domino tribuente, ſuſcepimus, neceſſe eſt ut in ejus defenſione, & ob ejus exaltationem, Chriſto auxiliante, toto annifu certemus." Poſtea hæc ſubdit: "Quod opus aggreſſi ſumus, cum cohibentia Sacerdotum in Regno a Deo nobis conceſſo, Catholicis gregibus Prælatorum, non arrogantiæ ſupercilio, ſed zelo Dei & veritatis ſtudio." 2. Ex Epiſtola Synodali Concilii Pariſienſis ſub Ludovico Pio: Cum ſanctæ memoriæ, *inquiunt Patres*, genitor veſter coram ſe, ſuiſque perlegi feciſſet, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendiſſet, & quædam Capitula, quæ reprehenſioni patebant, prænotaſſet, eaque per Angilbertum Abbatem eidem Adriano Papæ direxiſſet, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur: ipſe rurſus favendo illis, qui ejus inſtinctu tam ſuperſtitioſa, tamque incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant, per ſingula Capitula in illorum excuſationem reſpondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus eſt." 3. Ex Adriani reſponſione ad ſingula Capitula illi per Angilbertum oblata, & ad Carolum Magnum directa, qua quidem teſtatur quanto cum amore Angilbertum ſuſcepiſſet, deinde addit: "Inter quæ edidit nobis capitulare adverſus Synodum, quæ pro ſacrarum Imaginum erectione in Nicæa acta eſt." Hoc etiam colligitur ex libro Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi adverſus Hincmarum Laudunenſem c. 20. Cæterum exemplaria manuſcripta, Vaticanum & Tilianum Caroli nomen præ ſe ferunt.

Probatur jam minor, nempe Carolum Magnum in ſuis vic iſſim libris omnem eliminare cultum a ſanctis Imaginibus. 1. l. 2. c. 21. ſolum Deum adorandum, Sanctos quidem in gloria triumphantes venerandos, ſed non Imagines, dicit: "Solum, *inquit*, Deum colere, ipſum adorare, ipſum glorificare debere, totius Scripturæ tuba terribilis intonat. Unde cavendum illis eſt & modis omnibus pertimeſcendum, nedum Imaginum cultum & adorationem Chriſtianæ religioni ingerere nituntur, ſingularem unius Dei cultum & adorationem fruſtrari videantur: quæ duo ita ſe mutuo reluctantur, ut ſi unum ſteterit, aliud ſtare non poſſit... Solus igitur Deus colendus, ſolus adorandus, ſolus glorificandus eſt."

Po-

Poſtea ſubdit : “ Cujus etiam Sanctis qui
„ triumphato diabolo cum eo regnant ve-
„ neratio exhibenda eſt . Imagines vero
„ omni ſui cultura & adoratione ſecluſa,
„ utrum in Baſilicis propter memoriam re-
„ rum geſtarum & ornamentum ſint, an
„ etiam non ſint nullum fidei Catholicæ af-
„ ferre poterunt præjudicium : quippe cum
„ ad peragenda noſtræ ſalutis myſteria ,
„ nullum penitus officium habere noſcan-
„ tur . „ Ibidem c. 25. cultum & obſervationem erga SS. Imagines prohibet . l. 3. c. 18. *venerationem*. l. 2. c. 27. eum honorem qui *collo inſlexo, capite ſummiſſo exhibetur*. c. 30. vel thuris & luminarium oblatione. Quæ quidem omnia, inquiunt Calviniſtæ, maxime pugnant cum Synodo Tridentina quæ vult fideles *Imagines venerari, oſculari, & coram iis caput aperire ac procumbere*. Igitur Carolus Magnus abjicit omnem cultum pro ſanctis Imaginibus : ne quidem vult æquiparari aut vaſis ſacris, aut libris Evangeliorum. Ita l. 2. c. 29. & 30. immo nec honorem civilem qui Juſtis in terris converſantibus conceditur, eis annuit.

Reſpondet Bellarminus perperam Carolo Magno adſcribi hujuſmodi libros qui anno 790. tribus annis a Nicæna ſecunda Synodo & quatuor ante Francofurtenſem apparuere, ſed ab aliquo hæretico elucubratos putat, oblatos vero Carolo, qui & eos per Angilbertum Abbatem ad Adrianum Papam, ut illos refelleret, miſit. Nec deſunt rationes quibus commotus Bellarminus huic ſubſcribit ſententiæ. Prima quidem : de facto extat Adriani pro cultu SS. Imaginum Apologia ad Carolum directa ut iſtis reſponderet Capitulis. Secunda : Gregorius II. Adrianus I. & Leo III. Græcorum Imperatores propter Iconomachiam excommunicarunt : non eſt profecto veriſimile Carolum Magnum de Eccleſia per omnia bene meritum hujuſmodi hæreſeos labe fuiſſe contaminatum ; & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem ſcripſiſſe ; maxime vero cum Patres Concilii Francofurtenſis ut aderat, obedientiam & obſequium ſumma cum reverentia ſummo deferant Pontifici, cujus ſuprema jura ne quidem indirecte aut labefactare, aut in dubium revocare, aut etiam infirmare nolle ultro teſtantur. Tertia : in Synodo Gentiliaci ſub Pipino Caroli Magni Patre Græcorum error contra ſanctas Imagines etiam, præſentibus Imperatoris Græci oratoribus, confutatus & proſcriptus eſt; immo ut ſupra in probationibus diximus, ipſe Carolus duodecim Gallicanæ Eccleſiæ Præſules ad Concilium Romanum ſub Stephano pro reſtituendis Imaginibus miſit. Quo pacto igitur, quove facto eveniſſe, ut Carolus alias Adriano amicitia & obedientia conjunctiſſimus, & ipſum acri ſtylo variis in Capitulis momordiſſet & bellum adverſus pietatem atque honorem ſanctis Imaginibus debitum per fas & nefas indixiſſet ; & Nicænis Patribus duplicis mendacii labem inuſſiſſet, dicendo decretum de colendis ſanctis Imaginibus abſque Romani Pontificis aſſenſu emiſiſſe, & Imaginibus vere latriæ cultum, qui ſoli Deo debetur, conceſſiſſe?

Quibus poſitis, jam reſpondetur in forma. Libri Caroli impugnant cultum SS. Imaginum, & ſunt alicujus hæretici Iconomachi fœtus, concedo : & ſunt ab ipſo Carolo emanati, ſubdiſtinguo ; ideſt fuerunt ipſi oblati, & poſtea eos remiſit ad Adrianum, ut ſingulis reſponderet difficultatibus, concedo : & fuerunt ab ipſo compoſiti, nego. Non eſt ſane veriſimile quod Imperator magnis imperii implicatus negotiis, in Theologia non omnino verſatus, in pietate, & fide erga Deum, reverentia vero erga Summum Pontificem nulli ſecundus, debacchatus ſit contra Sanctas Imagines, acuerit ſtylum adverſus Adrianum quem ſummo habebat in honore, libros ſubtilitate quidem & doctrina plenos, erroribus vero paſſim ſcatentes conſcripſerit..

Adjuvant hanc Bellarmini ſententiam ea quæ R. P. Alexander diſſert. 6. de SS. Imaginibus dicit, nempe non opus librorum Carolinorum, ſed ſolum capitum Lemmata ſive titulos ad Adrianum miſſa fuiſſe; cujus rei hæc ſunt rationes, quia Summus Pontifex nec argumentis, nec conviciis quæ toto continentur in opere, reſpondet ; reſponſurus tamen abſque dubio ſi legiſſet : ſed unicuique titulo ſimplicem ejus quod reprehenſum ac improbatum eſt, defenſionem ſubjicit. Præterea nec ſingulis reſpondet titulis, nec ordinem ſequitur. Denique in Apologia pro ſanctis Imaginibus c. 25. poſtremum Capitulum ex miſſo ad ſe Capitulari refert, in quo Francofordienſes Patres ſic

loquuntur : " Ut ſciat Domnus Apo-
,, ſtolicus & Pater noſter , & cuncta ſi-
,, mul Romanorum Eccleſia , ut ſecun-
,, dum quod continetur in Epiſtola Bea-
,, tiſſimi Gregorii , quam ad Serenum
,, Maſſilienſem Epiſcopum direxit , per-
,, mittimus Imagines Sanctorum quicum-
,, que eas formare voluerint . ,, Quod
ultimum Capitulum in libris Carolinis
non extat.

Concinunt ea quæ Surius dicit in notis
ad Concilium Francofurtenſe pag. 165.
& 166. " Ut incipiamus , *inquit* , a Præ-
,, fatione Eli. Phili. nulla fides ei adhi-
,, beri poteſt . . . . . primo quidem quia
,, auctores præcedentis opinionis dubi-
,, tant, an in illa Præfatione , ut eſt in
,, ſuo originali , Francofordienſe Conci-
,, lium nominetur : & probabilius cre-
,, dunt , parentheſim illam , in qua Fran-
,, cofordienſis Concilii fit mentio , fuiſſe
,, ab aliis interpoſitam . Quod ſi hoc ve-
,, rum eſt , neque Hincmarus , neque alii
,, Hiſtorici potuerunt ex hac Præfatione
,, ſumere illam ſententiam de damnatio-
,, ne Synodi Nicænæ in Francofordienſi ,
,, ſed ad ſummum , in aliquo Conventicu-
,, lo imperitorum , & hæreticorum ho-
,, minum , a quibus fortaſſe liber ille edi-
,, tus eſt . Unde ſumitur ſecunda conje-
,, ctura : nam omnium recte ſentientium
,, judicio liber ille non fuit a Carolo Ma-
,, gno editus , ſed ab aliquo vel aliquibus
,, Hæreticis , qui illum , vel occulte ,
,, vel palam Carolo obtulerunt : Carolus
,, autem illum ad Pontificem Adrianum
,, miſit , qui in ſcripto ad Carolum de
,, Imaginibus , librum illum ex profeſſo
,, confutavit . ,, Ecce quomodo impugnat
& libros Carolinos & eorum Præfationem
in qua præcipue ſcatet venenum adverſus
ſanctas Imagines . Quod autem maximum
ſit dubitandi fundamentum libros eſſe Ca-
roli fœtum , illud eſt , quod Eli. Phili. ,
cui tribuitur Præfatio , Carolum operis
auctorem eſſe conetur oſtendere : ad quid
autem hoc probare , ſi compertum erat
Regem compoſuiſſe libros ? nemo quip-
pe ignoraſſet tam diffamatum ubique mo-
mentum .. Sic igitur ratiocinatur idem
Surius : " Ipſe Eli. Phili. ſe alium a
,, Carolo eſſe oſtendit : nam ex profeſſo
,, in eadem Præfatione oſtendere cona-
,, tur , Carolum fuiſſe illorum librorum
,, auctorem , re prius deliberata cum Epi-
,, ſcopis Concilii Francofordienſis : fuit
,, ergo auctor illius Præfationis Eli. Phili.
,, non Carolus : & illa Præfatio non fuit
,, edita tempore Caroli Magni : ergo ni-
,, hil probabile de illa credi poteſt , niſi
,, quod ab eodem ſit edita , a quo denuo
,, liber ille inventus , vel typis manda-
,, tus eſt ante quadraginta quatuor annos
,, ſolummodo , & ut minimum , impro-
,, babile ſit , Hincmarum & alios anti-
,, quos Hiſtoriographos ab illa Præfatio-
,, ne ſententiam ſuam hauſiſſe . ,,

Quia tamen viri eruditi non pauci de-
fendunt libros Carolinos tanquam genui-
nos , non abs re erit hunc Calviniſtis
ſubtrahere titulum , oſtendendo eorum de
ſanctis Imaginibus errorem falſo fulciri
fundamento , cum eum auctoritate libro-
rum Carolinorum firmare pro virili ſa-
tagunt ; idcirco ulterior ſolutio adhiben-
da eſt .

Reſpondeo 2. Carolum ſanctis Imaginibus
omnem non abjudicare cultum , verum
potius regulatum & ordinatum approba-
re , quod patet in quatuor libris anno 790.
in lucem editis , de quibus in objectione
movetur quæſtio .

Primo , l. 2. c. 15. num. 20. Carolus
objiciens ſibi factum S. Sylveſtri Imagi-
nes Conſtantino Magno adorandas offeren-
tis , ſic reſpondit Imperator , ſeu libro-
rum Carolinorum auctor : " Has igitur
,, ei etſi adorare juſſiſſet , cum tamen
,, non juſſerit , ideo fortaſſe juberet , ut
,, eum , qui viſibilium cultor erat , per
,, viſibilia ad inviſibilia provocaret . ,,
Cenſet igitur licitum eſſe venerari ſan-
ctas Imagines , quatenus iis utimur , ut
veluti per viſibilia ad amorem inviſibi-
lium manuducamur .

Secundo , lib. 3. cap. 16. num. 381. Mul-
ta dicit de cultu , quem Græci ſacris
reddebant Imaginibus ; prohibet quidem
hunc plebi propter ſuperſtitionis pericu-
lum , ſed licitum facit doctis & pruden-
tibus . " Nam etſi , *inquit* , a doctis qui-
,, buſcumque vitari poſſit hoc quod illi in
,, adorandis Imaginibus exercent , qui vi-
,, delicet , non quid ſint , ſed quid innu-
,, ant venerantur , indoctis tamen quibuſ-
,, que ſcandalum generant , qui nihil aliud
,, in his , præter id quod vident , vene-
,, rantur & adorant . " Igitur ex libris
Carolinis , licebit etiam plebi , modo in-
ſtructio accedat , venerari ſanctas Imagines.

Ter-

Digitized by Google

Tertio, l. 4. c. 8. Oſtendit Auctor ſe abhorrere non cultum & ſanctorum Imaginum venerationem, ſed aut ſcandalum & ſuperſtitionis ſuſpicionem. " A- „ dorare eas, *inquit*, & colere, iiſque „ ſervitium rependere recuſamus, quoniam „ plerumque non res ſed cauſa rei pro ſcelere reputatur, dum videlicet multa, „ quibus bene poteſt uti, malo uſu in flagitium convertuntur; ſicque una eademque res bene utentibus non eſt cauſa piaculi & male utentibus eſt cauſa „ periculi. „

Quarto, Clarius Auctor ſuam explicat mentem in Excerptis quibuſdam a ſuo opere, quæ miſit ad Adrianum: ſic loquitur capitulo ultimo pag. 960. " Sciat Domi- „ nus Apoſtolicus & Pater noſter ut ſe- „ cundum quod continetur in Epiſtola Bea- „ tiſſimi Gregorii, quam ad Serenum Maſ- „ ſilienſem Epiſcopum direxit; permit- „ tamus Imagines Sanctorum, quicumque „ eas facere voluerint, tam in Eccleſia „ quam extra Eccleſiam propter amorem „ Dei & ſanctorum ejus: adorare vere „ eas nequaquam cogimus, qui noluerint: „ frangere vero vel deſtruere eas etiam- „ ſi qui voluerint, non permittimus. „ Eo ipſo quo permittit Auctor ſanctas venerari Imagines, non abjudicat eis cultum religioſum, quinimmo ipſum ſtatuit & dicendo Imagines propter amorem Dei atque ſanctorum, tum intra, tum extra Eccleſiam poſſe affigi, & prohibendo eas frangi & contumeliis affici.

Reſpondeo 3. diſtinguendo: Auctor librorum Carolinorum omnem abjudicat ſanctis Imaginibus cultum latriæ ſoli Deo debitum, concedo: cultum duliæ, ſubdiſtinguo, ſuperſtitioſum, vel abſolutum, concedo: relativum, nego. Tria diſtinguenda ſunt in cultu, 1. quidem adoratio. 2. Spes in Imaginibus, quaſi aliquam in ſe prahaberent virtutem, vel ad ſanandos morbos, vel ad ſanctificandas animas. 3. Honor exhibitus lapidi, metallo & Imagini in hoc præciſe ſiſtendo. Porro adoratio dicit latriæ cultum, unde ſoli Deo debetur, & uſus nunc invaluit ut dicamus, veneramur & colimus ſanctas Imagines, nuſquam vero adoramus. Nec utique virtus ineſt aliqua ſupernaturalis in Imaginibus: tertium addo ex Adriano Papa in Epiſtola ſua ad Patres Nicænos: non Imagines, ſed Chriſtum, ſed Deiparam, ſed ſanctos in Imaginibus colimus, quia vero, & plebis, & ſimplicium inſcientia non ſemel factum eſt ut quidam ſtatuas velut numina haberent, ſpem in Imaginibus ponerent, eaſque propter ſe non propter ſanctos venerarentur; ideo Auctor librorum Carolinorum prohibet in primo ſenſu adorare Imagines. Unde ne idololatriæ præbeant anſam, non vult collo deflexo & inclinato, genuflexione, thure, vel alio ſimili modo coli. Cultum utique etiam duliæ abjudicat ſanctis Imaginibus, ſed in ſecundo & tertio dumtaxat ſenſu, in quo cum Eccleſia perfectiſſime concordat: neque enim virtutem aliquam ineſſe Imaginibus dicimus, neque ſpem in eis reponimus, neque eaſdem propter ſe, ſed tantum propter Sanctos veneramur; quæ quidem omnia, tum ex probationibus, tum ex fide & uſu Eccleſiæ Gallicanæ patent, immo ex ipſis librorum Carolinorum contextibus.

Negat quidem Auctor adorandas eſſe ſanctorum Imagines, ſed cultu latriæ etiam relativo. In primis l. 4. c. 18. conqueritur quod uſus inoleverit more Gentium Imagines adorare, unde c. 27. ait: „ Falluntur vere & merito falluntur, qui, „ cum Deus Creator omnium ſe ſolum adorari cenſuerit, res quaſdam ſenſu carentes adorare nituntur. „

Negat quoque colendas eſſe Sanctorum Imagines ſpem ſuam in eis reponendo, quaſi vel gratiam, vel bona nobis ſuppeditare temporalia poſſent; libro enim 3. c. 18. ſic Auctor loquitur: " Cum ergo „ iſti pæne omnem auxilii ſui ſpem in „ Imaginibus defigant, non mediocriter a „ ſancta & univerſali diſſentiunt Eccle- „ ſia, quæ ſpem auxilii ſui non in picturra facit, non in manufactis artificum „ operibus, ſed in Deo omnium Creato- „ re defigit. „

Negat denique colendas eſſe Imagines ſanctorum cultu abſoluto & propter ſe: apprime quidem, nam lignum, & metallum in ſe non ſunt quid aut ſacrum, aut ſanctum ſicut vaſa ſacra & liber Evangeliorum: vaſa quippe ex contactu Sanguinis & Corporis Chriſti quandam contrahunt conſecrationem, quocirca aliquo digna ſunt honore: a fortiori liber Evangeliorum, qui ipſum Dei verbum continet: & ideo Auctor in hoc ſenſu non vult Imagines iſto donari cultu, ſed non ne-

Digitized by Google

negat eis cultum relativum propter Dei & ſanctorum amorem; quod autem hic ſit genuinus, germanuſque ſenſus Auctoris librorum Carolinorum patet ex l. 4. c. 26. in quo ſic habet: " Unde, *inquit*, magna ex parte errare eos conſtat, cum eas ſanctas eſſe aſſerunt & in locis contaminatis ſtatuendas eſſe decernunt, ſcilicet Imagines.

Cæterum libri Carolini duo perſtringunt Concilia, alterum Copronymi, cujus decreto ablatæ, & confractæ ſunt ſanctæ Imagines. Alterum Patrum Nicææ congregatorum quaſi adorationem ſoli Deo debitam ſanctis Imaginibus conceſſiſſet: " Frangere vero, vel deſtruere eas, etiamſi qui voluerit, non permittimus. ,, & l. 2. cap. 23. recenſitis Beati Gregorii verbis ex Epiſtola ad Serenum: " Ecce quo Magiſtro, quove documento venerandi Pontificis imbuto, Imagines in Eccleſis habere non renuimus, ſed earum adorationem prorſus abdicamus: cujus inſtitutis contra ire ſe, quiſque eas frangit, vel adorat, modis omnibus recognoſcat. ,, cap. vero 31. Auctor librorum comparat utramque Synodum ad invicem: primam ſcilicet, Copronymi, quæ frangi ſanctas Imagines finit, & damnat; alteram dicit eas adorare, & hoc abjicit. Poſtea hæc ſubdit: " Ut nec cum illis prorſus abolendas dijudicemus nec cum iſtis adorandas decernamus, ſed ſolum Deum adorantes & ejus ſanctos venerantes ſecundum antiquam Patrum & Eccleſiaſticam Traditionem eas in Eccleſia, in ornamenta & in memoriam rerum geſtarum ſi libet habeamus. ,, Et ſic patet ad ſingulas objectionis partes reſponſio.

Ad primam quidem, diſtinguo: libri Carolini prohibent adorari SS. Imagines cultu latriæ, concedo: duliæ, nego.

Ad ſecundam, ſimiliter diſtinguimus: prohibent coli ſanctas Imagines cultu quo veneramur vaſa ſacra & librum Evangeliorum, concedo: abjudicant eis omnem cultum, nego. Cum ſanctæ Imagines nullam in ſe aut virtutem, aut conſecrationem habeant, nonniſi cultu relativo ad ſanctos colendæ ſunt: porro Auctor concedit ſanctos eſſe colendos in ſe & propter Deum; igitur nec abnuit cultum relativum pro ſanctis Imaginibus, cum eas illo proſequi cultu, ſit ſolos in eis venerari ſanctos quos noſtris ſubjiciunt oculis.

Ad tertiam partem adhuc diſtinguo: auctor etiam negat cultum duliæ ſanctis Imaginibus exhibendum eſſe, ſed abſolutum, ita ut eas propter ſe veneremur, concedo: cultum relativum ad Sanctos quos in Imaginibus veneramur & colimus, nego.

Ex Concilio Pariſienſi, videlicet ex quibuſdam Epiſcopis & auctoribus Gallicanis.

OBJICIUNT Hæretici contra cultum ſanctarum Imaginum Concilium Pariſienſe ſub Ludovico Pio congregatum anno 824. quod putant multum adverſari cultui & honori quem reddit Eccleſia ſanctis Imaginibus: hujus autem Concilii Patres in Epiſtola ad Ludovicum aſſerunt legiſſe Adriani Epiſtolam qua cultum SS. Imaginum ſtabilit: hunc quidem Pontificem laudant quod dilacerantes SS. Imagines zelo Apoſtolico perſtrinxerit: ſed ægre ferunt quod eas adorari permiſerit. Multas deinde Patrum in varia Capitula diſtributas ſubjiciunt ſententias, quibus probare conantur SS. Imagiues non eſſe adorandas & præcipue in decimo, cujus eſt titulus, *contra illos qui Imagines ſe adorare profitentur*. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Concilium iſtud Pariſienſe non eſſe verum Concilium, ſed Conventum Regium, ut conſtat ex contextu Epiſtolæ, quem Rex ad Summum Pontificem mittere debebat, ut legatis Imperatoris Conſtantinopolitani, quos ad ipſum remittebat, reſponderet quid pro cultu SS. Imaginum faciendum, quidve ſentiendum ipſis explanaret: ſic enim habetur in exemplari Epiſtolæ Regis, quæ refertur in dicta Synodo: " Nos tamen, *inquit Rex*, non Synodum congregando, ſed quemadmodum a vobis poſtulavimus, licentiamque agendi percepimus. ,, Igitur ex hac Præſulum definitione nihil contra cultum SS. Imaginum erui poteſt.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Patres Synodi Pariſienſis damnat cultum latriæ abſolutum, immo & relativum, ſuperſtitioſum ſanctis Imaginibus exhibitum, concedo: cultum ordinatum & relativum, nego.

go. Patet ex probationibus Patres non denegare SS. Imaginibus cultum religioſum, cum eundem, quem ipſe S. Gregorius concedebat, utique ſe concedere fateantur; ſed cultum dumtaxat latriæ, tam relativum, quam abſolutum: ſed cultum ſolummodo ſuperſtitioſum, quem Græcos illi concedere ſuſpicabantur: ſed cultum quo aliquis honorat SS. Imagines, vel ſpem in eis habendo, vel etiam aliquam in ipſis agnoſcendo virtutem. Quod quidem ex duobus facile colligitur. 1. Ex ipſis Concilii Capitulis. Capituli tertii hic eſt titulus: " Contra eos qui indebito cultu eas co„ lunt & adorant & ſanctas nuncupant & „ ſanctimoniam ſe ſperare aſſequi faten„ tur; ſicut in illa Græcorum Synodo in„ ſertum eſt, &c. „ 2. Male interpretabantur illi Patres Concilium ſecundum Nicænum & errorem ſecuti ſunt librorum Carolinorum. Auctor quippe credebat Patres Nicænos eundem cultum, qui redditur Sanctiſſimæ Trinitati Deificæ, concedere SS. Imaginibus; ita refertur l. 3. c. 17. num. 332. ſpem in Imaginibus ponere l. 1. c. 18. num. 117. ſanctimoniam ab Imaginibus expectare, l. 3. c. 6. num. 321. relativum ſaltem latriæ cultum annuere. l. 3. c. 6. num. 376. Cæterum cum fuerit diverſa diverſis temporibus diſciplina, non mirum ſi modi venerandi SS. Imagines fuerint utique diverſi.

Inſtant: eadem Synodus Pariſienſis aſſerit bonum eſſe ſi ſanctæ Imagines ſint in Eccleſiis non ob cultum ſed tantum propter Sanctorum & memoriam & amorem. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: bonum eſt ſi Imagines ponantur in Eccleſia non ob cultum aut indebitum, aut ſuperſtitioſum, concedo: mere ad ornamentum excludendo cultum etiam ordinatum, nego. Primum tantummodo intendit Synodus, ut omnis tollatur ſcandali occaſio: ſed nuſquam ſecundum, cum potius firmet cultum religioſum pro SS. Imaginibus, eo ipſo quo vult in Eccleſia eas apponi tum in memoriam, tum propter Sanctorum amorem.

Objiciunt 2. ad impugnandum cultum SS. Imaginibus debitum quaſdam alias Epiſcoporum Galliæ auctoritates. Primo loco venit Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus qui opuſculo 55. c. 20. de Concilio Francofordienſi loquens, ait: " Auctori„ ritate hujus Synodi nonnihil repreſſa eſt „ Imaginum veneratio. „ 2. Agobardus Lugdunenſium Archiepiſcopus, l. de picturis & Imaginibus commemorat unum ex Deut. 4. locum, quo prohibet Moiſes Iſraelitis ullam habere creaturæ ſimilitudinem, nequidem cæli, deinde ſubdit: " In quibus verbis ſummopere notan„ dum eſt, quia ſi opera manuum Dei non „ ſunt adoranda & colenda, nec in ho„ nore Dei; quanto magis opera manuum „ hominum non ſunt adoranda & colen„ da, nec in in honore eorum, quorum „ ſimilitudines eſſe dicuntur? „ 3. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus l. de cultu SS. Imaginum ait: " Nos figmenta & Imagines „ non colimus & habentibus non præjudi„ camus. „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & hi omnes cultum dumtaxat aut latriæ, aut duliæ ſuperſtitioſum SS. Imaginibus abjudicant, conncedo: cultum Eccleſiæ judicio regulatum, nego. Eodem errore tenebantur illi Epiſcopi, quo Carolus Magnus, quo Concilium Francofurtenſe adverſus Nicænum ſecundum, exiſtimantes iſtud incluſiſſe cultum ſuperſtitioſum pro SS. Imaginibus quod quidem impugnare ſuſcipiunt; unde non alium e ſanctis imaginibus eliminant cultum, quam vanum & indebitum: ſed religioſum eis reddendum eſſe prorſus non abnegant.

Hincmarus certe non abnegat: ita aſſerit Flodoardus lib. 3. Hiſtoriæ Rhemenſis, c. 29. ubi aſſerit ipſum flagitantibus Coepiſcopis ſuis librum ſcripſiſſe, de modo quo Imagines Salvatoris noſtri & Sanctorum venerandæ ſint: jam vero ſi quid ſorte contrarium dicat, haud dubie ea ſolum intentione ſic ſcribit, ut omnem eliminet cultum ſuperſtitioſum. Cæterum verba in objectione allata non ſunt Hincmari. Ipſe fatetur Dallæus: " Hæc, *inquit*, quamquam Hincmari „ nomine ab ipſo Baronio allata & ſuggil„ lata, velut inconſulte ac temere dicta; „ ego tamen Hincmari vere eſſe non arbi„ tror. „

Agobardus non abnegat quoque cultum ſanctis Imaginibus debitum, cujus rei argumentum eſt quod laudet & celebret locum ſanctæ Gregorii Epiſtolæ ad Serenum, & vult ſicut ille Pontifex Imagines non frangi & dilacerari: ſed potius ſer-

vari in memoriam Sanctorum propter amorem quo ſanctos Martyres proſequitur Eccleſia: igitur ſolum cultum ſuperſtitioſum damnat: in eos quippe invehit dumtaxar, qui divinum cultum operibus manuum hominum exhibent: quod hic ſit germanus Agobardi ſenſus patet ex eo quod afferat in probationem ſententiam Auguſtini ex l. 10. de Civ. c. 1. depromptam, ubi ſanctus Doctor dicit cultum, qui latria nuncupatur, ſoli Deo tribui, alterum vero alio nomine inſignitum, concedi ſanctis hominibus; ſic enim habet S. Auguſtinus: " Latriam quippe noſtri, ,, ubicumque ſacrarum Scripturarum poſitum eſt interpretati ſunt ſervitutem; ,, ſed ea ſervitus quæ debetur hominibus alio nomine græce nuncupari ſolet: latria vero ſecundum conſuetudinem qua locuti ſunt, qui nobis divina eloquia condiderunt aut ſemper, aut tam frequenter, ut pæne ſemper ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendnm Deum: proinde ſi tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus. ,,

Jonas Aurelianenſis cultum ordinatum non abnegat SS. Imaginibus: ſic enim l. 1. de cultu SS. Imaginum effatur: " Opus ,, namque Dei corpora Sanctorum, quæ non adoranda adoratione divinitati debita, ſed pie ſunt amore complectenda & honoranda utpote Sancti Spiritus Templa ſacrata. ,, Et infra: Gallia, *inquit*, ,, Imagines Sanctorum ob præmiſſas cauſas & habet & habere ſinit: eas vero adorari, & in Dæmonum cultum venerari magnæ deteſtationi & abominationi habet: ,, Quibus verbis luce clarius apparet Jonam cultum dumtaxat propellere pro SS. Imaginibus ſuperſtitioſum.

Perperam Hæretici in ſuas trahunt partes Dungalum & Walfridum Strabonem: hi quippe in eodem quo cæteri Patres, loquuntur ſenſu, nec aliud volunt quam aut abuſum, aut ſuperſtitionem perſtringere. Primus quidem ſuum opus adverſus Claudium Taurinenſem Iconomachum conſcripſit: igitur non cultum quemcumque SS. Imaginibus abjudicat, ſed ſolummodo ſuperſtitioſum, alias nihil contra Iconomachum probaſſet, nec ab errore Claudium ad meliorem frugem adducere habuiſſet. Quid plura adjiciam? Dungalus laudat Epiſtolam Beati Gregorii ad Serenum, qua præcipitur ne SS. Imagines frangantur & abjiciantur, unde hæc ſubjicit ur os loquentium iniqua contundat. " Neque Sanctorum Imagines in ,, parietibus pictas, neque eorum, ſcilicet Martyrum, corpora in ſepulchris condita, ſicut Deum adoramus. Neque eis ſacrificia ponimus, ſed tantum eos, quorum effigies, vel corpora ſunt, in Deo veneramur & per eorum interceſſiones divinum nobis poſtulamus adeſſe ſubſidium. ,, Sic ſcribit Monachus ille recluſus in Monaſterio S. Dionyſii in agro Pariſienſi.

Walfridus Augiæ divitis Abbas eodem prope modo loquitur in ſuo libro de rebus Eccleſiaſticis, c. 8. ibi enim ex profeſſo probat cultum non quidem cultui Divino ſupparem eſſe reddendum ſanctis Imaginibus, ſed regulatum, ſed cultum ex amore & reverentia erga Sanctos promanantem. Poſtea ſic concludit Caput de Imaginibus & picturis. " Ergo ſicut omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, quia inquinata eſt eorum mens & conſcientia: ita malis omnes viæ offenſionibus plenæ ſunt, & ſicut boni etiam malis bene, ſic mali etiam bonis male utuntur. Sic itaque Imagines & picturæ habendæ ſunt & amandæ, ut nec deſpectu utilitas annulletur & hæc irreverentia in ipſorum, quorum ſimilitudines ſunt, redundat injuriam; nec cultu immoderato fidei ſanitas vulneretur, & corporalibus rebus honor nimie impenſus arguat nos minus ſpiritualia contemplari. ,,

Solvuntur objectiones Iconomachorum ex ratione prodeuntes.

OBIJCIUNT 1. pictura eſt Artificis inventio ad lucrum aliquod comparandum, nec originem habet in traditione: igitur rejicienda.

Reſpondeo diſtinguendo: pictura materialiter ſumpta eſt inventio hominum, concedo; formaliter ſumpta, nego. Ortum enim habet a Deo, qui voluit Cherubim alatos apponi ad Arcam: a Chriſto, qui corporis ſui imaginem in ſindone expreſſit ut ejus mortis ſervaretur memoria:

ria : a Patribus, ut dicit Adrianus ; unde Leontius ſupra citatus l. 5. Apol. pro Chriſtianis pag. 383. ait : " Ergo ut ſæ„ pe dixi, in omni ſalutatione & adora„ tione intentio ipſa requiritur & expe„ ctatur, tu vero cum me criminaris „ quod ut Deum ſignum Crucis adoro : „ quid eſt, quamobrem non vertis in cri„ men Jacob adorantem in ſummitate ba„ culi Joſeph ? „

Inſtant, Deus effigie corporis exprimi non poteſt utpote purus Spiritus : igitur pictura etiam formaliter ſumpta, eſt inventio hominum.

Reſpondeo diſtinguendo : Deus ſicuti eſt in ſe pingi non poteſt, concedo : ut incarnatus & prout in carne apparuit, nego : in ſe quidem non pingitur & tabellæ quæ paucis ab hinc ſæculis, annuente Eccleſia, repræſentant Sanctiſſimam Trinitatem, ſe habent ut ſigna & quædam ſymbola ad cognitionem rei inviſibilis quaſi manu nos ducentia. Cum enim corporales ſimus, per viſibilia ad cognitionem & amorem inviſibilis aſcendimus ; hac de cauſa Verbum ſub forma Regis in Throno ſedentis apparuit Iſaiæ : immo non ſemel Scriptura nobis Deum inviſibilem repræſentat ut brachia & manus habentem ad exprimendam his ſymbolis ejus fortitudinem : igitur Pater æternus ſub forma Senis pingi poteſt, ut intelligamus eum eſſe primam Divinitatis originem & principium non de principio ; filius vero ſub forma hominis eo quod factus ſit homo ; Spiritus Sanctus ſub forma Columbæ, quia & ſub iſta ſpecie ſuper caput Chriſti apparuit.

Epiphanius in Concilio ſecundo Nicæno, tom. 3. pag. 501. ſic reſpondet ad argumentum : " Non eſt Imaginum ſtructura pi„ ctorum inventio, ſed Eccleſiæ Catho„ licæ probata legiſlatio & traditio . . . „ Conſilium & Traditio iſta non eſt pic„ toris, ejus enim ſola ars eſt, verum or„ dinatio & diſpoſitio Patrum ſanctorum „ quæ ædificaverunt, *intellige Templa*, „ in quibus Deus & Sancti honorantur, „ *poſtea ſic proſequitur* : hoc autem nomen „ Chriſtus ſignificativum eſt & Deitatis & „ humanitatis, duarum Chriſti perfecta„ rum naturarum. Secundum autem illam „ naturam qua viſus eſt, homines Chriſtia„ ni illius Imaginem depingere didicerunt „ non ſecundum eam qua inviſibilis erat. „

Inſtant : non poteſt effingi Chriſtus ut Deus : ergo nec ut homo. Probatur conſequentia : Humanitas a Divinitate ſeparari non debet, hoc quippe redoleret Neſtorianiſmum : ergo, &c.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem ; cum enim Verbum caro factum ſit, poteſt ut homo effingi, ſecus ut Deus & in ſe niſi improprie & ſymbolice. Ad probationem, diſtinguo : humanitas a verbo ſeparari non debet per diſtinctionem realem & ſeparationem, concedo ; quod enim Verbum aſſumpſit, numquam dimiſit, & ſi quando Verbum reliquiſſet humanitatem, ipſa humanitas periiſſet, quandoquidem habet & exiſtere, & ſubſiſtere per verbum : non poteſt a verbo ſeparari per mentem, nego. At vero Chriſtus eſt Deus & homo, igitur poteſt in ipſo conſiderari tantum humanitas, & ſic in tabellis ſubjici oculis noſtris abſque hæreſeos periculo. Porro latum eſt inter Catholicos & Neſtorianos diſcrimen : iſti non ſolum mente, ſed re & ſuppoſitaliter dividunt Chriſtum, duas ſcilicet in ipſo admittendo hypoſtaſes, alteram divinam, humanam alteram ; illi vero e contra : quamobrem pingere Chriſtum ut hominem veluti a divinitate hypoſtatice diſtinctum, nedum hæreſis, ſed & abominatio eſt.

Solutio eſt Epiphanii, qui ibidem p. 504. ſic revincit Iconomachos arguentes : „ Audiant igitur iſti veritatem Chriſtiani„ norum. Emmanuel Chriſtum Deum noſ„ ſcentes, ipſum pingunt ſecundum hoc, „ quo Verbum caro factum eſt. Varia in„ ſuper deliramenta a ſe rejiciunt, ſim„ plici mente omnia, quæ in Eccleſia „ tradita ſunt, recipientes & picturas „ inſpicientes, nihil animo cogitant quam „ quod in his ſignificatur ; nam cum in „ pictura Virginem peperiſſe conſpiciunt, „ Angeloſque cum Paſtoribus adſtantes, „ Deum hominem factum eſſe reputant, „ natum ob noſtram ſalutem, atque id „ etiam confitentur, dicentes : is qui „ extra carnem eſt, incarnatus eſt ; Ver„ bum corpus induit, increatus eſt crea„ tus ; intangibilis, eſt palpatus ; eumque „ unum in Deitate & Humanitate perfe„ ctum prædicant : dictum eſt autem in „ præcedentibus de Neſtorii impia hære„ ſi, quod ſcilicet Imaginum effigiationes „ nihil cum ea convenient. „

Rurſus pag. 5c7. “ Quandoquidem aut
r, negati ſunt in Imagine divinam natu-
„ ram circumſcribi , excidentes a vero
„ ſermone , in reprobum ſenſum traditi
„ ſunt; Petro enim & Paulo in Imagine
„ figuratis, certum eſt eorum non eſſe
„ animam; cum neque etiam quiſpiam ,
„ ipſo Petri corpore præſente, animam
„ illius videre poſſit; & cum ipſa non vi-
„ deatur , quiſnam , rogo , qui veritati
„ ſtudet , dixerit, ſeparatam eſſe carnem
„ Petri ab anima illius ? quibus verbis
„ mendaces oſtendit hæreticos qui ut San-
„ ctas propellant Imagines prędicant Deum
„ circumſcribi per eas , & Divinitatem
„ ab Humanitate divelli , cum ſolum ſubji-
„ ciant oculis picturæ & ſignificent id
„ quod volumus cogitare & facient in
„ mentem venire & Deum inviſibilem &
„ Verbum caro factum & ipſas Sanctorum
„ victrices mundi & inferni animas , li-
„ cet neque Deum , neque Verbum In-
„ carnatum , neque ipſas animas etiam ,
„ præſentibus corporibus , in ſe videre
„ non valeamus . „

Urgent : Si imago repræſentaret Chriſtum maxime ut unum Chriſtum : atqui non poteſt repræſentare ut unum , alias induceret in errorem Eutychianorum qui confundebant in Chriſto naturas. Quid plura? Imago non reddit mortuum , vivum , fallit igitur dum Sanctum aliquem vita functum exprimit ut viventem .

Reſpondeo conceſſa majore , negando minorem : ad probationem dico , Imaginem non repræſentare Chriſtum ut quid ab eo indiſtinctum , ita ut ſit ipſa realitas , neque illum exprimere ſicut Filius Patrem exprimit; hoc quippe Imagini vivæ tantum competit ; ſed repræſentat ſignificative , eo prope modo quo conceptus noſter ſcriptis exprimitur : quando igitur Chriſti intuemur Imaginem , cogitamus Chriſtum qualem eſſe nos edocet fides , nempe perfectum Deum & perfectum hominem , non confuſione utriuſque naturæ , ſed unitate Perſonæ : cogitamus Sanctos in cælis viventes & triumphantes , quos Imago ſubjicit oculis corporis & poſtea mentis , & ſic ſtimulando Sanctorum memoriam , quodammodo in nobis vivificat mortuos . Igitur nulla eſt allucinatio , nulla fraus , nullum mendacium . Imagines enim dantur ſolum in recordationem , inquit Epiphanius, tom. 8. pag. 517. Typ. Reg.

Opponunt 2. Sola Euchariſtia eſt Chriſti Imago , juxta illud ipſius Chriſti effatum ad diſcipulos de tanto Sacramento : *Hoc facite in meam commemorationem* : igitur cæteræ de Chriſto Imagines , non ſunt licitæ .

Reſpondeo diſtinguendo : Euchariſtia ante conſecrationem , ſeu Panis Euchariſticus eſt typus & figura Chriſti , concedo ; poſt conſecrationem , nego . Ita reſpondet Epiphanius tom. 3. pag. 5c9. & 510. “ Ne-
„ mo enim unquam , *inquit* , Sanctorum
„ Apoſtolorum , qui tubæ ſunt Spiritus
„ Sancti , aut glorioſorum Patrum noſtro-
„ rum incruentum noſtrum Sacrificium in
„ memoriam Paſſionis Chriſti Domini Dei
„ noſtri & totius diſpenſationis factum ,
„ Imaginem Corporis illius dixerit . „

Poſtea probat ex Apoſtolo realitatem Corporis Chriſti in ſanctiſſimo altaris Sacramento ; tum ſubdit : “ Legas quouſque
„ voles , numquam invenies , neque Do-
„ minum , neque Apoſtolos , neque Pa-
„ tres , incruentum illud Sacrificium ,
„ quod a Sacerdotibus offertur , Imaginem
„ dixiſſe , verum ipſum Corpus & ipſum
„ Sanguinem ; at amen ante ſanctificatio-
„ nis conſecrationem quibuſdam Patribus
„ pie ſane viſum eſt , *ἀντίτυπον* , hoc eſt
„ exemplar ſimilis formæ nominare . „

Dices Beatus Nilus ſic ſcribit ad Olympiodorum Proconſulem , ut refertur in Concilio 2. Nicæno , Act. 4. pag. 375.
„ Debet enim eſſe firma & virili ſenten-
„ tia genuinum , in ſacro loco ab Oriente
„ ſanctiſſimi Templi unicam & ſolam effi-
„ giari Crucem . „ Igitur ſola Crucis ima-
„ go habenda eſt , Imagines vero Sancto-
rum prorſus abjiciendæ .

Reſpondeo diſtinguendo : Beatus Nilus rejicit Imagines avium & reptilium , concedo : Imagines quæ referunt Sanctorum utriuſque Teſtamenti hiſtorias , nego . Etvero reſpondet ad quæſitum . Petebat Proconſul an Imagines volucrum cum Crucis imagine in Templo depingendæ forent & hoc objicit S. Præſul : “ Scri-
„ bis mihi , *inquit* , num decorum putem ,
„ cum in animo habeas fani ædificationem
„ in honorem ſanctorum Martyrum , ut
„ imagines in ſacro loco omnigenarum
„ animalium per parietes , undique fieri
„ cures.... ego vero ad ſcripta ſic reſpondeo ,
„ puerile plane eſſe & ſtultum ejuſcemodi
„ rebus fidelium oculos faſcinare velle :

„ debet

,, debet enim eſſe firma & virili ſen-
,, tentia genuinum, in ſacro loco ab Orien-
,, te ſanctiſſimi Templi, unicam & ſolam
,, effigiari Crucem . . . . Verum novi &
,, veteris Teſtamenti hiſtoriis hinc inde pa-
,, rietes Templi repleri doctiſſimi picto-
,, ris opera velim, quo ſcilicet, hi, qui
,, litteras non norunt, neque ſacram Scrip-
,, turam legere queunt, contemplatione
,, picturæ in memoriam reducant, qui-
,, nam germane vero illi Deo per fortia
,, ſacta ſervierunt atque in certamen exci-
,, tentur glorioſorum & laudatorum facino-
,, rum, per quæ cum cælo terram com-
,, mutarunt, venerantes ſcilicet per con-
,, templationem ea quæ non viderunt. In
,, communi vero domi, in qua multa fue-
,, rint habitacula, ſufficiat ſingulis vene-
,, randa Crucis imago. ,, Quibus ſententiis
tria vult Beatus Nilus: 1. Imagines volucrum & reptilium a domo Dei excludendas eſſe: 2. In eadem ſanctorum Martyrum depingi Imagines, & repræſentari certamina, ut illiterati commoveantur ad imitationem & coronam: 3. In privata domo ſufficere ſanctæ Crucis imaginem; non excludit tamen cæteras, ſed illam ad ciendos pietatis affectus ſufficere autumat.

Juvat nunc ad contundendam proterviam hæreticorum, qui multa Eccleſiæ Catholicæ falſa atque inſulſa imponunt, referre & dicere qua intentione, tum Chriſti, tum Sanctorum Imagines, aut pingere, aut arte ſculpturæ effingere licitum eſt. Juvat explanare modum quo & colimus ſanctas Imagines, & invocamus ſanctos. Juvat hic texere quantum a ſuperſtitionis labe diſtat cultus noſter. Omnia hæc momenta clare ac dilucide explicat Concilium ſecundum Nicænum Act. 4. pag. 402. 413. 414. his verbis:

" Igitur, *inquit*, humanitatis illius cha-
,, racteris & juxta carnem indiſcretæ homi-
,, nis formæ Imaginem figurant, & ipſius
,, incomprehenſibilem Deitatem atque in-
,, viſibilem, unde ea quæ noſtræ fidei præ-
,, cipua ſunt naſcuntur, oſtendere nequi-
,, mus. Non enim juxta phantaſiam & um-
,, bratice noſtram naturam ſibi induit, ut
,, quidam ex veteribus hæreticis errantes
,, tradiderunt: verum reipſa, vereque
,, homo perfectus per omnia, excepto,
,, quod ab hoſte nobis inſitum eſt, pecca-
,, to, factus eſt. Hanc ob cauſam in fide
,, certi, ſanctæ illius carnis characterem
,, in Imaginibus delineantes ſalutamus &
,, cultu & honore omni, quo decet, di-
,, gnamur, nec ob aliud, niſi in recor-
,, dationem divinitatis illius vivificæ & in-
,, expreſſæ humanitatis. Eadem ratione &
,, intemeratæ ejus, juxta carnem Matris
,, ſanctæ Deiparæ Virginis ſimilitudinem
,, referimus; hoc modo oſtendentes quod
,, mulier juxta naturam exiſtens & a no-
,, ſtra maſſa haudquaquam aliena. Deum
,, inviſibilem & omnia manu ſua conti-
,, nentem, ultra omnem & hominum &
,, Angelorum exiſtimationem in ventre
,, ſuo conceperit & incarnatum genuerit.
,, Etenim ob id eam, ut vere & proprie
,, veri Dei Matrem veneramur & magni
,, facimus & quavis viſibili & inviſibili
,, creatura ſuperiorem reputamus. Adhuc
,, ſanctos Martyres Chriſti, Apoſtolos,
,, Prophetas, tanquam conſervos noſtros,
,, & veros Dei Miniſtros bonis operibus
,, & divina prædicatione veritatis, item
,, perpeſſione pro ipſo Deo afflictionum
,, glorioſos amicos Dei veros, quibus in
,, ſe etiam magnam loquendi confiden-
,, tiam dedit, admiramur & Beatos præ-
,, dicamus, necnon ad recordationem for-
,, titudinis eorum & rectam pro Chriſto
,, ſervitutem, ſimilitudine eorum depin-
,, gimus, non quod de divina natura par-
,, ticipent, per hoc demonſtrant volen-
,, tes, neque debitum tantummodo divi-
,, næ Poteſtati & gloriæ honorem illis
,, tribuentes, verum deſiderium noſtrum
,, & amorem, quo erga eos affecti ſumus,
,, hæc etiam per pingibilem imitationem
,, ad ſtabiliorem noſtram inſtructionem col-
,, locamus; quando & ipſi ſancti Dei in
,, unum & ſolum Deum cultum adoratio-
,, nis & glorificationem & procreatio-
,, nem conſervantes pro Chriſto Sangui-
,, nem ſuum effuderunt & veræ confeſ-
,, ſionis coronam acceperunt. Hæc Ima-
,, ginum apparatus ratio eſt, non quod
,, nos adorationem in Spiritu & verita-
,, te, incomprehenſibili & inveſtigabili
,, Deitati decentem, in manufactas Ima-
,, gines, aut in opera hominum artefacta,
,, aut ſane in ea quæ ſubſunt Deo, ſive vi-
,, ſibilia ſint, ſive inviſibilia, transferre
,, ſtudeamus; verum ut dilectionem no-
,, ſtram, quam juſte in Sanctos Dei ſervos
,, habemus, per iſtum modum exhibeamus;
,, & per honorationem illorum, in eum,

,, qui per illos glorificatus eſt, quique il-
,, los glorificavit in confeſſionem poten-
,, tiæ ſuæ, Chriſtum glorificationem &
,, cultum referimus; ita ut imitatores for-
,, titudinis eorum & dilectionis erga Deum
,, per bonorum opera contra paſſiones re-
,, ſiſtentium, fiamus. Hunc autem eſſe
,, Imaginum in Eccleſia Dei uſum, unuſ-
,, quiſque per hanc inſtructionem cognoſ-
,, cat neque aliunde nos ſalutis ſpem, ſi-
,, ve in hoc mundo, ſive in futuro ſæculo
,, expectare, niſi ab unigenito Filio Dei,
,, qui ſimul cum Patre & Spiritu Sancto
,, divina dona largitur, non enim aliud
,, nomen, per quod ſalvari queamus, in
,, hominibus datum eſt. ,,

Pergit. " At ſi Domini & Servatoris
,, noſtri, item & intemeratæ ejus Ma-
,, tris vere Deiparæ, necnon Sanctorum
,, Imagines ſalutamus, confeſtim etiam
,, fidem & diſpoſitionem mentis erga illos
,, habemus, ſed unum Deum ſine princi-
,, pio, ſine fine, qui omnia in manu ſua
,, habet, factorem noſtrum & omnis crea-
,, turæ & vere Servatorem, habentem po-
,, teſtatem in cælo & in terra pro genere
,, humano, hominem factum agnoſcimus;
,, ancillam autem & Matrem illius exiſten-
,, tem, vere pro genere noſtro interceden-
,, tem præſentiſſime, ita ut Dominus qui-
,, dem noſter ſalutem diſpenſet, illa vero
,, Materno affectu pro nobis poſcat, agnoſ-
,, cimus: Sanctos denique omnes, tanquam
,, conſervos noſtros & ejuſdem nobiſcum na-
,, turæ participes, gratiſſimos Dei Mini-
,, ſtros, ut dictum eſt, & hac gratia a Deo
,, donatos, ut beneficia a Deo data nobis
,, miniſtrent: curationes, inquam, morborum,
,, & periculorum liberationes, quando per
,, memoriam eorum, Dei invocatio fit,
,, quatenus nobis in hymnodiis & glorifica-
,, tionibus poſſibile eſt, memoria autem
,, eorum cum encomio celebratur, ut ait
,, Scriptura Prov. 10. agnoſcimus. ,,

Huic explicationi accedit ejuſdem Conci-
lii hæc eximia definitio, quæ Actione 7.
pag. 584. & 589. his exprimitur terminis.
" Definimus cum omni diligentia & cu-
,, ra, venerandas & ſanctas Imagines ad
,, modum & formam venerandæ & vivi-
,, ficantis Crucis e coloribus & teſſelis aut
,, alia quavis materia commode paratas,
,, dedicandas & in Templis Dei collo-
,, candas habendaſque: tum ſacris vaſis
,, & veſtibus, tum in parietibus & tabu-
,, lis, in ædibus privatis, in viis publi-
,, cis; maxime autem Imaginem Domini
,, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, deinde
,, intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ,
,, venerandorum Angelorum & omnium
,, deinde ſanctorum Virorum. Quo ſcili-
,, cet per hanc Imaginum pictarum inſ-
,, pectionem, omnes qui contemplantur,
,, ad prototyporum memoriam & recor-
,, dationem & deſiderium veniant, illiſ-
,, que ſalutationem & honorariam ado-
,, rationem exhibeant, non, ſecundum
,, fidem noſtram, veram latriam, quæ ſo-
,, lum divinæ naturæ competit: ſed quem-
,, admodum typo venerandæ & vivifican-
,, tis Crucis, & ſanctis Evangeliis, &
,, reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum
,, & luminarium reverenter accedimus;
,, quemadmodum in veteribus pie in con-
,, ſuetudinem hoc adductum: Imaginis
,, enim honor in prototypum reſultat &
,, qui adorat Imaginem, in ea adorat
,, quoque deſcriptum argumentum. Sic
,, enim ſanctorum noſtrorum Patrum obti-
,, net diſciplina, vel Traditio Catholi-
,, cæ Eccleſiæ, quæ a finibus uſque ad
,, fines Evangelium ſuſcepit. Paulo ergo
,, ſic in Chriſto loquenti, omnique Apo-
,, ſtolico cætui & Patribus ſanctis idem
,, ſentientibus inhærentes (ſervamus Tra-
,, ditiones, quas accepimus.) Theſſa-
,, lon. 2. ,,

Pergit. Quare & victoriæ carmina ad
Eccleſiam cum Propheta accinimus: *Gau-
de valde filia Sion, prædica filia Jeruſalem,
exulta & lætare ex toto corde tuo: a te Deus
abſtulit iniquitates adverſantium tibi, libera-
ta es de manu inimici tui, Dominus Rex tuus
in medio tui, & pax tibi in ſempiterna ſæcu-
la.*

" *Igitur*, qui auſi fuerint aliud ſentire
,, & docere, aut more impiorum hære-
,, ticorum Eccleſiaſticas Traditiones con-
,, taminare, aut vanam quandam vanilo-
,, quentiam inducere, aut quidquam de
,, conſecratis in Eccleſia abjicere, Evan-
,, gelii, inquam, depictum codicem, aut fi-
,, guram Crucis, aut Imaginis alicujus
,, picturam, aut reliquias Martyrum, quas
,, ſciverint eſſe germanas & veras, aut
,, contra iſtas improbe aliquid excogita-
,, re, quod ſit contra Conſtitutionem Ec-
,, cleſiaſticam, aut uti tanquam commu-
,, nibus, ſacratis Deo, repoſitis pretioſis
,, aut Monaſteris reverendis, ſi fuerint

,, Epi-

„ Epiſcopi aut Clerici, deponantur; ſi „ Monachi aut Laici, communione pri„ ventur. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Cultu religioſo colendæ ſunt Sanctorum Imagines.

PRIMO: Hoc ipſum non in uno ſed multiplici loco innuit ſacra Scriptura: legitur quippe in ea Joſue pronum in terra adoraſſe Arcam Domini, Serpentem æneum Chriſtum præludentem eo elevatum fuiſſe ſcopo ut a ſerpentibus ignitis læſi mediatorem in Imagine venerarentur, & credendo in illum ſanarentur.

Secundo: Hanc ſanctarum Imaginum religionem declaravit & legitimam & ſacram Synodus ſecunda Nicæna generalis quæ exproſeſſo auctoritate Patrum & uſu Eccleſiæ probat, poſtea & proſcribit Iconomachos. Concinit Concilium Tridentinum.

Tertio: Idem eſt motus in imaginem & prototypum: ſed ſanctos & Amicos Dei veneramur: igitur & ſanctas Imagines relative ad eos quos repræſentant colere ſicut æquum ita & pium atque religioſum eſt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Colere Imagines & Statuas in ſe, idololatriam quidem redolet; nuſquam vero ſi ſolummodo relative ad Sanctos eas veneremur.

Secundo: Congreſſus quorumdam Epiſcoporum & Conciliorum circa ſanctarum Imaginum cultum, fuit ſolum ad reſcindendos abuſus; & hoc unum probat diſciplinæ Eccleſiam fuiſſe pro iſto momento diverſam.

Tertio: Tametſi abſque ſanctis Imaginibus aliquis ſervando legem & circa principalia dogmata fidem poſſit ſalvari, nefas tamen grande foret cultum ſanctarum Imaginum damnare. Argumenta Iconomachorum primum tantummodo probant.

Ad ſolutionem omnium objectionum tria obſervanda ſunt. Primo quidem adorationis vocabulum quod non ſemel invenitur in ſacris Scripturis & in ſanctis Patribus non unam habere ſignificationem; quandoque enim ſalutationem, nonnumquam etiam piæ amicitiæ deoſculationem importat: κυνεῖν quippe antiqua Græca vox, & ſalutare & oſculari ſignificat, πρὸς præpoſitio, augumentum quoddam ſignificat amoris, unde cum ponitur προσκυνεῖν, deſignatur ſummus honoris gradus. In iſto prorſus ſenſu 1. Reg. 20. 41. legitur David & adoraſſe & deoſculatum fuiſſe Jonatham: Heb. 11. 21. Jacob adoraſſe faſtigium virgæ Joſeph; hoc eſt deoſculando labiis tetigiſſe. Secundo, Adoratio in iſto uſurpata ſenſu multiplex eſt: quædam dicitur adoratio in gratiarum actionem, quædam vero ſumma præ timore concuſſo reverentia: prioris exemplum habemus Geneſ. 23. 7. ubi habetur Abraham adoraſſe filios Heth propter ſepulturæ locum pro Sara conceſſum; alterius vero ibidem 30. 3. cum dicitur Jacob adoraſſe fratrem ſuum Eſau. Tertio, adoratio latriæ ſoli Deo determinatur his vocibus, vocabulo adorationis, additis, *illi ſoli ſervies*. Ita habetur ibidem 47. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*; Iſta quippe verba non ſolam nudam ſalutationem, & reverentiam illi dicunt, ſed humilitatem & reverentiam ſoli qui eſt Dominus vitæ & mortis.

Igitur ut omnis tollatur æquivocatio, adoramus Sanctos, reliquias Martyrum, ſanctas Imagines adoratione tantum ſalutationis, deoſculationis, venerationis, nuſquam vero latriæ: neque etiam cultu mere civili ſanctas Imagines colimus, ſed ſacro & religionis, quatenus eas propter relationem ad Sanctos qui ſunt Deo conjunctiſſimi, veneramur: qua quidem explicatione adhibita & poſita, evaneſcunt omnia & veterum & recentiorum Iconomachorum commenta. Quia vero hoc ita traditur a Patribus Nicænis, non abs re erit hic ponere pro coronide eorum definitionem & fidei explanationem.

Definitio & explanatio fidei Patrum ſecundi Concilii Nicæni pro cultu ſanctarum Imaginum.

PATRES Synodici in Spiritu Sancto congregati ſic loquuntur in Epiſtola ad Imperatores

peratorem Conſtantinum & Irenem ejus
matrem quæ habetur in Actibus Concilii
Act. 7. “ Itaque Apoſtolicas & Paternas
„ Traditiones ſequentes; audemus autem
„ dicere, conſpiratione Sanctiſſimi Spiri-
„ tus conſonantes, invicemque collecti
„ univerſi, concordantem nobis haben-
„ tes Traditionem Eccleſiæ Catholicæ,
„ conſonantiis quæ formatæ ſunt a San-
„ ctis ſex univerſalibus Conciliis concor-
„ des effecti ſumus.... Et ſicut manus
„ & pedes concorditer animæ motibus
„ agitantur, ita ab Spiritu accepta gratia
„ & fortitudine, veſtrique Imperii con-
„ curſus pietate pariter & auxilio ha-
„ bito, ſimul acclamavimus,. veritatem-
„ que prædicavimus: omnibus modis vi-
„ delicet recipiendas venerabiles Imagi-
„ nes Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecun-
„ dum quod perfectus eſt homo factus; &
„ quæcumque hiſtorice ſecundum Evan-
„ gelicam narrationem ſcribuntur: at-
„ que intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ
„ Dei Genitricis, ſanctorumque Angelo-
„ rum, ut enim homines apparuerunt his
„ qui digni facti ſunt apparitione ipſo-
„ rum, uoa cum omnibus Sanctis. Necnon
„ & certaminum eorum agones figuran-
„ dos decrevimus tam in tabulis & parie-
„ tibus, quam in ſacris vaſis & veſtibus,
„ quemadmodum a priſcis temporibus ſan-
„ cta Dei Catholica Eccleſia recepit, &
„ in legem accepit tam a Sanctis primiſ-
„ que doctrinæ noſtræ Magiſtris quam ab
„ eorum ſucceſſoribus egregiiſque Patri-
„ bus noſtris: & has adorandas, ideſt ſa-
„ lutandas: idipſum enim eſt utrumque:
„ κυνεῖν quippe antiqua Græca Lingua,
„ & ſalutare & oſculari ſignificat: &
„ πρὸς præpoſitio augmentum quoddam ſi-
„ gnificat amoris; quemadmodum φέρω &
„ προσφέρω, κυνέω & προσκυνέω, κυνῶ & προσ-
„ κυνῶ, quod ſalutationem indicat, & ſe-
„ cundum propenſionem amicitiam. Quod
„ enim quis oſculatur & adorat: & quod
„ adorat, profecto & oſculatur; ſicut te-
„ ſtatur humana affectio, quæ a nobis ad
„ amicos habetur, & lectio hæc ambo
„ perficiens. Hoc autem non ſolum apud
„ nos, ſed apud veteres in divina Scrip-
„ tura ſcriptum reperimus. In hiſtoriis
„ namque Regum Scriptum eſt 1. Reg.
20. *Et David ſurrexit, & cecidit in fa-
ciem ſuam, & adoravit tertio Jonatham,
& deoſculatus eſt eum.* “ Quid autem Do-
„ minus de Phariſæis rurſus evangelice
„ ait? *Amant primos recubitus in cœnis &
„ ſalutationes in foro.* Certum eſt quod hic
„ ſalutationem adorationem appellet. Pha-
„ riſæi quippe jactantem ſenſum haben-
„ tes, ſeſeque juſtos opinantes, adorari ab
„ omnibus feſtinabant, non ore ad os oſ-
„ culari: hoc enim eſt potius humilitatis,
„ & non Phariſaici tumoris indicium.
„ Iterum autem Paulus divinus Apoſtolus,
„ ſicut Lucas in Actibus Apoſtolorum deſ-
cribit Act. 21. *Quia cum veniſſemus Joroſoly-
mam, libenter exceperunt nos Fratres. Se-
quenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad
Jacobum; omneſque collecti ſunt Seniores.
Quos cum ſalutaſſet, narrabat per ſingula quæ
feciſſet Deus in Gentibus per miniſterium ip-
ſius.* “ Ergo & hic ſalutationem honora-
„ toriam adorationem quam invicem ex-
„ hibemus, Apoſtolicus ſenſus deſcribit;
„ quemadmodum & de Jacob ait: *Ado-
ravit faſtigium virgæ ejus.* Heb. 11. “ Con-
„ ſona vero iſtis & Gregorius cognomen-
„ to Deiloquus dicit: Bethleem cole,
„ & præſepe adora. Quis, putas, eo-
„ rum qui recte & ſincere intelligunt
„ quæ divina Scriptura proferuntur, in-
„ telligat, quod, hæc de adoratione quæ
„ in ſpiritu fit, pronuntientur.? Niſi for-
„ te de inſenſatis ſit, vel ex his qui to-
„ tius Scripturæ ſcientiæ ac paternæ
„ doctrinæ inexpertes exiſtunt. Num
„ quidnam faſtigio virgæ ſervivit Jacob?
„ aut præſepi præcepit Theologus Grego-
„ rius deſervire? & rurſus quoque nos vi-
„ vificam Crucem ſalutantes conſone ca-
„ nimus: Crucem tuam adoramus, Do-
„ mine, & adoramus lanceam quæ ape-
„ ruit vivificum latus tuæ bonitatis, quod
„ certiſſime ſalutatio eſt & dicitur, ſicut
„ indicat iſtud, quod hæc propriis labiis
„ noſtris contingimus. Jam etſi multoties
„ invenitur adoratio in divina Scriptura,
„ & urbane loquentibus Patribus noſtris
„ pro ſervitute quæ eſt in ſpiritu, cum
„ vox multa ſignificet, una tamen ſignifi-
„ catione ejus tantummodo reperitur, quæ
„ ſcilicet ſola manifeſtat adorationem quæ
„ eſt ſecundum latriam. Adhuc autem ado-
„ ratio eſt ea quæ per honorem & per amo-
„ rem ac timorem fit, ſicut nos adoramus &
„ glorioſiſſimum & manſuetiſſimum impe-
„ rium veſtrum. Eſt & alia per timorem
„ tantum, ſicut Jacob adoravit Eſau. Gen.
„ 33. Et eſt per gratiam, ſicut Abraham

„ adora-

Digitized by Google

„ adoravit filics Hetii, Gen. 23. pro
„ agro quem accepit ab eis in ſepulturam
„ ram Saræ uxoris ſuæ. Iterum autem
„ expectantes quidam a ſublimioribus be-
„ neficium conſequi, adoravit eos ſicut
„ Jacob Pharaonem, Gen. 47. Hinc
„ enim divina Scriptura docens nos,
„ Luc. 4. *Dominum tuum adorabis*, &
„ *illi ſoli ſervies*. Adorationem ſine pro-
„ hibitione dixit, tanquam diverſas qui-
„ dem ſignificationes, ſed Homonymam
„ vocem habentem, & non ſoli addidit.
„ Porro ſervies illi ſoli dixit: Etenim
„ ſoli Deo ſervitutem noſtram referi-
„ mus. His ergo ſic comprobatis, vera-
„ citer & incunctanter eſſe coram Deo
„ acceptum & beneplacitum conſtat,
„ Imaginales formationes diſpenſationis
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti & inteme-
„ ratæ Dei Genitricis ſemperque Virgi-
„ nis Mariæ, ac honorabilium Angelo-
„ rum, & omnium Sanctorum, adorare
„ & oſculari. Et quiſquis ſic ſe non ha-
„ buerit, ſed diſceptaverit, vel etiam
„ elanguerit erga venerabilium Imagi-
„ num adorationem, hunc anathemati-
„ zat ſancta noſtra univerſalis Synodus
„ quæ munita eſt divini Spiritus opera-
„ tione, ac Paternis & Eccleſiaſticis
„ Traditionibus.

DIS-

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS

DE

INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

SCIENTIÆ divinæ arcanum ita abditum eſt, ut ſatius foret humanæ infirmitati profundum hoc ſecretorum divinorum pelagus venerari, quam inveſtigare. Et vero, inquit Aug. lib. de Spiritu & litt. cap. 34. num. 6. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat: o altitudo divitiarum! &, numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.* Rurſus ſerm. 2. de Verbis Apoſtoli. c. 6. *Quæris tu rationem, ego expaveſcam: tu ratiocinare, ego miror; tu diſputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non venio, requievit qui invenit admirationem.* Quia tamen morem Theologis gerere tum ad explicationem, tum ad defenſionem fidei, opus eſt; ideo præſcientiam divinam trementes ſimul & adorantes ſpeculabimur, memores judicia Dei eſſe altiſſima, immo & ſuper filios hominum terribiliſſima. Quis enim, inquit unus e Thomiſtis noſtris, invenietur tam perfrictæ frontis, tantæ impudentiæ incude occallens, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tam altis judiciorum Dei labyrinthis non ſtupeat? Tantis motibus graviſſimis non ſuccumbat? Tantis ponderibus oppreſſus non fatiſcat? Tantis malleis juſtitiæ divinæ non conquaſſetur? Tantis poſtremo divinorum decretorum fulminibus non conteratur, juxta illud percelebre adagium, tot funeſtis comprobatum experimentis: SCRUTATOR MAJESTATIS OPPRIMETUR A GLORIA. *O homo!* exclamat Apoſtolus Rom. 9. 20. *tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Cæcutit ſane in ſcrutandis Dei myſteriis humana mens. Hinc quidam impii apud Job c. 22. 24. de Deo ſic loquuntur: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.* Alii poſuerunt præſcientiam fatum inducere, & neceſſitatem vitæ impouere humanæ, ita ut voluntas non ſit amplius libera ſive in fuga mali, ſive in proſecutione boni. Etiam orthodoxi in varias, de quibus diſputare licitum eſt, abeunt ſententias, quæ licet Catholicæ, in multis tamen diſcrepare videntur. Contra primos fides eſt defendenda: cum aliis vero explicanda & concordanda. Quæ quidem fieri poſſunt quatuor potiſſimum momentis. 1. Oſtendendo eſſe in Deo ſcientiam illi coævam. 2. Omnia a Deo cognoſci, omnia, inquam, tum quæ intra, tum quæ extra illum ſunt, aut poſſunt eſſe. 3. Cognoſci etiam conditionate futura. 4. Præſcientiam Dei non nocere libertati & ſanctitati; uno verbo de ſcientia Dei ſecundum ſe ſpectata agemus; de medio in quo Deus cognoſcit poſſibilia & abſolute futura; de medio in quo cognoſcit futura conditionata; de efficacia ſcientiæ Dei. Sit igitur

---

DISSERTATIO PRIMA.

De ſcientia Dei ſecundum ſe ſpectata.

Contra negan es omnia a Deo cognoſci.

QUIDAM in ſuis evaneſcentes cogitationibus, auſi ſunt aut aſſerere, aut corde ſaltem dicere, a Deo multa ignorari, vel etiam Deum ad omnia non attendere. Sed contra

Prov.

Prov. 13. *Infernus & perditio coram Domino*: & illud Pſal. 138. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

Dogma de ſcientia Dei quatuor probatur argumentis.

PRIMO, quia datur intellectus in Deo, & ſcientia eſt unum ex ejus attributis.

Secundo, quia Deus cognoſcit omnia quæ ſunt in ſe ipſo.

Tertio, quia omnia cognoſtit quæ ſunt extra ſe.

Quarto, quia ſcientia Dei eſt cauſa rerum, & ſine ea factum eſt nihil.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus ſit intelligens, & ſit in eo ſcientia.

AD intellectum divinum pertinet ſcientia, quæ licet in Deo idem ſit realiter cum intellectu, addit tamen ſupra præciſam rerum notitiam, hoc quod eſt cognoſcere aliquid per cauſam. Hinc duo ſimul impræſentiarum quærimus: videlicet, an Deus ſit ita intelligens, ut ſciat rerum eſſentias. 2. Utrum eaſdem per cauſam cognoſcat. Pro quorum reſolutione ſit

CONCLUSIO PRIMA.

Deus cuncta cognoſcit per cauſas: immo Scientia eſt unum ex ejus attributis celeberrimum.

Probatur auctoritate & ratione:

Primo, *ex Scriptura ſacra.*

PRimo. Pſalm. 138. v. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam.* v. 5. *Tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua.*

Secundo. 1. Reg. 2. *Deus ſcientiarum Dominus eſt; & ipſi præparantur cogitationes.*

Tertio. Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*

Quarto. Jacob. 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Quinto. Job. 12. *Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia: ipſe habet conſilium & intelligentiam.* Ex his ſequitur iſtud argumentum. Ille habet intellectum, qui habet ſcientiam mirabilem, qui eſt ſcientiarum Dominus, pater luminum, apud quem non eſt viciſſitudinis obumbratio, in quo ſunt omnes ſcientiæ theſauri, qui eſt ipſa & ſapientia & intelligentia: atqui ex ſcriptura hæc omnia ſunt in Deo, ergo & intellectus. Ergo Deus eſt ſciens & intelligens.

Secundo, *ex Patribus.*

Primo. Nemeſius Chriſtianus Philoſophus I. de Providentia c. 44. *Ignorantia*, inquit contra negantes Providentiam, *& imperitia prorſus aliena eſt a beata illa ſubſtantia, ſcilicet Dei, ipſius enim eſt cognitio & ſapientia & ſcientia.*

Secundo. Syneſius libro de inſomniis, ait, *Deo ſola ad cognoſcendum natura ſatis eſt.*

Tertio. Irenæus l. 2. c. 47. ſic loquitur: *Deus cum ſit totus mens, totus ratio, & totus ſpiritus operans, & totius lux, & ſemper idem, & ſimiliter exiſtens, &c.*

Quarto. Auguſtinus ſolil. 13. mirabundus alloquens Deum, ait: *Lux a qua omnis lux; lumen a quo omne lumen..... Lux cui omnes tenebræ lumen, cui omnis obſcuritas lux: lux ſupra quam non obnubilat cæcitas, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obfuſcant, quam nulla obſtantia claudunt, quam numquam ſeparat aliqua umbra: lux quæ illuminas omnia tota ſimul, ſemel & ſemper, abſorbe me in tuæ claritatis abyſſum, ut videam undique te in te, & me in te.*

Quinto. Succinit D. Thomas hic. 1. p. qu. 14. art. 1. *Cum Deus ſit omnino immaterialis, in ipſo ſcientia eſt perfectiſſimo modo.* Ex Patribus, Deus eſt totus mens, totus ratio, totus lux, quam tenebræ obſcurare non valent, totus immaterialis & ſpiritualis: ergo & totus intelligens & ſciens, cum ſcientia nihil aliud ſit quam intelligentia & cognitio alicujus rei, quam lux omnia detegens, quam mens

Digitized by Google

mens de omnibus judicans, quam ratio omnia ponderans, quam ſapientia attingens omnia a fine ad finem fortiter & ſuaviter diſponens; quæ quidem ſapientia ita eſt in Deo, ut teſte Propheta, Pſalm. 146. *Et ſapientiæ ejus non ſit numerus.*

Tertio, *ex rationibus*.

Prima ſic exponitur: Deus eſt primum movens; igitur & intelligens. Probatur conſequentia. Multa ſunt in rerum natura, quæ ab intrinſeco non moventur principio, ut elementa; & tamen prorumpunt in centrum, & ad ſuum a creatore inſtitutum finem tendunt: ſed non poſſunt recte moveri verſus centrum ſeu finem ſibi impoſitum, niſi a ſupremo dirigantur motore; directio vero ad varios fines, ſecluſa in dirigente ſcientia, non fit; qua de cauſa opus naturæ, opus intelligentiæ vocatur: ergo ſi Deus eſt primus omnium motor, utique & intelligens: quinimmo, ut effantur Patres, totus mens, & totus ratio.

Secunda ſic ſe habet: Deus eſt immutabilis & omnia immotus movens; igitur eſt intelligens, & habet ſcientiam. Probatur conſequentia: quæ ſunt pure materialia, ſunt determinata ad unum, nec aliquid novi ſine mutatione, transeundo ab una forma ad aliam, acquirunt: ergo ſi Deus eſt immutabilis, utique & purus ſpiritus, cuncta concipiens & intelligens; alias poſſet recipere aliquid, transeundo ab una forma ad alteram, ut entia pure materialia: unde enim tanta in Deo univerſalitas, niſi quia teſte Joanne, in principio Deus erat verbum, erat lux, erat ſcientia, & omnia in ipſo vita erant, quatenus ſcit ab æterno quidquid in tempore facturus eſt.

Tertia: Deus eſt totius univerſi gubernator ſupremus; igitur eſt intelligens & ſciens: probatur conſequentia: gubernatio eſt ordo rerum in finem per media apta & debita: ſed talis ordinatio non fit ſine mira ſcientia, non abſque profunda intelligentia, alias omnia in mundo caſualia forent: igitur ſi Deus eſt ſupremus rerum gubernator, eſt etiam ſuprema intelligentia & ſcientia.

Quarta hæc cæteris adjungitur: Deus eſt prima omnium cauſa, præcontinens in ſe conſequenter rerum omnium rationes, unde ens & verum convertuntur, inquit D. Thomas, ſed quomodo? niſi quia quod fit, eſt conforme intelligentiæ agentis: ergo eo ipſo quo Deus eſt omnium cauſa, utique eſt intelligens & ſcientiarum Dominus.

Quinta: Omnes perfectiones in inferioribus diſperſæ, profecto aduuatæ ſunt in ſuperioribus, modo non implicent contradictionem; ſed videmus homines habere ſcientiam & perfectam rerum cognitionem: ergo a fortiori Deus illam habet, maxime quia ſcientia in ſuo conceptu formali tantummodo dicit cognitionem rei certam & evidentem, quod quidem ab omni imperfectionis labe purum eſt.

Sexta: Scientia ineſt nobis per hoc quod noſter intellectus eſt univerſalium, recipit enim omnium formas; recipit vero, quia eſt a materia elevatus: ſed intellectus divinus eſt univerſalior, quippe qui a materia infinite ſemotus ſit: igitur poteſt in ſe videre rationes rerum, & ſic omnium habere ſcientiam.

Septima pro coronide ponitur: Scientia eſt cognitio certa & evidens rerum omnium per cauſas; ſed Deus eſt cauſa rerum omnium, & ſe cognoſcit ut talem; igitur eſt intelligens, & quidem ſcientifice; unde dicimus ſcientiam eſſe attributum, quandoquidem fluit ab eſſentia divina ut proprietas promanat ab eſſentia.

DIVISIO SCIENTIÆ DEI.

SCIENTIA Dei, alia dicitur neceſſaria, alia vero libera: neceſſaria illa dicitur, quæ terminatur ad Deum; libera vero quæ terminatur ad creaturas, quas Deus potuit ac poteſt creare, vel non creare. Rurſus ſcientia Dei dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. Scientia ſimplicis intelligentiæ, ea dicitur, quæ ſpectat res mere poſſibiles; viſionis vero, quæ futuras attingit: tertiam diſtinguit Molina, quam vocat mediam, qua Deus futura cognoſcit conditionata, ut iſta; ſi Petrus ponitur in tali circumſtantia, laudabit Dominum: ſi Joannes talem videt perſonam, peccabit. Dicitur media, quia mediat inter duas priores.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. S. Joannes Chryſoſt. hunc refert Maximi locum ex centuria prima, c. 82. in ſuo opere c. 9. *Deus, ſive ſubſtantiam dicamus, non habet poteſtatem intelligendi, quæ naturaliter cum eo intelligatur; ne habeatur compoſitus. Sive dicamus cognitionem, non habet ſubjectam ſubſtantiam, quæ naturaliter recipiat cognitionem.* In hoc loco dicit, non eſſe in Deo poteſtatem intelligendi, propter tria. 1. Quia nihil cum eo intelligi poteſt. 2. Quia ſi haberet, eſſet in Deo compoſitio, quandoquidem ſcientia cum intellectu facit compoſitionem, quod ſimplicitati Dei adverſatur. 3. Quia Deus foret ſubjectum ſcientiæ; enimvero reciperet cognitionem ſeu ſcientiam, quod utique arguit compoſitionem, immo & potentialitatem; nam Deus & perficeretur a ſcientia, ſicut intellectus creatus perficitur ab ea: igitur ſcientiam in Deo admittere non convenit.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare; ſequeretur enim Deum nequidem fore ens a ſe: Et vero, exiſtentia ſecundum noſtrum concipiendi modum, advenit eſſentiæ, & facit cum ea compoſitionem; & tamen ipſa ratio dictat Deum eſſe, immo eſſe actum purum, eſſe primum ens, & cæterorum cauſam.

Reſpondeo 2. Imperfectiones, quæ concipiuntur ſcientiæ annexæ, eas oriri, vel ex limitatione, quam habet ipſa ſcientia in nobis, vel etiam ex imperfecto noſtro illam concipiendi modo. Revera quidem, ſcientia ſecundum ſe dicit tantummodo cognitionem claram, certam & evidentem: nos vero illam concipimus etiam in Deo ad modum rerum creatarum videlicet ei advenire, cum illo compoſitionem quandam facere, quæ quidem imperfectiones non ſunt in Deo, quippe qui nihil recipiat, ſed ſit ipſe omnia: unde proprie & in rigore loquendo, Deus non habet ſcientiam, ſed eſt ipſa ſcientia.

Reſpondeo 3. diſtinguendo. Deus neque ſcientiam, neque intelligendi poteſtatem ſeu potentiam habet imperfectam, ita ut ſcientia ſit in ipſo tanquam forma in ſubjecto a quo dependeat, concedo: perfectam, nego. Quinimmo, Deus habet ſcientiam omnium perfectiſſimam, cum ipſa nihil ſit quam ipſemet Deus, qui juxta patrum dicta eſt totus mens, & tota ratio. Quod autem hic ſit genuinus Maximi ſenſus, patet ex verbis laudatis; ita enim vult Deum cognoſcere, ut cognitio cum ipſo non conſtituat compoſitionem; vult ut ſcientia Deo non adveniat, ſed ſit ipſi coæva, nec ſit aliud ab ipſo; unde ſubdit: *Non habet ſubjectam ſubſtantiam, quæ naturaliter recipiat cognitionem: ſed id ipſum quod ſecundum ſubſtantiam eſt, cognitio eſt Deus, & totus Deus, & ſolum, & ipſa cognitio ſubſtantia; & totus ſubſtantia, & ſolum, & ſupra ſubſtantiam totus; & ſupra cognitionem ſolus: quia unitas eſt individua, expers partis & ſimplex.* Igitur in eo ſolum ſenſu Maximus negat in Deo ſcientiam, quo conciperetur accipere aliquid novi, aliquod accidens, & extraneum, aliquid quod eſſet aliud ab illo, & cum ipſo faceret compoſitionem.

Ad primum: nihil cum Deo intelligi poteſt, diſtinguo, quod ſit realiter ab illo diſtinctum, & aliud ab ipſo, concedo: quod ſit tantummodo virtualiter diſtinctum, nego. Attributa concipiuntur emanare ab eſſentia divina tanquam proprietates a natura fluentes; unde ab ea diſtinguuntur, non quidem realiter, aut formaliter ex natura rei, bene vero virtualiter; ita tamen ut ea actu non diſtinguat Deus, ſed tantum concipiat & intelligit ut primum ſuam concipit eſſentiam multis æquivalere perfectionibus, quæ realiter diſtinguuntur in creaturis. Nos vero concipiendo attributa, ea actu diſtinguimus adinvicem: cum enim unico eſſentiam Dei actu & adæquare & comprehendere non valeamus, eam iteratis actibus apprehendimus: alio igitur conceptu intelligimus ſapientiam divinam, alio bonitatem, alio omnipotentiam; & tamen illa omnia re ſunt quid unum.

Ad ſecundum: ſi Deus haberet ſcientiam, foret in eo compoſitio, diſtinguo; ſi haberet ut nos homines infirmi habemus, concedo; ſcientia enim eſt perfectio egregia, noſtro adveniens intellectui: ſi haberet ſemota omnis imperfectionis labe, ita ut ſcientia ſit ejus ſubſtantia, & ejus eſſe, ſicut de facto eſt, quia in Deo omnia ſunt Deus, nego.

Quod

Quod autem cognitio Dei ſit ipſe Deus, ſonat ipſum Dei nomen; quandoquidem vox Θεός, quæ ſecundum Græcos Deum ſignificat, dicitur a Θεάομαι quod eſt conſiderare & videre.

Ad tertium: Deus reciperet cognitionem, diſtinguo; ſecundum noſtrum concipiendi modum, concedo: ſecundum ſe, nego. Ab æterno eſt Deus, ab æterno intelligens & ſciens quicquid poteſt facere, & facturus erat; unde cum aliquid producitur in tempore, nihil acquirit novi, ſed ponit ad extra cognitionis terminum, qui ante erat ad intra ſecundum ideam: immo, ideo res ſunt ex Aug. quia illas novit Deum: *Fecit* enim *Cœlos in intellectu*, inquit Propheta pſal. 135. non accipit igitur ſcientiam a rebus ſicut nos, ſed res accipiunt eſſe a ſcientia divina, & ideo ſcientia Dei non eſt aliud ab ipſo.

Hanc præclaram de ſcientia Dei doctrinam tradit Cyrillus in fine libri 31. theſaurorum his verbis: " Simplex, ,, inquit, & minime compoſitus omnium ,, prædicatione celebrabitur Deus. Quamobrem abſurdum eſt ipſum de ſe talem habere cognitionem dicere, qualem nos habemus. Nam ſi ipſe aliud ,, quidquam eſt, alia vero ac diverſa eſt ,, ab eo quæ ineſt ipſi cognitio, compoſitus erit, & non ſimplex. Cum vero omnium confeſſione ſit ſimplex, ,, non eſt aliud ab eo diverſum illius ,, cognitio. Noſtra autem eſt alia cauſa. Nam propria quadam ratione ſumus ſecundum ſubſtantiam, in ſubſtantia vero ſitam habemus cognitionem, ,, velut colorem in corpore. Igitur non ,, ſimiliter & eodem modo ſciemus quippiam ac Deus, qui non eodem atque ,, illo modo nos habemus. Sed ipſe quidem, tanquam hoc ipſum mens omnium ſuprema, itidem ut Deo convenit, tum ea, quæ ſunt, tum ſe ipſe ,, contemplabitur, nos autem, qui datam nobis menſuram tranſgredi nequimus, velut in ſpeculo & ænigmate, incomprehenſibilem cernimus ,, Deum. ,,

Inſtabis: Ut Deus aliquid cognoſcat, debet ſpecies rerum accipere, ſaltem eſſentia divina novo modo intellectui divino uniatur neceſſe eſt: ſed hoc potentialitatem innuit; prius enim eſt Deum eſſe, quam cognoſcere alia a ſe: igitur Deus aliquid recipit, ſi rerum ſcientiam habet; quod conſequens, cum abſurdum ſit, ergo & antecedens.

Reſpondeo 1. multos percelebres Theologos propugnare, eſſentiam Dei formaliter & Metaphyſice ſumptam, eſſe intelligere actualiſſimum, maxime, quia Deus eſt actus purus: igitur intelligere, juxta iſtam ſententiam, eſt id quod eſt primum in Deo, unde eodem actu ſe & alia cognoſcit: quia tamen creaturæ ſunt Deo poſteriores, dicimus Deum prius prioritate ordinis ſe, & poſtea alia a ſe intelligere.

Reſpondeo 2. Deum non accipere ſpecies a rebus; omnia ſiquidem, teſte Beato Joanne c. 1. in eo vita ſunt; ideſt omnium habet in ſe ideas, & cognoſcit rationes.

Reſpondeo 3. diſtinguendo: eſſentia divina novo modo ſe habere debet reſpectu intellectus, & illi uniri per modum ſpeciei tum impreſſæ, tum expreſſæ, abſque viciſſitudinis & imperfectionis adumbratione, concedo: ſecus, nego. Omnia in Deo ſunt unum: quia vero Deus ſuam contemplando eſſentiam, videt ſe & alia a ſe, ideo concipimus illam ineffabilem eſſentiam novo modo uniri intellectui divino, cum tamen revera nihil recipiat Deus, nihilque ſit ab eo diſtinctum. Unde eſſe divinum non eſt in Deo cognitione prius, niſi ad ſummum prioritate a quo, emanationis ſcilicet & ordinis, reſpectu noſtri, in quantum ad ordinandos conceptus noſtros, intelligimus cognitionem Dei ab ipſius intellectu, intellectum vero ab ejus puriſſima eſſentia, fluere.

Divus Aug. hanc tradit ſolutionem Epiſt. 102. cum dicit in Deo aliud non eſſe quod intelligitur & quod intelligit, ſicut in nobis. Ita l. 15. de Trinit. c. 13. & in 1. de Gen. ad litt. c. 5. n. 10. his verbis: *Non enim habet informem vitam verbum filius, cui non ſolum hoc eſt eſſe, quod vivere; ſed etiam hoc eſt ei vivere, quod eſt ſapienter, & beate vivere.*

D. Thomas hic 1. p. q. 14. art. 4. eandem tradit his verbis. " *In Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere, ſunt omnino unum & idem.* ,,

Plotinus, ſcholæ Platonicæ anteſignanus eandem tribuit dotem numinibus, ita

ita ut teſtimonium ab ipſius fidei inimicis habeamus. Nam Enn. 5. l. 9. cap. 5. Sic loquitur de mente ſumma & divina: *Itaque ſi quid intelligit, a ſe ipſa intelligit. Si quid habet, a ſe ipſa habet; quod ſi a ſe ipſa & ex ſe ipſa intelligit, ipſamet eſt ea quæ intelligit.* „

Oppones 2. Omnis ſciens reflectit; cognitio enim eſt reditus ad ſe ipſum, & reminiſcentia: ſed hoc ipſum potentialitatem & imperfectionem redolet: ergo ſcientia nullo modo eſt in Deo admittenda.

Reſpondeo 1. negando abſolute majorem: enimvero quando ſciens identificat ſibi & ſuam potentiam intellectivam, & intelligere, quando eſt ſemper in actu intelligibilium, ideſt actu ſemper omnia videt, prima apprehenſione cognoſcit omnia; cum igitur Deus ſit ſuprema & prima intelligentia, cuncta in ſua eſſentia & ipſam ſuam eſſentiam, intuetur, eo prope modo quo Doctor habens ſubtiliſſimam intelligentiam, ſine diſcurſu, ſed prima rerum apprehenſione, coucluſionem videt in principiis.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: Sciens inter creaturas reflectit & cognoſcit rerum naturas ſive per reminiſcentiam & reflexionem, ſive per reditum ad res, concedo: ſciens increatum, ſubdiſtinguo; reflectit ſecundum noſtrum modum concipiendi, concedo: in rei veritate, nego. Non enim aliam habet reflexionem, aliumque reditum, niſi quod per ſe ſubſiſtat, & in hoc ſenſu redit ad ſe ipſum, quia eſt omnia.

Ita Aug. lib. 2. ad Simplicianum q. 2. his verbis: " Cum meminimus aliquid „ ſenſiſſe nos vel intellexiſſe, ut id cum „ volumus, recolamus. Quod ſi ita in „ Deo eſt, ut poſſit proprie dici, intel- „ ligit, & intellexit, ſentit & ſenſit, „ admittit tempus, & ſubrepit nihilomi- „ nus illa mutabilitas, quæ longe a Dei „ ſubſtantia removenda eſt. Et tamen & „ ſcit Deus, & præſcit Deus ineffabili „ modo. Sic eum & pœnitet ineffabili „ modo. Cum enim ſcientia Dei longe „ diſtet ab humana ſcientia, ita ut irri- „ denda ſit comparatio, utraque tamen „ ſcientia vocatur " &c. Subdit modos humanæ ſcientiæ imperfectos inſinuare quidem ſcientiam Dei, ſed non adæquare, quia in Deo non eſt tranſitus, motus mutationis, & aliud iutelligens & cognitio intelligentis.

D. Thomas ibidem art. 2. explicat difficultatem, & ſic reſpondet: *Ad primum ergo dicendum, quod redire ad eſſentiam ſuam, nihil aliud eſt quam rem ſubſiſtere in ſe ipſa.* Et in corpore: *Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, ſed ſit actus purus, oportet quod in eo intellectus & intellectum ſint idem omnibus modis.*

Inſtabis: ſcientia eſt diſcurſiva; igitur in meditatione & reflexione fundatur. Probatur antecedens: 1. Scientia procedit ab uno ad aliud; eſt enim cognitio rei per cauſas: 2. Cognitio eſt egreſſus ab alio ad aliud, unde eſt motus importans mutationem; ſiquidem tendit ad novum terminum, ut cum producitur de novo aliqua creatura: ſed hæc omnia involvunt imperfectionis labem: igitur a Deo removenda eſt ſcientia.

Reſpondeo negando antecedens; ſcieutia enim ſecundum ſe ſpectata, dicit ſolummodo cognitionem certam, claram & evidentem rei per cauſas, quam quidem unico intuitu habet Deus, quatenus unico & eodem actu ſuam comprehendit eſſentiam ut rerum omnium cauſam. Unde ad primam probationem diſtinguo: in creaturis ſcientia procedit ab uno ad aliud, concedo: in divinis, nego: nec mirum, intelligens, intellectio & intellectum, ſunt unum & idem in Deo. Ad ſecundam probationem diſtinguo ſimiliter: cognitio eſt egreſſus ab uno ad aliud in creaturis, concedo: in divinis, nego. In Deo eſt actio pure immanens, & intra intellectum, qui cum ſit idem re cum eſſentia, quæ eſt omnium cauſa, non egreditur Deus extra ſe ut cognoſcat omnia: cognoſcit enim effectus in ſua eſſentia tanquam in cauſa rerum, unde nulla ei advenit ex cognitione rerum mutatio.

Ita Didymus tom. 3. Bib. PP. in enarratione Epiſtolæ canonicæ Joan. 3. *Igitur*, inquit, *Trinitatis ſcientia ſubſtantialis eſt, creaturarum vero, effectus quidam ſuſcipiens majus & minus . . . . . cum Deus mens ſit intellectu naturali & ſubſtantiali, novit ea quæ novit: creaturæ vero, licet habeant ut ſint mens, attamen & ſcientiam habent quæ eſt factura, dum mens eorum eſt facta.* Igitur Deus eſt ſciens, quinimmo eſt ipſa ſcientia, vel dicam ſuper omnem ſcientiam.

D.

D. Thomas utramque difficultatem ſic ſolvit, primam quidem hic art. 1. ad 2. dicens diviſa in inferioribus, adunata eſſe in ſuperioribus, adeoque ſcientiam, conſilium, prudentiam in Deo ſemotis imperfectionibus reperiri. " Ad ſecundum „ dicendum quod ea quæ ſunt diviſim & „ multipliciter in creaturis, in Deo ſunt „ ſimpliciter & unita . . . homo autem „ ſecundum diverſa cognita habet diverſis cognitiones. Nam ſecundum quod „ cognoſcit principia, dicitur habere in„ telligentiam: ſcientiam vero ſecundum „ quod cognoſcit concluſiones: ſapien„ tiam ſecundum quod cognoſcit cauſam „ altiſſimam: conſilium vel prudentiam „ ſecundum quod cognoſcit agibilia . . . . „ ſed hæc omnia Deus una & ſimplici „ cognitione cognoſcit. Unde ſimplex „ cognitio Dei omnibus iſtis nominibus „ nominari poteſt: ita tamen quod ab uno„ quoque eorum ſecundum quod in divi„ nam prædicationem venit, ſecludatur quidquid imperfectionis eſt. „ Secundum hoc dicitur Job. 121. *Apud ipſum ſapientia & fortitudo, & ipſe habet conſilium & intelligentiam.* Igitur ſcientia eſt ſine diſcurſu in Deo, ſicut conſilium ſine inquiſitione, & hæc ſunt attributa diverſa, licet enim re unum, illa tamen res æquivalet multis quæ a parte rei in creaturis diſtinguuntur.

Ad id vero quod dicitur, cognitio eſt egreſſus ab uno ad aliud, ſic reſpondet D. Thomas hic art. 4. ad 1. *Intelligere non eſt operatio exiens ab ipſo operante, ſed manens in ipſo.*

Inſtabis: Cum intellectus acquirit ſcientiam, recipit ſpecies rerum; immo ipſa ſcientia eſt forma & habitus de novo adveniens & perficiens ſubjectum; ſed abſurdum eſt dicere Deum & aliquid recipere, & a forma creata perfici: ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguo majorem, intellectus creatus, qui eſt & a cognitione & ab objecto diſtinctus, recipit ſpecies rerum, concedo: divinus, qui eſt ſuum intelligere, nego. Unde licet Deus cognoſcat creaturas, & ſint quid ab eo diſtinctum, non tamen in cauſa, ſcilicet in eſſentia divina, in qua illas cognoſcit: igitur ſcientia non eſt habitus in Deo, ſed ſolum in creaturis; nec eſt de ratione ejus eſſentiali, & ſecundum ſe conſiderata, ut ſit habitus; ſed ſolum ut eſt creata, & in creaturis, quia, ut dicit D. Thom. hic, formæ ſunt in rebus ſecundum modum ſuum, unde in creaturis quæ ſunt finitæ, perfectiones & formæ quæcumque ſint, ſunt utique finitæ, ſed nuſquam in Deo.

Solutio eſt S. Joan. Damaſceni qui l. 1. de fide cap. 18. ſic loquitur: " In nobis „ prudentia & ſapientia & conſilium tan„ quam habitus accidit, & abſcedit: non „ autem in Deo. In ipſo enim nihil ori„ tur & deſinit; eſt enim variationis & „ mutationis expers: neque de ipſo dici „ accidens oportet. Porro bonum Deus „ habet cum ſubſtantia ſua concurrens. „

Eandem tradit ſolutionem D. Th. qui hic art. 2. ad 2. negat Deum aliquid recipere a rebus quas intelligit: „ Intelle„ ctus divinus, *inquit*, qui nullo modo „ eſt in potentia, non perficitur per in„ telligibile, neque aſſimilatur ei; ſed „ eſt ſua perfectio & ſuum intelligere. „ Et art. 1. ad 1. negat ſcientiam in Deo eſſe habitum. „ Perfectiones, quæ ſunt „ in creaturis, ſunt in Deo ſemotis im„ perfectionibus. Unde ſcientia non eſt „ qualitas in Deo, vel habitus, ſed ſub„ ſtantia & actus purus.

Objicies 3. Ideo ex D. Th. ſcientia eſt in Deo pura & ſumma perfectio, quia intelligere, intelligibile & intellectum ſunt unum & idem: ſed hæc ratio nulla eſt: & probatur. Cum Deus aliquam cognoſcit creaturam, creatura intellecta non eſt Deus, implicat enim creaturam eſſe Deum; igitur intellectum & intelligibile in Deo non ſunt idem.

Reſpondeo, negando minorem, ad probationem diſtinguo. Creatura ſecundum ſe & ut eſt a parte rei, non eſt Deus, concedo: ut eſt in cauſa, nego. Eſt enim ipſa eſſentia divina ut tali modo participata, vel participabilis: porro Deus non eſt ſicut homo; non enim accipit ſcientiam a rebus, ſed ſcientia & cognitio ejus, dat eſſe rebus, & ſic patet intelligere & intellectum ad intra, eſſe unum & idem apud Deum.

Dices, ergo non erit diſcrimen inter Deum & creaturam ad intra.

Reſpondeo negando ſequelam, quia eſſentia divina eſt objectum primarium, illudque neceſſarium ſcientiæ divinæ. Eſſentia vero, ut participabilis ad extra, & ut connotat creaturas futuras, objectum liberum & ſecundarium.

Ob-

Objicies 4. Scientia eſt univerſalium & particularium; ſed univerſale non eſt in Deo; univerſale enim eſt ens rationis: neque particulare, quia ſingulare eſt in materia immerſum: igitur nec ſcientia.

Reſpondet Divus Thomas ad hoc argumentum hic art. 1. ad 3. Scientiam non eſſe in Deo ut in creaturis. " Et ideo, „ *inquit*, cum modus divinæ ſcientiæ „ ſit altior, quam modus quo creatu- „ ræ ſunt; ſcientia divina non habet mo- „ dum creatæ ſcientiæ, ut ſcilicet ſit „ univerſalis, vel particularis, vel in „ habitu, vel in potentia, vel ſecundum „ aliquem talem modum diſpoſita.

Reſpondeo 2. diſtinguendo minorem, univerſale Logicum & ſingulare Phyſicum non ſunt in Deo, concedo: univerſale reale & plenum, & ſingulare per plenitudinem, nego. Deus eſt cauſa univerſalis, ſed non per rationem & indeterminationem, verum potius per plenitudinem, ſicut & ſingularis, unde dicendum potius Deum eſſe ſupra univerſale & ſingulare.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit omnia.

PRIMO, quia Pſal. 138. habetur: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

Secundo, quia ex Patribus, Deus eſt totus mens, lux & ipſa veritas.

Tertio, quia eſt rerum omnium & cauſa & gubernator, in ſemetipſo igitur cuncta videt, cuncta ſcit & intuetur.

Synopſis ſolutionum ad argumenta in contrarium.

PRIMO, Patres quandoque ſcientiam eſſe in Deo negant: ſed loquuntur de ſcientia quæ accipitur a rebus per ſpecies, de ſcientia quæ veluti accidens inhæret intellectui, quæque comparatur per diſcurſum: nuſquam vero de ſcientia ſecundum ſe ſumpta.

Secundo, Scientia abſolute loquendo non dicit inquiſitionem, ſed cognitionem rei in ſe certam & evidentem; hanc autem eſſe in Deo, quis non videt, cum ſit omnium cauſa?

Tertio, Scientia creaturæ, utpote limitata, eſt tantummodo de univerſalibus; ſcientia vero Dei, cum ſit infinita, eſt etiam de ſingularibus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus intelligat ſeipſum & ſuas perfectiones.

CONCLUSIO.

Deus intelligit ſe, & omnia quæ in ipſo ſunt, perſonas ſcilicet & attributa: & eſt de fide.

Probatur auctoritate & ratione:

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

1. JOAN. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*: ſed Verbum eſt cognitio & expreſſio Dei, & illa expreſſio eſt apud ipſum & in ipſo: ergo Deus ſe & alia quæ in ipſo ſunt cognoſcit.

2. Ibidem. *Nemo novit Patrem niſi Filius*; iterum Filius de Patre dicit Joan. 8. 55. *Novi eum*. ibid. 17. 6. *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*: igitur Filius Dei cognoſcit Patrem, ſed Filius & Pater unum ſunt, juxta illud Joan. 10. *Ego & Pater*, inquit Chriſtus, *unum ſumus*: ergo ſi Filius cognoſcit Patrem, Deus ſe cognoſcit & intelligit, & conſequenter attributa, quia ſunt ipſe Deus.

3. 1. Cor. 2. *Quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei*: & iterum ibidem v. 10. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*: Igitur Spiritus ſanctus cognoſcit omnia quæ in Deo ſunt: ſed Spiritus ſanctus eſt Deus; ergo Deus ſe & alia quæ ſunt in ſe intelligit & intuetur.

Secundo, *Ex Patribus.*

AUGUSTINUS l. 15. de Trin. c. 14. de Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, ſic loquitur: " Sciunt ergo invicem Pater „ & Filius, ſed ille gignendo, iſte „ naſcendo. Et omnia quæ ſunt in eo- „ rum ſcientia, in eorum ſapientia, in co-

„ eorum eſſentia, unuſquiſque eorum ſimul „ videt.

Iſidorus l. 3. de ſummo bono c. 3. *Sola ſibi nota eſt Trinitas*, intellige comprehenſive: igitur Deus ſe intelligit, & quidem intellectione perfectiſſima, ſcilicet comprehenſiva.

Divus Thomas hic q. 14. art. 2. ait: *Deus cum ſit actus purus in ſummo immaterialitatis, intelligit ſe per ſeipſum.*

Tertio, *Ex Ratione, eaque multiplici D. Thoma 1. contra Gentes c. 47.*

PRIMA ſic exponitur: Purus Spiritus, qui eſt totus mens, ſe & alia, quæ in ipſo ſunt, cognoſcit: ſed Deus eſt & purus Spiritus & totus mens: igitur ſe & ea quæ in ipſo ſunt, perfecte cognoſcit.

Secunda ita ſe habet. Quo magis ens aliquod a materia abſtractum eſt, eo plures poteſt in ſeipſo recipere rerum formas & ſpecies, in quibus velut in ſpeculis luſtret & contempletur objecta: hinc homo plura quam belluæ noſcit; quandoquidem formam habet ſeu animam a materia immunem: Angelus vero plura quam homo, quippe qui abſtrahat ab omni materia phyſica, & ſit purus Spiritus: enimvero cognoſcit diviſa indiviſibiliter, compoſita ſimpliciter, materialia immaterialiter: ſed Deus eſt ſupra omnem materiam, etiam metaphiſicam; ſiquidem eſt ens a ſe & omnia: igitur perfecte ſe intelligit.

Tertia, Deus eſt actus purus: igitur ſe & omnia, quæ in ipſo ſunt, intelligit & cognoſcit. Probatur conſequentia. Eſſe actum purum, eſt eſſe in actu omnium perfectionum, & intelligibilium, ideſt habere omnes perfectiones, & actu videre & comprehendere omnia; ſic oculus dicitur in actu viſibilium, quando actu percipit coloratum: ergo eo ipſo quo Deus eſt actus purus, actu ſe, & omnia quæ in ipſo ſunt, perfecte intelligit.

Quarta, cognitio ſit per hoc quod cognoſcibile eſt in cognoſcente; oculus v. g. videt arborem per hoc quod ſpecies arboris eſt in ipſo, & poſtea in intellectu a quo utique cognoſcitur: ſed eſſentia & omnia attributa ſunt præſentia intellectui divino, immo ſunt idem cum illo: igitur Deus perfectiſſime ſe intelligit.

Quinta, denique tanta eſt virtus Dei in cognoſcendo, quanta eſt actualitas in exiſtendo, quia eſſe & intelligere ſunt unum & idem apud Deum; ergo ſicut Deus eſt ens a ſe, ita & intelligere per eſſentiam: igitur Deus adæquate ſe intelligit, ideſt perfectiſſime & comprehenſive.

Diluuntur Objectiones.

Objicies 1. Si Deus ſe intelligit, ſuam intelliget intellectionem: & rurſus in infinitum iſta intellectio ſe intelliget, quia cum intellectio Dei ſit idem cum eſſe, & Deus intelligat ſuum eſſe, dabitur proceſſus in infinitum, quod ſane non eſt admittendum.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus intelliget ſuam intellectionem ut eſt ens a ſe idem cum eſſentia, concedo: ut eſt operatio, nego, & cum illa operatio ſit per ſe ſubſiſtens, non oportet procedere in infinitum, inquit Div. Thomas hic art. 4. ad 3. Cæterum omnia in Deo ſunt unum & idem realiter, ipſe eſt actus purus, eſt intellectio & vita per eſſentiam; quia vero mirabilis illa eſſentia facit id omne quod intellectus creatus operatur, ideo diſtinguimus & intellectum ab eſſentia, & intellectionem ab intellectu. In Deo igitur eſt intellectus, eſt intellectio actualis, qua ſe intelligit & generat Verbum; Verbum vero eſt intellectio paſſiva, eſt conceptus & intellectionis terminus, & ſic non datur intellectio intellectionis, in ratione operationis, ſed datur intellectio paſſiva quæ eſt terminus intellectionis actualis, & eſt Verbum.

Oppones 2. Scientia eſt cognitio rei per cauſas: ſed eſſentia Dei non habet cauſam: igitur Deus non habet ſcientiam de ſe: igitur non ſe intelligit.

Reſpondeo diſtinguendo. Scientia de rebus creatis, concedo majorem; de divinis, ſubdiſtinguo: eſt cognitio per cauſas ſecundum quid, & improprie, concedo: adæquate & proprie, nego. Scientia ſecundum ſe dicit ſolum eſſe cognitionem certam & evidentiam: talis eſt

eſt in Deo, qui ita ſe cognoſcit, ut etiam ſe comprehendat. In creatis vero ſcientia eſt cognitio rei per cauſas; nihil enim magis demonſtrat effectum, quam neceſſaria connexio, quam habet ipſe effectus cum cauſa a qua eſſentialiter dependet; quia tamen Deus ſuam cognoſcit eſſentiam, ut fontem & principium a quo fluunt omnia attributa, & nos cognoſcimus ineffabiles iſtas perfectiones per ordinem ad ens divinum; nam inferimus Deum eſſe omnipotentem, eſſe ſummum bonum, quia eſt ens a ſe: Eſſentia concipitur non quidem ut cauſa rigoroſa, a qua dependeant attributa; ſed ut ratio, per quam cognoſcuntur.

Inſtabis: Attributa non habent cauſam, ergo Deus illa non cognoſcit ut in cauſa ullo modo.

Reſpondeo diſtinguendo. Attributa non habent cauſam rei, concedo; ſunt enim idem entitative cum eſſentia divina: non habent cauſam cognitionis, nego. Habent pro fonte & principio eſſentiam a qua fluunt, nos vero cognoſcimus ea per eſſentiam tanquam per cauſam virtualem, a qua, ſine dependentia quidem emanant.

Rurſus inſtabis: Deus non cognoſcit attributa etiam ut virtualiter ab eſſentia diſtincta, quandoquidem unico actu & ſine diſtinctione cognoſcit eſſentiam ſuam & attributa: ergo non cognoſcit eſſentiam etiam ut cauſam cognitionis virtualem; igitur non habet ſcientiam.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus non cognoſcit eſſentiam actu diſtinctam ab attributis, nec utique diſtinguit, concedo: non cognoſcit fundamentaliter diſtinctam, nego. Revera quidem Deus non cognoſcit eſſentiam ab attributis diſtinctam, quia ſunt unum entitative, neque diſtinguit per operationem ſui intellectus, cum unico actu comprehendat omnia, in quo differt a nobis, qui propter mentis noſtræ limitationem, eandem rem infinite perfectam concipimus iteratis intellectionibus, & diſtinguendo per mentem quod in ſe indiſtinctum manet: attamen Deus concipit eſſentiam ſuam ut principium virtuale attributorum; unde videt iſtam entitatem poſſe concipi a nobis ut ens multiplex, ita ut etiam ſecundum noſtrum concipiendi modum inferamus Deum habere perfectiones mirabiles, quia eſt ens a ſe, & ſic attributa habent cauſam cognitionis reſpectu noſtri, ſed non reſpectu Dei: quia tamen hæc omnia perfectiſſime cognoſcit, ſcientia altiſſimo modo in Deo eſt, & ideo iiſdem cum noſtra vocatur nominibus, tametſi non dicatur cognitio rei per cauſas.

Urgebis adhuc: Si Deus unico intellectionis actu intelligit ſe & ſuas perfectiones, ſequitur ſapientiam, ſcientiam, prudentiam & conſilium non eſſe attributa diverſa: ſed falſum conſequens; ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo. Si Deus non cognoſcit ſuam mirabilem & ineffabilem eſſentiam æquivalere perfectionibus, quæ revera diſtinguuntur a parte rei in creatis, concedo: ſi cognoſcit, nego. Deus unico quidem mentis intuitu ſuam intelligit & cognoſcit eſſentiam, ſed ſimul videt æquivalere omnibus perfectionibus quæ ſunt & reperiuntur in creaturis, unde concipit eſſe in ea multas rationes, cum ex ipſa Scriptura, Spiritus Dei ſit unus ſimul & multiplex: & ideo ſapientia, ſcientia, conſilium & prudentia ſunt attributa diverſa, ſicut & intelligentia. Iſta quippe videt concluſionem in principiis, ſapientia cognoſcit per altiſſimas cauſas, ſcientia per proximas; conſilium inquirit media pro agibilibus, prudentia vero ordinat & imperat; quæ quidem omnes rationes ſunt diverſæ; quia vero Spiritus Dei hæc omnia eminentiſſimo modo, ſemotis quibuſcumque imperfectionibus, habet & operatur, verum eſt dicere: Deus eſt intelligens, ſapiens, ſciens, conſiliarius, immo ipſa eſt ſapientia, &c.

Objicies 3. Si Deus ſe intelligit, maxime intellectione comprehenſiva; ſed in hoc videtur inconveniens: & probatur: quod comprehenditur, eſt finitum; ſed eſſentia divina eſt infinita: igitur comprehendi non poteſt.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguo: quod comprehenditur a finito, eſt finitum, concedo: ſic aqua comprehenditur in vaſe, & eſt quid finitum. Quod comprehenditur ab infinito, nego. Comprehenſio quantitative & phyſice ſumpta eſt quid finitum; ſecus metaphyſice conſiderata; ſub iſto enim reſpectu dicit ſolum adæquatam alicujus virtutis menſuram, & cum tanta ſit

actualitas Dei intelligendo, quanta eſt in eſſendo, ideo intellectio divina eſt vere & perfecte comprehenſiva, quatenus Deus tantum ſe cognoſcit, quantum cognoſcibilis eſt. Ita Div. Thom. hic qu. 14. art. 3.

Quod autem Deus ſe intelligat, ipſi Philoſophi Pagani confeſſi ſunt, maxime Platonici, quorum interpres eſt Alcinonus c. 10. ubi ſic loquitur: " Quoniam ,, autem prima mens praſtantiſſima eſt: ,, neceſſe eſt praſtantiſſimum ei intelli- ,, gibile propoſitum eſſe. Nihil autem ſe ,, ipſa præſtantius habet; quare ſeme- ,, tipſam, notioneſque ſuas ſemper intel- ,, liget.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus & ſuam naturam & ſuas perfectiones intelligit atque cognoſcit.

PRIMO, Joan. 1. habetur: *In principio Deus erat verbum..... erat lux in hoc mundo.* ibidem: *Nemo novit Patrem niſi Filius.* Unde Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 14. *Sciunt ergo invicem Pater & Filius.*

Secundo, Deus eſt purus Spiritus: igitur totus mens, & lux, immo ipſa veritas, ipſa ſapientia, ipſa ſcientia.

Tertio, Cognitio fit per hoc quod cognoſcibile eſt in cognoſcente. Porro Deus eſt in ſemetipſo, quippe qui ſit ens a ſe; igitur ſe & ſua intelligit attributa: tum quia cognitione & intellectione generat Verbum.

Synopſis Reſponſionum ad objectiones in contrarium.

PRIMO, tametſi Deus ſe & ſua cognoſcat, non datur tamen cognitio cognitionis & proceſſus in infinitum: cognoſcit quidem ſuam intellectionem, quatenus illa eſt ens a ſe, nuſquam vero ut intellectus eſt: namque intellectus eſt id quo Deus ſe & ſua novit, unde nihil ultra datur.

Secundo, Scientia in creaturis quidem eſt cognitio per cauſas: at vero ſecundum ſe importat tantummodo ut ſit cognitio certa & evidens. Cæterum non implicat ſcientiam Dei eſſe cognitionem utique per cauſam ſecundum quid: nullus quippe Theologus eſſentiam divinam eſſe cauſam virtualem abnegabit; illumque ſub iſto reſpectu a Deo intelligi.

Tertio, Deus ſe cognoſcendo comprehendit. Ergone finitus? minime; comprehenſio nullis clauditur terminis niſi in creatis.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Deus intelligat alia a ſe, ideſt omnes creaturas.

CONCLUSIO.

Deus cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, omnes futuras, & præteritas; cognoſcit ſecreta cordium, & quidquid eſt aut eſſe poteſt in omni creatura, tam ſecundum rationes genericas & communes, quam particulares conſideratum, & hoc unico & ſimplici intuitu.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

1. GEn. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

2. Job. 28. v. 3. *Tempus poſuit tenebris, & univerſorum finem ipſe conſiderat: lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.* v. 24. *Ipſe enim fines mundi intuetur; & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit.* c. 31. v. 4. *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?*

3. Pſalm. 49. *Mea ſunt*, inquit Deus per os Prophetæ, *feræ ſilvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cœli.* Pſal. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit.* Pſal. 138. David ſic loquitur: *Domine probaſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti..... Ecce, Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua.*

4. Proverb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* & c. 16.

Omnes

Digitized by Google

omnes via hominum patent oculis meis, inquit Deus.

5. Eccleſiaſtici 1. *Omnis ſapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Arenam maris & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit? altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* & concludit: *Unus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens & metuendus nimis; ſedens ſuper Thronum illius, & dominans Deus: ipſe creavit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt.*

6. Eſther 14. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.*

7. Heb. 4. *Omnia*, inquit Apoſt. *nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Ibidem v. *Pertingit uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ, compagum quoque & medullarum: eſt diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus*. Ex his ſequitur iſtud argumentum. Qui videt cuncta quæ fecit, qui cognoſcit omnes hominum vias, ſecreta cordium, altitudinem cœli, abyſſi profunditatem, & ipſam mortis umbram, omnia a ſe alia intelligit: atqui ex Scriptura Deus habet illorum omnium ſcientiam: igitur intelligit alia omnia a ſe.

Secundo, *Ex Patribus*.

Clemens Alexandrinus, l. 6. Stromat. ſub finem ait: " Deus omnia novit, „ non ſolum quæ ſunt, ſed etiam futura, & quemadmodum erit unumquodque; ac particulares motiones prævidens, omnia proſpicit, & audit omnia; nudam intrinſecus animam videns, uniuſcujuſque etiam e ſingularibus æternam habet intelligentiam, & quod in theatris uſu venit, & in partibus cujuſque, inſpiciendo, circumſpiciendo, & ſimul aſpiciendo; hoc ipſum & in Deo evenit. Nam ſimul, confertimque omnia, & particulatim ſingula, applicatione una contemplatur.

Subſcribit Hilarius in Pſal. 137. " Superbæ, *inquit*, & inſolentes cogitationes Deum non fallunt. Cognoſcit omnia & nihil ſcientiæ ejus impenetrabile eſt.

Accedit Ambroſius l. de interpellat. c. 4. explicans illud Pſal. 71. 11. „ Quomodo ſcit Deus; & ſi eſt ſcientia in excelſo, ait, qui ſe exiſtimat ab eo qui omnia videt, non videri, & tenebris credit commiſſa ſua poſſe celari, umbram prætendit. Sed fruſtra latere ſe credit, cum oculus Domini lucidior ſole oculta omnia deprehendat.

Non prætereundus eſt S. Auguſtinus l. 15. de Trin. c. 14. ſic loquitur: „ Novit itaque omnia Deus Pater in ſeipſo: novit in Filio. Sed in ſeipſo, tanquam ſeipſum; in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de his omnibus quæ ſunt in ſeipſo. Omnia ſimiliter novit & Filius, in ſe ſcilicet, tanquam ea quæ nata ſunt de iis, quæ Pater novit in ſeipſo: In Patre autem tanquam ea quæ nata ſunt, quæ Pater novit in ſeipſo: in Patre autem tanquam ea de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius novit in ſeipſo. " Ibidem. „ Deus non particulatim vel ſigillatim omnia videt, velut alternante conceptu hinc illuc, inde huc: ſed omnia videt ſimul. " & l. 12. de Civit. c. 18. „ Quamvis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non tamen incomprehenſibilis eſt ei, cujus ſcientiæ non eſt numerus.

S. Ephrem Syrus cæteris adjungitur, Tractatu de Vita ſpiritali ſic ſcribit: „ Quod ſi ſubdole ab adverſario nolis in re aliqua ſupplantari, crede nihil te agere vel cogitare quod lateat Deum.

Tertio, *Ex ipſis Paganis Philoſophis & Poetis*.

Vetus Poeta apud Petavium de Deo uno l. 4. pag. 254. quaſi Chriſtiane cecinit:

Oculum ingentem formidemus, qui & ſub terram
Reſpicit; & maris magnum profundum, & quæcumque tegit
Mens hominum; nihil autem abſcindit tempus, ſed
Adſunt omnia Deo.

Plotinus Platonicus, velut Enn. 3. l. 2. c. 5. extollit Providentiam omnibus videntem & omnibus vigilantem. Aug. l. 10. de Civ. c. 14. ſic loquitur de eo. " De Providentia certe Plotinus Platonicus diſputat, eamque a ſummo „ Deo

„ Deo, cujus eſt intelligibilis, atque ineſ- „ fabilis pulchritudo, uſque ad hæc ter- „ rena, & ima pertingere floſculorum, „ atque foliorum pulchritudine compro- „ bat.

Thales apud Clem. Alex. l. 5. Strom. p. 434. ait: „ Interroganti cuidam, „ an quidpiam agens latere Deum ho- „ mo poſſit, & quomodo, inquit, qui „ ne cogitans quidem?" Idem Ægyptii apud eundem Clementem ibid. p. 413. „ Aures, inquit, oculoſque exquiſita ex „ materia fingentes, Diis conſecrare ſole- „ bant, in Templis appendentes: ut hoc „ ſignificarent, Deum omnia videre & „ audire.

Philo denique Judæus in l. in quo oſtendit Deum eſſe immutabilem p. 201. ſic loquitur: " Manifeſtum igitur eſt, & eo- „ rum quæ genita ſunt, ſatorem & fa- „ bricatorum artificem, & curatorem, „ eorumque in tutela ſua habet, neceſſa- „ rio ſcientem eſſe oportere. At vero Pa- „ ter ille, & artifex & curator revera eſt „ eorum quæ in cælo ſunt ac mundo. „ Fateantur igitur omnes Deum omnia videre; immo & debere videre: igitur Deus intelligit alia a ſe.

Quarto, *Ex ratione multiplici deducta ex D. Thoma 1. p. q. 14. & 1. cont. Gent. c. 49. 50. & ſeq.*

Prima ſic exponitur: Deus intelligit ſe, ergo cognoſcit omnia. Probatur conſequentia. Cum eſſentia divina ſit ens a ſe & plenum, continet omnium creaturarum pefectiones, igitur Deus ſe cognoſcendo cognoſcit omnia; quatenus videt omnia quæ in ſua relucent & continentur eſſentia.

Secunda, qui habet in ſe omnium rerum rationes, cognoſcit omnia alia a ſe: ſed Deus habet in ſe omninm rerum rationes, queæ nihil aliud ſunt quam eſſentia divina tali vel tali modo in infinitum participabilis, & hoc cognoſcit Deus ſe cognoſcendo, igitur & alia a ſe.

Tertia, qui cognoſcit cauſam, cognoſcit effectus: ſed Deus cognoſcit rerum omnium cauſas, ſuam ſcilicet virtutem & omnipotentiam, a quibus cuncta procedunt; ſcit enim quid poteſt facere, & quomodo poteſt facere; alias ageret caſualiter & cæco modo: igitur cognoſcit alia a ſe, immo & ſingularia; quia eſt cauſa rerum & ſecundum rationes genericas atque communes, & ſecundum ſpecificas, & ſecundum individuales, nam & materia & accidentia, immo & omnes rerum modi, ſive intrinſeci, ſive extrinſeci, ſunt ab ipſo; ſiquidem attingit omne ens: tum quia ſi quid Deum lateret, jam non eſſet cauſa illius quod ipſum lateret: omne enim agens intellectuale cognoſcit prius quidquid vult facere. Quis autem audebit dicere aliquid in creatura latere Deum, cum infernus ipſe & perditio coram Domino ſint?

Quarta, omnia ſunt Deo præſentia, juxta illud Act. 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus*: igitur Deus cuncta videt, cuncta cognoſcit & intuetur.

Quinta, Deus eſt rerum omnium gubernator, a quo & omnis ordo rerum in finem: igitur cuncta cognoſcit, alias non poſſet creaturas ad ſuos perducere fines, quandoquidem ordinatio eſt actus intellectus.

Sexta, Deus comprehendit omnia quæ ſubjecta ſunt ei, ideſt cognoſcit perfectiſſime, & ſecundum omnem cognoſcibilitatis quantitatem & menſuram, unde de Sapientia increata dicitur Sap. c. 8. v. 1. *Attingit omnia a fine ad finem fortiter: & diſponit omnia ſuaviter.* Sed omnis creatura, & quidquid in illa eſt, Deo ſubjicitur. Igitur Deus cognoſcit creaturas omnes & poſſibiles, & præteritas, & præſentes, & futuras, immo & omnia quæ in eis ſunt.

Septima, tanto major & extenſior cenſetur cognitio, quanto fortior & efficacior eſt vis intellectiva; ſed virtus intellectiva Dei eſt infinita, ſed eadem virtus omnipotens eſt rerum prorſus omnium factiva, juxta illud Pſal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*: igitur Deus unico & ſimplici intuitu alia a ſe perfecte cognoſcit.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES. Hieronymus in primum caput Habacuc dicit: „ Abſurdum eſſe „ ad hoc deducere Dei Majeſtatem, ut „ ſciat per momenta ſingula, quot naſ- „ cantur culices; quotve moriantur; „ quæ

Digitized by Google

„ quæ cimicum & pulicum, & muſca„ rum ſit in terra multitudo; quanti piſ„ ces in aqua natent, & qui de minori„ bus majorum prædæ cedere debeant:„ ergo ex Hieronymo Deus non ſcit omnia, quinimmo abſurdum eſt dicere eum attendere ad viliſſima.

Reſpondeo contrarium ex probationibus ſupra allatis patere: Unde dicendum eſt Hieronymum ſolummodo velle Theologum prudentem non debere, vel minutiſſimarum proferre exempla creaturarum, quas ipſe auditor parvi facit, ad probandam tum Providentiam, tum Dei omnipræſentiam; ne ex vili opere, homini alias corrupto & terreno vileſcat ipſe artifex. Quod autem hic ſit genuinus Hieronymi & ſenſus & ſcopus, colligitur ex his quæ initio Comment. in Jeremiam dicit. Ibi enim docet Deum cuncta ſic cognoſcere, ut etiam ea quæ futura ſunt veluti jam facta in æternitate intueatur. *Cui*, inquit, *nec dum facta, jam facta ſunt: ſecundum illud quod Apoſtolus loquitur: qui vocat ea quæ non erant, quaſi ea, quæ eſſent?*

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Deus non videt viliſſima nec ad ea attendit Providentia ſpeciali ſicut ad creaturas ſpirituales, quæ ad finem nobiliorem, ſcilicet ſupernaturalem, per gratiam ordinantur, concedo: Providentia generali & communi, nego: & ſic redditur ſenſus Hieronymi.

Oppones 2. Auguſtinus l. 83. qq. q. quæſt. 46. dicit: *Non enim extra ſe quidquam poſitum Deus intuetur*. Ergo ex Aug. Deus non videt alia a ſe, ſed ea ſolum quæ ſunt in ſe. Confirmatur 1. quia Deus non accipit ſpeciem ab objectis creatis, alias ab ipſis penderet ipſius ſcientia, & tamen ſcientia comparatur per ſpecies acceptas a creaturis. 2. Quia objectum intellectus eſt perfectio intelligentis, nulla autem creatura poteſt eſſe perfectio Dei. 3. Quia de facto ſcientia Dei a creaturis dependeret; ſiquidem ſcientia ſpecificatur ab objecto.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus non intuetur quidquam extra ſe, in ſpecie illius propria & creata, concedo: in eſſentia ſua, nego. Senſus Aug. eſt Deum non accipere ſpeciem & ſcientiam a rebus ſicut nos, quia ipſius ſcientia eſt cauſa rerum: ſed omnia in ſe ipſo videre & intueri. Solutio eſt D. Th. hic, q. 14. art. 5. " Ad primum ergo dicen„ dum, quod verbum Aug. dicentis quod „ Deus nihil extra ſe intuetur, non eſt „ ſic intelligendum, quaſi nihil quod ſit „ extra ſe intueatur: ſed quia id quod „ eſt extra ſeipſum, nonniſi in ſe ipſo „ intuetur. " Et ad ſecundum ſic con„ cludit: „ Unde non ſequitur, quod „ aliquid aliud ſit perfectio divini intel„ lectus quam ipſa eſſentia Dei. „ Et ſic patet ſolutio ad primam & ſecundam probationem: itaque

Reſpondeo ad tertiam diſtinguendo. Scientia ſpecificatur ab objecto primario, concedo: ab objecto ſecundario, nego. Porro creaturæ ſunt ſolummodo objectum ſcientiæ Dei ſecundarium; unde nec ab eis ſpecificatur, nec ab eis dependet. Ita D. Th. ibidem art. 5. ad 3. " Ad „ tertium, inquit, dicendum quod ip„ ſum intelligere non ſpecificatur per id, „ quod in alio intelligitur, ſed per prin„ cipale intellectum, in quo alia intel„ liguntur...... unde non oportet quod ip„ ſum intelligere divinum, vel potius „ ipſe Deus, ſpecificetur per aliud quam „ per eſſentiam divinam.

Inſtabis: atqui ſi Deus cognoſcit alia a ſe, videtur quod ipſius ſcientia dependeat a creatis, & probatur. Si ſcientia divina ſe extendit ad creata, deſtructis creaturis, ſcientia deſtruetur; ſublato enim objecto, perit ſcientia: igitur ſcientia Dei dependebit a creaturis, ſi illas tanquam objectum reſpiciat.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo, deſtructis creaturis ſcientia Dei deſtrueretur, ſi creaturæ eſſent objectum ſcientiæ divinæ primarium, concedo; ſi ſolummodo ſecundarium, nego. Dictum eſt autem eſſentiam divinam eſſe objectum primarium ſcientiæ Dei, & in illa Deum ut in medio alia a ſe cognoſcere: cum igitur ipſe ſit immutabilis, utique eſt & ſcientia indelebilis.

Rurſus inſtabis, in cauſa univerſali cognoſcitur res ſolum in communi & ſecundum rationes generales: ſed Deus cognoſcit alia a ſe in ſua eſſentia ut in cauſa univerſali: igitur ſolum imperfecte, & non ſcientifice, ea cognoſcit. Confirmatur: cognitio perfecta habetur per propriam rationem: ſed omnes rerum

rationes non poſſunt ſimul eſſe in eadem cauſa univerſali : ergo, &c. 3. Creatura non cognoſcit naturaliter quæ ſunt in Deo propter infinitam diſtantiam : ſed Deus tam diſtat a creatura, quam ipſa ab illo : ergo a pari non coguoſcit quæ ſunt in creatura.

Reſpondeo diſtinguendo. In cauſa univerſali creata non cognoſcitur res perfecte, concedo : in cauſa increata, nego. Creatura eſt ſolum univerſalis per abſtractionem a materia, & mutuando ſpecies objectorum a rebus, ſic intellectus noſter eſt univerſalis, & hoc per defectum virtutis : e contra vero Deus eſt univerſalis per plenitudinem, quia virtus divina eſt cauſa rerum ſecundum omnes rationes, etiam ſpecificas & individuales ; unde non eſt ſimilis ratio, inquit D. Th. hic art. 6. ad 1. " Sic igitur dicendum eſt,
,, quod Deus non ſolum cognoſcit res eſ-
,, ſe in ſeipſo, ſed per id quod in ſeipſo
,, continet res, cognoſcit eas in propria
,, natura : & tanto perfectius, quanto
,, perfectius eſt unumquodque in ipſo.

Ad confirmationem ſimiliter diſtinguo, rationes rerum non poſſunt ſimul inveniri in cauſa univerſali creata, concedo ; quia eſt limitata & ſolum univerſalis per abſtractionem, unde non poteſt ſua virtute omnia adæquare. In cauſa increata & infinite perfecta, nego. Enimvero non ſolum ſuo ambitu omnium entium creatorum perfectiones continet, ſed in immenſum excedit. Ita Div. Thom. ibidem ad 3. his verbis : " Dicendum quod idem
,, non poteſt accipi ut ratio diverſorum
,, per modum adæquationis, ſed eſſentia
,, divina eſt aliquid excedens omnes crea-
,, turas ; unde poteſt accipi ut propria ra-
,, tio uuiuſcujuſque ſecuudum quod diver-
,, ſimode eſt participabilis, vel imitabilis a diverſis creaturis. " Et ſic patet ſolutio ad tertium ; creatura enim comparatur ad Deum ut actus imperfectus, inquit D. Th. ibidem ad 2. ſed Deus, & perfectiſſimus, & omnium cauſa eſt ; unde videt quæ ſunt in creatura, ſed non e converſo creatura videt quæ ſunt in Deo, niſi gratia adjuvetur.

Objicies 2. Intellectus divinus non cognoſcit ſingularia & probatur. 1. Intellectus hominis illa propter eorum in materia immerſionem non cognoſcit, & propter hanc rationem res a materia abſtractas ſolummodo contemplatur ; ſed intellectus divinus magis eſt a materia ſemotus quam intellectus humanus : Igitur ſi ille non cognoſcit ſingularia, neque cognoſcet ille, videlicet divinus. 2. Deus cognoſcit ſolum res in ſe : ſed res in Deo non ſunt ſingulares, in eo quippe ſunt abſque materia : igitur Deus non cognoſcit ſingularia.

Reſpondeo negando antecedens : Ad probationem nego paritatem : dictum eſt ſupra intellectum humanum intelligere ſingularia ſolum per abſtractionem, & in eo duntaxat ſenſu univerſalem eſſe, ſed intellectus divinus ea cognoſcit in ſua eſſentia, non mutuando ſpecies ab objectis ; quia veto univerſalis eſt per plenitudinem, ipſius immaterialitas non impedit ejus de ſingularibus ſcientiam. Reſponſio 1. eſt D. Th. hic art. 11. ad 1. his verbis. " Dicendum quod intellectus noſter
,, ſpeciem intelligibilem abſtrahit a prin-
,, cipiis individuantibus. Unde ſpecies
,, intelligibilis noſtri intellectus, non po-
,, teſt eſſe ſimilitudo principiorum indi-
,, vidualium. Et propter hoc intellectus
,, noſter ſingularia non coguoſcit : ſed
,, ſpecies intelligibilis divini intellectus,
,, quæ eſt Dei eſſentia, non eſt imma-
,, terialis per abſtractionem, ſed per ſe
,, ipſam principium exiſtens omnium prin-
,, cipiorum quæ intrant compoſitionem
,, rei, ſive ſint principia ſpeciei, ſive
,, principia individui. Unde per eam Deus
,, cognoſcit non ſolum univerſalia, ſed
,, etiam ſingularia.

Reſpondeo ad ſecundum diſtinguendo minorem : res in Deo non ſunt ſingulares per immerſionem in materia, concedo : per virtutem in qua continentur, nego : virtus divina præhabet omnium rerum rationes, & ſe extendit ad eas : res igitur, immo & ipſa materia non quidem ut eſt potentia, ſed ut eſt ens, ſunt in Deo per quandam ſimilitudinem, quatenus ſcilicet ſunt divinæ eſſentiæ participationes ; unde Deus ſuam cognoſcendo eſſentiam infinitis modis participabilem, cognoſcit etiam omnia individua ; quandoquidem ſingularia ut ſingularia ſunt perfectiones a Deo emanatæ. Solutio eſt D. Thom. ibidem art. 11. ad 2. " Quamvis ſpecies
,, intellectus divini ſecundum eſſe ſuum,
,, non habeat conditiones materiales, ſi-
,, cut ſpecies receptæ in imaginatione &
,, ſen-

Digitized by Google

,, ſenſu : tamen virtute ſe extendit ad ,, immaterialia & materialia . ,, & ad 3. “ Materia licet recedat a Dei ſimili- ,, tudine ſecundum ſuam potentialitatem, ,, tamen in quantum vel ſic eſſe habet , ,, ſimilitudinem quandam retinet divini ,, eſſe .

Inſurges 4. Videtur quod Deus non cognoſcat omnes continui partes : ergo non cognoſcit omnia : probatur antecedens : partes continui ſunt infinitæ , ſed infinitum eſt ignotum , ergo , &c.

Reſpondeo negando antecedens , ad probationem diſtinguo minorem cum D. Thoma hic q. 14. art. 12. infinitum quantitativum , de quo controverſia movetur , eſt ignotum per numerationem , concedo : per comprehenſionem , nego . Duplicis generis ſunt partes in continuo , aliæ aliquotæ & a continuo ſeparabiles, & ſunt veluti metaphyſicæ , quia ſunt ipſæ partes aliquotæ quæ concipiuntur in infinitum diviſibiles . Exhauritur quidem continuum numeratis partibus aliquotis ; devenitur quippe ad unam quæ non eſt ulterior diviſibilis phyſice : aliquotas etiam numerando , minime vero ſecundum partes aliquantas , utpote a continuo propter quantitatis tenuitatem inſeparabiles , ſed a Deo cognoſcuntur , & ſecundum eſſentiam , & ſecundum partes aliquotas in quibus continentur , quia comprehendit totum . Sic , inquit D. Thomas , ſi darentur infiniti numero homines , contineretur ille numerus intra aliquam eſſentiam , unde cognita eſſentia , utique & cognoſceretur .

Reſpondeo ſecundo aliter diſtinguendo minorem , infinitum eſt ignotum creaturæ propter ſuam limitationem , concedo : eſt ignotum Deo , nego . Cum enim Deus ſit infinitus , non eſt inconveniens , quod cognoſcat infinitum ſecundum omnes rationes quibus cognoſci poteſt , nec ſequitur partes continui non eſſe in infinitum diviſibiles , ſiquidem Deus adæquat ſua cognitione id totum quod eſt , & poteſt eſſe in ſua creatura , nec utique ſequitur infinitum eſſe impertranſibile , quia non fit finitum dum cognoſcitur ab intellectu infinito ; eſt enim impertranſibile reſpectu ſolius creaturæ .

Diluuntur Objectiones ex aliis principiis § petita .

OBJIGIES . Deus habet ſolum ſcientiam entium ; ergo non cognoſcit negationes & conſequenter omnia : enimvero negationes non ſunt entia ,

Reſpondeo . Diſtinguendo antecedens , habet ſcientiam entium quæ ſunt talia vel mediate vel immediate , concedo : eorum ſolum quæ ſunt talia immediate , nego . Negationes non ſunt quidem in ſe entia , aliquam tamen habent veritatem in entibus , quorum negationes ſunt . Sic Deus cognoſcens intellectum pueri , cognoſcit omnes ſcientias quas ille homo poteſt habere : & in hoc ſenſu intelligi debent Patres quum dicunt Deum ſolum entia cognoſcere , Ideſt immediate : cognoſcendo enim potentiam cujuslibet creaturæ , in illa cognoſcit etiam negationes . Solutio eſt D. Th. hic q. 14. art. 9. ad 1. his verbis : “ Dicendum quod ſecun- ,, dum quod ſunt in potentia , ſic habent ,, veritatem ea quæ non ſunt actu , ve- ,, rum eſt enim ea eſſe in potentia : & ,, ſic ſciuntur a Deo .

Inſtabis . Deus cognoſcit res in ſeipſo , ſed nullæ ſunt in Deo negationes , igitur illas non cognoſcit . 2. Debet eſſe ſimilitudo & proportio inter ſcitum & ſcientem : ſed non eſt proportio inter ſcitum & ſcientem : ſed non eſt proportio inter Deum & negationem , ergo , &c. 3. Scientia Dei eſt cauſa ſcitorum ab ipſo , ſed non eſt cauſa negationis , quia non eſt ens : ergo , &c.

Reſpondeo diſtinguendo . Deus cognoſcit res poſitivas in ſeipſo , concedo : negativas , ſubdiſtinguo ; mediate , concedo ; immediate , nego . Immediate cognoſcit entia , videndo vero potentiam & capacitatem phyſicam quam habent ad multa , cognoſcit & intelligit : unde conceſſa minore diſtinguo pariter conſequens , Deus non cognoſcit negationes immediate , concedo : ſic enim non ſunt cognoſcibiles , quia ſunt entia ſolum in potentia ; mediate , nego . Non cognoſcit eas in ſe , ſed cognoſcit eſſe in alio .

Ad ſecundum diſtinguo pariter , debet eſſe proportio inter ſcitum poſitivum quod per ſe terminat ſcientiam , & inter ſcientem , concedo : inter ſcitum negati-

vum.

vum quod ſolum mediate cognoſcitur & in alio, nego.

Ad tertium diſtinguo ſimiliter, ſcientia Dei eſt cauſa ſcitorum poſitivorum, concedo: ſolum enim ens poſitivum habet cauſam efficientem: ſcitorum negativorum, nego.

Inſtabis iterum. Saltem Deus non cognoſcit peccata: & probatur 1. Abacuc. c. 1. 13. habetur: *Mundi ſunt oculi tui ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. 2. Peccata ſunt privationes: ſed privatio non eſt viſibilis & cognoſcibilis: ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguendo: non cognoſcit peccata per ideam propriam, quia illa carent, non cognoſcit ſcientia approbationis, ut dicit Aug. vel quia illa diſſimulat, ait Ambr. vel quia tandem illa non operatur, inquit Epiphanius, concedo: non cognoſcit, ideſt non ſcit quid eſt peccatum, ſubdiſtinguo; immediate, concedo: mediate, & ratione formæ, ſcilicet gratiæ ſanctificantis, cui opponitur, nego. Attendas velim, benevole Lector, Deum cognoſcere peccatum in triplici medio: primo quidem in decreto permiſſivo, quo hominem in manu conſilii ſui relinquere complacuit: 2. In forma, cui opponitur, nimirum in gratia. 3. in actu Phyſico, qui quidem concipitur tanquam materiale peccati, ut motio manus v. g. quæ de ſe eſt indifferens ad bonum vel malum operandum: profecto in iſta motione cognoſcit Deus peccatum, quatenus præſcit peccatorem eam ad peccandum detorquere: videt ſuo prorſus abuti concurſu, de quo per Prophetam plurimum conqueritur, dicens impiis: *ſervire me feciſti in peccatis tuis*. Videt peccati deformitatem in actu phyſice ſumpto, quia privatio juſtitiæ reſultet ad actum mala intentione ad prava obliquatum.

Urgebis. Quod cognoſcitur, per propriam dignoſcitur ſpeciem & ſimilitudinem: alias, ſi per alienam, jam cognitio imperfecta eſt & ſubobſcura: atqui neque peccatum propriam habet ſimilitudinem, quandoquidem eſt juſtitiæ & rectitudinis privatio: neque cognitio Dei imperfecta dici poteſt: igitur Deus non cognoſcit peccatum.

Reſpondeo, diſtinguendo majorem: ſi quod cognoſcitur habeat ſimilitudinem, concedo: ſi non habeat, ut de facto peccatum non habet, quia non eſt ens, nego. Ad aliud ſimiliter diſtinguo, cognoſcere aliquid per aliud eſt imperfectum, ſi illud ſit cognoſcibile per ſe, concedo: ſi non ſit, nego. Peccatum autem, utpote privatio, non eſt cognoſcibile per ſe, unde non eſt imperfectio illud cognoſcere per aliud. Hæc doctrina eſt Divi Thomæ hic art. 10. ad 1. *Deus igitur*, inquit, *non cognoſcit malum per privationem in ſe exiſtentem, ſed per bonum oppoſitum*.

Inſtabis adhuc. Peccatum non eſt Deo oppoſitum, quandoquidem eſſentia Dei non eſt corruptibilis, unde Aug. l. 12. de Civ. dicit Deum non habere contrarium: ergo non cognoſcit Deus peccatum etiam in bono oppoſito.

Reſpondeo, diſtinguendo: peccatum non eſt Deo oppoſitum immediate propter rationes allatas, concedo: mediate, nego. Opponitur enim effectibus bonitatis Dei, ſcilicet gratiæ ſignificanti, & quidem privative. Ita Divus Thomas ibidem art. 10. ad 2. " Scientia Dei, inquit, non „ eſt cauſa mali, ſed eſt cauſa boni in „ quo cognoſcitur. „ & ad 3. " Dicen„ dum quod licet malum non opponatur „ eſſentiæ divinæ, quæ non eſt per ma„ lum corruptibilis: opponitur tamen ef„ fectibus Dei, quos per eſſentiam ſuam „ cognoſcit, & eos cognoſcens, mala „ oppoſita cognoſcit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit alia a ſe.

PRIMO, Pſal. 138. habetur: *Tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua*. Unde Clemens Alex. l. 6. Strom. ait: *Deus omnia novit*.

Secundo, quia Deus eſt cauſa rerum omnium: igitur cuncta cognoſcit, eo enim ipſo quo eſt cauſa rerum, eas utique præcontinet; dictum eſt autem Deum videre quæ in ipſo ſunt.

Tertio, quia vis intellectiva Dei eſt infinita, & conſequenter ad omnia ſe extendit.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO, cum Hieronymus dicit Deum non

non attendere ad viliſſima , probare ſolum vult non dari ſpecialem pro rebus viliſſimis, ſed tantum pro creaturis ratione præditis Providentiam .

Secundo , rectè dicitur Deum nihil extra ſe videre, quia non accipit ſcientiam a rebus, ſed a ſe ipſo .

Tertio, quandoque Patres Deum cuncta non videre aſſerunt . At tunc loquuntur , vel de negationibus , vel de privationibus , quæ non immediate & in ſeipſis , ſed mediate tantum & in formis oppoſitis cognoſcuntur .

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ſcientia Dei ſit cauſa rerum .

SCIENTIA Dei duo dicit & importat , unum ex parte intellectus , alterum ex parte voluntatis : ex parte quidem intellectus dicit ideam, quia omne agens directè agit , alias cæco modo operaretur : ex parte vero voluntatis decretum , quia agens debet determinare ideam ad aliquid , & hoc fit per voluntatis placitum : igitur ſcientia Dei connotat intellectum & voluntatem . Obſervandum eſt utique ſcientiam Dei poſſe concipi eſſe rerum cauſam dupliciter ; primo quidem directive , ſic idea dicitur cauſa artefacti : deinde efficienter & per realem influxum eo prope modo quo ſemen eſt cauſa arboris . Status controverſiæ eſt de iſta ſecunda cauſalitate, pro cujus reſolutione ſit

C O N C L U S I O.

Scientia Dei adjuncta voluntate eſt cauſa realis & vera rerum .

Probatur ex Scriptura ſacra .

1. GENESEOS 1. habetur : *Fiat lux , & facta eſt lux* . Sed illud verbum eſt actus intellectus ; eſt enim actus imperii promanans primo quidem ab intellectu , qui ſuum dirigit conceptum ad aliquid ; deinde a voluntate : Deus enim tale reſpiciens objectum , ſcilicet lucem , ad hoc ſe determinat , ut fiat lux , & eodem modo facta eſt lux . Igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum .

2. Pſal. 135. dicitur : *Qui fecit cœlos in intellectu* , ergo intellectus Dei eſt cauſa quæ fecit cœlos : igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum .

3. Joannis 1. legitur : *In principio erat Verbum . . . . omnia per ipſum facta ſunt* . Sed Verbum eſt intellectio Dei & ipſius conceptus : ergo ſcientia Dei eſt cauſa rerum .

Probatur ex ſanctis Patribus .

DIONYSIUS de Divinis nominibus c. 7. ſic loquitur : „ Divina mens omnia continet antecellente omnibus cognitione ; ratione illa qua eſt cauſſa omnium ; etenim ſemetipſa , quæ cauſſa eſt , omnium cognoſcens , non utique quæ a ſe profecta ſunt , & quorum cauſſa eſt, ignorare poterit . Ad hunc itaque modum Deus ea quæ ſunt cognoſcit , non eorum ſcientia , ſed ſuimetipſius .

Maximus interpres Dionyſii in ſcholiis ad cap. 5. l. de divin. nomin. ait : “ Eatenus intelligit entia , ſcilicet Deus , quatenus ſeipſum intelligit , & cum quæ inſunt , injungitur . Ipſa enim ejus notio eorum , quæ ſunt , eſt productio .

Ambroſius lib. 1. Hexaem. c. 2. Deum eſſe omnium rerum cauſam propugnat adverſus eos qui putabant mundum coaluiſſe ex atomis materiæ . „ Quod viſibilium atque inviſibilium ſubſtantias , origines , & cauſas rerum mens ſola divina contineat .

Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 10. aſtipulatur . “ Ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipſam ſcilicet ſapientiam & artem , & ideo cum decedant , & ſuccedant tempora , non decedit aliquid vel ſuccedit ſcientiæ Dei . “ Rurſus l. 15. de Trinit. c. 13. „ Univerſas creaturas ſuas & ſpiritales & corporales , non quia ſunt , ideo novit ; ſed ideo ſunt quia novit . Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus, nec aliter ea ſcivit creata , quam creanda . Non enim ejus ſapientiæ aliquid acceſſit ex eis , ſed illis exiſtentibus ſicut oportebat , & quando oportebat , illa manſit ut erat .

Gregorius l. 20. Mor. c. 23. ſuccinit . „ Nam , & quæ ſunt non ab æternitate ejus, ideo videntur quia ſunt, ſed ideo ſunt quia videntur .

An-

Digitized by Google

Anſelmus in Monol. c. 10. hanc ſtatuit differentiam inter ſcientiam artificis & ſcientiam Dei, quod artifex non inveniat materiam in ſua ſcientia ad aliquid faciendum: Deus vero in ſua habeat omnes perfectiones quibus creaturam producere valet. „ Multam tamen, inquit, in hac „ ſimilitudine intueor diſſimilitudinem. „ Illa namque, ſcilicet ſcientia Dei, „ nihil omnino aliunde aſſumpſit, unde „ vel eorum quæ factura erat, formam in „ ſe ipſa compingeret, vel ea ipſa id „ quod ſunt perficeret. “ Igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum, cum ex Patribus omnium rerum contineat rationes, cum omnium rerum præcontineat realitates & perfectiones, ipſaſque cuilibet gratis elargiatur, cum res ideo ſint quia novit: certe, ſi ea ſolum præcognoſceret ſcientia mere ſpeculativa, non ideo eſſent quia novit: ſiquidem particula, *ideo*, denotat cauſalitatem ſecundum eſſe & exiſtere.

Divus Thomas hic qu. 14. art. 8. Ex profeſſo docet ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum adjuncta voluntate: „ Manifeſtum „ eſt, inquit, quod Deus per intellectum „ ſuum cauſat res, cum ſuum eſſe ſit „ ſuum intelligere, unde neceſſe eſt „ quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſe„ cundum quod habet voluntatem con„ junctam.

Probatur ratione, eaque multiplici.

PRIMA ſic exponitur: Deus eſt cauſa rerum: ſed intelligere, teſte Div. Thoma, eſt de ſubſtantia Dei, igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum, maxime ſi intellectui adjungatur voluntatis placitum.

Secundo, agens naturale, illudque mere materiale eſt ſui effectus cauſa per formam & virtutem ſibi innatam, ſic ignis eſt cauſa ignitionis per calorem, agens vero ſpiritale per formam, quæ ſuo ineſt intellectui; non enim alia cauſalitas puro ſpiritui tribui poteſt quam per intellectum a voluntate determinatum ad opus, unde Patres paſſim docent rationes rerum in Deo præexiſtere, igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum adjuncta voluntate; quis enim Deo virtutem realem, eamque phyſicam ad producendum creaturas negabit? illam autem in intellectu reſidere nemo diffitebitur; quandoquidem purus ſpiritus agit & operatur ſolummodo per intellectum. Hanc explanat rationem D. Thomas hic art. 8. dicens ſcientiam Dei eodem prope modo eſſe rerum cauſam, ſicut calor eſt cauſa ignitionis: atqui calor eſt cauſa phyſica, igitur & ſcientia Dei.

Tertia ſic ſe habet: ſcientia Dei non eſt mere ſpeculativa, non ſterilis, non infœcunda, qualis ſcientia vel Angelorum, vel hominum, quia quælibet creatura quantumvis perfecta, a ſua tamen ſcientia prorſus diſtinguitur, quandoquidem ſupponit ſemper, & nullo modo facit objecta: & vere artifex, neque ligna neque lapides creat, verum potius ſupponit producta cum conſtruendam concipit domum: non ſic profecto Deus, eo enim ipſo quo aliquid ad extra facere intendit & rem ipſam, & media præhabet in ſua virtute, juxta illud Joan. 1. *Omnia in ipſo vita erant*. *Ipſe dixit*, inquit Propheta, *& facta ſunt*: hinc ipſius intellectus non ſupponit ſuæ ſcientiæ objectum, ſed illud concipiendo adjuncta voluntate operatur: igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum.

Quarta, eaque validiſſima eſt. Cuncta fecit Deus per ſuæ vocis imperium; ſic enim Geneſeos 1. ſcriptum eſt: *Fiat lux, & facta eſt lux*. Sed imperium eſt actus intellectus adjuncta voluntate, quandoquidem eſt ordinatio efficax & practica ad aſſequendum mediorum finem præconceptum: ergo ſcientia Dei adjuncta voluntate eſt cauſa rerum.

Quinta denique, Deus formaliter & reduplicative ut verus, eſt cauſa rerum, cum ens & verum, teſte D. Thoma, convertantur: ſed veritas in intellectu reſidet, eatenus quippe Deus eſt verus, quatenus eſt intellectivus. Igitur ſcientia eſt cauſa rerum.

Fit ſatis Objectionibus.

OBJICIES 1. Origenes in cap. 8. Epiſt. ad Rom. ſic loquitur: “ Non propterea „ aliquid erit, quia id ſcit Deus futu„ rum: ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur „ a Deo antequam fiat. „ Idem dicit Ju„ ſtinus Martyr. l. 99. q. 58. igitur ſcientia Dei non eſt cauſa rerum, ſiquidem res ſuot independentur a cognitione Dei ut a cauſa. Siquidem ipſi ſupponuntur.

Reſpondeo diſtinguendo, & loquitur Ori-

genes

genes de peccato quod non eſt a Deo, cum non habeat cauſam efficientem, ſed deficientem, concedo: & loquitur de bono, nego. Ad ſecundam partem propoſitionis, *ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur a Deo*, diſtinguo, ideo ſcitur illative, concedo; ex hoc enim quod res futura ſit, inferimus a Deo cognoſci: ideo ſcitur cauſaliter, nego. Omne enim ens creatum a ſcientia Dei procedit.

Div. Thomas hic art. 8. ad 1. in hoc prorſus ſenſu explicat Origenem. " Di„ cendum, quod Origenes locutus eſt at„ tendens rationem ſcientiæ, cui non „ competit ratio cauſalitatis, niſi adjun„ cta voluntate, ut dictum eſt. Sed quod „ dicit, ideo præſcire Deum aliqua, „ quia ſunt futura: intelligendum eſt ſe„ cundum cauſam præſcientiæ, non ſe„ cundum cauſam eſſendi. Sequitur enim, „ ſi aliqua ſunt futura, quod Deus ea „ præſcierit: non tamen res futuræ ſunt „ cauſa quod Deus ſciat. „ Et ſic patet ſolutio ad Juſtinum.

Inſtabis. Ideo res futuræ ſunt, quia novit Deus, eo quod alias ſequeretur ſcientiam Dei ſpecificari a rebus creatis, a quibus conſequenter ſicut noſtra dependeret: ſed hæc ratio nulla eſt: & probatur. Deus cognoſcit peccata futura, & tamen ſcientia Dei non ſpecificatur ab eis. Ergo, &c.

Reſpondeo negando paritatem; cum enim peccata non habeant cauſam efficientem, ſed deficientem, non ideo ſunt quia novit Deus, ſiquidem ab ipſo non cauſantur, unde ſcientia Dei non ſpecificatur ab eis; ſecus ſi non eſſet cauſa entium poſitivorum, tunc enim ab eis acciperet ſcientiam.

Dices. Ergo Deus accipit ſcientiam a peccatis, cum enim non ſint a Deo, ideo novit Deus quia ſunt, etiam in ſenſu cauſali.

Reſpondeo, diſtinguendo, ideo novit peccata quia ſunt, ſi ſint cognoſcibilia per ſe, concedo: ſi per aliud, nego. Dictum eſt ſupra cum Div. Thom. peccatum cognoſci in bono oppoſito, igitur illud cognoſcit Deus in bono cujus eſt ipſe cauſa, v. g. cognoſcit peccatum in gratia ſanctificante cujus eſt privatio. Videt actum peccaminoſum expellere gratiam. Igitur non eſt verum dicere, ideo Deus cognoſcit peccatum, quia futurum eſt. Cum enim peccatum non ſit ens, ſed privatio, non habet cauſam illationis per modum cauſæ.

Urgebis. Div. Thomas ſæpius aſſerit ſcientiam Dei eodem prope modo eſſe cauſam rerum, ſicut ſcientia artificis eſt cauſa artefacti: atqui ſcientia artificis eſt ſolum cauſa directiva, non effectiva artefacti: ergo hoc ipſum paſſim SS. Patres prædicant.

Reſpondeo diſtinguendo. Scientia Dei inadæquate ſumpta eſt cauſa rerum tanquam ſcientia artificis eſt cauſa artefacti, tranſeat; non enim Deus ſicut artifex accipit ideas a creaturis, ſed potius illas mutuatur a ſola ſua eſſentia, quatenus eſt infinite participabilis: adæquate ſumpta, nego. Scientia Dei plura dicit atque importat. Dicit & ideas & intellectum & voluntatem, ad ſummum hæc omnia connotat & complectitur. Igitur ſi intellectus concipiatur adjunctis tantummodo ideis, ſcientia ſub iſto reſpectu dicitur ſolum directiva: verum ſi adæquate & cum ipſa ſpectetur voluntate, prorſus eſt effectiva rerum: voluntas enim ſe habet reſpectu divini intellectus veluti brachium & manus ſe habent reſpectu artificis: enimvero, & executioni mandat opus, & dat eſſe rebus, ſeu potius intellectus adjuncta voluntate idipſum operatur per actum imperii.

Ad confirmationem, dico Patres in his & ſimilibus momentis loqui de ſcientia Dei inadæquate ſumpta, ſub iſto quippe reſpectu eſt cauſa operis ſolummodo directiva. Verum de eadem adæquate ſpectata inſtituunt ſermonem, cum iſtam Scripturæ proferunt ſententiam: *Omnia quæcumque voluit, fecit Deus in cælo & in terra*. Cum docent cognitionem ſeu intellectionem Dei eſſe rerum effectricem: cum aſſerunt res ideo eſſe, quia novit eas Dominus.

Oppones 3. Non dantur ejuſdem effectus plures cauſæ: ſed ars divina dicitur eſſe cauſa rerum: igitur non ſcientia.

Reſpondeo diſtinguendo: non dantur plures cauſæ, non ſubordinatæ, concedo: ſubordinatæ, nego. Deum omnia per ſe operari nemo doctus non novit; non enim eſt diſtinctio inter naturam divinam, intellectum, ſcientiam, artem & omnipotentiam: ſed quia eſſentia om-

omnium creaturarum præbabet in ſe & complectitur perfectiones, ideo intellectus creatus, qui hæc omnia unico non poteſt adæquare conceptu, diſtinguit: igitur alio actu concipit eſſentiam, alio intellectum, alio omnipotentiam, tametſi entitative unum ſint: intellectum quidem concipimus & diſtinguimus quatenus Deus cuncta cognoſcit: ſcientiam ut rerum omnium ſcrutatur rationes: artem, cum aliquid ordinat ad eſſe & producit: jam vero cum iſti omnes conceptus ſint ad invicem ſubordinati, maniſeſte ſequitur, & compertum habemus unicam conſtituere effectus alicujus cauſam totalem.

Objicies 4. Prius eſt rem exiſtere quam cognoſci: igitur ſcientia Dei non eſt cauſa rerum.

Reſpondeo diſtinguendo, prius eſt rem eſſe quam cognoſci a creaturis, concedo: quam cognoſci a Deo, nego. Scientia noſtra eſt mere ſpeculativa, quippe quæ ſuum ſupponat & non faciat objectum: ſed non ſic ſcientia Dei, eſt enim practica, unde apud eum non eſt prius decretum, deinde cognitio, verum potius ſimul ſunt, & conjunctim concipi exigunt: quinimmo, ipſa ſcientia veluti prior habetur & concipitur quam voluntatis placitum; quandoquidem prius concipimus Deum habere alicujus rei ideam, deinde illam contemplari, & poſtea determinatione voluntatis rem ordinare ad executionem, ſeu eam executioni mandare.

Inſtabis. Ergo decretum, non vero ſcientia, eſt cauſa rerum, cum decretum det & eſſe & exiſtere.

Reſpondeo diſtinguendo, decretum eſt cauſa rerum per intellectus operationem, concedo: ſecus, nego: intellectus concipit opus, decretum vero determinat ad eſſe; immo dat exiſtentiam.

Inſurges 5. Si ſcientia Dei eſſet cauſa rerum ſequeretur creaturas ſore ab æterno: & probatur. Poſita cauſa ponitur effectus: ſed cauſa, ſcilicet ſcientia Dei eſt ab æterno, ſicut & decretum, per quod opus ponitur a parte rei: igitur creaturæ ſorent ab æterno.

Reſpondeo, negando ſequelam. Ad probationem diſtinguo, poſita cauſa, ponitur effectus in tempore quo cauſa eſt determinata ad illum producendum, concedo: in alio, nego. Effectus ſequitur modum & determinationem cauſæ: licet autem ſcientia Dei ſit ab æterno, non eſt tamen a Deo determinatum creaturas eſſe ab æterno; ſed in tempore. Ita D. Thomas hic art. 8. ad 2. his verbis: „ Dicendum quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum ſecundum quod res ſunt in ſcientia. Non fuit autem in ſcientia Dei quod res eſſent ab æterno. Unde quamvis ſcientia Dei ſit æterna, non ſequitur tamen quod creaturæ ſint ab æterno.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Scientia Dei eſt cauſa rerum.

PRIMO, ſic habetur Pſal. 135. *Qui fecit cælos in intellectu*: aſtipulantur primorum ſæculorum Patres, qui paſſim Deum cuncta creaſſe per ſuam Sophiam prædicant.

Secundo, intelligere non eſt accidens in Deo, ſed ipſa Dei ſubſtantia: igitur intellectio ſeu ſcientia Dei eſt cauſa rerum efficiens.

Tertio, ſcientia Dei non eſt ſterilis, ſed practica, faciens quod ſignificat, juxta illud Gen. 1. *dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux*. Porro imperium in Deo eſt actus practicus intellectus divini.

Synopſis ſolutionum pro difficultatibus.

PRIMO. Patres non in uno loco negant ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum: ſed vel loquuntur de peccatis quæ cauſam deficientem habent: vel de cauſa adæquata, non enim ſcientia Dei eſt cauſa rerum in eo ſenſu quod cauſa ſecunda excludatur.

Secundo, non negamus illud axioma, prius eſt rem eſſe quam cognoſci, ſi ſermo ſit de cauſa ſecunda, nuſquam vero de prima.

Tertio, tametſi Deus cuncta cognoſcat ab æterno, non ſequitur res creatas utique eſſe ab æterno; Deus eas quidem ab omni ævo cognoſcit, ſed ut ſint in tempore.

DISSERTATIO SECUNDA
DE
MEDIO IN QUO DEUS COGNOSCIT
Poſſibilia & abſolute futura.

PECCATOR obcæcatus credit Deum abſconditа non cognoſcere, dicens ſaltem in corde ſuo: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, ut refertur Pſal. 93. 7. de quo ipſe Deus conqueritur dicens Pſalm. 49. 21. *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.*

Dogma fidei de ſcientia poſſibilium & abſolute futurorum quatuor modis explicatur & probatur.

PRIMO, quia Deus rerum omnium habet ideas.

Secundo, quia omnia illi ſunt præſentia in æternitate.

Tertio, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ attingit poſſibilia.

Quarto, quia ſcientia viſionis omnia abſolute futura intuetur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Deus cognoſcat omnes creaturas in ideis.

SENSUS quæſtionis eſt utrum dentur in Deo ideæ rerum; ſed antequam iſtud reſolvamus quæſitum, quædam prælibanda ſunt ad punctum hujuſce controverſiæ dirimendum, & ut ab aliquo difficultatis nodum ſpectante ſumamus exordium, operæ pretium eſt prius enucleare quid ſit idea. Communiter definitur forma extrinſeca objecta intellectui intra ipſum exiſtens, ad quam reſpiciens artifex operatur; quæ definitio legitima videtur cum conſtet genere & differentia: genere quidem, per hoc enim quod idea ſit forma, cæteris formis affinis eſt & cum eis convenit: per alias vero dotes diſcrepat. 1. Dicitur forma extrinſeca cui res producenda conformatur & ſic diſtinguitur a formis naturalibus, quæ ſuam habent cauſalitatem in compoſitione totius, cui ſe ſe communicant; non enim aliter anima rationalis v. g. conſtituit hominem quam corpori ſe præbendo, & conjungendo. 2. Vocatur forma nedum extrinſeca, ſed & intellectui objecta. Quibus ultimis particulis ſecernitur tum ab habitibus, tum a ſpeciebus quæ quidem ſunt formæ accidentales intellectui inhærentes, ſed per modum principii intellectionis, & non per modum objecti. Et vero, licet idea ſit ſpecies & conceptus cognoſcentis, tamen non ea ratione dicitur idea quatenus eſt principium vel terminus cognitionis, ſed potius quatenus reddit objectum expreſſe cognitum tanquam rationem exemplandi res ad extra. Hoc quippe proprium eſt rerum repræſentantium, quod non ſolum conſiderentur ſecundum ſuam entitatem, verum etiam in eis attendatur objectum depictum & repræſentatum: ſic in ſpeculo, non unum intuemur cryſtallum, ſed & objectum in cryſtallo expreſſum: igitur conceptus noſter non eſt idea præ-

ciſe

ciſe prout reddit hominem intelligentem, ſed potius ut exhibet objectum imitandum. Additur in definitione (intra intellectum exiſtens) ut Idea diſtinguatur ab exemplaribus externis, quibus non ſemel utuntur pictores dum aliquam elaborant tabellam : idea enim influit in opus intelligibiliter ; ex quo manifeſte ſequitur intra intellectum præexiſtere. Subditur tandem (ad quam reſpiciens artifex operatur) per hoc iterum diſtinguitur a forma naturali quæ quidem abſque ulla aut meditatione, aut reflexione ſuum producit effectum. Quis enim aſſeret belluam vel ipſum hominem aliquam formam imitandam conſpicere, ut eum generatione propaget & communicet?

Obſervandum eſt utique ideam pluraliter dici : cum enim ſit ratio rerum, totuplex eſſe cenſetur, quotuplex illa ratio : porro alia eſt ratio pro cœlis condendis, alia pro hominibus, alia pro arboribus, hæc enim omnia diverſas conſtituunt ſpecies. Non abs re erit illud etiam annotare ideas quandoque accipi a rebus, quandoque non ; illas artifex ſic accipit, nuſquam vero Deus, quia eſt omnia & a ſeipſo habet ut cuncta faciat. Jam quæritur utrum ſint in Deo ideæ, ſeu rationes ad quas attendens ſupremus artifex ſuas producat creaturas? Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO.

Dantur in Deo rerum omnium ideæ.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

SCRIPTUM eſt Exodi 25. 40. *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Sed ideæ teſte Dionyſio l. de div. nom. c. 5. nihil aliud ſunt quam exemplaria divina, & rationes quas Deus habet ab æterno de rebus : igitur dantur ideæ rerum in Deo.

Rurſus Joan. 1. habetur : *Quod factum in ipſo vita erat* ; quæ quidem verba explanans D. Auguſtinus tract. 1. in Joann. ait : *Quid eſt hoc, vita erat? facta eſt terra, ſed terra facta eſt, non eſt vita ; eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritaliter ratio quædam, qua terra facta eſt ;* ſed illa ratio eſt ideæ in Deo ab æterno præexiſtens : igitur dantur ideæ in quibus Deus cuncta prænovit.

Secundo, *Ex SS. Patribus & Doctoribus.*

Dionyſius lib. de div. nom. c. 7. ſic loquitur : " Divina mens omnia continet
,, ... ratione illa qua cauſſa eſt om-
,, nium. " ibidem c. 5. ,, Exemplaria
,, ſunt divinæ voluntatis determintivæ &
,, effectivæ rerum.

Accedit Auguſtinus l. 83. 44. q. 46. ait :
,, Tanta vis in ideis conſtituitur, ut niſi
,, his intellectis, ſapiens eſſe nemo poſ-
,, ſit. " Rurſus ibidem. ,, Namque ideæ
,, principales formæ quædam, vel ratio-
,, nes rerum ſtabiles atque incommutabi-
,, les : quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac
,, per hoc æternæ. " Et iterum l. 6. de
,, Trin. c. 10. ait : ,, Verbum Dei eſſe
,, artem quamdam omnipotentis atque ſa-
,, pientis Dei, plenam omnium rationum
,, viventium incommutabilium.

Totum hoc myſterium clarius explicat l. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas c. 8.
,, his verbis : " Unde illud quod ajunt in
,, ejus ſapientia jam fuiſſe facta omnia,
,, antequam in iſtas formas & modos pro-
,, prios proferrentur, atque in ſuis ordi-
,, nibus apparerent, non ſobrie dicitur.
,, Facta enim quando eſſent, antequam fa-
,, cta eſſent? Sed in Dei ſapientia omnium
,, faciendarum rerum rationes eſſe potue-
,, runt, non tamen factæ, omnia enim
,, per ipſum facta ſunt, & non ipſa facta
,, eſt, quia & ipſa eſt verbum, de qua
,, dicitur, omnia per ipſum facta ſunt.
,, Noverat ergo Deus omnia quæ fecit an-
,, tequam faceret.

Anſelmus Monol. c. 9. egregie illud explicat momentum. ,, Illa autem forma re-
,, rum, inquit, quæ in eius ratione res
,, creandas præcedebat, quid aliud eſt,
,, quam rerum quædam in ipſa ratione lo-
,, cutio, veluti cum faber facturus aliquid
,, ſuæ artis opus, prius illud intra ſe di-
,, cit mentis conceptione? ,,

D. Thomas q. 15. art. 1. ſic loquitur :
" Quia igitur mundus non eſt caſu fa-
,, ctus, ſed eſt factus a Deo per intelle-
,, ctum agente, ut infra patebit, neceſſe
,, eſt quod in mente divina ſit forma ad
,, cujus ſimilitudinem mundus eſt factus :
,, & in hoc conſiſtit ratio ideæ. " art. 2.
ſic

Digitized by Google

ſic proſequitur. „ Unaquæque autem creatura habet propriam ſpeciem, ſecundum quod participat aliquo modo divinæ eſſentiæ ſimilitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam ut ſic imitabilem a tali creatura, cognoſcit eam ut propriam rationem.

Ex ſanctis Doctoribus Deus præhabet in ſe rationes omnium quæ vult facere, ſed illæ rationes ſunt ipſa Dei eſſentia ut eſt diverſimode participabilis; igitur Deus ſe cognoſcendo cuncta cognoſcit in ideis.

Probatur 3. ratione ulteriori, eaque multiplici.

PRIMA eſt: Idea eſt forma ad quam reſpiciens agens liberum & ſpiritale operatur, non enim agit cæco modo, ſed propter finem aliquem, nempe propter effectum producendum: ſed talis eſt in Deo, attingit enim Deus omnia a fine ad finem fortiter, a fine quidem, ſcilicet ab idea quæ eſt principium operationis directivum: ad finem vero, quia omnia propter ſuam operatur gloriam: igitur dantur ideæ in quibus facienda prænoſcit Deus.

Secunda: Agens univerſale debet agendo determinari ad aliquem certum effectum: alias non eſſet ratio cur unum potius quam alterum produceret, cur produceret leonem, verbi gratia, potius quam hominem: ſed Deus eſt agens univerſale; idea vero eſt id quod determinat, quatenus Deus reſpiciens ad iſtam potius quam ad aliam, dirigitur ad talem effectum producendum: ergo dantur in Deo ideæ rerum in quibus facienda Deus intuetur.

Tertia hæc, duobus prioribus adjungitur. Deus eſt prima veritas & in eſſendo, quandoquidem eſt ens a ſe: & in cognoſcendo, quippe qui ſit ipſum intelligere actualiſſimum: quinimmo cætera ſunt vera ſolum per ordinem ad Deum. Igitur Deus rerum omnium habet ideas, in quibus cuncta videt & cognoſcit. Probatur conſequentia. Res in tantum ſunt veræ, in quantum ſunt primæ & ſupremæ veritati conformes: ſed illa veritas conſiſtit, teſte ſancto Auguſtino, in conformitate cum idea: ergo eo ipſo quo Deus eſt prima veritas, omnium habet ideas, in quibus cuncta cognoſcit.

Quarta, Deus eſt vita a qua, per quam & in qua vivunt quæcumque vivunt omnia, inquit Auguſtinus: atqui res in tantum vivunt in Deo, in quantum earum præconceptas habet ideas: cum enim in priori ante decretum, nondum ſint futuræ, non aliter quam per ideam poſſunt vivere in Deo: maxime quia vita Dei, teſte D. Thoma, in intelligere tota ſita eſt; hinc aliquid vivere in Deo, eſt ab eo cognoſci: &c.

Quinta & ultima ea eſt. Idea eſt ratio quædam participabilis: atqui omnis creatura participat de eſſentia divina, videlicet, alia de ejus claritate, ut ſol; alia de ejus firmitate & ſoliditate, ut terra: alia de ejus intelligentia, ut homo & Angelus: igitur dantur ideæ, in quibus Deus, veluti in repetito ſpeculo, omnia creata cognoſcit & contemplatur.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES 1. *Dionyſius* c. 7. de divinis nom. dicit Deum non cognoſcere res ſecundum ideam: igitur non dantur ideæ in Deo.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus non cognoſcit res ſecundum ideam æternam a ſe independentem & extrinſecus ſibi affixam, ut volebat Plato, concedo: ſecundum ideam ſibi intrinſecam, quæque ſit ipſa eſſentia divina ut participabilis, nego: ita D. Th. hic q. 15. art. 1. ad 1. his verbis: „ Ad primum ergo dicendum, quod Deus non intelligit res ſecundum ideam extra ſe exiſtentem. Et ſic etiam Ariſtoteles improbat opinionem Platonis de ideis, ſecundum quod ponebat eas per ſe exiſtentes non in intellectu.

Oppones 2. D. Anſelmus in Monolog. c. 29. ait: „ Satis manifeſtum eſt in verbo per quod facta ſunt omnia, ſimilitudines rerum, non eſſe. " Sed ideæ ſunt rerum ſimilitudines: ergo ex Anſelmo non ſunt in Deo.

Reſpondeo diſtinguendo, non ſunt in Deo ſimilitudines acceptæ a rebus externis & creatis, concedo: ſimilitudines ab ipſa eſſentia divina fluentes, nego: ideæ aliæ ſunt ab objectis acceptæ, ſic artifex ex viſione palatii format ideam domus: alia ab ipſa eſſentia divina, ut diverſimode participabili emanante. Ideæ

non ſunt primo modo in Deo, inquit D. Th. hic art. 1. ſi enim acciperet Deus aliquid a creatura, ab ipſa utique dependeret, ſed ſunt ſecundo modo. In iſto loquitur ſenſu Anſelmus, quod patet ex verbis quæ ſubdit: *Verbum non eſt ſimilitudo rerum, ſed res ſunt imitationes verbi*. Eandem ſolutionem repetit D. Thom. qu. 3. de verit. ad 1.

Opponet 3. Aug. l. 83. qq. q. 46. docet creaturas eſſe in mente divina eo proprie modo quo arca eſt in mente artificis: ſed hoc non poteſt intelligi in ſenſu proprio; alias Deus ſcientiam a rebus creatis acciperet, ſicut de facto eam ab eis ſuſcipit artifex; enimvero receptis ab objectis ſpeciebus format rerum ideas, unde & ab eis dependet ejus ſcientia, quæ quidem imperfectio a ſupremo numine prorſus eliminanda eſt.

Reſpondeo diſtinguendo. Et hæc paritas eſt ſecundum quid & inadæquata, concedo: & hæc paritas eſt omnimoda & adæquata, nego. Vult ſolum ſanctus Auguſtinus, ſicut artifex ideam habet de arca quam fabricare intendit, ita & Deum habere ideam de creatura quam vult producere; ſiquidem ſumma ſapientia & non caſu ſuum ad perfectionem dirigit opus: diſparitas vero in eo eſt, quod artifex ideam a rebus accipiat, Deus autem tantum a ſeipſo; quandoquidem, ex Auguſtino, Deus cuncta cognoſcit ſolummodo in ſua eſſentia, in qua rerum omnium præexiſtunt rationes.

Objicies 4. Deus non ſeipſum cognoſcit per ideam: ergo nec alia. Confirmatur: idea ponitur ut principium operandi: ſed ad hoc ſufficit eſſentia divina: igitur inutilis eſt idea ut ſit & cognitionis & operationis principium.

Reſpondeo negando paritatem: cum enim Deus non habeat cauſam, & idea ſit cauſa operis, conſequenter Deus de ſe non habet ideam, bene vero de aliis, quia eſt cauſa, & quidem intelligens, igitur quæ in conceptione effectum præhabere debet. Solutio eſt Divi Thomæ hic art. 1. ad 2. ubi ſic reſpondet: " Dicendum quod licet Deus per eſſentiam ſuam ſe & alia cognoſcat: tamen eſſentia ejus eſt principium operativum aliorum, non autem ſui ipſius: ideo habet rationem ideæ ſecundum quod ad alia comparatur: non autem ſecundum quod operatur ad ipſum Deum."

Ad confirmationem diſtinguo: ad hoc ſufficit eſſentia divina, ut forma exemplaris rerum, quas quidem connotat & a quibus eſt participabilis, concedo: ſufficit ſecundum ſe, ſeu ut operatur ad intra, nego. Solutio eſt ejuſdem D. Thomæ hic art. 1. ad 3. " Dicendum quod Deus ſecundum eſſentiam ſuam, eſt ſimilitudo omnium rerum, unde idea in Deo nihil aliud eſt quam Dei eſſentia.

Objicies 5. Idea continet formaliter ideatum; ſic idea domus, eſt imago formalis domus in mente artificis præexiſtens: ſed leo, v. g. non poteſt contineri formaliter in Deo; cum enim ſit animal irrationale, dicit imperfectionem, adeoque ejus conceptus non invenitur in Deo: 2. Nec in Deo eſt idea negationum. 3. Item nec peccatorum: igitur Deus non cognoſcit res in ideis.

Reſpondeo diſtinguendo: idea continet ideatum formaliter eminenter, concedo: formaliter tantum, ſubdiſtinguo: idea creata & a rebus accepta, concedo: divina, nego: continere formaliter effectum, eſt habere virtutem illum producendi, & ab illo nominari; continere formaliter eminenter, eſt habere virtutem alicujus effectus productivam; ſed ſemotis imperfectionibus, ita ut cauſa non ſuſcipiat denominationem, reique imperfectionem aliquam aut importet, aut ſapiat. Sic ſe habet virtus divina ad creaturas; cum enim omnium abſque limitatione præhabeat in ſe perfectiones, continet quoque omnem effectum creatum, nullus quippe eſt qui divinam in aliquo gradu non participet eſſentiam. Leo, verbi gratia, participat de ejus eſſe: habet utique aliquam cognitionem, ſed admodum imperfectam; quocirca non dicitur, Deus eſt leo: bene vero, Deus & leonis & omnium creaturarum complectitur perfectiones.

Ad ſecundum dico Deum non habere ideam immediatam de negationibus, ſed tantum mediatam, quatenus cognoſcit eas in formis oppoſitis: idem dicendum de peccatis, quandoquidem non ſunt per ſe cognoſcibilia. Item non habet ideam immediatam de materia prima, quia cum ſit pura potentia & quid incompletum, eam ſine non cognoſcit niſi in idea quam habet de toto compoſito. Denique non habet Deus ideam de rebus quæ neque ſunt, neque

erunt

Digitized by Google

erunt niſi in virtute, ſeu non habet ideam de eis, ut idea eſt exemplar; ſic enim dicit ordinem ad eſſe: ſed tantum ut idea eſt ratio, quia in Deo ſunt rationes rerum infinitarum pure poſſibilium, quas poſſet producere ſi vellet: igitur cognoſcit omnia entia futura in ideis ſuis immediate: mediate vero negationes & privationes, ſcilicet in formis oppoſitis quarum habet ideam. Cognoſcit mediate & in idea totius compoſiti materiam primam: cognoſcit omnia poſſibilia etiam in ideis ut ſignificant rationes rerum quæ ſunt infinitæ in ſua eſſentia, non tamen ut dicunt exemplaria. Ita D. Th. hic in toto articulo tertio.

Inſtabis. Licet ſol eminenter ſit calidus, attamen non habet ideam caloris: ergo licet Deus contineat eminenter creaturas, non ſequitur earum habere ideas & cognoſcere alia a ſe in ideis.

Reſpondeo negando paritatem: quia ſol eſt ſolum cauſa inadæquata & limitata ſublunarium, & ſe ſolo non producit calorem in corporibus ſublunaribus: at vero Deus licet cauſa univerſalis, eſt tamen cauſa adæquata prima; namque attingit in entibus omnes rationes quæ in eis diſtinguuntur. Secunda diſparitas ea eſt; ſol non eſt agens per intellectum ſicut Deus, unde non poteſt præhabere effectum ſecundum formam intellectualem, ſed ſolummodo ſecundum virtutem naturalem: ita colligitur ex Div. Thoma hic art. 1. ubi dicit agentia naturalia & inanimata ſuos continere effectus ſecundum formam naturalem: ſpiritualia vero ſecundum formam intelligibilem.

Iterum inſtabis: idea eſt ens rationis; eſt enim reſpectus Dei ad creaturas, quæ quidem relatio neque eſt quid reale in Deo, alias duo abſurda ſequerentur: primum fore quinque in Deo relationes, & plures quam tres perſonæ, quia illa relatio novam conſtitueret perſonam, nam perſonæ conſtituuntur per relationes: ſecundum vero, creaturam fore ab æterno, ſiquidem ille reſpectus realis foret in Deo ab æterno. Illa relatio ſeu reſpectus non eſt utique in creatura, quandoquidem non eſt ab æterno. Atqui ens rationis neque eſt in Deo, nec Deus illud poteſt facere, alias conciperet ad modum entis realis quod non eſt reale; hoc autem Deo, qui eſt prima veritas, repugnat: igitur omnibus æqua lance diſcuſſis, Deus non poteſt habere ideam rerum, illaſque in tali medio cognoſcere.

Reſpondeo diſtinguendo: idea creata & quæ accipitur ab obiectis, eſt ens rationis, concedo: viſis enim multis domibus, artifex format ideam de aliqua magnifica domo quam vult facere; idea divina, nego: eſt enim ipſa eſſentia divina ut diverſimode participabilis, quam certe ut ſic cognoſcit intellectus divinus, unde non facit & componit ens rationis, quia cognoſcit id quod eſt a parte rei.

Reſpondeo 2. Nulla ex hoc ſequi abſurda. Enimvero reſpectus eſt realis fundamentaliter, quia eſt ipſa eſſentia divina reduplicative ut communicabilis ad extra, & ideo non multiplicat perſonas, tum quia eadem eſt in omnibus, tum quia nihil per hoc opponi relative poteſt: in Deo ſiquidem opera ad extra omnibus perſonis ſunt communia. Nec ſequitur utique creaturam eſſe ab æterno, ſed ſolum eſſentiam divinam eſſe ab æterno participabilem. Quid plura? Dictum eſt Deum non cognoſcere creaturas ut ſint ab æterno, ſed in tempore. Cæterum quando producitur creatura, reſultat in ipſa relatio dependentiæ, & in Deo rationis a nobis formata, quæ tamen eatenus illum denominat realiter Creatorem, quatenus fundatur in actione reali creaturæ productiva. Sic ex unione Verbi cum humanitate reſultat relatio realis in humanitate producta & immutata, rationis vero tantum in Verbo, cum nihil accipiat, ſed totum det, & hoc ſine ſui immutatione.

Solutio eſt Divi Thomæ hic q. 15. art. 2. ad 3. „ Dicendum quod hujuſmodi reſ„ pectus quibus multiplicantur ideæ, non „ cauſantur a rebus, ſed ab intellectu di„ vino comparante eſſentiam ſuam ad „ res. " & ibidem ad 4. „ Dicendum, „ quod reſpectus multiplicantes ideas non „ ſunt in rebus creatis, ſed in Deo: „ non tamen ſunt reales reſpectus, ſicut „ illi quibus diſtinguuntur perſonæ, ſed „ reſpectus intellecti a Deo.

Adhuc inſtabis: ſi Deus cognoſcit alia a ſe in ideis, ſequitur plures eſſe in Deo ideas: atqui hoc repugnat: Probatur, 1. non poteſt dici quodnam ſit illarum ſubjectum. 2. Neque quod ſint eſſentiæ

divinæ; eſt enim una: 3. Neque multa attributa; nam eſt unica in Deo ſapientia, ars unica, item unicum Verbum divinum: igitur & unica idea.

Reſpondeo: eſſe plures ideas. Ita Dionyſius citatus & cæteri Patres, quas alii exemplaria divina, alii rationes rerum cum D. Thom. hic art. 2. appellant; cnm enim ejuſmodi ideæ ſint ipſa eſſentia divina, ut participabilis ad extra, & diverſimode a creaturis participetur, oportet quoque ut ſint & diverſæ & plures.

Ad primum: dico ideas divinas non habere in Deo ſubjectum, cum ſint ipſa eſſentia divina, ſed tantum in noſtro intellectu, qui concipit perfectiones divinas quaſi eſſent in ſe diſtinctæ: igitur ideæ in Deo ſunt ipſa eſſentia divina ut virtualiter multiplex, & ut in infinitum participabilis: non ſunt igitur actu plures in eſſentia, ſed ſolum fundamentaliter, in quantum eſſentia, propter ſuam eminentiam, præbet intellectui noſtro fundamentum illas actu diſtinguendi: igitur ante operationem intellectus ſunt ſolum plures fundamentaliter.

Ad ſecundum diſtinguo: eſſentia divina eſt una entitative & virtualiter multiplex, concedo: & non eſt, nego: in ſe quidem eſt una, ſed intellectus divinus illam cognoſcit ut multis & infinitis modis participabilem.

Ad tertium: eſt unicum attributum ideale, eſſentia ſcilicet ut participabilis; unde quod a multis participetur ad extra, non ideo multiplicatur ejuſmodi attributum, quia eſt unica ratio in Deo idealis, ſcilicet eſſentia divina ut participabilis.

Ad quartum: nego paritatem, namque ex D. Thom. hic art. 2. ſapientia eſt id quo Deus intelligit, & ars id quo facit: ſed idea eſt id quod intelligitur: plura autem concipiuntur participare diverſis modis eſſentiam divinam, abſque eo quod creaturæ poſſint unquam ipſius exhaurire fæcunditatem. Igitur oportet plures in Deo agnoſcere ideas, unicam vero ſapientiam & unicam artem.

Ad quintum: eſt unicum in Deo Verbum, quia exhaurit & adæquat eſſentiam divinam, repræſentando Patri id totum quod eſt tum in natura, tum in perfectionibus ſub ratione veritatis, ſicut eſt unicus amor ſubſiſtens qui dicitur Spiritus ſanctus, quia & adæquat totam Dei bonitatem & illam includit: ſimiliter unicus eſt in divinis Pater, quia omne quod eſt principium non de principio eſt in illo ſolo: ſed una aut altera creatura, immo centum & infinitæ non poſſunt adæquare eſſentiam divinam, quæ communicata uni creatnræ, manet adhuc in infinitum communicabilis; unde debent admitti in Deo plures ideæ creaturarum; unicum vero Verbum, unicus Spiritus ſanctus, unicus Pater.

Inſtabis. Si omnes ideæ ſunt ipſa eſſentia divina, non erit ratio cur una creatura ſit leo potius quam homo; & probatur quia omnes participant eandem eſſentiam: ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem diſtinguo; participant diverſimode, concedo: eodem modo, nego: homo participat eſſentiam ut eſſentia eſt intelligens & libera: leo vero ut eſt ens, & principium motus.

Dices, ante operationem intellectus, non ſunt plures ideæ: ergo non debent dici & nominari plures.

Reſpondeo negando conſeqnentiam; attributa non diſtinguuntur iu Deo realiter, ſed ſolum virtualiter: dicuntur tamen plura, quia eſſentia divina æquivalet multis re diſtinctis in creatis, & illa præcontinet. Idem dicendum de ideis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit res in ideis.

PRIMO, quia Joan. 1. habetur: *Quod factum eſt in ipſo vita erat*: quæ quidem verba ponderans Aug. tract. 1. in Joan. ait: *Quid eſt hoc, vita erat, facta eſt terra .... eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritaliter ratio quædam qua terra facta eſt*.

Secundo, quia omne agens ſpiritale operatur ſecundum quod præconcepit opus; alias cæco prorſus modo ageret.

Tertio, quia agens ſpiritale poteſt multa facere; igitur requiritur quædam forma quæ illud ad iſtum potius quam ad aliud producendum determinet; illa autem forma eſt idea, quæ ideo definitur, forma intra mentem exiſtens, ad quam reſpiciens artifex operatur.

Synop-

Digitized by Google

Synopſis Reſponſionum ad Objectiones.

PRIMO, quando Patres affirmant Deum res non cognoſcere per ideam, loquuntur in ſenſu oppoſito Platoni, qui ideam extrinſecus Deo affixam, eamque æternam & per ſe ſubſiſtentem admittebat.

Secundo, tametſi Deus cuncta cognoſcat in ideis, neque tamen accipit a rebus ſcientiam, neque ab eis ullo modo pendet.

Tertio, eſt in Deo unicum Verbum quia ejus generatio totam exhaurit fœcunditatem: at vero multæ ſaltem virtualiter, & dicuntur, & ſunt ideæ creaturarum propter oppoſitam rationem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus cognoſcat creaturas in ſua æternitate.

CERTUM eſt Deum ab æterno omnia cognoſcere; alias cum creatura ſit in tempore, aliquid novi adveniret cognitioni Dei, & ſic mutaretur; immo multa ſicut homo ignoraret, quæ quidem imperfectiones repugnat divinitati: igitur omnia ſunt Deo præſentia in æternitate. Num vero ſint realiter præſentia, an ſolum objective & in ideis, magna eſt inter Theologos controverſia. Quod non ſint præſentia realiter ſecundum proprium eſſe, liquet; alias eſſent ab æterno. Quod res pure poſſibiles non ſint realiter præſentes, utique patet, cum nullam habeant realitatem neque ex parte ſui, nunquam enim erunt; neque ex parte Dei, nullum quippe formavit decretum de eorum exiſtentia, nullamque habet, nec habuit de eis voluntatem. Tota igitur difficultas procedit de rebus futuris, quæ quidem in tempore tali vel tali habituræ ſunt exiſtentiam: quæritur ergo, an æternitas, ita realiter contineat rerum futurarum durationem, ut phyſice & realiter ſeſe ad eam extendat, ita ut Deus res futuras in æternitate tanquam in ſpeculo videat & intueatur. Affirmant noſtri Thomiſtæ, cum quibus ſit

CONCLUSIO.

Deus cognoſcit futura tanquam in ſua æternitate realiter præſentia.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

LEGITUR Joannis 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Hic textus noſtram manifeſte docet concluſionem; qua ratione vero hoc fiat demonſtratur iſto ratiocinio. Vitam habere, eſt realiter eſſe alicui durationi præſens, hoc quippe ſonant iſtæ particulæ, *vitam habere*; jam vero vitam in Deo habere, eſt intelligi & cognoſci a Deo; namque intelligere, eſt, teſte Divo Thoma, vivere Dei: ſed ex S. Joanne, omnia quæ ſunt in tempore, vitam antea habebant in Deo, ſeu in Deo vita erant. Igitur cuncta prænovit Deus in æternitate: igitur cuncta erant ab æterno vere & realiter Deo præſentia.

Secundo, *Ex ſanctis Patribus.*

GREGORIUS NYSSENUS l. 1. contra Euno. pag. 98. de Deo ſic loquitur: „ „ At vero illa nullius indigens rei, & „ æterna, & ea, quæ ſunt, complexa „ natura, neque in loco eſt, neque in „ tempore. „ Hanc reddit rationem cur omnia ſint Deo præſentia, videlicet, quia eſſentia divina nullis locorum & temporum clauditur terminis.

Hilarius l. 12. de Trinſt. ſimilia effatur. “ Quid ergo eſt, inquit, præparanti „ Deo cœlum genitam ab eo adeſſe ſapientiam; cum nec creatio cœli ex „ præparatione conſiſtat, neque naturæ „ Dei ſit, in apparatu cogitandi operis „ commorari? Nihil enim non ſemper „ cum Deo, fuit, quidquid in rebus eſt. „ Quæ etſi ad creationem ſui cœpta ſunt, „ non ſunt tamen a Dei vel præſentia, „ vel poteſtate inchoata; & teſtis eſt nobis Propheta dicens: „ Iſa. 45. 11. “ „ Deus qui feciſti omnia quæ futura ſunt, „ licet in eo, quod creanda ſunt, adhuc „ fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum ac recens eſt, jam ſa- „ cta

,, ſta ſunt: dum & temporum diſpenſatio
,, eſt, ut creentur; & jam in divinæ vir-
,, tutis & præſcientiæ efficientia ſint crea-
,, ta. ,,

Theodoretus qu. 37. in Gen. pag. 32. ſubſcribit " Univerſorum Deus natura qui-
,, dem eſt immutabili: novit autem ea quæ
,, nondum facta ſunt, tanqaam jam facta
,, ſint.

Ambroſius l. 1. de fide c. 7. de Deo operante & cognoſcente, ait: " Ut quæ fu-
,, tura ſunt, vel quaſi præſeutia, vel qua-
,, ſi facta dicantur . . . . Deo enim quæ
,, ſunt futura, præſentia ſunt, & ei cui
,, præcoguita ſunt omnia, ventura perfecta
,, ſunt, ſicut ſcriptum eſt, qui fecit quæ
,, ventura ſunt.

Idem l. 5. de fide c. 7. " Sed dicis, quia
,, præſentem novit, neſcit futurum; licet
,, inepta ſit propoſitio, tamen ut de Scrip-
,, turis ſanctis faciam tibi ſatis, diſce,
,, quod non ſolum præterita fecit, ſed
,, etiam quæ futura ſunt, ſicut ſcriptum eſt,
,, qui fecit quæ adventura ſunt. Et alibi ait
,, Scriptura, per quem & facta ſunt ſæcu-
,, la. Splendor eſt gloriæ & caracter ſub-
,, ſtantiæ ejus. Sæcula enim & præterita
,, & præſentia & futura ſunt.

Auguſtinus l. 11. Confeſ. c. 11. ſuum addit calculum: " Quis tenebit cor hominis,
,, & figet illud, ut paululum ſtet, &
,, paululum rapiat ſplendorem ſemper
,, ſtantis æternitatis, & videat eſſe in-
,, comparabilem, & videat longum tem-
,, pus, niſi ex multis prætereuntibus mo-
,, tibus, qui ſimul extendi non poſſunt,
,, longum non fieri: non autem præterire
,, quidquam in æterno, ſed totum eſſe
,, præſens?

Rurſus ibidem l. 1. c. 6. " Quam multi
,, noſtri jam dies & Patrum noſtrorum,
,, per hodiernum tuum tranſierunt, & tran-
,, ſibunt adhuc alii. Tu autem idem ipſe
,, es, & omnia craſtina, atque ultra, om-
,, niaque heſterna, & retro hodie facies,
,, hodie feciſti. Quid ad me ſi quis non in-
,, telligat? Gaudeat & ipſe, & amet non
,, inveniendo invenire potius, quam in-
,, veniendo non invenire te.

Bernardus audiendus eſt: namque ſerm. 8. 8. in Cant. ſic loquitur: " Tempora, ſub
,, ea ſcilicet æternitate tranſeunt, non
,, ei; futura non expectat, præterita non
,, recogitat, præſentia non experitur.

Accedit Petrus Damianus opuſc. 36. c. 8.
,, Omnipotenti Deo, inquit, non eſt he-
,, ri vel cras, ſed hodie ſempiternum,
,, cui nihil defluit, nihil accidit; cui
,, nihil eſt vanum, nihil a ſe diverſum.
,, Illud hodie æternitas eſt incommutabi-
,, lis, indefectiva, inacceſſibilis, cui ſci-
,, licet nihil addi, nihil valet imminui:
,, & omnia quæ apud nos elabendo diſ-
,, currunt, aut per temporum viciſſitudi-
,, nes ſe variant, apud illud hodie ſtant
,, & immutabiliter perſeverant; in illo
,, ſcilicet hodie dies adhuc immobilis eſt,
,, in quo mundus iſte ſumpſit originem,
,, in illo jam & ille nihilominus eſt, quo
,, judicandus eſt per æterni judicii æqui-
,, tatem.

Non prætereundus Anſelmus l. de concordia in princip. " Æterno præſenti ſimul
,, clauditur omne tempus, & quæ ſunt
,, in quolibet tempore; non enim dico
,, actionem meam craſtinam nullo tempo-
,, re eſſe, ſed hodie tantum nego eſſe,
,, quæ tamen ſemper eſt in æternitate.

Denique Divus Thomas hic qu. 14. art. 13. ex profeſſo illam propugnat veritatem.
" Æternitas, inquit, ſimul exiſtens am-
,, bit totum tempus. Unde omnia quæ
,, ſunt in tempore, ſunt Deo ab æter-
,, no præſentia, non ſolum ea ratione qua
,, habet rationes rerum apud ſe præſen-
,, tes, ut quidam dicunt, ſed quia ejus in-
,, tuitus fertur ab æterno ſupra omnia prout
,, ſunt in ſua præſentialitate.

Tertio, *Ex rationibus Patrum. & Divi Thomæ.*

PRIMA, quæ nunc fiunt, ſunt Deo realiter præſentia: ſed ex Patribus omnia etiam futura ſunt hodie apud Deum: ergo omnia cognoſcit realiter in ſua æternitate.

Secunda, effectus eſt actu præſens cauſæ quando fit actu: ſed ex Patribus res futuræ apud Deum repræſentantur in æternitate, etiam ſecundum ſuam exiſtentiam, quatenus æternitas tangit omnia tempora quæ in illa uniuntur, ſicut lineæ conjunguntur in centro, quod quidem centrum utpote indiviſibile æqualiter tangit omnes lineas; a fortiori æternitas omnia tempora quæ in illa adunantur; ergo omnia ſunt realiter præſentia Deo in æternitate.

Tertia, ex Patribus æternitas futura

non

non experitur, ſed tota eſt ſimul & perfecta rerum poſſeſſio : ergo omnia ſunt realiter præſentia Deo in æternitate; alias ſi novo modo præſentia eſſent illi objecta, ſcilicet realiter, & alio modo futura, ſi alio modo æternitas menſuraret prima & alio modo ſecunda, aliquid ei adderetur dum res actu fit, & futura experitur : utrumque autem eſt contra Patrum teſtimonia, utrumque contra rationem æternitatis : ergo, &c.

Quarta, æternitas menſurat realiter quæ fiunt actu : ergo & quæ ſunt futura; tum quia æqualiter omnia menſurat, omnia quippe ambit tempora : tum quia Deus eſt ſemper in actu in æternitate, non enim tranſit ab actu primo ad ſecundum, ſin minus mutaretur, & non eſſet actus purus; nam datur ſolum actus primus & ſecundus in creatura, quæ ſecundum ſe tranſit a non eſſe ad eſſe : igitur omnia ſunt realiter præſentia in æternitate; alias æternitas non eſſet tota ſimul rerum poſſeſſio, non ambiret in ſuo ſinu omnia tempora, quinimmo aliquid novi Deo adveniret.

Quinta, veritas Dei includit realiter omnes veritates, bonitas omnes bonitates; ſcientia ſe extendit ad omnia præſentia futura & præterita, lumen enim ipſius infinitum eſt; omnipotentia continet realiter omnes effectus præſentes & producendos, ſiquidem attingit realiter creaturas ſecundum omnes rationes, tum genericas, tum ſpecificas & individuales: ſed æternitas non eſt minus efficax in ratione menſuræ ad menſurandas omnes durationes, illas quippe realiter continet : ergo cum tempus præſens menſuret realiter res quæ fiunt, quæque ſunt illi præſentes, & ex alia parte æternitas realiter contineat tempus præteritum, præſens & futurum, dicendum eſt omnia eſſe Deo realiter præſentia in æternitate, & Deum eadem realiter in ejuſmodi menſura videre.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIES : Non poteſt concipi quomodo res futura realiter ſit præſens in æternitate, ſiquidem hoc implicat.

Reſpondeo 1. cum Aug. nihil detrimenti advenire veritati, etiamſi hoc ipſum capere non poſſimus, quia plura poteſt Deus, quam poſſumus comprehendere.

Reſpondeo 2. Res futuras eſſe realiter Deo præſentes multipliciter : 1. Objective & in ideis, quatenus Deus omnium habet rationes etiam individuales. 2. Cauſaliter & in decreto, virtus enim ipſius eſt rerum omnium productiva, & fluunt ab illa ſecundum id omne quod habent. 3. Ut in menſura durationis, ſcilicet in æternitate, cujus virtus eſt infinita & intrinſece in ratione durationis, & extrinſece ſeu extenſive in quantum ſe extendit ad omnes durationes quæ ſunt ab ipſa : ſicut enim omnis effectus eſt a Deo ut prima cauſa, & omnes conſequenter illos continet, ita & omnia tempora ſunt ab æternitate : igitur illa realiter continet : & cum in Deo nihil ſit præteritum, nihil futurum in ratione cauſæ, ita nec in ratione durationis : igitur non implicat, immo convenit, omnia eſſe Deo realiter præſentia in æternitate.

Inſtabis : quod eſt realiter in tempore, non poteſt eſſe Deo ab æterno præſens; alias foret quoque ab æterno : ſed creaturæ ſunt ſolum in tempore : igitur non ſunt præſentes realiter Deo in æternitate, ſed ad ſummum objective & idealiter, ſicut artefactum præconceptum eſt præſens in mente artificis.

Reſpondeo diſtinguendo : quod eſt realiter in tempore non poteſt eſſe præſens Deo ab æterno, in propria menſura, concedo : in menſura ſuperiori, nego. Menſura propria creaturæ eſt tempus cui ipſa ſubjicitur per actionem illius productivam & immutativam, & ſic non eſt Deo præſens. Superior menſura eſt æternitas quæ in ſe menſuras inferiores præcontinet; cum igitur creatura ſit realiter præſens tempori, & æternitas contineat ipſum tempus, utique continet realiter creaturas.

Ad id autem quod dicitur ſequi creaturas eſſe æternas, diſtinguo, ſi exiſterent ab æterno tam in propria quam in ſuperiori menſura, concedo : ſi ſint ab æterno ſolum in ſuperiori menſura, nego. Æternitas cum ſit ſola Dei menſura, denominat quoque ſolum res eſſe æternas in Deo : unde cum propria rerum menſura ſit tempus, denominat eas in ſeipſis factas in tempore.

Inſtabis : ergo res ſunt ſimul ab æterno & in tempore, ex nihilo & tamen

Li 4 non,

non ex nihilo factæ, ſimul cum æternitate & poſt æteruitatem, in menſura indiviſibili & ſimul iu ſucceſſiva; quandoquidem ſunt ſimul ab æterno : ſed hæc omnia implicant : ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo, creaturæ ſunt hæc omnia ſub diverſo reſpectu, concedo : ſub eodem, nego : unde nou eſt contradictio. Igitur in ſuperiori menſura creaturæ ſunt ab æterno, non quidem propter ſe, ſed propter Deum, cujus æternitas ſua extenſione omnia complectitur tempora, & hoc arguit Deum ſolum æternum eſſe; in propria vero menſura ſunt in tempore, & ideo factæ ex nihilo, quatenus ſactio reſpicit tempus & terminat in tempore actionem productivam, de qua fuit decretum æternum; ſunt quoque in menſura indiviſibili, ſi couſiderantur in menſura ſuperiori; in menſura vero ſucceſſiva, ſi eas in propria intueamur menſura, quia ſunt in tempore, quod habet ſucceſſionem.

Iterum inſtabis : quando creatura aliqua producitur actu in tempore, æternitati uovo modo, & quidem reali coexiſtit; ergo antea non erat realiter præſens æternitati; ſi enim realiter erat præſeus æternitati, novo modo non coexiſtit cum fit : & vero quænam poteſt eſſe differentia, niſi quod antequam fiat, erat ſolum objective in æternitate præſens : at vero cum fit, eſt realiter.

Reſpondeo diſtinguendo : creatura quæ producitur, novo modo virtuali coexiſtit æternitati, concedo : novo modo actuali, nego. Præ oculis ſemper habendum eſt Deum eodem actu intelligere res, eodem eas facere, nec unquam aliquid novi Deo advenire; quia tamen actus ille æquivalet multis a parte rei realiter ad invicem diſtinctis, concipitur ut multiplex; unde Deus dicitur eodem actu intelligens & volens, agens ad intra & ad extra; ad intra quidem, ut reſpicit eſſentiam, perſonas, & attributa : ad extra vero, ut connotat creaturas. Porro tametſi Deus exequatur tantum in tempore quod decrevit in æternitate, actus tamen ejus ſemper æternus eſt : hinc æternitas multos veluti ſinus & virtualitates continet, in quantum cuncta includit tempora : quando igitur producitur creatura, novo quidem modo reali exiſtit in ſe, ſcilicet in tempore, ſed non in æternitate, quæ omnes complectitur durationes : quia tamen tempus in quo producitur creatura, correſpondet uni æternitatis puncto, ideo dicitur coexiſtere novo modo virtuali; ſed hæc novitas magis ſe tenet ex parte creaturæ in tempore productæ, quam ex parte æternitatis.

Adhuc inſtabis : quum creatura producitur in tempore præſenti, reſultat nova relatio ad æteruitatem, cui coexiſtit tempus in quo fit creatura: ergo novitas ſe tenet etiam ex parte æternitatis.

Reſpondeo diſtinguendo : reſultat relatio realis in creatura ad tempus & ad æternitatem, concedo : in ipſa æternitate & in Deo, nego. Nihil reale advenit Deo; ſed quando fit creatura, reſultat relatio realis in creaturam ſolam, quia ſola immutatur & tranſit a non eſſe ad eſſe, rationis vero & in Deo, ex eo quod ipſius actio æterna ſe extendat ad illam; & in æternitate quæ ſe extendit ad tempus in quo producitur creatura; tempus enim applicatur æternitati illam tangendo in puncto, quod Deus connotat ab æterno.

Inſtabis de novo : ſi Deus videt futura realiter præſentia in æternitate, non erit diſcrimen inter creaturas præteritas, futuras & jam præſentes, ſed omnia creata erunt promiſcue realiter præſentia, adeoque nunquam producta, ſed æterna : abſurdum conſequens : ergo & antecedens.

Reſpondeo negandò minorem : quia & ipſa tempora correſpondent diverſis virtualitatibus æternitatis. Sicut ergo diverſa ſunt attributa virtualiter, licet re unum ſint, ita in ipſa æternitate diverſæ virtualiter menſuræ, licet re unica ſit æternitas.

Perſiſtes : ideo dicuntur creaturæ realiter in æternitate præſentes, quia non eſt ſucceſſio apud Deum & in actu & in duratione; Deus enim eſt ſemper in actu intelligibilium & agibilium : ſed hæc ratio nulla eſt; & probatur 1. Si Deus eſſet ſemper in actu agibilium, jam de facto res producerentur ab æterno; quod falſum eſt : 2. licet Deus ſit actus purus, attamen incipit ſolum in tempore tangere realiter creaturam, ergo antea illam non videbat realiter præſentem.

Reſpondeo negando minorem : ad primam probationem diſtinguo, ſi Deus eſſet

in

in actu tam ad extra, quam ad intra, res fierent ab æterno, concedo, ſi eſſet in actu ſolum ad intra, nego. Eſt unicus in Deo actus primo terminatus ad intra, ſecundario ſolum ad creaturas, adeoque in tempore: tangit quidem illas Deus in menſura ſua ab æterno, ſed non in tempore: tangit illas in ſe, ſed non in ſeipſis immediate, unde non ſunt productæ ab æterno. Ad ſecundam probationem diſtinguo: Deus tangit creaturas, & ſe extendit ad illas de novo in tempore, concedo; de novo in æternitate, nego: ſe ſolo tangit creaturas in æternitate: in tempore vero tangit illas ſimul cum cauſis ſecundis, quas movet & applicat ad actum.

Rurſus inſtabis: Angelus coexiſtit noſtris durationibus, & tamen hoc fit ſucceſſive: ergo idem dicendum de Deo, igitur nec res ſunt Deo realiter præſentes in æternitate, nec illas in ipſa realiter Deus videt.

Reſpondeo negando paritatem: quia Angeli duratio nec eſt infinita, nec invariabilis, nec ipſe eſt noſtrorum cauſa actuum, unde non coexiſtit rebus, niſi quum ſunt; ſecus vero Creator.

Perſiſtes: licet immenſitas Dei ſit infinita, non tamen actu ſe extendit ad ſpatia imaginaria: ergo a pari nec æternitas ad futura. Probatur paritas: quamvis ſpatia imaginaria poſſint repleri ab aliquo corpore, quia tamen nihil ſunt actu, non tanguntur ab immenſitate. Similiter, tametſi futura aliquando habitura ſint eſſe, quia tamen nondum habent, non debent tangi ab æternitate ſaltem realiter.

Reſpondeo negando paritatem, quia contactus immenſitatis fit per operationem virtualiter tranſeuntem qua producitur creatura; unde Deus eſt actus præſens ſolum in rebus poſitivis, & quæ jam habent eſſe; contactus vero æternitatis per extenſionem ad omnes durationes, quas quidem de facto ambit in ſuo ſinu; unde cum contineat realiter tempus, continet quoque ea quæ realiter ſunt in tempore; & ſic patet eſſe in objectionibus æquivocationem; ſit enim tranſitus a menſura temporis ad menſuram æternitatis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit futura in ſua æternitate, & quidem tanquam objecta realiter ſibi præſentia.

PRIMO, quia Joan. 1. habetur: *Quod factum eſt in ipſo vita erat*. Quid eſt vivere in Deo? niſi rem eſſe illi realiter præſentem; æternitas quippe, inquit Bernardus, futura non experitur.

Secundo, quia futura præcontinentur in Deo tanquam in cauſa: porro Deus cognoſcit realiter & ſuam eſſentiam, & ſuam omnipotentiam, e cujus ſinu cuncta fluunt.

Tertio, quia æternitas omnia complectitur tempora, nec ullis clauditur alicujus durationis terminis.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD DIFFICULTATES.

PRIMO, tametſi Deus futura tanquam præſentia cognoſcat, non inde ſequitur res eſſe ab æterno; ſiquidem non ſunt in æternitate tanquam in propria menſura præſentes.

Secundo, neque ulla inde ſequitur contradictio: namque ſecundum unum reſpectum res dicuntur eſſe in æternitate, videlicet objective: ſecundum vero alterum reſpectum, nempe in concreto, & ſecundum ſe, dicuntur eſſe in tempore.

Tertio, futura, præſentia & præterita quamvis in æternitate præſentia, non ideo confunduntur, quia reſpondent diverſis virtualiter æternitatis ſinibus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Deus cognoſcat res poſſibiles per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

DUPLEX diſtinguitur in Deo ſcientia, ut dictum eſt ſupra, nimirum una ſimplicis intelligentiæ, altera vero viſionis: illa Deus ſpeculatur & contemplatur res poſſibiles, iſta vero futuras & ea omnia quæ vult & decrevit facere. Prima eſt mere ſpeculativa: ſecunda ſpeculativa ſimul & practica. Quæſtio præſens movetur de poſſibilibus. Jam ſit:

CON-

C O N C L U S I O.

Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit res poſſibiles.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

HEBR. 4. 13. legitur de Deo: *Omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus*: ſed res poſſibiles ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; Deus enim intelligit & cognoſcit, ne dum ea quæ facit & faciet, verum etiam ea quæ poteſt facere; igitur Deus cognoſcit per illam ſcientiam res poſſibiles. Confirmatur: ex eodem Apoſtolo Deus vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt: hoc eſt novit ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ erunt: atqui res poſſibiles non exiſtunt; ergo eaſdem novit & cognoſcit.

Secundo, *Ex ſanctis Doctoribus.*

Ex Auguſtin. l. 83. qq. q. 46. Deus omnium rerum cognoſcit rationes. Ex Div. Thoma hic q. 34. Deus cognoſcit & ideas quæ exemplaria vocantur, eas ſcilicet quæ futura repræſentant; & eas quæ ſimpliciter rationes rerum nominantur, eo quod cuncta, quæ latent, in omnipotentia exprimant; ſed ex eodem Angelico Doctore, Deus & ea quæ non ſunt, & ea quæ nuſquam erunt, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ novit: & probatur, ejuſmodi objecta ſunt mere poſſibilia, igitur ſcientiam mere ſpeculativam, qualis eſt ea quæ ſimplicis intelligentiæ nomine donatur, ſpectant: igitur ea cognoſcit Deus per ſuam ſimplicem intelligentiam.

Tertio, *Ratione & quidem multiplici.*

PRIMO, Deus comprehendit ſuam eſſentiam, illamque videt non ſolum participatam, & in futurum participabilem a creaturis futuris, ſed infinite adhuc participabilem; quia nulla creatura poteſt exhaurire ejus fœcunditatem, & ſic multa ſunt poſſibilia. Sed illa poſſibilia intuetur mere ſpeculative; nullum quippe exiit ab ipſo decretum de eorum futuritione; igitur cognoſcit ea in ſeipſo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. 2. Non cognoſcit ea per ſcientiam viſionis, hæc enim ſe ſolum extendit ad ea quæ futura ſunt, quæque ſunt ipſi præſentia ut in prima cauſa: ergo ſupereſt ut ea cognoſcat per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. 3. Deus cognoſcit ideas rerum infinitatum, quas nunquam producturus eſt; ſed illa ſimpliciter intuetur & contemplatur; igitur eas cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Solvuntur objectiones.

Objicies: quod non eſt, neque erit, non poteſt aſſignari pro objecto ſcientiæ; ſcientia enim ſuum ſupponit objectum: ſed poſſibilia nihil ſunt, neque erunt: ergo non poteſt dici Deum ea per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcere.

Reſpondeo diſtinguendo: quod non eſt neque actu, neque potentia; concedo: quod non eſt actu, ſed eſt potentia, non eſt objectum ſcientiæ, ſubdiſtinguo: viſionis, concedo: ſimplicis intelligentiæ, nego: poſſibilia ſunt in potentia Dei, unde aliquod eſſe habent in ſua eſſentia, immo ſunt ipſa eſſentia ut infinitis modis participabilis: igitur ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Ita D. Thom. hic qu. 14. ubi dicit Deum cognoſcere omnia quæ concluduntur & latent in ſua eſſentia. Ad id vero quod dicitur ſcientiam ſupponere objectum, hoc intelligitur de ſcientia creata, quæ non eſt cauſa rerum: at vero Deus eſt cauſa rerum per ſcientiam ſuam, & poteſt eſſe rerum poſſibilium. Cæterum in priori rationis ſcientia Dei ſuum etiam quodammodo ſupponit objectum; prius enim concipimus eſſentiam divinam exiſtere, quam participabilem eſſe ad extra.

Inſtabis: poſſibilia ſunt ipſa Dei eſſentia: ergo nihil ſunt in ſe & in potentia: igitur non cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo: ſunt ipſa eſſentia divina relative conſiderata, concedo: ſecundum ſe & abſolute ſumpta, nego. Poſſibilia non ſunt eſſentia divina abſolute ſumpta, ſic enim ſpectata eſt ipſe Deus; ſed relative & ut connotat creaturas; cum enim in ipſa ſint rationes rerum, non ſolum faciendarum, ſed

& non

& non faciendarum, connotat creaturas etiam poſſibiles, unde in ea concipitur relatio rationis, & quidam reſpectus ad eas; igitur poſſibilia ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.

Rurſus inſtabis: attributa ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſicut natura divina: ergo non eſt dicendum poſſibilia eſſe objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo: attributa & natura divina ſunt objectum primarium non excludens ſecundarium, concedo; excludens, nego: ſcientia Dei terminatur primario ad Dei naturam & perfectiones, a quibus ſpecificatur; ſecundario vero ad creaturas.

Oppones 2. Deus cognoſcit poſſibilia in ideis: ergo inutile eſt ad hoc ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ponere.

Reſpondeo diſtinguendo: & ipſæ ideæ divinæ inſerviunt ſcientiæ Dei; ſunt enim veluti ſpeculum in quo Deus contemplatur poſſibilia, concedo: & excluditur ſcientia, nego: cæterum ad cognitionem non ſufficit idea & materia circa quam, ſed potentia cognoſcitiva attingens objectum, ex quo reſultat terminus, ſeu cognitio poſitiva, quæ ſcientia dicitur. Præterea ſumma eſt perfectio cognoſcere rem aliquam omnibus modis quibus eſt cognoſcibilis: ſic qui cognoſcit triangulum per Phyſicam & Mathematicam, doctior eſt & perfectior illo qui ſolummodo illum cognoſcit per Phyſicam.

Objicies 3. Deus cuncta cognoſcit per ſcientiam viſionis, quia omnia ſunt ipſi præſentia: igitur non cognoſcit poſſibilia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Reſpondeo diſtinguendo: omnia cognoſcit Deus per ſcientiam viſionis late ſumptam, concedo: per ſcientiam viſionis ſtricte ſumptam, ſubdiſtinguo: per ſcientiam viſionis entitative, concedo; formaliter, nego. Scientia viſionis conſiderari poteſt multipliciter, 1. ut dicit cognitionem claram, & in hoc ſenſu ſcientia ſimplicis intelligentiæ poteſt dici ſcientia viſionis, ſicut & in ſenſu identico, quia in Deo omnia ſunt unum. 2. Formaliter, quatenus ſcilicet reſpicit res futuras & faciendas; profecto in hoc ſenſu diſtinguitur virtualiter a ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit res poſſibiles per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

PRIMO, hoc ipſum patet ex illo Hebr. 4. *Omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus*.

Secundo, quia Deus cognoſcit, quidquid poteſt facere.

Tertio, quia ſuam comprehendit eſſentiam, in qua quidem omnes rerum etiam poſſibilium rationes præcontinentur.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

PRIMO, concedimus res poſſibiles nondum eſſe, verum poſſunt eſſe: igitur a Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcuntur.

Secundo, natura divina, perſonæ & attributa ſunt quidem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ objectum primarium, ſed nihil vetat ad eandem ſcientiam res poſſibiles ut objectum ſecundarium pertinere.

Tertio, Deus futura per ſcientiam viſionis cognoſcit, per ſcientiam vero ſimplicis intelligentiæ poſſibilia attingit, nec iſta ſcientia niſi improprie ſcientia viſionis appellari debet.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Deus cognoſcat futura per ſcientiam viſionis.

FUTURA quædam ſunt neceſſaria, ut illud; ſol anno proximo lucebit, & ſolitos producet effectus; quædam vero libera & contingentia, quale eſt iſtud ſecundum, Petrus ſtudebit pro Laurea Doctoratus conſequenda; cum enim ſit liber, poteſt non ſtudere. De his omnibus quæſtio inſtituitur: pro cujus reſolutione ſit

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Deus per ſcientiam viſionis cuncta cognoſcit futura.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

SCRIPTUM eſt Heb. 4. 12. *Vivus enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*, Expreſſius 1. Cor. 2. 10. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Propheta Regius multis in locis eandem prædicat veritatem, maxime Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti.* Ibidem: *Et omnes vias meas prævidiſti.* Scripturam loqui de ſcientia viſionis luce clarius apparet; nam inſtituit ſermonem de ſcientia quæ nedum futura, ſed & futurorum circumſtantias attingit, quæ cuncta rimatur & a longe penetrat atque prævidet: igitur Deus præſcit futura omnia per ſcientiam viſionis.

Secundo, *Ex ſanctis Doctoribus.*

AUGUSTINUS non ſemel in hac aut ſimili prope materia laudatus aſſerit res ideo eſſe, quia Deus eas novit eſſe; quam ſententiam tanti Præſulis interpretatur Div. Thomas de ſcientia viſionis reſpectu futurorum. Cæteri Patres dicunt ea objici oculis Dei, unoque intuitu ab eo videri. Non abs re erit de hoc momento audire Petrum Damianum, qui opuſc. 36. c. 7. de Deo ſic loquitur: „ Nec diverſis obtutibus diverſa conſiderat, ut cum intendit præteritis, vacet a præſentibus vel futuris .... ſed „ uno duntaxat ac ſimplici præſentiſſimæ „ majeſtatis intuitu, ſimul omnia comprehendit.

Teſtis utique ejuſdem veritatis Honorius Auguſtodunenſis eſt; namque lib. de prædeſt. & lib. arb. cap. 8. ait: " Deus „ omnia præſcit, & hoc æternitati ejus „ congruit, quia nihil futurum quaſi „ fiendum, nec aliquid præteritum quaſi „ tranſactum novit, ſed omnia fienda & „ tranſacta immutabili intuitu præſentia „ proſpicit.

Quid referam D. Thomam? ſanctus Doctor hic qu. 14. ex profeſſo docet Deum cuncta præſcire etiam ſecundum rationes individuales, futura in propria ſua voluntate proſpicere, quinimmo & cognoſcendo eadem facere, hoc eſt ejus ſcientiam adjuncta voluntate rerum eſſe cauſam. Quæ quidem locutiones & ſimiles Deum per ſcientiam viſionis futura prænoſcere indigitant.

Tertio, *Ex Ratione.*

Deus cognoſcit per ſcientiam viſionis ea omnia quæ ſunt illi præſentia; unde enim ſcientia nominatur viſionis, niſi quia præſentia per eam videntur? atqui futura quæcumque nedum abſoluta, ſed & libera atque contingentia ſunt Deo ab æterno præſentia; primo quidem in ideis, rerum quippe omnium præhabet rationes: deinde in æternitate; nam illas omnes in vaſtiſſimo ſuo ſinu complectitur rationes; tertio in voluntate, in ipſa ſiquidem ut effectus in cauſa præcontinentur; decretum enim dat rebus exiſtentiam, ſeu ad eſſe & exiſtere determinat: igitur futura per ſcientiam viſionis attingit & intuetur.

Diluuntur Objectiones.

Objicies 1. Multa ſunt futura libera quæ Deo abſcondita videntur; ſiquidem de actionibus humanis certam & infallibilem non habet ſcientiam: & probatur. Jerem. 26. 3. habetur. *Noli*, inquit ipſe Deus Prophetæ, *ſubtrahere verbum, ſi forte audiant, & convertantur.* Ecce veluti dubitat & circa futurum veluti anceps manet. Rurſus Ezech. 2. 5. *Hæc dicit Dominus Deus, ſi forte vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant, quoniam domus exaſperans eſt.* Ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem diſtinguo: vox *forte* dicit dubitationem ex parte hominum, concedo: ex parte Dei, nego. Loquitur Deus ſecundum uſum hominum, ut intelligibilem ſe ipſis præbeat. Ita Auguſtinus in Pſal. 2. v. 12. verba enim illa: *Nequando iraſcatur Dominus*, hoc modo interpretatur: „ cum dubitatione poſitum eſt; non ſecundum viſionem Prophetæ, cui certum eſt: ſed ſecundum eos ipſos qui mo-

„ monentur ; quia cum dubitatione ſolent „ cogitare iram Dei , quibus non aperte „ revelatur .. „ Sic loquitur Deus ut intelligamus ineſſe homini liberum arbitrium , nec divina lædi præſcientia . Ita Hieronymus in cap. 26. Jeremiæ . “ Verbum ambiguum forſitan , non poteſt Domini majeſtati convenire ; ſed „ noſtro loquitur affectu , ut liberum homini ſervetur arbitrium , nec in præſcientia ejus quaſi neceſſitate facere quid „ vel non facere cogatur . “ Sic loquitur Deus ut indigitet rei difficultatem & hominum in malo obſtinationem . Ita Aug. tract. 10. in Joan. ad hæc verba Chriſti : *Si me ſciretis , & Patrem meum ſciretis :* “ Non dubitat , inquit , ſed increpat Chriſtus . Dubitationis verbum eſt quando „ dicitur ab homine ideo dubitante , quia „ neſciente cum vero .... ab eo illa dubitatione arguitur infidelitas .

Opponer 2. Ambroſius , l. 1. de fide , c. 7. de ſcientia divina diſſerens , non ait objecta creata ſimpliciter eſſe Deo præſentia , ſed quaſi præſentia . *Ut quæ futura ſunt* , inquit , *vel quaſi præſentia , vel quaſi facta dicantur* . Vox , *quaſi* cognitionem importat obſcuram , immo & prorſus imperfectam : igitur ex Ambroſio Deus non cognoſcit certo futura contingentia .

Reſpondeo 1. vocem , *quaſi* , ut ſupra dictum eſt , tantummodo monere liberum per præſcientiam non adimi arbitrium . Vel etiam dici poteſt , D. Ambroſium duntaxat intendere futura contingentia non eſſe Deo tam præſentia in æternitate ficut cum fiunt aut eveniunt in tempore ; tunc enim tangunt punctum æternitatis , cui præſentia eſſe nemo diffitetur : tum quia Deus nedum in menſura ſuperiori , verum etiam & in inferiori , videlicet in tempore ea cognoſcit . Revera quidem quodlibet cognoſcitur ſecundum quod eſt a parte rei , unde cum futura nondum ſint in propria & connaturali menſura , non mirum ſi dicantur quaſi & non ſimpliciter in æternitate Deo præſentia .

Objicies 3. Quæ cognoſcuntur ſolum conjecturaliter a Deo , ſane non cognoſcuntur per ſcientiam viſionis , cum illa res abſolute futuras attingat : atqui Deus cognoſcit futura contingentia ſolummodo conjecturaliter , & probatur : cognoſcit Deus futura qualia ſunt in ſe ; ſed in ſe ſunt contingentia , poſſunt enim eſſe & non eſſe ; igitur & contingenter ſolum ſeu conjecturaliter Deus ea noſcit .

Reſpondeo negando minorem : ad probationem diſtinguo , cognoſcit Deus futura qualia ſunt in ſe & in cauſis ſuperioribus , concedo : cognoſcit tantum qualia ſunt in ſe & in cauſis ſecundis , nego . Duplex diſtinguitur cauſa ; prima ſcilicet , quæ determinat omnia ; ſecunda vero , quæ movetur & determinatur a prima : illa eſt Deus , iſta eſt agens creatum futurum contingens & præſens Deo , & in æternitate quæ omnes complectitur durationes , & in decreto , in quo continetur ut in principio a quo ſunt omnia : igitur cognoſcitur a Deo determinate in utraque menſura ; ſed ut contingenter eveniat reſpectu cauſæ ſecundæ , quæ poteſt agere , vel non agere , quæ ſi ſpectetur relative ad cauſam primam , ſuum utique clare prodit effectum , quatenus Deus præſcit & quid facturus eſt in cauſa ſecunda , & quid cauſa ſecunda libere ſe movendo operabitur , inquit Auguſtinus . Audiamus Ambroſium , qui l. 3. de fide , c. 7. ſic loquitur : “ Sapientiæ autem id convenit , ut ſuorum operum „ & virtutes noſcant , & cauſam : & „ ideo creator omnium non potuit ignorare quod fecit , neſcire quod donavit.

Inſtabis : e duabus propoſitionibus de futuro contingenti neutra eſt determinate vera ; neutra determinate falſa : igitur Deus non cognoſcit per ſcientiam viſionis futura contingentia , cum ipſa nullam habeant determinatam veritatem .

Reſpondet Eſtius , diſt. 38. c. 5. abſurdum eſſe dicere propoſitiones de futuro contingenti , neque eſſe determinate veras , neque determinate falſas : quia , inquit , licet contingentes , una in tempore ſequenti determinatur , & cum æternitas ſe extendat ad omnia tempora , manifeſtum eſt Deum illas clare in æternitate cognoſcere , alias Deus cognoſceret certo futuri contingentis veritatem ſolum quando actu evenit , quod eſt abſurdum dicere .

Reſpondeo 2. diſtinguendo ut ſupra ; neutra propoſitio eſt determinata in cauſis ſecundis , concedo : in cauſa prima , nego . Deus autem , ut dictum eſt , non accipit

cipit ſcientiam a rebus; utpote ab omnibus creaturis independens; ſed cognoſcit creaturas ſecundum omnes rationes etiam individuales in ſeipſo: quia res habent id omne quod ſunt a Deo optimo, maximo.

Iterum inſtabit: ſutura contingentia & abſoluta nondum habent exiſtentiam: ſed ſcientia viſionis reſpicit ſolum objecta exiſtentia; ideo enim viſionis dicitur, quia videt & attingit præſentia: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: ſutura nondum ſunt in ſe & in cauſis ſecundis, concedo: in menſura ſuperiori, nego. Dictum eſt cum Patribus æternitatem ſutura non experiri, & cum ideæ rerum & virtus Dei menſurentur æternitate, & ab æterno Deus videt ſutura quaſi præſentia, inquit Ambroſius, & in ideis & in ſua omnipotentia, & in ipſa æternitate quæ omnia includit tempora. Ergone res non ſunt ſuturæ? minime: quandoquidem denominantur a cauſis proximis & ſecundis quæ ſunt in tempore, quæque agere nondum concipiuntur, & ideo res ſunt vere ſuturæ.

Objicies 4. non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed Deus omnia cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, etiam ſutura libera: ergo fruſtra ad hoc admittitur ſcientia viſionis.

Reſpondeo ſcientiam viſionis & intelligentiæ eandem eſſe entitative; per iſtam Deum cuncta cognoſcere in priori rationis, qua ad res producendas determinetur; per illam vero, quidquid facere decernit. Porro ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſundatur in ideis, quibus quidem Deus ſuum dirigit opus, viſionis vero innititur decreto, habet enim illa adjunctam voluntatem; unde & eſt rerum effectiva. Igitur quales res ſuturæ ſunt, Deus eas videt & cognoſcit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit futura per ſcientiam viſionis.

PRIMO, juxta illud Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti.* Ibidem: *Et omnes vias meas prævidiſti.*

Secundo, hoc ipſum declarant Patres, Petrus Damianus, opuſc. 26. c. 7. Honorius Auguſtodunenſis, l. de præd. & lib. arb. c. 8. D. Thom. hic, q. 14. ex profeſſo.

Tertio, per ſcientiam viſionis eam intelligimus quæ fertur circa objectum præſens: ſed omnia ſutura ſunt Deo præſentia in æternitate, quæ cuncta complectitur tempora, Deus vero videt quidquid ipſi præſens eſt: igitur & futura per ſcientiam viſionis cognoſcit.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

PRIMO, nonnumquam Scriptura ſacra cognitionem futurorum per particulas *forte*; *forſitan*, explanat: hoc tamen non incertitudinem aliquam in Deo arguit, quaſi futuri non foret præſcius, ſed ſolum ex parte cauſæ ſecundæ, quæ poteſt deficere.

Secundo, neque Patres ab hac diſcedunt ſententia, cum ajunt ſutura eſſe quaſi Deo præſentia; hac enim voce, *quaſi*, & ſimilibus utuntur, ut denotent nimirum, nec Dei præſcientiam libertati humanæ adverſari, nec res ita eſſe præſentes quando futuræ, ſicut & quum a parte rei ponuntur, & propria donantur exiſtentia.

Tertio, verum eſt Deum cognoſcere ſutura contingentia eo modo quo ſunt ſutura, ſed contingentia & incertitudo effectus attenditur penes cauſam ſecundam: igitur ſutura illa certo prænoſcit Deus, verum prænoſcit ut contingenter eveniant, inquit Div. Thomas hic.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

DE MEDIO IN QUO COGNOSCIT DEUS FUTURA LIBERA CONDITIONATA.

DEUM cuncta cognoſcere tum in ideis, tum in æternitate, quæ omnes in ſinu ſuo immenſo ambit & complectitur durationes, non ſemel demonſtravimus. Quæritur tamen, num futura libera, eaque conditionata, novo aliquo & ſpeciali modo cognoſcat Deus, puta vel in veritate eorum objectiva, vel per ſcientiam mediam, vel in ſuæ voluntatis decreto.

Lutherus & Calvinue contendunt Deum cognoſcere actus hnmanos quoſcumque ſolum in decretis neceſſitantibus; adeoque præſcientiam tollere libertatem, nec ulla eſſe futura contingentia conditionata. Sed contra, dicit Scriptura, Sap. 8. *Attingit omnia a fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Hoc dogma fidei quatuor probatur argumentis.

PRIMO, quia dantur de facto futura contingentia conditionata, & ea cognoſcit Deus.

Secundo, Deus eadem cognoſcit in ſeipſis abſque decreti ope, ſecundum multos Doctores.

Tertio, illa cognoſcit Deus per ſcientiam mediam independenter utique a decreto, ſecundum graviſſimos Theologos.

Quarto, quia ſecundum Thomiſtas, eiuſmodi futura coguoſcit Deus in decretis liberis, independenter a ſcientia :media.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dentur futura conditionata contingentia, & ea cognoſcat Deus.

FUTURUM dicitur conditionatum dupliciter, ſcilicet per ordiuem ad objectum, & per ordinem ad ſubjectum. Per ordinem ad objectum, quando ſuſpenſio ſe tenet ex ipſius parte, ut iſtud: ſi Petrus venit hodie mane in domum, prandebit mecum: ex parte vero ſubjecti, quum ſuſpenſio ſe tenet ex parte cognoſcentis, & inſert in agente dubietatem; ut in iſto exemplo: ſi eſſem Epiſcopus, ſolummodo propter meritum conſerrem beneficia. Certum eſt futurum non poſſe dici conditionatum ex parte Dei, quippe qui ſit immutabilis, & in cognitione, & in operatione, immo nec datur contingens; quandoquidem Providentia divina in ſui diſpoſitione non ſallitur: futurum igitur dicitur & contingens & conditionatum reſpective ad cauſas ſecundas creatas, & ſunt vere futura libera; licet enim Deus omnia præſciat, relinquit tamen hominem in manu conſilii ſui, ut agat & operetur ex libertate ſibj innata. Quia vero multi negant dari futura conditionata, operæ pretium eſt probare & explicare ea, ad fidei tum elucidationem, tum etiam defenſionem; quod quidem momentum facile complebitur, ſi duo oſtendamus; ſcilicet

licet

Google

licet dari futura libera conditionata, eaque a Deo cognoſci.

CONCLUSIO PRIMA.

Dantur futura libera conditionata.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

1. REGUM 23. ait David: „ Domine Deus Iſrael, audivit „ famam ſervus tuus quod diſponat Saul „ venire in Ceilam, ut evertat urbem „ propter me: ſi tradent me viri Ceilæ „ in manus ejus? Domine Deus Iſrael, „ indica ſervo tuo. Et ait Dominus: „ tradent.

2. 4. Reg. 13. dixit Eliſæus ad Joam Regem Iſrael: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſive ſepties*, ſcilicet jaculo terram, *percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam.*

3. Matth. 11. „ Væ tibi, Corozain, „ væ tibi, Bethſaida, quia ſi in Tyro & „ Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere, pœnitentiam egiſſent.

4. Ibidem, ſic proſequitur Chriſtus: “ „ Et tu, Capharnaum, numquid uſque in „ cœlum exaltaberis? uſque in infernum „ deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ „ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, „ forte manſiſſent uſque in hanc diem. „ In his omnibus exemplis agitur de futuris liberis, quæ potuerunt eſſe vel non eſſe, dependenter a voluntate humana: poterat enim David remanere in urbe Ceila, & tunc inimicorum molitione periiſſet. Poterat ſi voluiſſet Joas percutere jaculo terram ſexies, & tunc percuſſiſſet Syriam uſque ad conſumptionem: potuiſſent Tyrii & Sidonii, audita Chriſti prædicatione, viſiſque ejus miraculis, agere pœnitentiam, & tunc ſalvi facti fuiſſent: ergo dantur futura libera conditionata.

Secundo, *Ex Patribus.*

AUGUSTINUS lib. de præd. SS. c. 10. n. 19. ait: „ Prædeſtinatione quippe ea „ præſcivit quæ fuerat ipſe facturus; “ hic non loquitur de futuro ſimpliciter; alias poſuiſſet quæ erat facturus, non quæ fuerat facturus, quod verbum, *fuerat*, futurum denotat conditionatum.

Idem l. de dono perſever. c. 9. n. 22. agens de reprobis ſic loquitur: „ Ut enim „ non dicam, quam ſit poſſibile Deo, a- „ verſas & adverſas in fidem ſuam homi- „ num convertere voluntates, & in eo- „ rum cordibus operari, ut nullis adver- „ ſitatibus cedant, nec ab illo aliqua ſu- „ perati tentatione diſcedant; cum poſſit „ & quod ait Apoſtolus, facere, ut non „ eos permittat tentari ſupra id quod poſ- „ ſunt: ut ergo id non dicam, certe po- „ terat illos Deus præſciens eſſe lapſu- „ ros, antequam id fieret, auferre de hac „ vita. “ Futurum igitur erat, quod ſalvati fuiſſent, ſi ab hac vita fuiſſent rapti. Igitur ex Auguſtino dantur futura conditionata.

S. Proſper idem docet in reſponſione octava ad excerpta Genuenſium. „ Cum „ aliqui pereunt, inquit, non dubitemus „ ipſorum meritis deputari quod pereunt: „ quos utique Deus juſte poſſet damnare, „ ſi vellet. Et cum aliqui liberantur, „ non audeamus definire, quod digni fue- „ rint liberari: quos utique Deus poſſet „ juſte damnare, ſi vellet . . . . de Ty- „ riis autem & Sidoniis, quid aliud poſ- „ ſumus dicere, quam non eſſe eis datum „ ut crederent, quos etiam credituros Ve- „ ritas dicit, ſi talia, qualia apud non „ credentes facta ſunt, ſigna vidiſſent. . . . „ non ſolum Tyrios & Sidonios, ſed et- „ iam Corozaim & Bethſaida potuiſſe con- „ verti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi „ hoc in eis Dominus voluiſſet operari. “ Quid clarius?

Divus Thomas alius eſt ejuſdem veritatis teſtis; nam qu. 23. de verit. art. 3. dicit voluntatem antecedentem, quæ eſt in Deo, eſſe veram voluntatem. Et in 1. diſt. 46. qu. 1. art. 1. ad 2. vocat illam conditionatam his verbis: „ Voluntas an- „ tecedens poteſt dici conditionata, nec „ tamen eſt imperfectio ex parte volunta- „ tis divinæ, ſed ex parte voliti, quod „ non accipitur cum omnibus circumſtan- „ tiis quæ exiguntur ad rectum ordinem „ in ſalutem. “ Igitur ex Divo Thoma dantur futura conditionata.

Ex ratione.

PRIMA ſic exponitur: multa ſunt apud nos homines futura conditionata, v. g. iſtud cum dicimus: ſi tempus ſerenum & commodum erit, deambulabimus: ſed Deus permittit & ſinit cauſas liberas ſic agere cum conditione: ergo de facto dantur futura conditionata.

Secunda: homo eſt liber: ergo dantur futura libera conditionata: probatur conſequentia. De ratione libertatis eſt, non ſolum ut homo agat, vel non agat, ſed ut poſitis quibuſdam circumſtantiis ſibi commodis operetur, quæ ſi deſint, non agat: alias neceſſitaretur ad agendum: ergo eo ipſo quo eſt liber, dantur futura contingentia; quandoquidem poteſt pro libito conditiones actioni futuræ apponere.

Tertia: Petrus diſputabit, ſi Joannes illum ad hoc ſtimulet; Claudius ſtudebit, ſi proponatur ei præmium, ſunt futura, & quidem conditionata, cum non ſint futura neceſſaria; liberum eſt enim primo diſputare, alteri vero ſtudere: non ſunt etiam futura ſimpliciter, quia ſi deſint conditiones, neque Petrus diſputare, neque Joannes ſtudere valebunt: ergo relinquitur eſſe futura conditionata: maxime vero quia Deus relinquit hominem in manu conſilii ſui, ut pro innata libertate aut bonum, aut malum eligat.

CONCLUSIO SECUNDA.

Deus certo cognoſcit futura conditionata. Hoc ſequitur ad primam concluſionem. Nihileminus.

Probatur multipliciter.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

DEUS ea futura cognoſcit, quæ ipſe prædixit: atqui multa prædixit futura conditionata; & probatur 1. Reg. 23. David petit a Domino num viri Ceilæ eum tradituri ſint Sauli? reſpondet, *tradent*; tunc fugit ab eis. 3. Reg. Deus injungit & Salomoni & filiis Iſrael ne mulieres alienigenas in uxores aſſumant, alias, inquit, certiſſime avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos ſuos conflatiles: cujus eventus probavit in ipſo rege effati veritatem. Eliſæus utique dixit Joæ: ſi percuſſiſſes quinquies, aut ſexies jaculo terram, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem; item inter omnia conditionata futura celeberrimum eſt iſtud apud Matth. Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethſaida, inquit Chriſtus, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, egiſſent pœnitentiam in cilicio & cinere: ergo, &c.

Secundo, *Ex Patribus.*

GREGORIUS NYSS. Orat. de infantibus, qui acerba morte ab hac vita rapiuntur, 2. tom. pag. 764. ait: " Divinæ eſſe Providentiæ, ejuſque perfectæ, non ſolum ſanare contractos morbos, ſed etiam ne omnino quiſpiam in illicitis verſetur, proſpicere. Eſt enim conſentaneum, ab illo, qui peræque futurum novit ac præteritum, prohiberi parvuli progreſſionem ad ætatem perfectam, ne malum illud, quod præſciens illa vis & facultas cognoverit, in eo qui victurus eſſet ita perficiatur: atque ei qui acerba voluntate, arbitrioque victurus fuiſſet, materia nequitiæ vita fiat." Ibi agitur de futuro conditionato, ſcilicet, de mala vita, & reprobatione futura parvuli, ſi vixiſſet, quod quidem præſciens Deus, rapit eum ex miſericordia, ne malitia mutet intellectum ejus. Ergo.

Cyrillus Alexandrinus, l. 3. contra Julianum, de Adami lapſu, Porphyrium laudat, quod tradat eadem de immatura morte, ac ipſe Gregorius Nyſſ. " Porphyrius, inquit, ſic in libro ad Numertium ſcribit: Deus autem qui futura novit, alios propter pietatem adhuc juvenes e vita præripit: alios ob detrimenta, quæ per illos erant neceſſariis ſuis importanda: alios item, ob ingentes, quæ futuræ erant calamitates, ante ſubtrahit.

Auguſtinus eandem clariſſime explanat veritatem, l. de Prædeſt. Sanct. c. 14. n. 26. explicans enim illa verba Sapientiæ 10. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait: Dictus eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſci-

„ præſcivit quod futurum erat, non quod „ futurum non erat: ideſt, quod Dei „ mortem immaturam fuerat largiturus, „ ut tentationum ſubtraheretur incerto, „ non quod peccaturus eſſet, qui manſu„ rus in tentatione non eſſet.

Suffragatur Fulgentius, l. 1. de veritate prædeſtinationis contra Pelagianos, ſic loquitur: „ Neque enim Dominus rerum „ omnium conditor facienda præſciſſet, „ quæ facienda non eſſent. Scimus nam„ que præſcientiam Dei ſic eſſe veram, „ atque incommutabilem, ut quæ futu„ ra præſcit, vere futura ſint.

Divus Thomas, hic, qu. 14. art. 3. „ „ Manifeſtum eſt quod contingentia & in„ fallibiliter a Deo cognoſcuntur in quan„ tum ſubduntur divino conſpectui ſecun„ dum ſuam præſentialitatem, & ta„ men ſunt futura contingentia ſuis cau„ ſis proximis comparata. „ In his omnibus ſancti Doctores loquuntur de futuris contingentibus, etiam de conditionatis: ergo ex eis illa omnia novit Deus.

Tertio, *Ex ratione*.

PRIMA; dictum eſt ſupra, Deum omnia cognoſcere in ideis, & in ſua virtute omnium rerum productiva, & in æternitate quæ in ſe omnia tempora complectitur: igitur certe cognoſcit futura conditionata. Secunda: Deus cognoſcit quidquid creatura aut factura eſt, aut poteſt facere, ſiquidem illam comprehendit: igitur & futura conditionata; alias eveniret aliquid in tempore quod Deo ignotum fuiſſet: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Tertia: futura conditionata, quorum conditio non purificabitur, pertinent ad poſſibilia quæ Deus cognoſcit in ideis: illa vero, quorum conditio ponenda eſt, futura ſunt & cognoſcuntur a Deo per ſcientiam viſionis; ea enim in ſua eſſentia, in qua veluti in ſpeculo omnia collucent, intuetur: ergo & dantur futura conditionata, & cognoſcuntur a Deo talia.

Objectiones contra utramque Concluſionem proponuntur ſimul, & promiſcue diluuntur.

OBJICIES 1. Matth. 11. habetur: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem:* ecce futurum contingens conditionatum: ſed Deus illud non cognoſcit certo & infallibiliter; ergo non cognoſcit futura conditionata, niſi conjecturaliter. Probatur minor, verbum, *forte*, dicit cognitionem dubiam: ergo, &c.

Reſpondeo negando minorem, ad probationem dico cum Hieronymo, verbum, *forte*, non apponi quaſi Chriſtus eſſet futuri eventus inſcius, ſed ut denotetur & creaturæ in agendo libertas, & ipſius Dei in miſerendo libera diſpoſitio: ſi enim factæ fuiſſent virtutes in Sodomis quales patratas a Salvatore viderunt Judæi, egiſſent pro peccatis pœnitentiam; Deus vero in miſericordiis dives potuiſſet eis parcere, ſorte pepercíſſet, hoc eſt libere & gratuito, & non ex neceſſitate, quaſi a creatura dependens.

Oppones 2. Aug. explicans illud Sapientiæ 10. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, l. de prædeſt. Sanct. c. 14. n. 26. ait: *Dictum eſt, ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat;* ſi non præſcivit quod futurum non erat, ergo ex Auguſtino Deus non cognoſcit niſi conjecturaliter futura conditionata, quorum conditio non purificabitur.

Reſpondeo diſtinguendo, & loquitur ibi Auguſtinus per ordinem ad cauſas ſecundas, concedo: per ordinem ad cauſam primam, nego. Cum loquitur Deus per Prophetas hominibus, præ miſericordia ſeſe accommodat ad modum quo homines ſolent ipſi res concipere, ut eis intelligibilem ſe præbeat, & ideo plura prædicta ſunt per Prophetas futura, quæ apud Deum non erant futura. Talia quidem per ordinem ad cauſam ſecundam erant, minime vero reſpective ad primam. Sic Iſaias prædixit Ezechiam brevi moriturum; ſed hoc ſecundum morbi gravitatem & pondus: verum ſciebat Dominus quod cedens piiſſimi Regis & orationi & lacrymis, Ezechiam non ſolum a mortis periculo miraculoſe ſervaret, ſed & quod ad quindecim annorum ſpatium uſque, ejus prolongaret vitam. Sic Jonas promptum Ninivitis

Google

vitis annuntiat exterminium : ſed & eorum prænoſcens pœnitentiam Deus , volebat miſereri & parcere . Simili modo loquitur Auguſtinus , dicens , multos , ſi longius vixiſſent , cedentes periculis & tentationibus , reprobos evaſuros fuiſſe , qui tamen miſericordia magna rapti ſunt , ne malitia perverteret corda eorum . Bene igitur dictum eſt , ſecundum pericula vitæ , non attendendo ad preſcientiam Dei , qui novit ea quæ non ſunt , tanquam ea quæ ſunt .

Reſpondeo 2. Auguſtinum ibi agere contra Pelagianos, qui volebant ideo pueros cum Baptiſmo e vita decedentes , ſalvari , quia ex prævifione meritorum ſuorum , ſi vixiſſent , Deus illis gloriam contuliſſet ; e contra vero aliis , qui ſine Baptiſmo morerentur , ex prævifione demeritorum , pœnas inflixiſſet æternas ; quod quidem validiſſime refellit ſanctus Doctor , dicendo Deum non præſcire quod futurum non erat , ut det vel juſtis gloriam , vel peccatoribus pœnam : non negat igitur Deum omnia tam futura , quam poſſibilia præſcire , ſed non præſcire quod futurum non eſt , ea intentione ut præmiet vel puniat propter merita , aut demerita imaginaria . Cæterum quod quidam pueri decedant cum Baptiſmo , & donentur vita æterna : o miſericordia ! quod alii ſine Baptiſmo decedentes ea priventur : o altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei , quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus , & inveſtigabiles viæ ejus !

Divus Auguſtinus eſt ſui ipſius interpres; ibidem quippe ſubdit , & ſic loquitur :
„ Præſcivit quod futurum erat , non
„ quod futurum non erat , ideſt , quod
„ ei mortem immaturam fuerat largi-
„ turus , ut tentationum ſubtraheretur in-
„ certo ; non quod peccaturus eſſet ,
„ qui manſurus in tentatione non eſſet .
„ De hac quippe vita legitur in libro
„ Job. 7. 1. Numquid non tentatio eſt
„ vita humana ſuper terram ? ſed qua-
„ re aliis concedatur , ut ex hujus vi-
„ tæ periculis dum juſti ſunt auferan-
„ tur ; alii vero juſti donec a juſtitia
„ cadant , in eiſdem periculis vita pro-
„ ductiore teneantur ; quis cognovit
„ ſenſum Domini ? & tamen hinc in-
„ telligi datur , etiam illis juſtis , qui
„ bonos , pioſque mores uſque ad ſene-
„ ctutis maturitatem , & diem vitæ hu-
„ jus ultimum ſervant , non in ſuis me-
„ ritis , ſed in Domino eſſe gloriandum:
„ quoniam qui vitæ brevitate rapuit ju-
„ ſtum , ne malitia mutaret intellectum
„ ejus , ipſe in quantacumque vitæ lon-
„ gitudine cuſtodit juſtum , ne malitia
„ mutet intellectum ejus . Cur autem hic
„ tenuerit caſurum juſtum , quem priuſ-
„ quam caderet , hinc poſſet auferre ,
„ juſtiſſima omnino , ſed inſcrutabilia ſunt
„ judicia ejus .

Objicies 3. D. Thomas , hic art. 13. & q. 12. de Verit. art. 10. & in 1. diſtinct. 38. q. 1. art. 5. dicit futura contingentia poſſe ſpectari dupliciter , vel in ſe ipſis , & ut ſunt a parte rei ; vel in cauſis , & in iis cognitionem duntaxat conjecturalem terminare . Igitur ex Div. Thoma non cognoſcuntur , niſi conjecturaliter .

Reſpondeo diſtinguendo : futura contingentia terminant cognitionem tantummodo conjecturalem , ut ſpectantur in cauſis ſecundis , concedo : in cauſa prima , nego : Cauſæ ſecundæ , ſi agatur de actibus humanis , ſunt liberæ : 1. poſſunt aut ſuſpendi in operando , aut etiam per aliquod extrinſecum totaliter impediri ; unde comparative ad eas dubius eſt , & plurimum contingens effectus : nuſquam vero per ordinem ad primam ; quandoquidem & cauſæ ſecundæ , & media ad effectum conducentia , ejus ſubjiciuntur dominio : igitur Deus certe cognoſcit futura contingentia , ut docet Div. Thomas ibidem q. 14. art. 12. 13. 14. 15. & 16. unde cum dicit ea cognitionem tantummodo conjecturalem terminare , loquitur de his per ordinem ad cauſas ſecundas , ut ſeipſum ibidem explicat .

Objicies 4. Si certo cognoſcuntur a Deo futura libera conditionata , jam non ſunt futura conditionata , ſed abſoluta : & probatur . Jam ſunt abſolute , aut pure poſſibilia , ſi conditio non purificanda eſt , quia hoc certo cognoſcit Deus : aut futura abſolute , ſi conditio eſt opponenda , quandoquidem hoc utique certo cognoſcit Deus : ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam , ad pro-

 batio-

Digitized by Google

bationem diſtinguo; non ſunt conditionata reſpectu cauſæ primæ, Dei ſcilicet, quia novit omnia quæ facturus eſt, aut non facturus, concedo: reſpectu cauſæ ſecundæ, & in ſeipſis; nego. Effectus ſpecificatur a cauſa ſecunda, quæ libere agit, & ab ea dicitur contingens. Sicut igitur cognitio, quam Petrus haberet per revelationem, de futura morte Joannis in bello, non impediret quin Joannes ad bellum liberrime pergeret, & conſequenter quin mors foret dubia & contingens; ita pariter nec ſcientia Dei impedit quin effectus ſit contingens, quandoquidem præſcit Deus, quid creatura libere agens factura eſt. Quid plura adjiciam? Quamvis Deus certo cognoſcat effectum futurum, hoc tamen non impedit talis effectus contingentiam; aliud quippe eſt aliquid eſſe ſub conditione futurum, aliud cognoſcere certo exitum rei futurum. Ad primum ſufficit Deum cognoſcere & ſubſtantiam actus, & effectus ipſos quales ſunt in cauſis ſecundis, unde manet ſemper effectus contingentia. Ad ſecundum prærequiritur ſolummodo ut Deus præſciat futurum, quale eſt in ſe, & qualiter eveniet. Quod quidem facile intelligitur, cum teſte Auguſtino, l. 3. de Lib. arb. c. 3. Deus præſcius ſit & voluntatis humanæ.

Quinimmo, nec præſcientia impedit quin futurum a Deo cognoſcatur etiam reduplicative ut conditionatum, unde & quodam modo etiam reſpectu Dei evadit & manet tale, quatenus Deus præſciens creaturam liberam tali vel tali modo ad unam partem determinandam fore. Et certe Deus cognoſcit futurum cum conditione apponenda; v. g. iſtud: ſi Chriſtus reſpiciat Petrum, Apoſtolus flebit amare: Chriſtus Dominus profecto Petri præſciebat pœnitentiam ſub iſta conditione futuram. Nec inde ſequitur Deum non certo cognoſcere futura, aliud quippe eſt rem eſſe futuram ſub conditione, aliud cognoſci. Primum petitur ex conditione apponenda; ſecundum vero ex parte medii, quo utitur intelligens ad aliquid cognoſcendum; cum autem cuncta pateant & in ideis, & in eſſentia divina, & in æternitate, cuncta utique certo, nuſquam vero conjecturaliter, & dubitanter cognoſcit Deus.

Inſtabis: ex dictis nullum eſt futurum contingens conditionatum ex parte Dei: ergo nullum eſſe debet etiam ex parte ſui, ſi Deus certo cognoſcat illud; & probatur: ſcientia Dei eſt cauſa rerum, adeoque futura ab illa ſpecificantur & denominantur: ergo, &c.

Reſpondeo 1. ex hoc etiam ſequi omnia eſſe neceſſaria; quia omnia entia neceſſario cognoſcit Deus, quandoquidem nihil ipſum latere poteſt. Aliud eſt igitur futurum eſſe conditionatum, aliud cognoſci a Deo. Deus omnia neceſſario cognoſcit, ſed cognoſcit entia ſecundum quod ſunt; libera cognoſcit ut libera, neceſſaria cognoſcit eſſe neceſſaria, cuncta vero & infallibiliter & ſemper, ita ut non poſſit manere ſuſpenſus circa cujuſque rei cognitionem, quaſi gradatim, ut homo, aſcenderet a minori ad majorem, a conjecturali ad certam notionem; futurum vero eſſe contingens & conditionatum, promanat a cauſa ſecunda, quæ libere, & quibuſdam poſitis conditionibus operatur: unde manet ſemper conditionatum in conſpectu Dei, tametſi a Deo perfecte cognoſcatur.

Reſpondeo 2. negando conſequentiam, ad probationem, diſtinguo: ſcientia Dei eſt cauſa rerum cum cauſa ſecunda, concedo: ſe ſola, nego. Effectus non ſortitur naturam cauſæ primæ, ſed cauſæ ſecundæ & proximæ: cum autem cauſa ſecunda ſit libera & contingens, futurum eſt utique, & contingens, & conditionatum.

Rurſur inſtabis: ſuppoſito quod Petrus diſputet, ſi donetur Laurea Artium; hoc eſt abſolute futurum, & ut tale cognoſcitur a Deo: igitur nullum datur futurum conditionatum, cujus conditio purificabitur, ſed eſt futurum abſolute; cognoſcitur enim ſemper ut tale: vel ſi cognoſcatur ut conditionatum, cognoſcitur conjecturaliter, quandoquidem eodem modo ſe habet & ad cauſam primam, & ad ſecundam, ſcilicet conditionate.

Reſpondeo diſtinguendo: eſt abſolute futurum reſpective ad cauſam primam, tranſeat: in ſe & reſpective ad cauſam ſecundam, nego: iſtud futurum eſt in ſe conditionatum, & cognoſcitur

ut ta-

ut tale; ſed Deus ſcit certo futurum, quia ſcit conditionem eſſe ponendam; unde certitudo ſe tenet ex parte Dei cognoſcentis, non ex parte rei cognitæ, quæ quidem in ſe non eſt abſolute futura. Reſpectu vero Dei eſt abſolute futura, non quidem ratione ſui, ſed propter ſcientiam Dei, cui & futurum & conditio ſubduntur. Igitur eſt in hoc allucinatio magna; non enim illud futurum debet dici in ſe abſolute futurum, quia cognoſcitur a Deo infallibiliter; ſiquidem Deus non accipit ſcientiam a rebus, adeoque nec certitudinem, ſed a ſe. Quamobrem nuſquam dicendum eſt futurum conditionatum eſſe abſolute futurum in ſe, licet verum ſit dicere Deum illud certo cognoſcere, quia certo cognoſcit cauſam ſecundam liberam operaturam eſſe.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Dantur futura conditionata, & ea Deus certe cognoſcit.

PRIMO, hanc veritatem docet ipſe Chriſtus, Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes quæ facta ſunt in vobis, in cilicio & cinere, pœnitentiam egiſent.*

Secundo, idem propugnat Auguſtinus, l. de don. perſ. c. 9. & c. 14. explicans illud Sap. 10. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, ait, *dictum eſt ſecundum pericula vitæ hujus*. Subſcribit D. Thomas hic q. 14. art. 3.

Tertio, quædam ſunt futura ſub quibuſdam conditionibus, ſed ea novit ab æterno Deus; alias aliquid novi adveniret ejus ſcientiæ, quum res ſit in tempore; quod quidem impoſſibile eſt: ergo, &c.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD OBJECTIONES.

PRIMO, tametſi Deus certo cognoſcat eventus ſub conditione futuros, non inde ſequitur non dari futura conditionata; talia quippe ſunt & denominantur per ordinem ad cauſam ſecundam, quæ ſub conditione nonnumquam operatur.

Secundo, nec ideo præſcientia Dei eſt in ſe aut vacillans, aut conjecturalis; nam Deus certo quidem cognoſcit eventus futuros eo modo quo ſunt futuri, videlicet ſub conditione, nam & media & finem comprehendit; unde conditio, aliquam inducens aut ſuſpenſionem, aut dubietatem, ſe tenet ex parte cauſæ ſecundæ, quæ deficere poteſt. Igitur futura in ſe manent vere conditionata, & cognoſcuntur a Deo qualia ſunt.

Tertio, vacillatio aut incertitudo eventus reperitur quidem in ſcientia hominum, quippe qui non comprehendant effectus, nec impedimenta quibus eventus præpediri poteſt, vincere ſemper queant. Deus e contra & cuncta novit, & ſcit quid ipſe aut facturus & non facturus eſt in creatura, & cum creatura: quid facturus, ſi apponatur conditio requiſita; quid non facturus, ſi deſit & deficiat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Deus cognoſcat futura contingentia, maxime conditionata, in ſeipſis independenter a decretis, ut contendunt multi Doctores Pariſienſes.

ALIQUID poteſt cognoſci dupliciter. Primo in ſe ipſo, & in veritate ſua objectiva: 2. prout continetur & repræſentatur in cauſa ſuperiori: primo modo, non cognoſcit Deus futura, accipiendo ſcilicet ſcientiam a rebus, ut nos qui accipimus ab objectis, alias ab eis dependeret: igitur ſolum ea cognoſcit in ſe ipſo, & quidem perfectiſſime, & ſecundum omnes rationes: ſed difficultas eſt inter Theologos, an Deus cognoſcat futura independenter a decreto, ſeu in priori quam ſe determinet ad ea producenda? an ad hoc requiratur ſcientia media? Omnes Catholici conveniunt in dogmate, quod ſcilicet Deus cognoſcat in ſe omnia futura conditionata, ſed diſcrepant in explicatione. Doctores multi Academiæ Pariſienſis, ut Iſambertus & alii, tenent Deum cognoſcere ea independenter a decreto, ſeu in priori ratio-

rationis ad illud. Doctores Societatis Jeſu, ad hoc admittunt ſcientiam mediam. Thomiſtæ vero decretum ſine ſcientia media ad majorem fidei explicationem requirunt. Singulas Catholicorum opiniones referemus, & ſingulas probabimus, ut pro guſtus varietate, unuſquiſque eligat quod ſibi aut placeat, aut arrideat magis. Impræſentiarum primam explicationem aggredimur & movemus.

C O N C L U S I O.

Secundum Iſambertum, & multos alios Doctores Academiæ Pariſienſis percelebres, Deus cognoſcit futura omnia contingentia etiam conditionata in ſe ipſis, id eſt, in eorum veritate objectiva, & quidem perfectiſſime independenter a decretis.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

1. DANIEL 13. *Qui noſti omnia antequam fiant.*

2. Eccleſiaſtici 23. *Domino Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.*

3. Sap. 8. *Signa & monſtra ſcit antequam fiant, & eventus temporum & ſæculorum.*

4. *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Agitur ibi de futuris contingentibus, quæ poſſunt eſſe, & quorum multa ſunt conditionata. Sed illa cognoſcuntur a Deo antequam fiant; ergo & in ſe ipſis, & hoc independenter a decreto, de quo Scriptura nullam mentionem facit.

Secundo, *Ex Patribus, & ſanctis Doctoribus.*

GREGORIUS NYSS. Orat. de Inf. ait. „ Eſt enim conſentaneum ab illo, qui peræque futurum novit ac præteritum, „ prohiberi parvuli progreſſionem ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod „ præſciens illa vis & facultas cognoverit in eo, qui victurus eſſet, ita perficiatur: atque ei, qui ea voluntate, „ arbitrioque victurus fuiſſet, materia nequitiæ vita fiat. „

Chryſoſtomus l. 1. ad Stagirium, pag. 99. “ Quid igitur, ait, cum antequam ad eam „ pervenerint ætatem, in qua bona diſcernere poſſint a malis, tanquam magna „ ſcelera commiſerint, aliqui puniuntur? „ huic argumento contra Providentiam „ reſpondet, multos illorum noſſe Deum „ malos alioqui futuros: atque ideo veluti „ pedicis quibuſdam, ſic eos pœnis coercere. „

Auguſtinus l. 2. qq. ad Simplicianum q. 2. “ Quid eſt enim præſcientia, niſi ſcientia futurorum? quid autem futurum eſt „ Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim ſcientia Dei res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes; ac per hoc non jam præſcientia, ſed tantum ſcientia dici poteſt. „

Anſelmus, l. de concord. præſcientiæ Dei cum libertate noſtra, ait: “ Quoniam „ quæ tempore præterita ſunt, ad ſimilitudinem æterni præſentis omnino immutabilia ſunt. In hoc quidem magis „ ſimilia ſunt æterno præſenti temporaliter præterita, quam præſentia: quoniam quæ ibi ſunt, nunquam poſſunt non eſſe præſentia: „ Anſelmus loquitur de ſcientia mere ſpeculativa, qua Deus præſcit, ut ordinet media ad finem; igitur cognoſcit futura contingentia ante decretum & independenter ab illo, quia præſcit antequam faciat, & quaſi ut videat quid faciendum. In eodem ſenſu loquitur Chryſ. Aug. & Gregorius recurrunt ad præſentiam rerum in æternitate, non ad decretum, ut oſtendant Deum omnia cognoſcere: ergo, &c.

Divus Thomas hic q. 14. art. 6. docet Deum cognoſcere alia a ſe propria cognitione, ſcilicet in ſeipſis, ea cognoſcere ſecundum omnes rationes in ſua eſſentia, quatenus illam cognoſcit infinite participabilem, nihil dicendo de decretis; immo ad hoc explicandum, etiam recurrit ad præſentiam rerum & in Deo & in æternitate; igitur cognoſcit Deus res in ſe ipſis independenter a decretis.

Probatur antecedens: Divus Thomas ibi ſic loquitur, „ habere propriam cognitionem de rebus, eſt cognoſcere „ res non ſolum in communi, ſed ſecundum quod ſunt ab invicem diſtinctæ. Sic autem Deus cognoſcit res. Un-

„ de

„ de dicitur Hebr. 4. quod pertingit uſ-„ que ad diviſionem ſpiritus & animæ, „ compagum quoque & medullarum: & „ diſcretor cogitationum & intentionum „ cordis; & non eſt ulla creatura in-„ viſibilis in conſpectu ejus. „ Infra in Corp. " Oportet igitur dicere quod alia „ a ſe cognoſcat propria cognitione, non „ ſolum ſecundum quod communicant in „ ratione entis, ſed ſecundum quod unum „ ab alio diſtinguitur.... Cum eſſentia „ Dei habeat in ſe quicquid perfectio-„ nis habet eſſentia cujuſcumque rei al-„ terius, & adhuc amplius: Deus in ſe „ ipſe poteſt omnia propria cognitione „ cognoſcere. „ Ibi loquitur de cognitione omnium rerum, & ideo dicit a Deo cognoſci, quia cuncta illi ſunt præſentia, quia ſuam videt eſſentiam quæ omnium continet perfectiones: igitur ex Div. Thom. Deus cognoſcit futura contingentia in ſe ipſis, & hoc independenter a decreto, ſcilicet in eſſentia quam certe in priori rationis ante decretum cognoſcit, adeoque & alia a ſe.

Idem ibidem probat art. 13. ex profeſſo Deum cognoſcere futura contingentia, quia ſunt omnia Deo in æternitate præſentia; unde recurrit S. Doctor ad præſentiam rerum in æternitate, non ad decretum, ſic enim ait: " Omnia quæ „ ſunt in tempore, ſunt ab æterno Deo „ præſentia; non ſolum ea ratione qua „ habet rationes rerum apud ſe præſen-„ tes, ut quidam dicunt: ſed quia ejus „ intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, „ prout ſunt in ſua præſentialitate, un-„ de manifeſtum eſt, quod contingentia „ & infallibiliter a Deo cognoſcuntur, „ in quantum ſubduntur divino conſpe-„ ctui ſecundum ſuam præſentialitatem, „ & tamen ſunt contingentia, ſuis cau-„ ſis proximis comparata. „ Quibus verbis duo probat S. Thomas, primum quidem Deum cognoſcere futura contingentia ſecundum ſe & infallibiliter; alterum vero ea cognoſcere in æternitate independenter a decreto: ergo, &c.

Nemeſius Philoſophus Chriſtianus l. de natura hominis, ubi providentiam Dei contra impugnantes defendit c. 44. idem docet his verbis „ " Nos enim futuro-„ rum nihil ſcientes omnino, & in præ-„ ſentia duntaxat intuentes, perperam „ eventa dijudicamus. Deo vero etiam „ futura perinde ſunt ac præſentia. „ Ergo Deus futura contingentia cognoſcit perfectiſſime in ſe ipſis, quia omnia illi ſunt in æternitate præſentia.

Tertio, *Ex rationibus Theologicis*.

PRIMA: Deus omnia cognoſcit in ideis, in quantum cognoſcit eſſentiam ſuam a creaturis participabilem: ſed ideæ concipiuntur in Deo ante decretum & voluntatis determinationem; in illo enim priori eſſentia infinitis modis concipitur participabilis: ſed ideæ repreſentant res omnes, & veritatem cujuslibet objectivam; ſiquidem ſunt cauſæ rerum exemplares, ad quas reſpiciens ſupremus Artifex operatur: igitur Deus & cognoſcit res in ſe ipſis & ante decretum, adeoque independenter a decreto. Ita docet D. Thom. hic q. 15. art. 1. & 2.

Secunda: licet non ſit in Deo ſucceſſio tum actuum, tum perfectionum, attamen multa diſtinguimus in eo, eo quod ipſius perfectio & actus æquivaleat omnibus perfectionibus & actibus creatis, qui de facto inter ſe diſtinguuntur: ſed Deus in priori quam ſe determinet ad aliquid faciendum, cognoſcit omnia creanda & creabilia, cum ſuam comprehendat eſſentiam, & comprehendendo videat quibus modis participabitur a creaturis: igitur Deus congnoſcit res in ſe ipſis & ſecundum omnes rationes quæ continentur in ſua eſſentia ut in principio a quo debent fluere. Iſta ratio traditur a Div. Thoma hic q. 14. art. 12. " Eſſentia „ autem divina, per quam intellectus „ divinus intelligit, eſt ſimilitudo ſuf-„ ficiens omnium quæ ſunt, vel eſſe „ poſſunt, non ſolum quantum ad prin-„ cipia communia, ſed etiam quantum ad „ principia propria uniuſcujuſque, ut oſten-„ ſum eſt. Unde ſequitur quod ſcien-„ tia Dei ſe extendat ad infinita, etiam „ ſecundum quod ſunt ab invicem di-„ ſtincta. „

Tertia: ſcientia Dei eſt ſpeculativa: ſed ejus officium & munus eſt intueri & cognoſcere objecta; ad omnipotentiam vero & voluntatem ſpectat ea face-

Digitized by Google

re : igitur Deus cognoſcit res independenter a decreto ; maxime , quia ſuam videt eſſentiam, in qua cuncta repræſentantur. Probatur antecedens ex D. Thom. qui hic qu. 14. art. 16. quærens utrum Deus habeat ſcientiam de rebus ſpeculativam, ſic reſpondet in argumento, ſed contra : *Omne quod eſt nobilius , Deo eſt attribuendum , ſed ſcientia ſpeculativa eſt nobilior quam practica , ut patet per Philoſophum in principio Metaphyſic. ergo Deus habet de rebus ſcientiam ſpeculativam .*

Quarta : Cognitio rerum apud Deum pertinet ad intellectum : ſed decretum eſt actus voluntatis ; igitur decretum non eſt ratio formalis cognoſcendi res apud Deum.

Quinta : præſcientia Dei humanæ nullo modo adverſatur libertati : ſed ſi fundaretur in decreto prædefiniente , liberum vix ſalvaretur arbitrium ; enimvero decretum prædefiniens eſt antecedens & immutabile, unde illo ſemel poſito, neceſſario ſequitur effectus . Alias propoſitum Dei falli poſſet , quod ſummum foret inconveniens . Hæc ratio eſt S. Chryſoſtom. qui Hom. 17. in Joan. ait : *Non prævenit noſtras voluntates ; ne perdat noſtrum liberum arbitrium .*

Sexta : ſi Deus cognoſceret futura conditionata libera in decreto , videtur quod eſſet auctor peccati ; tum quia cognoſceret peccatum futurum in tali decreto ; tum quia ſcientia ipſius eſſet cauſa rerum quas ipſe intuetur , adeoque & peccati , ſed hoc non poteſt dici ; igitur Deus non cognoſcit futura contingentia in decreto , ſed in ſeipſis , & in eorum veritate objectiva .

Quarto , *Ex rationibus Phyloſophicis .*

PRIMA eſt. Deus cognoſcit eſſentias rerum ut ſunt , v. g. hominem eſſe animal rationale : ſed eſſentiæ rerum ex natura ſua ſunt immutabiles & æternæ veritatis , ideſt , verum eſt ab æterno dicere , homo eſt animal rationale independenter a decreto ; alias ſi ſubderetur illi , poſſet mutari ; & ſic propoſitio non foret æternæ veritatis : igitur Deus cognoſcit res in ſeipſis per ideas independenter a decreto .

Secunda : e duabus propoſitionibus de futuro contingenti , ut Petrus diſputabit, Petrus non diſputabit ; una eſt determinate vera ex ſe , altera determinate falſa . 1. Quia una eſt conformis objecto ; 2. quia verum eſt dicere quod aliquando erit ; 3. quia decretum non poteſt illam mutare ; alias , iſta propoſitio : Petrus diſputabit , ante decretum eſſet falſa , ſi non vera , manet igitur unam a ſe determinate veram , alteram vero determinate falſam ; 4. quia veritas & falſitas ſunt proprietates propoſitionis , & illi neceſſario conveniunt : 5. quia in propoſitionibus disjunctivis, una eſt determinate vera, altera determinate falſa : igitur & in aliis : 6. denique quia neutra poteſt eſſe vera : igitur una eſt determinate vera, altera determinate falſa . Sed Deus cognoſcit res ut ſunt : ergo cum ſint veræ ante decretum , eas cognoſcit independenter a decreto .

Tertia : ſi Deus futura contingentia cognoſceret dependenter a decreto , nullum foret diſcrimen inter ejuſmodi futura , & alia quæ dicuntur neceſſaria : illa ſiquidem infallibiliter & neceſſario ſicut iſta evenirent : ſed latum eſt inter ea diſcrimen : igitur dicendum eſt Deum cognoſcere futura contingentia independenter a decreto . Tum quia voluntas de opere patrando ſupponit opus in idea formatum & præconceptum , quandoquidem idea eſt exemplar , ad quod reſpiciens artifex operatur ; ſin minus , cæco ageret modo , inquit Div. Thomas, hic q. 15. art. 1. Igitur prius eſt rem cognoſci & eſſe in idea , quam agens eam velle facere , maxime vero cum in ſententia oppoſita decretum det rei exiſtentiam .

Reſpondetur ad objectiones .

OBJICIES 1. Epheſ. 1. habetur : *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* , ſcilicet Deus. Unde ſic arguitur , Deus cognoſcit res eo modo quo illas facit, ſed illas producit ſecundum conſilium ſuæ voluntatis ; igitur illas cognoſcit ſemper in decreto.

Reſpondeo diſtinguendo : Deus cognoſcit res eo modo quo illas facit directive , con-

concedo : quo illas facit realiter & a parte rei , ſubdiſtinguo ; illas cognoſcit in æternitate , concedo : dependenter a decreto, ita ut illud ſit cauſa a priori & cognitionis & ſcientiæ rerum , nego : voluntas, utpote cæca , non eſt ratio & medium ſcientiæ , ſed intellectus , unde ad ſummum ſe habet concomitanter ad ſcientiam .

Ut igitur omnis tollatur æquivocatio , duo ſunt diſtinguenda ; videlicet cognitio rei antequam fiat , & cognitio rei factæ , ſeu ideæ rei faciendæ & executio . Primum eſt tantum opus intellectus, cujus eſt cognoſcere & contemplari rerum eſſentias tum in ideis , tum in æternitate , in quo duplici medio res tam poſſibiles quam futuræ repræſentantur , & hæc cognitio eſt ſcientia , ſed mere ſpeculativa , ut dicit D. Thom. hic q. 14. art. 16. Secundum vero , ſcilicet executio, eſt opus voluntatis omnipotentis , cui omnia obediunt . Cuncta igitur cognoſcit Deus, ſed in ideis & in æternitate ubi repræſentantur, ita ut decretum ſe habeat ſolum ut quid concomitans , nuſquam vero ut cauſa cognitionis, cum medium notitiæ ſit & idea , quæ eſt forma in qua veritatem objectivam repræſentatam intuetur intellectus , & æternitas , quæ omnia complectitur tempora .

Oppones 2. Div. Thom. hic q. 14. dicit Deum cognoſcere res non ſolum in ideis & in æternitate , verum etiam in virtute earum productiva : ſed illa virtus eſt decretum : Igitur Deus cuncta futura cognoſcit in decreto .

Reſpondeo 1. D. Thomam non dicere Deum cognoſcere res ſolum in decreto , immo in locis ſupra laudatis , aſſerit Deum & in ideis & in æternitate eas clare perſpicere .

Reſpondeo 2. diſtinguendo : dicit Deum cognoſcere res in decretis , ut ipſa decreta repræſentantur in æternitate , concedo : cognoſcere ut in cauſis prædefinientibus & prædeterminantibus , nego . Deus comprehendit quidquid eſt in ſua eſſentia ; videt , inquit Suarez , hic , quaſi decretum futurum , quia juxta Patres ſcit Deus, quicquid facturus eſt ; igitur videt res in veritate objectiva independenter a decreto , ſaltem ut a cauſa cognitionis.

Inſtabis : D. Thom. q. 6. de Verit. art. 3. ad decimum , docet nihil eſſe Deo futurum ; ſic enim loquitur : *Actus prædeſtinationis commenſuratur æternitate , nunquam cadit in præteritum , ſicut nunquam eſt futurus , ſed ſemper conſideratur ut egrediens a voluntate per modum libertatis* . Ergo decretum non poteſt concipi ut futurum .

Reſpondeo 1. non dari ideam de Deo , quia idea eſt aliud a cognoſcente , inquit Div. Thom. hic q. 15. ſed Deus ſemetipſum immediate cognoſcit , creaturas vero in medio prius cognito , videlicet in ideis, in æternitate , in virtute ſuæ omnipotentiæ . Quid plura ? cum liberum ſit Deo creare vel non creare , manifeſtum eſt decretum connotare creaturas producendas ; quinimmo ipſum decretum repræſentari , tum in ideis , tum in æternitate , non implicat ; quandoquidem hoc eſt potius creaturas quam Deum repræſentare .

Reſpondeo 2. diſtinguendo : nihil eſt futurum in Deo abſolute , concedo : relative ; ſubdiſtinguo : futurum mere divinum , concedo : divinum connotans creaturas , iterum ſubdiſtinguo : nihil eſt futurum realiter & in tempore , concedo : virtualiter , & poſterioritate a quo , nego : quædam ſunt abſoluta in Deo , ut attributa : quædam relativa , ut perſonæ : quædam relativa ad creaturas , ut decreta libera . Quæ ſunt ſimpliciter abſoluta , neque ſunt futura , neque ut veluti futura concipiuntur , quippe quæ ſint ipſe Deus . Eadem prorſus ratione perſonæ divinæ nuſquam dicuntur futuræ , verum potius intelliguntur ut ſemper agentes , & quædam ut egredientes , at vero abſolutum relativum ad creaturas , quale eſt decretum liberum de earum productione , poteſt concipi quodammodo ut futurum ; in quantum prius eſt & Deum eſſe , & ſe ipſum intelligere , quam formare decretum de condendis creaturis , quandoquidem creaturæ non habent neceſſariam cum Deo connexionem ; nec mirum, potuerunt enim eſſe, & non eſſe .

Objicies 3. Hilarius l. 9. de Trin. ſic loquitur : *Quæ Deus facere decrevit , in ſua voluntate cognovit* : ergo Deus cognoſcit futura conditionata ſolum in de-

decretis, ſeu in determinatione ſuæ voluntatis.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus cognoſcit quæ facere vult in ſua voluntate, quoad executionem & exiſtentiam a parte rei, concedo: quoad veritatem objectivam, nego. Siquidem hæc pertinet ad ideas: Duo igitur cognoſcit Deus in futuro, nempe veritatem objectivam, deinde executionem; veritatem ſcilicet, deinde creaturam ponendam a parte rei & in tempore tali. Primum antecedenter ad decretum cognoſcit, ſecundum vero in decreto, in quantum voluntas vult rem fieri in tali tempore; & ideo recte dicitur Deus ſcire quid facturus eſt.

Reſpondeo 2. iterum diſtinguendo: Deus cognoſcit in ſuo decreto ut repreſentato in æternitate quæ menſurat omnia, & menſurando continet, concedo: in decreto prævio & prædefiniente, nego. Certum eſt res non a ſeipſis, ſed a Deo habere eſſe; attamen unum maxime annotare juvat, Deum, tum in ideis, tum in æternitate præſcire quid creatura, agendo & ſe determinando ad opus, libere factura eſt; vult enim & ſic ſtatuit eam libere agere, nec inde ſequitur creaturam eſſe ſui actus cauſam primam, cum ad operandum & mediate, virtute ſcilicet a creatore accepta, & per concurſum ejus ſimultaneum adjuta, ſeſe applicet ad opus.

Reſpondeo 3. rurſus diſtinguendo, ſed aliter: Deus in ſua voluntate concomitante & applicante intellectum ad objecti contemplationem futura cognoſcit, concedo: in voluntate prævia & prædeterminante, nego: hæc igitur actuum humanorum a Deo præſcitorum œconomia eſt: voluntas applicat intellectum divinum ad creaturas; cum enim non habeant neceſſariam cum Deo connexionem, niſi voluntas divina accedat, nullæ futuræ ſunt: hinc D. Thom. hic q. 14. ait, ſcientiam Dei de futuris contingentibus habere voluntatem adjunctam: igitur voluntas ſe habet ut concomitans & concurrens, applicando potentiam intellectivam ad futura libera conſideranda, minime vero ut cauſa prævia & prædeterminans.

Objicies 4. ſi non datur decretum prædeterminans, ſequitur Deum non eſſe primum actus liberi cauſam: & probatur: creatura ſeipſam determinabit; ergo, &c.

Reſpondeo negando ſequelam, ad probationem diſtinguo, ſe ipſam determinabit creatura, per virtutem acceptam a Deo & per concurſum immediatum Dei illam adjuvantem, concedo; ſe determinabit independenter a concurſu, nego; datur concurſus Dei mediatus, datur & immediatus; mediatus in quantum confert virtutem creaturæ ut ex ſe agat, juxta illud Lucæ 20. *Videte ficulneam & omnes arbores, cum jam ex ſe producunt fructum;* immediatus, quia Deus producit effectum cum cauſa ſecunda: utrumque concurſum explicat Concilium Arauſicanum, canone nono, his verbis: *quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.* Agit in nobis, ecce concurſus mediatus; agit nobiſcum, ecce immediatus: in ordine quidem naturali agit in nobis per virtutem innatam, in ordine vero ſupernaturali per gratiam.

Inſtabis: quod eſt in potentia, debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu: ſed illa virtus mediata innata, eſt etiam in potentia; igitur requiritur concurſus prævius illam applicans ad actum. Confirmatur; concurſus immediatus non ſufficit, quia eſt quid extrinſecum, & ſe tenet ſolummodo ex parte effectus. Hæc omnia probant decreta prædefinientia, in quibus Deus futura cognoſcit contingentia.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: quod eſt in potentia debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu, per concurſum ſimultaneum, concedo: per concurſum prævium, ſubdiſtinguo, ſi cauſa ſecunda non ſit libera, concedo: ſi ſit, nego: cauſæ neceſſariæ & naturales, ut ſol, ignis, & ſimiles applicantur ad actum per concurſum prævium, unde cauſa prima eas neceſſario applicat ad actum; ſed non ita eſt de homine; nam cum ſit ex innata virtute liber, ſe ipſum applicat ad actum, ſiquidem relictus eſt in manu conſilii ſui: adjuvatur autem per concurſum ſimultaneum, & per præmotiones morales, ideſt per objectum quod prius movet & excitat potentiam: *ſic*, inquit Aug. Tract. in Joan. *oſtendis nuces puero & attrahis illum ad te*: Igitur creatura movetur morali-

Digitized by Google

raliter per obiectum, phyſice vero per concurſum ſimultaneum, qui realiter illam adjuvat, & ſic excitata & adjuta proſilit ex innata virtute ad actum.

Objicies 5. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum, cap. 4. ſic loquitur: *concedo fieri poſſe, ſed utrum neſcio, & ideo neſcio, quia quid habeat de hac re voluntas Dei me latet: illud me tamen non latet ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*. Per hæc verba ſanctus Doctor totam futuritionem repetit a decreto; ergo Deus cognoſcit res ſolum in decreto prædefiniente.

Reſpondeo diſtinguendo: Auguſt. totam futuritionem a decreto repetit, ut res in tempore producatur, concedo; ut cognoſcatur, ſubdiſtinguo; ab homine, concedo; a Deo, nego. Auguſtinus loquitur de cognitione rerum reſpectu noſtri; nos autem ignoramus futura libera utpote abſcondita, hinc & cognoſcimus res ſolum quando fiunt & ſunt; quia vero nihil fit niſi Deus velit, ideo dicit Auguſt. *ſi Deus aliquid decrevit, futurum profecto eſt, & aliquando erit*: ſed non loquitur de cognitione quam habet Deus ab æterno de rebus antequam fiant, & conſequenter antequam exiſtant; eas igitur ab æterno cognoſcit ſolum per ideas, & ſuam comprehendendo eſſentiam.

Oppones 6. Decretum Dei de rebus producendis, eſt æternum & cauſa rerum: ſed Deus ex D. Thom. hic q. 14. art. 3. in ſua virtute, quæ eſt cauſa rerum & principium, futura cognoſcit: igitur in decreto.

Reſpondeo diſtinguendo: decretum eſt æternum & ſubſequitur ad cognitionem rerum, concedo: & non ſubſequitur, ſed eſt determinans, nego: prius eſt Deum eſſe, quam decernere creaturas, cum ſint quid liberum & contingens, non habens neceſſariam cum Deo connexionem. Videt autem Deus, inquit Div. Thom. hic qu. 14. art. 3. & 4. in ſua eſſentia omnia quæ facturus eſt. Deinde videt decretum quaſi futurum, videt in illo futurum contingens, videt in æternitate quæ ipſum repræſentat decretum: denique decretum utpote potentia executiva magis reſpicit productionem rei, quam cognitionem ejus objectivam.

Inſtabis: D. Thom. hic qu. 16. art. 7. ad 3. ait: " Illud quod nunc eſt, ex eo
" fuit futurum antequam eſſet; quia in
" cauſa ſua erat ut fieret. " Unde ſic arguitur; futurum eſt ſolum futurum per decretum: ergo cognoſcitur ſolum in eo.

Reſpondeo 1. Div. Thom. hic qu. 14. art. 6. dicere Deum cognoſcere alia a ſe ſecundum omnes rationes, quia continet omnium rerum perfectiones. " Cum Deus
" in ſe, inquit, omnes contineat perfe-
" ctiones, comparatur Dei eſſentia ad
" omnes rerum eſſentias, non ſicut com-
" mune ad propria, ut unitas ad nume-
" rum, vel centrum ad lineas, ſed ſicut
" actus perfectus ad imperfectos. . . . ſic
" igitur, cum eſſentia Dei habeat in ſe,
" quidquid perfectionis habet eſſentia cu-
" juſcumque rei alterius, & adhuc am-
" plius cognoſcit omnes res propria co-
" gnitione ſecundum quod ab aliis diſtin-
" guuntur. " & art. 11. " Cum enim
" ſciat alia a ſe per eſſentiam ſuam, in
" quantum eſt ſimilitudo rerum, vel ut
" principium activum earum: neceſſe eſt
" quod eſſentia ſua ſit principium ſuffi-
" ciens cognoſcendi omnia. " Igitur independenter a decreto de quo nullam hic facit mentionem Divus Thomas. Et vero ſi ad hoc requireretur decretum, profecto eſſentia divina non foret ſufficiens rerum principium, quod eſt a mente Angelici Doctoris alienum. Cæterum cognoſcere aliquam rem, eſt cognoſcere ejus naturam: porro quælibet creatura eſſentiam habet & naturam a prima & ſuprema eſſentia, quatenus illam tali vel tali modo participat. Et certe, cognitio non terminatur ad exiſtentiam niſi in concreto, & ut dicit totum ens in ſe completum: exiſtentia enim in ſe & in abſtracto ſpectata eſt terminus cognitionis tantummodo ſecundarius, ſiquidem eſt ſolum ſubſtantiæ modus, & veluti conditio, ſine qua non foret a parte rei.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: res non eſt futura niſi per decretum, tanquam per conditionem ſine qua non poneretur a parte rei, concedo: tanquam ratio a priori cognitionis, nego. Decretum eſt conditio ad exiſtentiam, ſed eſſentia rei ſumitur a cognitione eſſentiæ divinæ, cujus eſt emanatio, unde ſola eſſentia eſt cauſa rerum. Quando vero Div. Thom. dicit res cognoſci in virtute ſua, ut in cauſa, virtutem eſſentiæ divinæ, non decreti intelligit: nam hic qu. 14. art. 4. aſſerit Deum cognoſcere alia a ſe, quia co-

cognoſcit ſuum eſſe & virtutem ſui eſſe: art. 5. addit cognoſcere ſingula propria cognitione, quia ipſius eſſentia continet omnium perfectiones.

Reſpondeo 3. Div. Thomam in loco adducto ubi de cauſa rerum loquitur, intelligere eſſentiam, cui per ſe competit æternitas; quia vero eſſentia divina eſt æterna & rerum æternum principium, ideo res ſunt futuræ ſolum per ipſam, quia habent naturam a parte rei ſolummodo per illam. „ Ad tertium, inquit, dicendum, quod illud quod nunc eſt, ex eo „ futurum fuit antequam eſſet, quia in „ cauſa ſua erat ut fieret: unde ſublata „ cauſa, non eſſet futurum illud fieri. „ Sola autem cauſa prima eſt æterna, „ unde ex hoc non ſequitur quod ea quæ „ ſunt, ſemper fuerint, iterum ea eſſe „ futura, niſi quatenus in cauſa ſempiter„ na fuit, ut eſſent futura; quæ quidem „ cauſa ſolus eſt Deus. " Denique q. 14. art. 13. ubi agit ex profeſſo de cognitione futurorum contingentium, recurrit ad æternitatem, ut probet ea cognoſci a Deo. Igitur decretum non eſt cauſa cognitionis rerum, ſed ſolummodo cauſa productionis in tempore, quia productio terminatur per ſe primo ad exiſtentiam, cognitio vero ad eſſentiam & naturam rei.

Objicies 7. ante decretum nihil eſt futurum, ſed omnia ſunt mere poſſibilia, ergo Deus cognoſcit futura contingentia ſolum in decreto prævio & prædefiniente. Probatur antecedens: ante decretum nulla cauſa eſt determinata ad producendum effectum: non prima, quia nondum eſt voluntatis Dei determinatio: non ſecunda, quia movetur & determinatur a prima, quæ concipitur ante decretum indifferens: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: ante decretum connotatum, nihil eſt futurum, concedo: ante decretum factum, ſubdiſtinguo; nihil eſt futurum in actu ſecundo, & quoad exiſtentiam, concedo: quoad eſſentiam, nego. Futurum contingens, verbi gratia, Petrus Dominum in cruce confitebitur, poteſt conſiderari dupliciter: 1. Secundum eſſentiam & ut confeſſio Chriſti eſt: 2. Secundum exiſtentiam quatenus confeſſio erit tali tempore; iſte pietatis actus eſt futurus per eſſentiam divinam ut decretum connotat, quia decretum eſt virtus emanans ab eſſentia divina, quatenus eſt participabilis ſecundum ſuam ſanctitatem: exiſtentia vero actus producendi eſt per decretum ſimul & determinationem creaturæ, quæ, ut diximus, adjuta per concurſum Dei ſimultaneum, ſeipſam determinat ad actum eliciendum. Igitur eſſentia divina ut connotans voluntatis divinæ decretum, continet in ſe futura contingentia, eaque educit e ſtatu meræ poſſibilitatis: eſſentia vero conſiderata ſecundum ſe & ſine ordine ad voluntatis determinationem poſſibilia continet, quæ in ea cognoſcuntur: ſpectata igitur cum decreto, repræſentat exiſtentiam actualem, quæ in æternitate ſua relucet: & ſic Deus videt futurum contingens in eſſentia ſua ut connotat decretum: videt ſecundum exiſtentiam in eſſentia conjuncta cum decreto, ſed non in decreto prædeterminante: videt iterum in æternitate quæ tempus in quo futurum erit, complectitur.

Inſtabis: e duabus propoſitionibus de futuro contingenti, nulla eſt determinate vera aut falſa: & probatur: nullæ cauſæ concipiuntur determinatæ ante decretum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: nulla eſt determinate vera aut falſa quoad exiſtentiam & in concreto: ideſt nulla eſt a parte rei, concedo: quia cauſa ſecunda nondum agit; quoad eſſentiam, ſubdiſtinguo: reſpective ad cauſam ſecundam, utpote quæ concipitur tunc indifferens, concedo: quoad ſe & cauſam primam, nego. Eſſentiæ ſunt æternæ veritatis & immutabiles: eſſentia iſtius, verbi gratia, futuri, Petrus Chriſtum confitebitur in cruce: Petrus non confitebitur; una erit & eveniet. Veritas autem affirmativa cognoſcitur a Deo in ſua eſſentia modo ſupra explicato: ſcit enim ab æterno Deus quid homo libere agens faciet in tempore.

Solvitur difficile argumentum.

OBJICIES: ſcientia Dei eſt cauſa rerum, juxta illud Pſalm. *Qui fecit cælos in intellectu*: Igitur alia a ſe cognoſcit Deus in voluntate, cui omnia obediunt, & ſine qua ſcientia ſterilis foret: ergo cognoſcit in decreto prævio omnia futura contingentia.

Reſpondeo 1. iſtud argumentum & alia ejuſ-

ejuſmodi probare ſolummodo decretum connotari, illudque ſe habere ut concomitans & applicans intellectum ad cognitionem & productionem rerum, minime vero ut prævium, ita ut indepeudenter a creaturis liberis, aliquid ſit futurum: immo connotat creaturas quæ debent agere; igitur non prævenit hominum voluntates, ne lædatur liberum arbitrium.

Reſpondeo 2. diſtinguendo, ſcientia Dei eſt cauſa rerum directiva, concedo: effectiva, ſubdiſtinguo: ut counotat decretum & cauſas ſecundas, concedo: ſecus, nego. Ipſe D. Th. tam ſæpe laudatus, dicit eſſentiam ſolam eſſe principium effectivum rerum, & hoc per ideas, in quantum eſt participabilis a creaturis. Immo ſcientia divina ſupponit objectum, & ex eodem S. Doctore eſt ſpeculativa; prius eſt igitur concipere res in virtute divina, ſcilicet in ipſius eſſentia contentas, quam Deum illas cognoſcere. Eſt igitur ſcientia cauſa rerum directiva per ideas, quia ad eas aſpiciens Deus, ſeu ad ſuam eſſentiam, operatur, effectiva vero & reductiva, ut connotat determinationem voluntatis ſeu decretum, quia ſic conjuncta cum decreto, non eſt preciſe ſpeculativa & ſcientia, ſed principium & cauſa productiva ad extra.

Urgebis: Dion. de divinis nom. dicit expreſſe ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, & Maximus ipſius interpres in ſcholiis ad c. 5. de divinis nom. Dion. ait: *Ipſa enim ejus*, ſcilicet Dei, *notio*, *eorum quæ ſunt eſt productio*. Ergo ſcientia Dei eſt cauſa rerum non ſolum directiva, ſed & productiva.

Reſpondeo diſtinguendo: eſt productiva directive, concedo: per ſe, nego. Ex D. Thom. q. 15. hic art. 1. & 2. Scientia Dei eſt cauſa rerum per ideas quæ dirigunt, quia ad eas ut ad exemplaria reſpiciens Deus, agit; realiter vero, ponendo res a parte rei ſolum ut connotat voluntatis determinationem. Ita D. Thom. hic q. 14. art. 8. his verbis: "Forma in„ telligibilis, inquit, non nominat actio„ nis principium ſecundum quod eſt tan„ tum in intelligente, niſi adjungatur ei „ inclinatio ad effectum, quæ eſt per vo„ luntatem. Cum enim forma intelligi„ bilis ad oppoſita ſe habeat, cum ſit ea„ dem ſcientia oppoſitorum, non produ„ ceret determinatum effectum, niſi per „ appetitum determinaretur ad unum, ut „ dicitur 9. Metaphyſic. manifeſtum au„ tem eſt quod Deus per intellectum ſuum „ cauſet res, cum ſuum eſſe ſit ſuum in„ telligere: unde neceſſe eſt quod ſua eſ„ ſentia ſit cauſa rerum ſecundum quod „ habet voluntatem conjunctam.

Inſtabis: locus iſte D. Thomæ, probat clare nihil eſſe futurum niſi per decretum: ergo Deus cognoſcit res ſolum in decreto.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: cognoſcit Deus futura contingentia in decreto comite, concedo: in decreto præfiniente, nego. Vel aliter diſtinguo: in decreto quod concipit quaſi futurum & quod ſcientia connotat, concedo: in decreto ut in cauſa formali, nego; namque cauſa formaliter effectiva rerum, eſt eſſentia divina participabilis, & cui aliqualiter aſſimilantur creaturæ producendæ: quæ quidem non dicuntur ſimiles decreto, ſed ſimiles Deo & ipſius eſſentiæ ſecundum quid, & in linea in qua participant ejus perfectiones.

Iterum inſtabis: Gregorius l. 2. moral. c. 23. ait: *Quæ ſunt ab æternitate ejus, ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur*: igitur ſcientia Dei eſt cauſa rerum per decretum prævium; & probatur: non ſunt ante decretum & ſcientiam, ſed per decretum & ſcientiam, quandoquidem ſunt, quia noſcuntur: ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: decretum præcedit exiſtentiam rerum in tempore, concedo: prius eſt enim cauſam eſſe quam rem produci; præcedit veritatem rei objectivam, nego. Veritas enim illa eſt ipſa eſſentia divina tali vel tali modo participabilis. Solutio colligitur ex Origene, qui in c. 8. Epiſt. ad Rom. ſic loquitur: *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur a Deo antequam fiat*. Cæterum dictum Gregorii probat ſolummodo eſſentiam Dei eſſe cauſam rerum, & dicimus cum Div. Thom. hic q. 15. ideas eſſe cauſas rerum, qnia ad diverſos modos, quibus eſſentia divina eſt participabilis, reſpiciens Deus, operatur; unde recte infertur ideo res eſſe, quia novit Dominus, ideſt, quia novit in eſſentia & idea, vel quia novit eſſentiam ſuam eſſe hoc modo participabilem. Igitur non requiritur decretum prædeterminans, item probe dicitur, ideo res eſſe quia novit Deus, & non e contra, ut intelligamus Deum non accipere ſcientiam

tiam a rebus ſicut & nos : nam nos ſupponimus, verbi gratia, ſolem de quo multa demonſtramus, ſed Deus nihil ſupponit, quia eſt cauſa rerum omnium de quibus habet ſcientiam : igitur res ſunt quia Deus eo ſenſu eas novit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus cognoſcit futura conditionata in ſua eſſentia ante decretum.

PRIMO, quia Scriptura ſacra Danielis 13. de Deo loquens, ait : *Tu noſti omnia antequam fiant* : unde eadem Scriptura, quotieſcumque ſermonem facit de cognitione rerum apud Deum, nuſquam meminit decreti ; nec mirum, operationem reſpicit, & rei alicujus executionem, ſed non cognitionem.

Secundo, quotieſcumque Patres loquuntur de præſcientia Dei, recurrunt ſemper & ad ideas & ad æternitatem : igitur Deus cognoſcit futura independenter a decreto.

Tertio, cognitio pertinet ad intellectum : ſed decretum eſt voluntatis actus : igitur actio formalis res cognoſcendi apud Deum non eſt decretum.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD ARGUMENTA IN CONTRARIUM.

PRIMO, verum eſt Deum omnia operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, nec quidquam eſſe futurum niſi velit, ſed ex hoc ſequitur ſolum decretum ſe habere concomitanter, ſeu connotari pro cognitione rerum apud Deum, ſed non formaliter ſe habere, enimvero cognitio eſt actus intellectus, non voluntatis.

Secundo, verum eſt utique nihil eſſe futurum in concreto independenter a decreto, hoc eſt, nihil habere exiſtentiam a parte rei abſque voluntatis divinæ beneplacito ; aſt poteſt eſſe futurum objective antecedenter ad decretum, tum quia nihil vetat ipſum decretum in priori præſcientiæ futuri conditionati concipi quaſi futurum.

Tertio, non inde ſequitur creaturam eſſe ad aliquid independenter a Deo determinatam ; quandoquidem nulla cauſa poteſt ad effectum aliquem producendum ſeſe determinare niſi per concurſum Dei mediatum, immo & per immediatum ſimultaneum, unde jus primæ cauſæ per omnia ſervatur.

Quarto, Nec obeſt ſcientiam eſſe cauſam rerum, hoc quippe intelligendum eſt directive, nuſquam vero efficienter.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Deus cognoſcat futura contingentia conditionata per ſcientiam mediam.

CONCLUSIO.

Deus cognoſcit futura conditionata libera per ſcientiam mediam ſecundum Theologos Societatis Jeſu, & de facto datur juxta illorum ſententiam talis ſcientia.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

1. MATTH. 11. *Va tibi, Corozain*, inquit Chriſtus, *va tibi, Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

2. Ibidem. *Et tu, Capharnaum, numquid uſque in cœlum exaltaberis ? uſque in infernum deſcendes. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem.*

3. Rom. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* Datur igitur in Deo præſcientia, & quidem futurorum conditionatorum ; de his enim fit mentio in duobus primis locis, & etiam in tertio ; præſcivit quippe electos bene acturos, ſi ponerentur in tali vel tali bona circumſtantia, & propter hoc elegit eos ad gloriam : ſed hæc præſcientia eſt ſcientia media inter ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ; eſt enim de conditionatis futuris, quæ ſunt media inter poſſibilia & abſolute futura. Igitur Deus cognoſcit futura conditionata libera per ſcientiam mediam.

Se-

Secundo, *Ex ſanctis Patribus*.

AUGUSTINUS l. 1. ad Simplicia. q. 2. ſic loquitur: „ Verum eſt ergo, multi „ vocati, pauci electi. Illi enim electi, „ qui congruenter vocati: illi autem, „ qui non congruebant, neque contem- „ perabantur vocationi, non electi, quia „ non ſecuti, quamvis vocati. Item ve- „ rum eſt, non volentis neque currentis, „ ſed miſerentis eſt Dei: quia etiamſi „ multos vocet, eorum tamen miſeretur, „ quos ita vocat, quomodo eis vocari „ aptum eſt, ut ſequantur. “ l. de qq. Pagan. q. 2. quærentibus Paganis cur Chriſtus tam tarde venerit? cui quæſtioni reſpondet: „ Tunc Chriſtum voluiſſe ho- „ minibus apparere, quando & ubi ſcie- „ bat eſſe qui in eum fuerant credituri. *Rurſus* l. 22. n. 2. de civ. Dei cap. 1. ait, “ Qui cum præſciret Angelos quoſ- „ dam per elationem, qua ipſi ſibi ad „ beatam vitam ſufficere vellent, & tan- „ ti boni deſertores futuros, non eis hanc „ ademit poteſtatem, potentius & me- „ lius eſſe judicans, etiam de malis bene „ facere, quam mala eſſe non ſinere. “ Ecce ſcientia media verbis claris delineata; namque prævidens Deus Angelorum lapſum, ne eorum lædat arbitrium, ſinit ad nutum illos agere: qua quidem Aug. ſententia liquet, quantum libertati creatæ conſervandæ, amica ſit & conveniens ejuſmodi ſcientia.

Ad eamdem recurrit ſcientiam S. Doctor l. de corr. & gr. cap. 8. cum ait, Deum quoſdam e vita rapere, eo quod prævideat, ne ſi diutius viverent, malitia immutati & perverſi, reprobi evaderent. Simili innixus principio, l. de dono perſ. c. 14. n. 35. loquitur de Tyriis & Sidoniis quos non ita obduratos commemorat, ut credere renuiſſent. “ Ex „ quo, inquit, apparet habere quoſdam „ in ipſo ingenio, divinum naturaliter „ munus intelligentiæ, quo moveantur „ ad fidem; ſi congrua ſuis mentibus vel „ audiant verba, vel ſigna accipiant. „ His & ſimilibus ſententiis totum gratiæ prædeſtinationis negotium per ſcientiam, qua cuncta prævidentur & præparantur media, explanat B. Auguſtinus; ita ut nihil ultra, ipſo teſte, importet prædeſtinatio.

Sic fatur lib. de dono Perſev. cap. 14. num. 35. “ An quiſquam dicere audebit, „ Deum, non præſciſſe quibus eſſet da- „ turus ut crederent, aut quos daturus eſ- „ ſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet „ quenquam? quæ utique ſi præſcivit, „ profecto beneficia ſua, quibus non digna- „ tur liberare, præſcivit. Hæc eſt præ- „ deſtinatio ſanctorum, nihil aliud. Præ- „ ſcientia ſcilicet, & præparatio benefi- „ ciorum Dei quibus certiſſime liberantur, „ quicumque liberantur. Iterum ibidem „ c. 17. n. 41. “ Iſta igitur ſua dona qui- „ buſcumque Deus donat; procul dubio „ ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua „ præſcientia præparavit. „ Igitur præſcientia cognoſcens Deus quid homo acturus ſit in tali vel tali circumſtantia, præparat ei gratiæ auxilia quibus certiſſime liberantur, namque providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: prævidet conſenſurum Petrum gratiæ, decernit in tempore illo congruo opem dare, & ſic gratia per ſcientiam mediam præparata, ſuum infallibiliter conſequitur effectum.

Quid plura? vocari ſecundum propoſitum ad ſanctitatem & gloriam, eſt vocari per ſcientiam mediam in mente Auguſtini, qui lib. de Corrept. & Gr. c. 7. num. 23. explicans iſta Apoſt. Rom. 8. 28. verba: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*: ait: „ oſtendens autem „ quid ſit ſecundum propoſitum vocari, „ mox addidit ea quæ jam ſupra poſui: „ quoniam quos ante præſcivit, & præ- „ deſtinavit conformes fieri imagini filii „ ejus... illa omnia jam facta ſunt; præ- „ ſcivit, prædeſtinavit, vocavit, juſtifi- „ cavit, glorificavit. “

Damaſcenus, l. 2. de Fide c. ult. idem prorſus dicit: „ Illud quidem ſcire inte- „ reſt, Deum quidem omnia præſcire, „ ſed non omnia præfinire; præſcit enim „ ea quæ in noſtra poteſtate & arbitrio „ ſita ſunt: at non ea præfinit; neque e- „ nim vitium admitti vult, nec rurſus „ vim virtuti affert.

Bernardus ſerm. 54. in Cant. ſic ait: „ Deus interdum ſubtrahit gratiam, non „ pro ſuperbia quæ jam ſit, ſed quæ fu- „ tura eſſet, niſi gratia ſubtraheretur. Patres paſſim dicunt Deum noſtras non prævenire voluntates, ne lædatur liberum arbitrium, ſed cum prævidet nos bene actu-

acturos, tunc adjuvare. Damaſcenus docet expreſſe Deum omnia præſcire, ſed non omnia præfinire & prædeterminare, ne, inquit, vitium admitti ſinat, & vim inferat virtuti, quam libere exercere debemus. Bernardus vero vult Deum omnia præſcire antequam fiant: ergo ex illis Patribus datur ſcientia media, qua Deus ſpeculatur quid creatura factura ſit in quibuſdam temporis circumſtantiis, an gratiæ reſiſtat & peccet; an conſentiat inſpirationi & beneficiat. Et ſic per ſcientiam mediam videt Deus futura conditionata libera, ſive pro bono, ſive pro malo; quod quidem maxime arridet libertati, in quantum Deus neminem aut eligat aut reprobet, niſi prius luſtrando quid voluntas humana poſita in quibuſdam circumſtantiis, pro innata libertate & innato jure, eligere debeat, juxta illud Eccli. 15. 17. *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.*

Div. Thomas qu. 6. de veritate art. 3. collimare videtur; ait enim præſcientiam in Deo non importare ſemper rationem cauſæ, reſpectu illorum de quibus eſt; aſſerit Deum omnia præſcire, ſed non omnia prædeſtinare. Rurſus 2. 2. qu. 17. art. 1. & qu. 12. de Verit. art. 10. diſtinguit duplex Prophetiæ genus, alterum prædeſtinationis, qualis eſt reſuſcitatio Lazari, alterum præſcientiæ. Primum genus dicit eſſe ſecundum operationem Dei & ipſius voluntatem, alterum vero ſecundum operationem cauſarum ſecundarum, de quibus datur præſcientia, non prædeſtinatio. Quia Propheta prædicit quid creaturæ facturæ ſint quod præſciendo Deus revelat. Igitur ex D. Thom. datur ſcientia media; alias ſcientia Dei foret cauſa rerum omnium, illas quippe cognoſceret Deus in decreto, adeoque omnes prædeſtinaret; quia quod eſt a decreto, cenſetur in doctrina D. Auguſt. & D. Thomæ prædeſtinatum.

Idem ſanctus Doctor 3. p. qu. 1. art. 3. ſic loquitur: „ Prædeſtinatio ſupponit ſcien„ tiam futurorum. " Igitur datur præſcientia a decreto independens de futuris contingentibus, quæ quidem præſcientia vocatur media.

Idem ibidem art. 5. ad 2. affert rationem Divi Auguſtini dicentis, tunc Chriſtum voluiſſe apparere, quando prævidebat multos in ipſum credituros, & hanc rationem approbat. Iterum qu. 12. de veritate art. 1. ait, ea quæ complentur per cauſas ſecundas non eſſe prædeſtinata, bene tamen præſcita; porro loquitur de futuris contingentibus & conditionatis, nimirum de actibus humanis; igitur ex D. Thom. Deus cognoſcit futura contingentia per ſcientiam mediam, & hoc independenter a decreto; cum omnia ex eodem ſancto Doctore, non ſint de facto prædeſtinata, & tamen ſint præſcita.

Tertio, *Ex ratione multiplici.*

PRIMA ſic deducitur; datur in Deo præſcientia conditionatorum: ſed illa eſt ſcientia media: & probatur: mediat inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & ſcientiam viſionis; quandoquidem illa eſt de poſſibilibus, iſta vero de futuris quæ ſunt ſimpliciter futura: ergo datur tertia de futuris conditionatis liberis.

Secunda hæc eſt: ſcientia ſpecificatur per ordinem ad objecta: ſed futurum conditionatum liberum eſt objectum ex natura ſua diſtinctum a poſſibilibus & abſolute futuris: igitur & ſcientia illud attingens.

Tertia: ſcientia conditionatorum diſtinguitur a ſcientia ſimplicis intelligentiæ & a ſcientia viſionis: ergo eſt media: probatur antecedens; futura conditionata diſtinguuntur a poſſibilibus & futuris, abſolute & ſimpliciter: ergo & ſcientia conditionatorum a ſcientia ſimplicis intelligentiæ & a ſcientia viſionis. Et vero ſi ſcientia viſionis attingeret conditionata futura, ſi ſcientia intelligentiæ eadem reſpiceret, jam eſſent aut ſimpliciter futura, aut pure poſſibilia, & non conditionata; ſed abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

Quarta: licet in Deo ſit unicus intellectus & unicus ipſius actus, ſcientia tamen dicitur multiplex, quia multis æquivalet ſcientiis in creatis realiter diſtinctis, unde per ordinem ad creata, ſcientia dicitur virtualiter multiplex, & hoc ſecundum diverſa objecta formalia: ſed ibi eſt objectum formale diſtinctum, ſcilicet conditionatum liberum: ergo & ſcientia de illo: igitur ſcientia conditionatorum eſt ab aliis duabus diſtincta, quia habet diverſum objectum formale.

Quinta: tametſi non dentur futura conditionata reſpective ad Deum, dentur tamen

men per ordinem ad cauſas ſecundas : ſed per ordinem ad cauſas ſecundas illa futura diſtinguuntur a poſſibilibus & ab his quæ abſolute ac ſimpliciter futura ſunt : ergo datur ſcientia diſtincta ab aliis duabus, eaque media.

Sexta : Deus non cognoſcit futura conditionata per decretum prædefiniens: ergo per ſcientiam mediam. Probatur antecedens.

Primo, quia ſapiens proviſior debet prius prævidere, quid ſit in creatura & quid exigat, antequam eam moveat ad operationem, ne ſi moveat eam in circumſtantia intempeſtiva, ipſa reſiſtat motioni, eamque reddat inutilem.

Secundo, ſi omnia Deus cognoſcit in decreto, injuſta videretur increpatio Corozain & Bethſaidæ facta; reſponderent enim Deo, cum omnia, Domine, tu noſti in decreto, ſi decreviſſes dare nobis gratiam efficacem, eam utique habuiſſemus; tunc tacti dolore intrinſecus, egiſſemus in cilicio & cinere pœnitentiam.

Tertio, ſi Deus cognoſceret omnia in decreto, cum illud ſit efficax & infallibile, nihil eſſet conditionate futurum; namque omnia forent abſolute futura: quod eſt abſurdum.

Quarto, hoc poſito decreto prædefiniente, non provideretur ſufficienter libertati: enimvero res non poſſet non eſſe, ſiquidem decretum movet inſuperabiliter; unde futurum foret neceſſarium, & non contingens.

Quinto, Deus in hypotheſi videretur auctor peccati : decretum enim eſt cauſa rerum: igitur Deus non cognoſcit futura conditionata in illo, tum quia peccatum conditionate futurum in ejus non cognoſcitur voluntate, quandoquidem voluntas Dei contraria ſemper peccato & eſt, & manet : & certe quonam pacto Deus decerneret peccatum, quod non habet cauſam efficientem, ſed ſolum deficientem ?

Solvuntur objectiones primo ex ſacra Scriptura petita.

OBJICIES 1. Eph. 1. Apoſtolus de Deo ſic loquitur: *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Sed ſi datur ſcientia media, Deus jam non ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ſed potius humanæ operabitur; quandoquidem prius luſtrare debebit quid actura ſit voluntas humana, in una potius quam in altera circumſtantia, ad hoc ut conferat gratiam quæ illam efficaciter moveat ad agendum; ſin minus, ſuo fruſtraretur effectu : ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſi voluntas humana ageret tantum virtute propria, concedo: ſi ageret viribus gratiæ prævenientis, nego. Voluntas humana prævenitur gratia ſufficiente, qua quidem ad libitum, & uti poteſt, & eidem reſiſtere: quia vero Deus reliquit hominem in manu conſilii proprii, ipſe vult ut ſalva libertate voluntas humana operetur, immo & adjuta gratia ſe ipſa ad agendum vel non agendum determinet. ¿Verum ut gratia uberior collata ſuum obtineat effectum, attendit Dominus in quanam circumſtantia creatura rationalis aſſentiet, & tunc illam gratuito & miſericorditer elargitur. Deus igitur non agit ſecundum conſilium voluntatis humanæ, ſed ſuæ, quæ quidem vult ut homo ſciat aut reprobare malum, aut eligere bonum: non enim illum gratia præveniendo & adjuvando neceſſitat, ne, inquit Chryſoſtomus, liberum lædatur arbitrium. Deus vocat, inquit Auguſtinus, ſed tempore quo ſcit congruere, & tamen ſecundum ſuæ voluntatis placitum cuncta operatur.

Objicies 2. Eph. 2. ait Paulus iterum de Deo loquens: *Ipſius factura ſumus, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. Si opera facit Deus, ſi ab ipſo & creantur & præparantur, jam non ſunt per ſcientiam mediam, ſed per decretum & non per voluntatis humanæ conſenſum præparata; alias non erit verum dicere, ipſius factura ſumus in operibus bonis creati. Confirmatur: creatio dicit totum a Deo: ergo inutilis eſt ſcientia media, quæ conſenſum voluntatis humanę exploret.

Reſpondeo diſtinguendo: ipſius factura ſumus creati in bonis operibus, quia voluntas præparatur a Domino per primam gratiam, quæ eſt in nobis ſine nobis, & ſic præparati ipſius factura ſumus per gratiam efficacem adjuvantem & cooperantem, concedo: quia Deus prævenit per præmotionem phyſicam, nego. Facile intelligitur, quomodo Dei factura ſumus, crea-

creati in operibus bonis, quæ præparavit ipſe Deus ut in illis ambulemus; ſiquidem tanquam de fide conceditur & ſupponitur primam gratiam eſſe in nobis ſine nobis, & pure gratuitam: ſic igitur creati ſumus per eam in operibus bonis, quatenus per eam præparatur voluntas a Domino: voluntas vero adjuta per gratiam uberiorem, ſcilicet efficacem operatur bonum.

Ad confirmationem diſtinguo: creatio ſtricte & proprie ſumpta nihil ſupponit, concedo: fit enim ex nullo præſuppoſito ſubjecto: creatio late ſumpta, qualis ſumitur in ordine ſupernaturali, ſubdiſtinguo: nihil ſupponit pro meritis ad primam gratiam conſequendam, concedo; iſta enim eſt pure gratuita: nihil ſupponit data prima gratia, nego. Supponit cooperationem, ut definivit contra Lutherum & Calvinum ſacra Synodus Tridentina. Jam vero ſi cooperatio neceſſario admittatur, opus ſupernaturalis ordinis, non ſimpliciter, ſed ſolummodo ſecundum quid creatum dicitur.

Dices: poſita ſcientia media, non gratia præveniens & preparans voluntatem, ſed ſolum ſubſequens admittenda eſt: abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Probatur ſequela: ſcientia illa incompoſſibilis eſt cum præmotione, adeoque cum gratia præveniente.

Reſpondeo diſtinguendo: non admittitur gratia efficax antecedens & phyſice movens, concedo: gratia moralis & ſufficiens, nego. Admittitur prima gratia quæ eſt in nobis ſine nobis, quæque movet & excitat voluntatem humanam ad agendum, tum piis illuſtrationibus, tum ſanctis excitationibus. Unde ad probationem, diſtinguo: ſcientia media incompoſſibilis eſt cum gratia præveniente efficaci & prædeterminante, concedo; hæc enim non admittitur ne lædatur liberum arbitrium: cum gratia efficaci congrua & concomitante, nego. Immo ſcientia congrua concurrit ad ejus efficaciam, in quantum eirigit providentiam, ut illam conferat Deus eo potiſſimum tempore quo prævidet creaturam rationalem conſenſuram. Gratia igitur eſt concomitans, ſed non pediſſequa, niſi ratione effectus. Ita Div. Thomas 1. 2. q. 109.

Oppones 3. 1. Cor. 4. habetur: *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Poſita autem ſcientia media homo ſe diſcernit: & probatur. Seipſum determinat independenter a cauſa prima, & hoc juxta genium ſuum, cum Deus prius ſpeculetur quid voluntas humana in tali circumſtantia operatura ſit, antequam illi conferat gratiam, ut illam applicet ad opus: ergo &c.

Reſpondeo negando voluntatem ſeipſam ſecernere. Ad probationem diſtinguo: voluntas elevata & præventa gratia ſufficienti, adjuta vero efficaci concomitante ſeipſam determinat, concedo: ſecus, nego. Igitur voluntas præparatur a Domino per gratiam prævenientem, & ſic elevata pro innata libertate, adjuta per gratiam efficacem, ſeipſam applicat ad opus; cum igitur ſe ſola nihil poſſit facere, & duplici adjuvetur gratia, ſufficiente ſcilicet & efficaci concomitante, non a ſeipſo, ſed a gratia homo diſcernitur.

Inſtabis: poſita ſcientia media, gratia eſt congrua, ideſt dependens a genio, a diſpoſitione temperamenti, ab amicis temporum circumſtantiis. Item eſt ſolum efficax dependenter a conſenſu voluntatis, quod eſt abſurdum; quia conſenſus eſt ipſius gratiæ effectus, & ad hoc datur ut operetur homo: ergo inutilis eſt illa ſcientia & ad cognitionem futurorum conditionatorum, & ad dirigendum Deum in operibus gratiæ ſuæ.

Reſpondeo 1. Multos Doctores ſacræ Facultatis Pariſienſis, ut Iſambertum, ſecluſa ſcientia media, propugnare gratiam congruam, nec velle gratiam ideo dici præciſe congruam, quia dependet a genio, verum potius quia & movet hominem conformiter ſuæ naturæ, ideſt libere, & facit omnia ſibi ſervire; datur enim in quadam & loci & temporis opportunitate, in qua homo non reſiſtit; & hoc, inquit Auguſtinus, hom. 23. inter quinquaginta, ſic diſponitur a providentia, ſub qua cadunt etiam bonæ circumſtantiæ. Scriptum enim eſt: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Unde

Reſpondeo 2. poſita ſcientia media, efficacia gratiæ dependet a genio & circumſtantiarum diſpoſitione, ut a conditione ſine qua non, concedo: ut a cauſa influente, ſubdiſtinguo: influente extrinſece & per ordinem providentiæ, concedo: intrin-

intrinſece, nego. Iſta bona diſpoſitio tum genii & temperamenti, tum circumſtantiarum loci, concurrit ſolum & negative, in quantum homo non ponit obicem gratiæ, & extrinſece, quia ſic ordinat providentia, unde ſe habent ut conditiones, ſine quibus voluntas gratiæ non conſentiret: at vero ſecundum ſe nihil active influunt in opus ſupernaturale. Quod autem ejuſmodi diſpoſitiones bonæ ſint a Deo ſic ordinante, audi Auguſtinum, qui ipſum Deum introducit peccatori ſic loquentem hom. 23. inter quinquaginta: „ Adulter non fuiſti, in illa vita tua præterita plena ignorantia nondum illuminatus .... hoc tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres ſuaſor defuit, ut ſuaſor deeſſet ego feci, locus ad tempus defecit, & ut hæc deeſſent ego feci. „

Ad aliud reſpondeo; poſita ſcientia media, gratia foret efficax per voluntatis conſenſum procedentem ab ipſa gratia ut a cauſa concurrente, & a voluntate elevata per gratiam ſufficientem, ut a concauſa, concedo: procedentem a voluntate ſine gratia, nego. Aſſertores ſcientiæ mediæ, ne quidem cogitarunt unquam dicere bonum opus ſupernaturale eſſe a voluntate humana ſibi relicta, ſed eſſe & a gratia efficaci concurrente, ſeu adjuvante, & ab ipſa voluntate humana, adjuta per gratiam: actus quippe bonus, eſt totus a Deo ut a prima cauſa per gratiam ſufficientem & efficacem, & totus a creatura elevata agente cum Deo; juxta illud Concilii II. Arauſicani can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur.*

Ad id vero quod dicitur, conſenſum eſſe ipſius gratiæ effectum, diſtinguo: ſub diverſo reſpectu, concedo: ſub eodem, nego. In omnium opinione, conſenſus eſt efficacia ſimul & effectus gratiæ: efficacia quidem, ſi conſideretur active & ut procedens actu a gratia & voluntate, ſeu ut dicit exercitium utriuſque cauſæ agentis: effectus vero, ſi conſideretur paſſive, & in facto eſſe, ut terminus cauſæ adæquatæ, gratiæ ſcilicet & voluntatis. Et vero non poſſumus completam concipere efficaciam cauſæ, niſi actum ipſum concipiamus; vel ſi malueris, dicendum eſt efficaciam gratiæ eſſe concurſum ſuum cum potentia, & utriuſque motum & actionem.

Objicies 4. Myſterium gratiæ, ipſa teſtante Scriptura, eſt ineffabile; cur enim unus trahatur, alter vero relinquatur, *quis novit ſenſum Domini*? inquit Apoſtolus Rom. 12. & Auguſtinus cum eo, *o altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Sed poſita ſcientia media, non eſt ineffabile, & probatur: admiſſa ſcientia media, futuri conſenſus voluntatis exploratrice, in talibus vel talibus circumſtantiis, redditur ratio cur unus conſentiat gratiæ & ſalvetur, alter vero minime: nimirum, quia primus erat naturaliter bene diſpoſitus in tempore quo data eſt illi gratia, & quia locus & tempus ipſi favebant, quod certe alteri non competebat. Ergo ſcientia media videtur Apoſtolo & Divo Auguſtino adverſa, adeoque non eſt admittenda.

Reſpondeo negando minorem propter multa. Primo quidem, quia in hac opinione, prima gratia a qua initium ducit ſalus, eſt in nobis ſine nobis: ſecundo eſt ineffabile & omnino incomprehenſibile prædeſtinationis myſterium: Enimvero cur gratia detur congruo tempore uni, & ſuum habeat effectum, detur vero alteri intempeſtiva circumſtantia, & careat effectu, quis novit ſenſum Domini, & quis conſiliarius ejus fuit? Unde fruſtra debacchantur quidam contra ſcientiam mediam, pluris quam oportet facientes argumentum propoſitum, cum gratiæ myſterium maneat ex utraque parte prorſus abſconditum. Unde ad probationem diſtinguo, redditur ratio aliqua & ſecundum quid, concedo: ratio a priori, nego: cur enim gratia detur uni in circumſtantia bona, & fructum afferat, & non detur alteri, nemo novit. Immo etiam in alia opinione redditur de hoc momento aliqua ratio: quærenti enim a Thomiſtis, cur unus gratiæ conſentiat, alter non conſentiat? reſpondent, quia unus habet præmotionem phyſicam, alter vero non.

Secundo Argumenta ex Auguſtino & Divo Thoma depromta diluuntur.

OBJICIES: Auguſtinus ubique docet Deum cognoſcere futura conditionata in decretis prædefinientibus: ergo non in ſcientia media. Probatur antecedens. I.

de bono perſev. c. 17. ait : " Si nulla „ eſt prædeſtinatio quam defendimus, „ non præſciuntur a Deo. „ Loquitur de initio fidei, & de bonis operibus. Ibidem. " Si Deus bona opera præſcivit, „ profecto prædeſtinavit : quæ vero non „ prædeſtinavit bona, non præſcivit. „ Per vocem *prædeſtinare* intelligit, ut ipſum verbum ſonat, decernere, & per vocabulum *præſcire*, prædeſtinare : ergo ex Auguſtino Deus cognoſcit futura conditionata ſolum in decreto prædeſtinante & prædefiniente. Similia dicit in libro de Prædeſtinatione SS. c. 9. ubi aſſerit ſeſe loquutum fuiſſe abſque præjudicio latentis conſilii Dei, cum reſpondens ad Paganos quærentes cur Chriſtus tam tarde venerat, dixit veniſſe quando præſcivit multos in ipſum credituros. Quinimmo homilia 23. inter quinquaginta, docet ipſas temporis congrui circumſtantias cadere ſub decretum; ait enim Deum facere, ut & locus & tempus deficiant, ne homo ſit adulter.

Reſpondeo ejuſmodi argumenta manere ſoluta ex præcedentibus, cum diximus Deum cognoſcere futura in ideis, in eſſentia ſua ut in virtute, immo & in æternitate in qua decreta ſuæ voluntatis repræſentantur; duo enim diſtinximus, cognitionem ſcilicet rei ſecundum ſe, & cognitionem rei a parte rei ponendam : primum videt Deus in æternitate; ad ſecundum requiritur quidem decretum, quia Deus nihil operatur, niſi velit; ſed illa voluntatis determinatio, eſt ſimul cum determinatione voluntatis humanæ connotata, in quantum data prima gratia, vult Deus ut creatura concurrat, ipſe vero non prævie, ſed concurſu ſimultaneo agit ut prima cauſa ad effectum in tempore producendum. Merito igitur Auguſtinus recurrit ad decretum, agendo de productione rerum in tempore; niſi enim Deus velit, nihil fiet ; ſed videt illud decretum Deus in ſua æternitate; unde & ideæ & æternitas, ſunt veluti cognitionis divinæ media, quatenus ex ratione ſua habent repræſentare res, minime vero decretum; quod cum ſit voluntatis actus, repræſentatur, ſed non repræſentat, niſi ad ſummum, ut conditio ſine qua non. Unde

Reſpondeo 2. diſtinguendo : Deus cognoſcit futura conditionata in decreto prædeterminante, nego : in decreto concurrente ſimultanee, ſubdiſtinguo; ut ipſum decretum relucet in æternitate, concedo : ſecus, nego. Cæterum aliud eſt rem eſſe futuram, aliud cognoſci ut futuram. Primum eſt formaliter a decreto, ſecundum ab ideis & æternitate repræſentante & objiciente oculis Dei futura.

Inſtabis : Auguſtinus certus factus per litteras Divi Proſperi, quod Semipelagiani admitterent ſcientiam mediam a decreto independentem, ne læderetur libertas, ne Deus eſſet auctor peccati, ne deeſſet correctioni locus; ut redderetur ratio cur unus aſſumeretur, alter vero non; cur unus puer ſine Baptiſmo moreretur, & reprobus eſſet, alter vero cum Baptiſmo migraret e vita & ſalvaretur : non reſpondet admittendo ſcientiam mediam, ſed duos ſcripſit libros, unum ſcilicet de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de dono perſeverantiæ, ad refutandos errores & Pelagianorum & Semipelagianorum; ubique autem recurrit ad decretum, ut libro de Prædeſtinatione Sanctorum, c. 1. libro de dono perſeverantiæ c. 17. ergo &c.

Reſpondeo 1. D. Aug. non uſum fuiſſe ſcientia media, ne favere videretur Semipelagianis qui ea abutebantur. Unde reſpondeo 2. diſtinguendo : rejecit ſcientiam mediam Auguſt. in ſenſu Semipelagianorum, concedo : in ſenſu Catholico, nego. Chryſ. hac utitur ſcientia, quandoque etiam ipſe Aug. ut ex probationibus liquet, ſed reijcinnt in ſenſu Hæreticorum, qui ea utebantur, ut facerent voluntatem ſacrilegam & a Deo independenrem ad initium fidei. Per hanc utique ſupponebant falſa demerita in pueris, propter quæ aſſerebant eoſdem infantes puniri præmatura & ſine Baptiſmo morte. Deus autem, inquit Aug. non punit quod non eſt futurum : moriuntur pueri, nec ad adultam perveniunt ætatem, nihil igitur eſt futurum in bono vel in malo pro eis : unde ex eo quod quidam morerentur ſine Baptiſmo, quidam vero cum Baptiſmo, recurrit ad Dei voluntatem, qui poteſtatem habet facere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam, & hoc ut revincat Hæreticos qui etiam abſcondita Dei judicare audebant.

Inſtabis : D. Thomas, Auguſtini fidelis

interpres, rejicit ſententiam eourm qui propugnant gloriam dari ex præviſione meritorum, quæ quidem præviſio eſt media. Igitur ex Divo Thoma, Deus non cognoſcit futura conditionata per ſcientiam mediam. Probatur antecedens, 1. p. q. 23. art. 5. ſic illos refutat Angelicus Doctor. *Sed iſti videntur diſtixiſſe inter id quod eſt ex gratia, & id quod eſt ex libero arbitrio: non eſt autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio & prædeſtinatione, ſicut non eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda & cauſa prima; divina enim providentia producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum, unde & id quod eſt per liberum arbitrium, eſt ex prædeſtinatione*. Quibus verbis vult ipſam voluntatis humanæ cooperationem cadere ſub decreto.

Reſpondeo, Divum Thomam non reprehendere ſententiam aliorum in eo quod præviſionem meritorum per ſcientiam mediam admitterent, ſed quod viderentur ſeparare liberum arbitrium a gratia; certum eſt autem & de fide, liberum arbitrium non poſſe abſque gratiæ auxilio elicere actum ſupernaturalem; quia vero hoc ipſum eſt a Deo donante & adjuvante ſecundum ſuæ voluntatis beneplacitum, merito dicitur a Divo Thoma cadere ſub prædeſtinatione; quoſdam enim Deus adjuvare, quoſdam vero abſcondito & juſto ſemper judicio relinquere vult. Cæterum non agitur hic præciſe de præſcientia & rerum cognitione, ſed de executione actus meritorii, & de ipſo merito. Dictum eſt ſupra non dari decretum præmovens, ſed tantummodo cooperans & concurrens.

Inſtabis: ſcientia media adhibetur, ut præſcientia Dei ſit infallibilis, ut Deus proſpiciat quid ſit in creatura & quid actura ſit poſita in talibus vel talibus circumſtantiis, ne providentia in ſui diſpoſitione fallatur: ſed hoc rejicit adhuc D. Thomas; totam enim præſcientiæ infallibilitatem repetit ex decreto. Et probatur, q. 6. de Verit. art. 3. ad 4. ſic loquitur: " Dicendum quod cauſa ſecunda quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubjacet, & ideo ordo prædeſtinationis, quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ, nihilominus tamen habet abſolutam certitudinem.

Reſpondeo diſtinguendo: D. Thomas infallibilitatem præſcientiæ divinæ repetit ex decreto prædeterminante, nego: ex decreto cooperante, ſubdiſtinguo; & etiam a ſcientia media, concedo: a ſolo decreto, nego. Ibi ponit ſanctus Doctor pro cauſa adæquata effectus prædeſtinationis Deum & creaturam ad idem opus concurrentes, ut ſit a parte rei. Utrumque ſtat cum ſcientia media quæ in ideis & æternitate omnia prævidet: ſed non in decreto prædeterminante: quandoquidem Deus decrevit, ut cauſa ſecunda elevata per primam gratiam concurrat, & ſimul cum ſemetipſo per gratiam congruam producat effectum.

Tertio fit ſatis objectionibus ex ratione deductis.

OBJICIES 1. Scientia media eſt inutilis ad præſcientiam & futurorum conditionatorum; & probatur. Futura illa ſunt in duplici differentia, quædam ſcilicet quorum conditio nunquam purificabitur, quædam vero quorum conditio ponetur; prima ſunt pure poſſibilia, igitur cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: cætera ſunt vere futura, & cognoſcuntur per ſcientiam viſionis: ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo: omnia ſunt vel futura abſolute, vel poſſibilia reſpectu Dei, concedo; reſpectu creaturæ, nego. Si ſcientia conſideretur reſpectu Dei, in quo omnia ſunt unum, ſequitur quod nequidem ſit ſcientia duplex, ſed eadem pro poſſibilibus & futuris abſolute. Sed ſi conſideretur reſpective ad cauſas ſecundas, ſub quo reſpectu ſcientiæ multiplicantur, ſecundum multiplicationem objecti formalis; cum aliud ſit objectum pure poſſibile, aliud abſolute futurum, aliud futurum ſub conditione & habens bonitatem hypotheticam, diverſas ſcientias admittere conveniens eſt. Sicut igitur, quia actus intellectus Dei æquivalet ſcientiis creatis, quæ attingunt poſſibilia & abſolute futura, dicitur eſſe in intellectu divino ſcientia & ſimplicis intelli-

telligentiæ & viſionis ; ita & ſcientia media, quandoquidem datur in nobis ſcientia, quæ inter utramque mediat, quæque futurum attingit conditionatum medians inter poſſibile & ſimpliciter futurum. Quid plura ? futurum conditionatum quodammodo tale eſt etiam reſpectu Dei; in eo ſcilicet ſenſu, quo Deus cognoſcit res quales ſunt in ſe : verum conditio non cadit ſub divinæ præſcientiæ aſpectum, ita ut inducat in Deum aut dubietatem, aut obſcuritatem : aliud quippe eſt futurum eſſe conditionatum; aliud a Deo cognoſci ut tale; eventus eſt quidem contingens, ſed clare cognoſcit Deus exitum.

Objicies 2. Scientia media, nequidem libertati favet; igitur nullo modo eſt admittenda. Probatur antecedens, poſita ſcientia media, futurum conditionatum tranſit in abſolutum, gratia quippe data in circumſtantia explorata, ſuum infallibiliter, addam & neceſſario, conſequitur effectum : ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam : ad probationem, diſtinguo : gratia neceſſario neceſſitate hypothetica & conſequenti habet effectum, concedo : neceſſitate abſoluta & antecedenti, nego. Prior neceſſitas oritur ex gratia movente congrue, & ex innata libertate hominis, qui vult agere; igitur ſcientia media explorans circumſtantias utiles, facit futurum abſolutum hypothetice, in quantum prævidens Deus quomodo ſe geret Petrus in tali circumſtantia, dat illi gratiam. Præterea licet Deus certo ſciat, inquit Div. Thom. hic q. 14. art. 2. eventum futurum, tamen manet contingens & conditionatum, quia cauſa ſecunda poteſt non agere, ſi deficiat conditio ſibi propoſita ad actionem; res enim non dicitur dubia & conditionata reſpectu Dei, immo nec futura, cum omnia ſint illi in æternitate præſentia.

Inſtabis : poſita ſcientia media, gratia inſuperabiliter movet : ergo neceſſario neceſſitate abſoluta. Probatur antecedens : gratia directa per ſcientiam mediam, non poteſt ſuo fruſtrari effectu : ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : gratia perſeverantiæ, concedo : gratia efficax ut ſic, ſubdiſtinguo : movet inſuperabiliter in ſenſu compoſito, concedo : in ſenſu diviſo, nego. Sola gratia perſeverantiæ movet inſuperabiliter, quia duo dicit, ſcilicet auxilium gratiæ, & ex hac parte movet libere, liberum enim ſemper eſt homini perſeverare in bono : deinde dicit providentiam extraordinariam diſponentem cauſas ſecundas ut afferant mortem in circumſtantia qua homo eſt juſtus, contritus, amans Deum; quæ quidem ſuavis diſpoſitio non pendet a nobis, ſed a miſericordia. Unde Thr. 3. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti*. Unde & alia Scriptura : *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Sap. 4. 11.

Iterum inſtabis ſcientia media eſt utique quid extrinſecum, & a nobis independens : ergo infert neceſſitatem operis per gratiam.

Reſpondeo diſtinguendo : ſcientia media eſt quid extrinſecum ad actum liberum terminatum, concedo : eo quippe datur ſcopo, ut exploret Deus, an homo poſitus in tali circumſtantia conſenſurus ſit, & hoc præintellecto, datur gratia quæ adjuvat voluntatem liberam ad agendum : ſcientia media eſt quid extrinſecum imponens neceſſitatem per diſpoſitionem inſuperabilem & a nobis independentem, qualis eſt providentia, quæ diſponit de cauſis elementariis, ut afferant mortem in tali circumſtantia, nego. Non valet igitur conſequentia, quia præſcientia per ſcientiam mediam directa non officit libertati, quin potius illam fovet & protegit.

Oppones 3. Scientia media non ſatis ſalvat ſanctitatis Dei jura; & probatur : reddit voluntatem quaſi a Deo independentem, ſiquidem antequam detur gratia, Deus explorat prius, quomodo voluntas humana actura ſit & ſeipſam applicabit : præterea gratia juxta hanc ſententiam datur ſolum ad cooperationem, non ad applicationem; quod implicat : ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem, dico jura ſanctitatis ex integro ſalvari per aſſertores ſcientiæ mediæ; ſiquidem primam gratiam agnoſcunt eſſe in nobis ſine nobis, per hanc voluntatem præparari a Domino, per gratiam vero congruam adjuvari, & ſic hominem ſine Deo nihil poſſe facere, immo ſufficientiam hominis ex Domino penitus eſſe.

Ad confirmationem reſpondeo, ex mente illorum Thelogorum, plurimum affulgere liberi arbitrii cooperationem; cum juxta illorum ſententiam gratia non ſit efficax niſi per voluntatis conſenſum.

Inſtabis: ſi aſſertores ſcientiæ mediæ admittunt neceſſitatem gratiæ prævenientis, tenentur admittere ſcientiam a decreto prædefiniente dependentem, & ſic nulla erit ſcientia media; & probatur: gratia præveniens eſt effectus decreti prædeterminativi, alias non eſſet præveniens, ſed concomitans: ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo: gratia præveniens phyſice ad actum deliberatum, concedo: gratia præveniens ſolum moraliter, & hoc ad actum indeliberatum, nego. Hic eſt ordo decretorum & volitorum a Deo ſecundum noſtrum concipiendi modum. 1. Deus voluit hominem condere in gratia propter magnam gloriam ſuam. 2. Juſto & incomprehenſibili judicio permittere lapſum, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus & ſublimitas ſit ſolius Dei. 3. Redimere per Filium ſuum hominem ad exaltationem ſuæ miſericordiæ. 4. Hominem ſanum præventum gratia, ſeipſum movere & convertere ad Dominum, tum gratiæ cooperando, tum adimplendo in carne ſua quæ deſunt paſſionum Chriſti. Certum eſt Chriſtum prævisum eſſe ante juſtos, & eſſe primum prædeſtinatorum: cum igitur homo lapſus, omni fuerit & gratia & jure ad gratiam ſpoliatus, debuit miſericordia præveniri; igitur intuitu meritorum Chriſti, homo recuperat jus ad gloriam, homo prævenitur gratia, ut poſſit operari bonum ſupernaturale, ad quod de ſe inſufficiens eſt. Jam vero ſi primæ non reſiſtit gratiæ, datur illi fortior, ſcilicet efficax, quæ facit facere, quæ duritiam cordis emollit, & operatur converſionem. Duplex igitur a Theologis Catholicis diſtinguitur gratia, ſufficiens una, efficax altera: prima dat poſſe bonum & quidem proxime; ſecunda vero dat actu agere; illa prævenit, iſta adjuvat & cooperatur, juxta illud Apoſtoli, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*: igitur per omnia libertati favet ſcientia media.

Dices 4. Scientia media ab omnibus fere Theologis rejicitur ut minus Scripturæ ſacræ & Patribus conſona; igitur non eſt admittenda. Probatur antecedens: ex Academia Complutenſi, illam rejicit Villegas. Ex Oſienſi Gaſpar, ex Salmaticenſi Curiel & Baſilius Regionenſis, qui cum illam primo docuiſſent, poſtea ſeſe retractaverunt. Ex Pariſienſi Corvus & Iſambertus. Ex Duacenſi Eſtius & Sylvius: ex Lovanicenſi omnes fere Doctores, aſſeruntque in quodam decreto, talem ſcientiam obtegere Dei bonitatem, nec ſatis exaltare juſtitiam, nec majeſtatis divinæ juribus ſufficienter conſulere: Scotus in prima diſtinctione 39. q. 1. illam utique rejicit, ſicut & ex Patribus Societatis Henricus Henriquez, Tiphanus, Azorius, ex profeſſo, l. 4. inſtitutionum moralium, c. 21. q. 2. ergo &c.

Reſpondeo Clementem VIII. poſt varias profundaſque coram ipſo habitas diſputationes, Gregorio de Valentia defendente ſcientiam mediam, Thoma Ledeſma illam impugnante, & decreta Dei prædefinientia propugnante, permiſiſſe quæſtionem illam de auxiliis in utramque partem agitari in Scholis, tum ad majorem fidei explicationem, tum ad fovendam animorum palæſtram, ſed abſque verbo injuriæ; maxime vero quia utraque Schola, Societatis ſcilicet Jeſus, & Angelica Thomiſtarum, convenit in dogmate fidei, convenit in eſſentia libertatis aſſignanda & defendenda.

Quid mirum jam, ſi in ipſa Societate, quæ majorem Dei gloriam, vera & nuſquam fucata pietate alumnos velut aquila provocat ad volandum verſus juſtitiæ ſolem, ipſam diverſis opinionibus contemplari ſinat & glorietur, ut veritas variis explicata & quaſi nutrita ſententiis, omnium in ſe convertat oculos & corda?

Reſpondeo 2. in diverſis Europæ Academiis licitum eſſe quæſtionem de ſcientia conditionatorum in utramque partem movere. In Academia Pariſienſi, verbi gratia, cæterarum parente, publice pro Laurea Doctoratus ſæpe propugnatur ſcientia media.

Objicies 5. ſcientia media datur ad cognoſcenda futura conditionata, ad explorandum an homo gratiæ conſenſurus ſit in tali vel tali circumſtantia poſitus, expectando ut voluntas obediat & velit bo-

num; ſed talis ſcientia rejicitur abſolute a Conciliis: & probatur. Arauſicanum ſecundum Canone 4. ſic loquitur: " Si „ quis, ut a peccato purgemur, volun- „ tatem noſtram Deum expectare conten- „ dit, non autem ut purgari velimus per „ Spiritus ſancti infuſionem & operatio- „ nem in nos fieri confitetur, reſiſtit „ Spiritui ſancto dicenti Proverb. 19. „ *Præparatur voluntas a Domino.* „ Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſcientia media in ſenſu Semipelagianorum rejicitur, concedo: volebant enim initium bonorum operum, maxime fidei eſſe a natura, & ideo ſtatuebant ſcientiam mediam ad explorandum utrum natura inciperet, & poſtea gratia conſummaret: ſcientia media rejicitur ſecundum ſe, nego. Concilium ſolummodo damnat abuſum, quem faciebant Semipelagiani de ſcientia media; & hoc patet ex modo quo eos revincit, dicendo fidem vere eſſe a Spiritu ſancto, initium boni operis a gratia promanare; quod certe non negant aſſertores ſcientiæ mediæ, ſed potius prædicant & ſemper ſupponunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus ſecundum multos Theologos cognoſcit futura conditionata per ſcientiam mediam.

PRIMO, hoc ipſum innuit Scriptura Rom. 8. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit.*

Secundo, idem colligitur ex Divo Auguſtino, l. 22. de Civ. c. 1. n. 2. *Qui cum præſciret Angelos quoſdam per elationem; tanti boni deſertores futuros, non eis ademit hanc poteſtatem* &c.

Tertio, ratio hujus eſt: Scientia multiplicatur ſecundum diverſa objecta formalia: porro tria objecta ſcientiæ Dei diſtinguuntur ſeu aſſignantur, videlicet poſſibile, futurum ſimpliciter & abſolute, poſtea futurum ſub conditione: igitur præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ quæ verſatur circa mere poſſibilia, & ſcientiam viſionis quæ fertur circa futura abſolute, datur media quæ reſpicit futura conditionata.

SYNOPSIS SOLUTIONUM AD DIFFICULTATES.

PRIMO, manet ſemper ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ Deum agere ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, quandoquidem præparatur voluntas a Domino per gratiam excitantem & prævenientem.

Secundo, Auguſtinus nonnumquam rejicit ſcientiam mediam, ſed in ſenſu oppoſito Semipelagianis, qui eatenus admittebant ſcientiam mediam, quatenus luſtrandum prius erat, num voluntas humana ex ſeipſa abſque Dei adjutorio inciperet; ſic propugnabant Maſſiliæ Presbyteri.

Tertio, nec utique ſequitur ex ſcientia media circumſtantias congruas in actum ſupernaturalem poſitive influere, ſed ad ſummum negative, ſeu extrinſece, & hoc ut divinæ providentiæ ſubjiciantur ordini. Ergone gratiæ & prædeſtinationis myſterium, non ineffabile, non inſcrutabile? minime, quod enim unus trahatur, alter vero relinquatur: quod unus gratiam accipiat in circumſtantia bona, ſeu amica & convertatur, alter vero non, & reſiſtat atque reprobetur: O altitudo! quis novit ſenſum Domini?

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Deus cognoſcat futura conditionata in decretis, independenter a ſcientia media.

CONCLUSIO.

Deus cognoſcit futura conditionata in decretis independenter a ſcientia media.

HÆc ſententia videtur magis cenſona & Scripturæ & Patribus. Certum eſt futura conditionata cognoſci a Deo in ideis, & in æternitate quæ continet omnia tempora: ſed difficultas eſt an ea cognoſcat & in decretis ſuæ voluntatis; quod & aſſerimus.

Probatur auctaritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

1. Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Ibidem : *Ipſius factura ſumus creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

2. 1. Coriuth. 4. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

3. Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.*

4. Actuum 13. 48. *Crediderunt quotquot erant praordinati ad vitam æternam.* & illud Petri Act. 10. 41. *non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo.* & Rom. 1. *Antequam quidquam boni aut mali egiſſent ... Jacob dilexi, Eſau odio habui.*

Jam vero ſi Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ad agendum non accipit conſilium a creatura, explorando prius per ſcientiam mediam quid ipſa aut velit, aut actura ſit, antequam ipſe agat in creaturis, & de illis diſponat, ſed facta earum, in voluntatis ſuæ determinatione, novit futura; ipſe enim novit quid facturus eſt in creatura: ergo, &c.

Si ipſius factura ſumus creati per Chriſti merita in operibus bonis, Deus non expectat creaturæ conſenſum, ut cognoſcat quid futurum ſit, ſed eſt ipſe prima cauſa præmovens & applicans cauſas ad agendum; unde cognoſcit, inquit D. Thom. hic qu. 14. in ſua virtute quid futurum eſt, non accipiendo ſcientiam a rebus, quæ nihil operantur niſi prius ab ipſo motæ ſint: igitur in decreto prædefiniente, & non in ſcientia media Deus præſcit futura.

Si homo non ſe diſcernit, ſed a gratia diſcernitur, ut docet Apoſtolus, Deus profecto non cognoſcit futura conditionata per ſcientiam mediam, & explorando creaturæ conſenſum; quandoquidem creatura abſque Dei adjuvantis auxilio nihil poteſt facere. jam vero cum gratia ſit mere gratuita, & prima futuri conſenſus cauſa, ad voluntatem ſeu decretum ante omnia attendendum eſt, ut futurum cognoſcatur.

Si omnia eveniant ſecundum propoſitum Dei, & ipſius voluntatis placitum, ſi ſit cauſa rerum, certe in decretis independenter a ſcientia media Deus cognoſcit futura conditionata.

Secundo, *Ex Auguſtino.*

AD INTELLIGENTIAM Auguſtini qui in hac materia, ſic ordinante Clemente VIII. in diſputationibus de auxiliis, maxime audiendus eſt cum D. Thoma, operæ pretium eſt prænotare tria iſta vocabula, *prædeſtinare*, *prædefinire*, & *præſcire* apud antiquos Patres in idem incidere, & idem ſignificare ut ſupra dictum eſt: ſed prædeſtinare eſt pro bonis ſupernaturalibus, prædefinire pro naturalibus, præſcire pro omnibus futuris indifferenter, etiam pro peccatis, quæ Deus permittit & non decernit. Igitur prædeſtinatio, prædefinitio & præſcientia idem ſonant ac decretum; nam & in decreto permiſſivo Deus cognoſcit peccata, ſed non prædeſtinat aut prædefinit, quia non decernit poſitive & influendo. Hæc doctrina colligitur ex Dionyſio, de div. nom. c. 5. ex Iſidoro, l. 5. ſent. c. 19. ex Dam. Oratione prima de ſanctis imag. & maxime ex Aug. l. de præd. SS. c. 10. ubi ſic loquitur: *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Igitur prædeſtinatio non ſemper ſumitur pro creaturæ rationalis tranſmiſſione a peccato ad gratiam & gloriam per media infallibilia, ſed pro decreto Dei, maxime cum agitur de electorum vocatione. Hanc enim tradit regulam Aug. l. de dono perſ. c. 19. " Quid, inquit, ergo nos
" prohibet, quando apud aliquos verbi
" Dei tractatores legimus Dei præſcien-
" tiam, & agitur de vocatione electorum,
" eandem prædeſtinationem intelligere? "
Unde apud Auguſtinum præſcire idem eſt ac prædeſtinare.

Obſervandum adhuc venit Semipelagianos admiſiſſe ſcientiam mediam, ut colligitur ex Epiſtola D. Proſperi ad ſanctum Auguſtinum propter quatuor; 1. ne læderetur libertas per gratiam efficacem; 2. ne locus correptionis & exhortationis deficeret, ſi gratia eſſet per ſe efficax; 3. ne Deus fieret auctor peccati, ſi foret cauſa omnium præmovens; 4. ut daretur ratio cur e duobus parvulis,

vulis, alter cum Baptiſmo, alter ſine Baptiſmo moreretur, quia Deus prævidebat primum bene, ſecundum vero male victurum, & ſic per omnia ſcientia media abutebantur, tum negando gratiam primam, tum illam faciendo naturæ pediſſequam, & a viribus naturalibus innatæ libertatis dependentem, tum etiam ſecundum opera bona vel mala imaginaria, & ſecundum phantaſiam futura, de ſorte parvulorum impune dijudicando. Idem colligitur ex Epiſtola S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi ad S. Auguſtinum.

Denique ſanctus Proſper in ſua Epiſt. hanc ſibi difficultatem reſolvi ab Auguſtino petit, utrum præſcientia Dei ita ſecundum propoſitum maneat, ut eo ipſo quo opera ſunt propoſita, ſint accipienda ut præſcita? quærit deinde an hæc diſcrepantia poſſit ſtatui inter parvulos & adultos, quod in illis qui nihil operaturi ſalvantur, quaſi ſolum Dei propoſitum videatur exiſtere; in iſtis vero qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum? an vero uniformiter præſcientia ſit innixa propoſito? certe non poteſt clarius proponi quæſtio, quam cum quæritur an Deus cognoſcat futura contingentia libera & conditionata ante vel poſt propoſitum ſeu decretum voluntatis.

Divus Hilarius ex ſua parte exponit in ſua ad Auguſtinum Epiſtola, Semipelagianos ad ponendam ſcientiam a decreto independentem, uti argumento veluti ad hominem, reſponſione ſcilicet, quam D. Aug. attulerat in libro de qq. Pagan. q. 2. ubi Pagani quærentes cur Chriſtus tam tarde veniſſet, quibus reſponderat tunc voluiſſe hominibus apparere, quando & ubi ſciebat eſſe qui in eum erant credituri, nullam faciens mentionem de propoſito ſeu decreto, ſed ſolum de ſcientia media exploratrice. Lectis Epiſtolis Proſperi & Hilarii, in quibus Semipelagianorum referebantur errores, duos Auguſtinus conſcripſit libros; alterum de prædeſtinatione SS. alterum de dono perſeverantiæ, quos ad utrumque Patrem direxit, & in his agitur de futuris conditionatis, maxime de quæſtione a Paganis propoſita, nimirum cur Chriſtus tam tarde venerit, cum prius venire poterat, ſi vero prius veniſſet, quid factum fuiſſet: unde loca ex illis duobus libris excerpta, maximi ſunt ponderis pro quæſtionis reſolutione ex mente Auguſtini: jam exponendi ſunt ipſius textus.

1. Libro de dono perſ. ſic loquitur de initio fidei & de aliis bonis operibus ad ſalutem conducentibus, c. 17. n. 47. “ Si „ nulla eſt prædeſtinatio quam defendi„ mus, non præſciuntur a Deo. „ Ibidem: “ Si Deus bona opera præſcivit, „ profecto prædeſtinavit: quæ vero non „ prædeſtinavit bona, non præſcivit. „ Quid clarius poterat reſpondere Aug. ad quæſtionem D. Proſperi quærentis, an omnia bona opera electorum ſtarent ſuper propoſitum: igitur præſcientia Dei eſt innixa & fundata in decreto.

2. Libro de prædeſtinatione SS. c. 10. n. 19. ſic habet: “ Quando ergo promiſit „ Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gen„ tium dicens, patrem multarum gentium „ poſui te .... non de noſtræ voluntatis „ poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione „ promiſit. Promiſit enim quod ipſe fa„ cturus erat, non quod homines; non „ autem ſic credidit Abraham, ſed credi„ dit dans gloriam Deo, quoniam quæ „ promiſit potens eſt & facere, non ait „ prædicere, non ait præſcire, ſed ait „ potens eſt facere. „ Quibus verbis ſcientiam conſenſus exploratricem explodere videtur Auguſtinus. Enimvero aſſerit ſanctus Doctor Deum non ad aliam quam ad ſuam recurrere voluntatem. Quid plura? ſcientiam mere ſpeculativam, qualis eſt media, rejicit: non dicit Apoſtolus, inquit, præſcire, prædicere, ſed potens eſt facere. Igitur B. Auguſtinus eam ſolummodo admittit ſcientiam, quæ in decreto prædefiniente fundatur.

3. Idem ſanctus Præſul certior factus Semipelagianos in ſuum trahere ſenſum, ea quæ ad quæſtionem Paganorum de adventu Chriſti protulerat, ſeipſum explicat, l. de præd. SS. c. 9. n. 18. “ Cer„ nitis-ne, inquit, me ſine præjudi„ cio latentis conſilii Dei, aliarum cau„ ſarum, hoc de præſcientia Chriſti di„ cere voluiſſe, quod convincendæ Pa„ ganorum infidelitati, qui hanc objece„ rant quæſtionem, ſufficere videre„ tur? Quid enim eſt verius quam præ„ ſciſſe Chriſtum, qui, & quando & „ quibus locis in eum fuerant credituri? „ ſed utrum prædicato ſibi Chriſto, a

„ ſe-

„ ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo „ donante ſumpturi, ideſt, utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putavi. „ Profecto ibi Auguſtinus loquitur de ſcientia in decreto fundata, quandoquidem aliquid pluſquam quod ad quæſtionem Paganorum pronuntiaverat, & dicit, & docet, immo ſuam veluti de ſcientia mere ſpeculativa corrigens ſententiam ait, abſque præjudicio latentis conſilii Dei ſe prima vice fuiſſe locutum. Ergo &c.

Tertio, *Ex Divo Thoma*.

NON injucundum erit pro eodem momento aliqua hic texere Div. Thomæ loca; 1. part. qu. 14. art. 8. ſic fatur: " „ Manifeſtum eſt quod Deus per intellectum ſuum cauſat res, cum ſuum eſſe, „ ſit ſuum intelligere: unde neceſſe eſt „ quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum, ſecundum quod habet voluntatem conjunctam. „ Igitur ex D. Thoma, Deus præſcit futura in decreto, alias præſcientia non foret cauſa rerum.

Ibidem q. 16. art. 7. ad 3. ſic habet: " „ Illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit „ antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat „ ut fieret, unde ſublata cauſa non eſſet futurum illud fieri. Sola cauſa autem prima eſt æterna, unde ex hoc non ſequitur „ quodlea quæ ſunt, ſemper fuerit verum „ eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, ut eſſent futura. „ Igitur ſi ſint futura ſolum per Dei voluntatem, quæ eſt cauſa prima, Deus in ea profecto futura prænoſcit.

Rurſus 1. part. qu. 23. art. 5. eos qui prædeſtinationem ex prævisione meritorum per ſcientiam mediam ſtatuebant revincit his verbis: " Iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratia, & „ id quod eſt de libero arbitrio. Non eſt „ autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio & prædeſtinatione, ſicut non eſt „ diſtinctum id quod eſt ex cauſa ſecunda „ & cauſa prima. Divina enim providentia producit effectus per operationem „ cauſarum ſecundarum; unde & id quod „ eſt per liberum arbitrium, eſt ex prædeſtinatione. „ Vult ergo omnia cadere ſub decreto. Igitur ex D. Thom. Deus cognoſcit futura conditionata in decreto, & quidem independenter a ſcientia media.

Audiatur iterum S. Doctor, 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. explodit ſententiam eorum qui volebant Deum cognoſcere futura libera independenter a decreto, quique in probationem, reſponſionem Auguſtini ad quæſtionem ſecundam Paganorum afferebant, dicit enim Auguſtinum ſe retractaſſe iterum atque iterum recurrendo ad propoſitum. " Sed hanc, inquit, reſponſionem reprobans Auguſt. in l. de perſ. „ dicit, numquid poſſumus dicere Tyrios „ & Sidonios talibus apud ſe virtutibus „ credere noluiſſe, aut credituros non „ fuiſſe ſi fierent, cum ipſe Deus eis atteſtatur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta „ eſſent divinarum illa ſigna virtutum: „ proinde ut ipſe ſolvens ſubdit, ſicut Apoſtolus ait non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. „ Vides, benevole Lector, quomodo appellet Div. Thom. cum Paulo & Auguſtino ad ſolam Dei voluntatem pro futuris conditionatis de converſione hominum.

Quid plura? q. 6. de verit. art. 3. ad 4. repetit Angelicus Doctor infallibilitatem ſcientiæ divinæ, non a ſcientia media, ſed a decreto. " Dicendum, inquit, quod „ cauſa ſecunda quam oportet ſupponere „ ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis „ ſubjacet, & ideo ordo prædeſtinationis, „ quamvis ſit cum ſuppoſitione voluntatis „ humanæ, nihilominus tamen habet abſolutam certitudinem. " Igitur ſi ipſa cauſa ſecunda ſubjacet decreto, Deus ſcientiam conditionatorum a decreto, & non a ſcieutia media, quæ prius luſtrat cauſam creatam, mutuatur.

Quarto, *Ex multiplici ratione*.

PRIMA ſic proponitur. Deus eſt primum movens; creatura enim utpote de ſe in potentia, debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu: igitur Deus cognoſcit futurum conditionatum in decreto prædefiniente independenter a ſcientia media; iſta quippe ſcientia ſpeculatur cauſam ſecundam, tanquam a ſeipſa ex innata libertate determinandam: hoc autem ſuppoſito, Deus non eſſet primum movens, ſed ſolum concauſa & ſimul movens:

vens: jam vero ſi ſit primum movens, cognoſcit in voluntatis ſuæ determinatione quod futurum eſt. Hæc ratio traditur a Divo Auguſtino, l. de Trin. c. 4. n. 10. his verbis: " Cum hæc omnia, quæ per „ corporales motus in illo corpore fiunt, „ operetur, movens primitus inviſibilia „ miniſtrorum ſive animas hominum, ſi„ ve occultorum ſpirituum ſibi ſubditas „ ſervitutes. „

Secunda, hæc eſt: Deus cuncta creata cognoſcit in ſeipſo, ut in cauſa: ſed ſcientia Dei eſt cauſa rerum, adjuncta voluntate: igitur Deus cognoſcit futura in decreto independenter a ſcientia media. Hæc ratio aſſertur a D. Hilario, a Div. Thom. hic q. 14. & a Patribus ſupra citatis, ubi oſtendimus ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum; & maxime ab Aug. l. 26. contra Fauſtum, c. 4. reddens enim rationem cur neſciat aliquid, ait: " Ideo „ neſcio, quia quid habeat de hac re Dei „ voluntas, me latet: illud tamen me „ non latet ſine dubio futurum, ſi hoc „ Dei voluntas habet. „ Futuritionem rei a voluntate divina repetit: igitur ex Auguſtino Deus cognoſcit futura in decreto &c.

Tertia. Deus cognoſcit ipſas futuri circumſtantias in decreto prædefiniente; igitur inutilis eſt ſcientia media ad explorandum an v. gr. Petrus poſitus in tali, vel tali circumſtantia aut loci, aut temporis, operaturus ſit, cum omnia dependeant a decreto, & ipſum ſit ratio a priori futuri eventus. Ita colligitur ex Divo Auguſtino, hom. 23. inter 50. ubi ſic ait: " Adulter non fuiſti in illa vita tua præ„ terita plena ignorantia, nondum illu„ minatus . . . . hoc tibi dicit Deus „ tuus, regebam te mihi, ſervabam te „ mihi ut adulterium non committeres; „ ſuaſor defuit, ut ſuaſor deeſſet ego fe„ ci, locus & tempus defuit, & ut hæc „ deeſſent ego feci. „

Quarta. Nihil eſt futurum ante decretum, quia cauſæ nondum intelliguntur determinatæ: non prima, ut ſupponitur; a fortiori nec ſecunda, quippe quæ determinetur per primam; ergo Deus cognoſcit futura libera ſolum in decreto: nec mirum, cum ſint futura duntaxat per decretum prædefiniens. Hæc ratio eſt Divi Auguſtini, lib. de dono perſ. c. 17. " Si „ Deus bona opera præſcivit, profecto præ„ deſtinavit. „ Et Div. Thom. 1. p. q. 16. art. 7. ad 3. " Quod nunc eſt ex eo fu„ turum, fuit antequam eſſet, quia in „ cauſa ſua erat ut fieret. „

Quinta. Deus non expectat conſenſum voluntatis ut aliquid ſit futurum, quia ipſe dat velle & perficere; igitur cognoſcit futura libera conditionata in ſeipſo & in voluntatis ſuæ determinatione independenter a ſcientia media. Hæc ratio colligitur ex Apoſtolo dicente de Deo, Philip. 2. *Operatur in nobis velle & perficere*. Traditur utique a Concilio Arauſ. II. can. 4. " Si quis ut a peccato purgemur „ voluntatem noſtram Deum expectare „ contendit: non autem ut etiam purga„ ri velimus per ſancti Spiritus infuſionem „ & operationem in nos fieri confitetur, „ reſiſtit Spiritui ſancto dicenti Prov. 19. „ Præparatur voluntas a Domino. „ Ibi Synodus ſua perſtringit ſententia Semipelagianos qui dicebant initium fidei eſſe a natura, quod nuſquam quidem dixere aſſertores Catholici ſcientiæ mediæ, ſed attendendum ad rationem Concilii: ideo enim negat Deum expectare voluntatem humanam ut velimus, quia ipſe præparat voluntatem ut velimus; ſi præparatio voluntatis ſit ab ipſo, non indiget explorare per ſcientiam mediam genium & circumſtantias, ut cognoſcat certo quid creatura actura ſit, ſed videt in ſuo decreto prædefiniente, a quo eſt & ipſa voluntatis humanæ præparatio ad bonum, & ipſum bonum.

Sexta. Sine decreto libero Dei nullum eſt futurum liberum, juxta illud axioma, quod eſt per ſe primo tale, cætera non ſunt talia niſi per ordinem ad illud. Et vero, quomodo decretum prædefiniens oppримeret voluntatem, cum ſit libertas eſſentialis a qua omnis libertas? quis dicet actum voluntatis humanæ eſſe involuntarium eo quod a Deo mota & determinata procedat, cum actus ſit libertatis exercitium? a fortiori nihil poteſt eſſe liberum niſi per decretum prædefiniens, quia per illud creatura rationalis participat libertatem Dei. Et hoc duplici modo: primo quidem in quantum Deus applicat voluntatem ad actum quæ de ſe eſt in potentia. Certum eſt autem libertatem ſitam eſſe in indifferentia actuali, & non in pura potentia agendi vel non agendi, namque libertas eſſentialis & prima

ma ſcilicet Dei conſiſtit in eo quod liberrime agat ad extra. Porro ſine decreto prædefiniente voluntas humana nunquam poſſet actu agere: igitur decretum præmovens ſolvit potentialitatis vinculum; verum & cum ſit aliud adhuc ſolvendum vinculum impediens hominem ab operibus bonis, nempe infirmitas & corruptio, gratia præmovens ſanat corruptionem & adjuvat infirmitatem, ſicque libertatem quam primus homo granditate peccati ex parte amiſerat, reſtituit. Hæc reſponſio colligitur ex ipſius Chriſti verbis, Joan. 8. 36. *Si ergo*, inquit, *vos filius liberaverit, vere liberi eritis*. Colligitur utique ex Beato Auguſtino, qui hoc argumento non ſemel utitur contra Pelagianos & Semipelagianos, qui ideo negabant illi ex integro, iſti ex parte neceſſitatem gratiæ, ne liberum læderetur arbitrium; quippe qui defenderet ſola gratia hominem reddi liberum libertate qua donavit nos Chriſtus, tum applicando voluntatem noſtram ad bonum, tum ejus ſanando infirmitatem; qua de cauſa ſanctus Doctor gratiam Chriſti vocat auxilium quo & efficax: quod & agnovit Propheta Regius dicens Pſ. 115. *Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*.

Septima. Decretum prædefiniens ſovet & nutrit, immo accendit & auget ſanctitatem Dei ſervando jura ipſius, ſcriptum eſt enim Pſal. 118. *Quoniam omnia ſerviunt tibi*. Et iterum 2. Mach. 9. 12. *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo*. Quod quidem jus non videtur ſufficienter ſalvari, ſi creatura ſeipſam non prius a Deo mota determinet: enimvero in omnibus a Deo dependet, Deus non indiget explorare per ſcientiam mediam quid creatura factura eſt, ſed potius in propria ſua debet reſpicere voluntate quid in creatura operaturus ſit, ut cognoſcat futurum conditionatum. Hæc ratio eſt Divi Auguſtini, qui l. de gr. & l. arb. c. 1. de Deo dicit: *Ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Eſt Divi Bernardi, qui in l. de libero arbitrio verſus finem ait: *Deus voluntatem applicat operi*. Eſt & D. Thomæ qui 1. 2. q. 109. art. 1. ſic loquitur: *Actio cujuſcumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo, uno modo in quantum habet ab ipſo perfectionem ſeu formam per quam agit: alio modo in quantum ab ipſo movetur*. Et in 2. diſtinctione 37. qu. 2. art. 2. *Non poſſet vitari*, inquit, *quin voluntas humana eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur ſicut in cauſam*.

Octava. Deus non accipit ſcientiam a rebus, ſed a ſeipſo, ſed a voluntatis ſuæ determinatione: ergo cognoſcit conditionata futura in decreto prædefiniente & non per ſcientiam mediam, alias acciperet ſcientiam a rebus, quia deberet explorare genium creaturæ, explorare circumſtantias, ut poſſet judicare quid eſſet facturus. Hæc ratio fundatur in doctrina Hilarii qui l. 9. de Trinit. c. *Quæ Deus*, inquit, *facere decrevit, in ſua voluntate cognovit*. Item Auguſtini & Gregorii Papæ, qui dicunt ideo res eſſe, quia eas novit Deus. Sic habet S. Gregorius, l. 2. moral. c. 23. *Quæ non ſunt ab æternitate ejus, ideo videntur quia ſunt, ſed ideo ſunt quia videntur*.

Nona. Cognitio futurorum contingentium etiam conditionatorum in Scriptura ſacra refunditur in decretum Dei: ergo &c. Probatur antecedens: Joſue c. 8. Joſue incertus de eventu obſidionis Hai conſuluit Dominum qui ſic reſpondet: *Ecce tradidi in manu tua Regem ejus, & populum urbemque & terram*. Judicum 1. conſuluerunt filii Iſrael Dominum poſt obitum Joſue, quomodo ſe gererent, ut Cananæum certando vincerent, & quinam foret dux belli; quibus ſic reſpondit: *Judas aſcendet, ecce tradidi terram in manus ejus*. Ibidem 2. conſuluerunt Dominum aliæ Tribus contra Beniamin, dicentes: *Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere?* Quibus ait Dominus: *Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras*. 1. Reg. 23. quærit a Domino David utrum viri Ceilæ illum Sauli traderent, *reſpondit Dominus, tradent*. Ergo &c.

Decima. Scientia media eſt inutilis: ergo non eſt admittenda. Probatur antecedens: ſi eſt ſermo de futuro conditionato cujus conditio non ponetur, eſt poſſibile, & cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, licet enim futurum conditionatum ſit futurum, quia tamen conditio non purificanda eſt, ut converſio Tyriorum & Sidoniorum ſuppoſita prædicatione Chriſti & ſuppoſitis ipſius miraculis, reducendum eſt ad mere poſſibile: ſicut e contra futurum conditionatum

tum cujus conditio ponetur , eſt reſpectu Dei vere futurum , & ideo reducendum eſt ad ordinem futurorum contingentium abſolutorum , adeoque per ſcientiam viſionis cognoſcitur . Igitur ſcientia media eſt inutilis.

Confirmatur . Vel Deus cognoſcit per ſcientiam mediam , v. g. Petrum in tali vel tali circumſtantia poſitum , conſenſurum gratiæ , vel non : ſi primum , inu ilis eſt ſcientia media , quandoquidem independenter ab ea Petrus convertetur ad Dominum , cum enim illa ſcientia ſit mere ſpeculativa , nihil profecto ponit in re. Si ſecundum , hoc eſt ſi non convertatur , a fortiori inutilis prorſus. Quamobrem Clemens VIII. ſummus Pontifex licentiam conceſſit diſputandi in utramque partem ſalvo fidei dogmate : ergo &c.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura procedentes .

OBJICIES 1. Matth. 11. habetur *: Væ tibi , Corozain , væ tibi , Bethſaida , quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis ... pœnitentiam egiſſent .* Hoc poſito , ſic arguitur : Chriſtus non cognovit in decreto iſtud futurum conditionatum , nimirum converſionem & Tyriorum & Sidoniorum ſub conditione prædicationis Chriſti futuram . Et probatur : ſi cognoviſſet in decreto , injuſta fuiſſet increpatio facta Judæis : enimvero ad hoc , unum potiſſimum requiritur , videlicet ut Corozain & Bethſaida pares in auxiliis fuerint cum aliis : atqui hoc non apparet ullo modo verum , quandoquidem , ſi Chriſtus evangelizaſſet Regnum Dei tum Tyriis , tum Sidoniis , habuiſſent gratiam efficacem præmoventem , qua adjuti obſequium præſtitiſſent fidei , credidiſſent & converſi fuiſſent ad Dominum . Ergo &c.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum . Corozain & Bethſaida non habuerunt quoque gratiam congruam quam alii habuiſſent per ſcientiam mediam , ſi conditio de prædicatione & Chriſti miraculis appoſita fuiſſet . Quod igitur non crediderint Judæi , alii vero credidiſſent , hoc refundit ad Dei judicia Aug. in l. de dono perſ. c. 11. n. 3. " His quos prævi„ dit , ſi apud eos facta eſſent , ſuis mira„ culis credituros , quibus noluit ſubveni„ re , non ſubvenit ; de quibus in ſua „ prædeſtinatione occulte quidem , ſed „ juſte aliud judicavit . „ Idem reſpondet S. Proſper in reſponſione octava ad excerpta Genuenſium . " Cum aliqui pere„ unt , non dubitemus ipſorum meritis „ deputari quod pereunt : quos utique poſ„ ſet Deus juſte damnare ſi vellet : & „ cum aliqui liberantur , non audeamus „ definire , quod digni fuerint liberari , „ quos utique poſſet Deus damnare ſi vel„ let .... de Tyriis autem & Sidoniis „ quid aliud poſſumus dicere , quam non „ eſſe eis datum ut crederent , quos etiam „ credituros fuiſſe ipſa veritas dicit , ſi „ talia , qualia apud nos credentes facta „ ſunt ſigna vidiſſent. ... non ſolum Ty„ rios & Sidonios : ſed etiam Corozain „ & Bethſaida potuiſſe converti , & fi„ deles ex infidelibus fieri , ſi hoc in eis „ Dominus voluiſſet operari . „

Reſpondeo 2. negando primum & ſecundum antecedens . Ad aliud , diſtinguo : ut juſta ſit increpatio , debuiſſent Judæi fuiſſe pares cum Tyriis & Sidoniis in auxiliis ſufficientibus , concedo : in efficacibus , nego . Auxilium ſufficiens dat poſſe proximum , & ideo , inquit D. Th. imputatur peccatori ad pœnam , ſi bonum non operetur . Fuerunt autem Judæi pares in auxiliis ſufficientibus in hypotheſi cum aliis: maxime vero , quia Tyrii & Sidonii Chriſtum & evangelizantem audientes , & ſigna facientem videntes , nullum gratiæ prævenienti poſuiſſent obicem , hinc & gratiam efficacem oblatam Judæis , ſed ab eis procul factam , recepiſſent . Igitur Judæi plurimum inexcuſabiles , immo penitus & omnibus , ne dicam digni , ſed & ſubjiciendi pœnis .

Inſtabis . Si Deus decreviſſet dare gratiam efficacem Judæis , ſicut decreverat dare Tyriis & Sidoniis ſuppoſita prædicatione , eam dediſſet de facto , & Judæi utique fuiſſent converſi , illa ſiquidem gratia aufert cor lapideum , inquit Aug. l. de præd. SS. c. 8. *Ideo tribuitur , ut duritia cordis primitus auferatur* . Ergo Judæi non erant culpandi , ſuppoſito quod Deus omnia cognoſcat in decreto .

Reſpondeo 1. Retorquendo argumentum ; ſi Deus dediſſet gratiam congruam ; ſi prædicatio Chriſti facta fuiſſet apud Tyrios , Sidonioſque eo potiſſimum tempore quo Deus eos prævidebat dociles , cer-

certe crediſſent: par eſt igitur in utraque opinione difficultas, conſimilis utique Apoſtoli Rom. 9. 20. reſponſio adhibenda: *O homo! tu quis es qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?*

Reſpondeo 2. diſtinguendo: & Deus Judæis obtulit gratiam, ipſi vero ex innata & corrupta voluntate reſtiterunt, concedo: & non reſtiterunt, nego. Poterant igitur credere, ſed noluerunt. *Lux lucet*, inquit Joan. c. 1. *& tenebræ eam non comprehenderunt*. Deus poſſet ad bonum neceſſitare, ſed ex diſpoſitione mirabili non neceſſitat, quia reliquit hominem in manu conſilii ſui. Et cum homo ex ſeipſo habeat quod poſſit deficere, aliquando gratiæ reſiſtit, ſicut de facto Judæi reſtiterunt, juxta illud Actuum 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*; & ideo ſunt inexcuſabiles.

Rurſus inſtabis. Judæi non poterant credere ſine gratia efficaci; ea autem caruerunt; poſito vero decreto habuiſſent & Tyrii & Sidonii: igitur admiſſo decreto prædefiniente nulla extat paritas.

Reſpondeo 1. negando antecedens. Enimvero Judæi habuerunt gratiam ſufficientem, immo ſufficientiſſimam, ſi non reſtitiſſent, habuiſſent efficacem.

Reſpondeo 2. præceptum credendi appellare ſupra poſſe; cum igitur habuerint Judæi illud poſſe, pœna digni ſunt ut legis & mandati prævaricatores. Unde diſtinguo: non poterant credere, ideſt actu non crediderunt, concedo: non poterant ut ſic, nego.

Oppones 2. Rom. 8. 29. habetur: *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit*, Apoſtolus ibi diſtinguit præſcientiam a decreto, ſcilicet a prædeſtinatione: ergo prius eſt Deum præſcire futura conditionata, quam prædeſtinare: igitur ea cognoſcit independenter a decreto.

Reſpondeo 1. diſtinguendo: Apoſtolus præſcientiam a decreto diſtinguit, verbo tenus, & ad majorem explicationem, ſicut ſolemus eandem rem repetitis vocibus & ſynonymis explanare, concedo: vere & realiter, nego. Immo iſta duo jungit Paulus, ut oſtendat præſcire ac prædeſtinare idem eſſe: ſolutio eſt Auguſtini qui lib. de dono perſeverantiæ cap. 18. dicit illa duo vocabula idem ſignificare, quando agitur de vocatione electorum.

Reſpondeo 2. aliter. Apoſtolus diſtinguit præſcientiam a prædeſtinatione finali, tranſeat: a decreto prædefiniente, in quo bona futura novit, nego. Prædeſtinatio ſumitur dupliciter, ut initio articuli ſecundum mentem Auguſtini prænotavimus: primo pro decreto prædefiniente, in quo Deus videt bona futura quæ vult facere in creatura, & hæc prædeſtinatio idem ſonat ac prædefinitio & præſcientia, præſcire & prædefinire idem eſt ac prædeſtinare, quando agitur de vocatione electorum: alio modo ſumitur prædeſtinatio pro tranſmiſſione rationalis creaturæ a ſtatu peccati ad ſtatum beatum per media infallibilia; & hæc poteſt in aliquo ſenſu ſupponere præſcientiam mediorum & ipſius finis, quæ Deus præſcit in ſua voluntate, quia præſcit quod eſt ipſe facturus, juxta illuſt Auguſtini, lib. de dono perſever. cap. 17. *Quod ſi & dantur*, media, *& ea ſe daturum eſſe præſcivit; profecto prædeſtinavit*.

Objicies 3. In Scripturis ſacris futura conditionata revelantur per reſpectum ad cauſas ſecundas, ut 2. Reg. 23. David petens a Deo an viri Ceilæ ipſum Sauli traderent, reſpondit Deus, *tradent*: idem Dominus inſtruens, 3. Reg. c. 11. Iſraelitas, ait: *Non ingredimini ad eas*, ſcilicet filias gentium: *Certiſſime enim avertent corda veſtra*. Ergo Deus cognoſcit res futuras in ſeipſis per ſcientiam mediam.

Reſpondeo, Deum quandoque revelare futura libera per ordinem ad cauſas ſecundas, ut ſe accommodet ad noſtrum concipiendi modum, vel etiam ut oſtendat præſcientiam, libertati humanæ nuſquam adverſari: quandoque & ſæpius, ut ſupra notavimus, eadem revelat per ordinem ad ſuæ voluntatis arbitrium & determinationem, ut cum Jerem. 23. dicit: *Ecce ego dabo civitatem iſtam in manus Regis Babylonis & capiet eam*. Unde & ipſe Chriſtus in paſſione ſua ſæpe attendit ad decreta voluntatis divinæ, ut Joan. 19. *Ut conſummaretur Scriptura dixit: Sitio. Vas ergo erat aceto plenum, ... cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum eſt*. Et iterum Matth. 26. *Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt*, ideſt ſicut decretum eſt.

En

Ex Auguſtino.

OBJICIES. S. Doctor lib. 1. ad Simpl. qu. 2. dicit: *Illi enim electi, qui congruenter vocati*. Sed vocatio congrua eſt per ſcientiam mediam, quæ circumſtantias commodas & convenientes explorat, ut voluntas humana oblatæ gratiæ non reſiſtat & convertatur ad Dominum: igitur Deus cognoſcit futura conditionata independenter a decreto prædefiniente. Confirmatur: Si non conſulatur voluntas humana, totum opus refundetur in cauſam primam, unde & creatura non erit laude vel increpatione digna: ſed abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Et ipſæ circumſtantiæ cadunt ſub decreto & providentia, concedo: & non cadunt, ſed ſunt independentes, ita ut res ſiut ex innata libertate hominis futuræ, nego. Solutio eſt ipſius Auguſtini qui homilia 23. inter 50. introduxit Deum, peccatori ſic loquentem: *Ut adulterium non committeres ſuaſor defuit . . . . . locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent ego feci*. Quod autem res non ſint futuræ ex innata voluntatis humanæ libertate patet ex eodem Auguſtino dicente: *Ideo res ſunt quia eas novit Deus*.

Ad confirmationem. Semipelagiani hanc teſtibus Hilario & Proſpero in Epiſtolis ad ſanctum Auſtuſtinum proponunt objectionem, quam tamen non ſolvit ſanctus Præſul recurrendo ad voluntatem humanam, ſed ad propoſitum Dei, quia vero in reſponſione ad quæſtionem Paganorum, decretum tacuerat, in libro de prædeſt. SS. cap. 9. veluti ſe corrigendo ait, tunc fuiſſe locutum: *Abſque præjudicio latentis conſilii Dei*. Igitur jam diſtinguo ſi non conſulatur humana voluntas, ideſt, ſi ſeipſam non moveat ad actum, & non habeat quo poſſit ſe movere, non erit laude aut vituperio digna, concedo: ideſt ſi Deus expectat ipſius conſenſum ad cognoſcendum futurum, nego. Immo hoc videtur impoſſibile; quandoquidem Deus eſt prima cauſa, creatura vero cauſa ſecunda adeoque mota a prima. Immo in opinione contraria, creatura debet præveniri gratia ut ſeſe moveat, gratia autem eſt a Deo non a natura. Igitur ex concedendis Deus videt in decreto prædefiniente & largiente gratiam quid facturus eſt in creatura, quid ipſa creatura agens libere factura ſit cum ipſo. Namque Deus & actum & libertatem & omnia in ſua cognoſcit voluntate, dat poſſe, dat agere: ſi creatura non cooperetur, ſed reſiſtat, pœna digna eſt; laude vero e contra ſi agat. Solutio eſt Auguſtini, lib. 3. de lib. arbitr. cap. 2. *Voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius*.

Reſpondeo 2. Deum ut primam cauſam determinare ſecundam ſuaviter, & ideo congrue, quia libere; vult enim ut creatura libere agat ſive acceptando, ſive rejiciendo gratiam efficacem oblatam; ut libere agat, vel reſiſtendo gratiæ ſufficienti, vel etiam conſentiendo. Quomodo vero hoc fiat, *o altitudo divitiarum*! Credamus captivantes intellectum in obſequium fidei, alias ſcrutator majeſtatis opprimetur a gloria. Unde enim tot Hæretici, niſi quia temerarii homines etiam profunda Dei ſcrutari, immo & comprehendere voluerunt: hinc evaneſcentes in cogitationibus, factum eſt inſipiens cor eorum, dati ſunt in deſideria cordis pravi, in paſſiones ignominiæ & poſtea in reprobum ſenſum.

Inſtabis. Si ad decretum confugiendum eſt, maxime propter illud Apoſtol. ad Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Sed Auguſtinus non propter hoc recurrit ad decretum, bene vero ad congruitatem, ibidem enim ſic loquitur: *Verum eſt, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt ut ſequantur*. Igitur ad ſcientiam mediam & exploratricem genii, recurrit ſanctus Doctor.

Reſpondeo 1. hoc argumentum probare eandem eſſe difficultatem pro altera opinione quam pro iſta, & in utraque ad judicia Dei inſcrutabilia recurrendum cur unus trahatur, alter vero relinquatur; cur unus habeat gratiam congruam, vel præmoventem, alter vero minime.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Et ſic loquitur Div. Auguſtinus, quia congruitas cadit ſub decretum & eſt ab ipſo Deo, concedo; hanc enim congruitatem utique cum Auguſtino admittimus: quia eſt independens a decreto, nego. Enimvero

&

& actio & circumſtantiæ ſunt a voluntate Dei ; nihil quippe illam ſugit. Ipſe peccator, inquit D. Thom. dum ab ea declinat ut miſericordia eſt, incidit in illam ut eſt juſtitia vindicativa. Igitur omnia Deus cognoſcit in ſeipſo & in ſua voluntate, quandoquidem nihil fieri poteſt ſine ipſo.

Inſtabis iterum : Auguſtinus l. 2. 50. qq.q. 2. reſpondet interrogantibus Paganis cur Chriſtus tam tarde veniſſet : *Tunc Chriſtum voluiſſe hominibus apparere quando & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri*. Ecce ſcientia media clariſſime expoſita. Item l. de dono perſev. c. 14. dicit quoſdam habere in genio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant. Auguſtinus id confirmat ex oraculo Chriſti Matth: 11. dicentis, quod Tyri & Sidonii credidiſſent ſi & ipſius audiſſent prædicationem, & ejus ſigna magna vidiſſent : nondum igitur ibi de gratia interiori loquitur, ſed de genio ad fidem accomodato, quod quidem Chriſtus prævidebat in eis, & non in decreto, alias ſi penes decretum converſio erat, Corozain & Bethſaida debuiſſent credere, vel ſi non crediderunt, abſque culpa non crediderunt, quia non fuit pro eis decretum.

Reſpondet ipſe Aug. l. de præd. SS. c. 9. ad primum : *Cernitiſne me ſine præjudicio latentis conſilii Dei aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti voluiſſe dicere?*

Reſpondeo ad ſecundum, diſtinguendo. Quidam habent in genio diſpoſitionem negativam, concedo : quia tantas non habent paſſiones, & ideo non tot occurrunt impedimenta vincenda : habent diſpoſitionem poſitivam, ita ut vis naturalis genii ſit cauſa influens in actionem ſupernaturalem, negant ipſi aſſertores ſcientiæ mediæ & nos cum eis. Primum igitur ſolummodo intendit Aug. Quod autem non loquatur de congruitate explorata in qua Deus præſciat futura libera, patet ex eo quod multorum converſionem præſcierit adverſante congruitate, qualis eſt converſio S. Pauli qui adhuc ſpirans minarum in Diſcipulos Domini converſus eſt: Unde Chriſtus illi dicebat : *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Item converſio Latronis in cruce pendent is abſque ulla genii congruitate fuit : nam & ipſe tunc primum inſulſis Chriſtum laceſſebat contumeliis. De utroque enim reo legitur Marci 15. 32. *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei*.

Reſpondeo, ad confirmationem, argumentum nimis probare : & vero ex his in objectione allatis, ſequeretur Tyrios & Sidonios ad fidem vel viſis Chriſti ſignis, vel audita tantummodo ejus prædicatione convertendos eſſe : quaſi vero aut ſolum probæ vitę exemplum, aut miracula, aut Evangelii prædicatio ad convertendas animas, ut contendebat iterum atque iterum proſcriptus Pelagius, ſufficerent: unde diſtinguo. Viſis Chriſti miraculis Tyrii & Sidonii per gratiam efficacem & præmoventem ad fidem converſi fuiſſent, concedo : ſecus, nego. Verum eſt & ultro fatemur, idololatriam ſicut & depravatos mores eſſe magna ad converſionem impedimenta ; hinc qui honeſte vivunt, minorem habent ad fidem oppoſitionem : eſto : quod poſſint & miraculis & prædicatione & exemplis adduci ad fidem, ſed ad ſummum extrinſece, & moraliter ſuadendo, ſola quippe gratia efficax eſt cauſa efficiens eaque intrinſeca converſionis ad fidem.

Inſtabis adhuc. L. de lib. arbit. c. 3. ait:
“ Quomodo non poteſt aliud fieri quam
„ præſcivit Deus ſi voluntas non erit ;
„ quam voluntatem futuram ille præſci-
„ verit? cum enim ſic præſcius voluntatis
„ noſtræ, cujus eſt præſcius, ipſa erit.
„ Voluntas ergo erit, quia voluntatis
„ eſt præſcius, nec voluntas eſſe pote-
„ rit, ſi in poteſtate non erit. Ergo &
„ poteſtatis eſt præſcius. Non igitur per
„ ejus præſcientiam, mihi poteſtas adi-
„ mitur ; quæ propterea mihi certior ade-
„ rit, quia ille cujus præſcientia non fal-
„ litur, adfuturam mihi eſſe præſcivit. „

Certe per hæc verba totam præſcientiam ejuſque certitudinem fundat in præſcientia futuræ voluntatis humanæ : ergo Deus ex Auguſtino non præſcit res in decreto prædefiniente, ſed in voluntate futura hominis, quam S. Doctor ideo dicit Deum præſcire quia erit tale hominis placitum.

Reſpondeo diſtinguendo. Et Deus voluntatem in ſuo præſcivit decreto, concedo : & non præſcivit, nego. Beatus Auguſti-

ſtinus, l. 3. de lib. arb. c. 3. aſſerit Deum non ſolum voluntates eorumque actus, ſed & circumſtantias præſcire, quatenus cuncta cadunt ſub ejus voluntatem. Et vero Dominus futuram præſcit voluntatem, porro nihil eſſe futurum ante decretum propugnant Thomiſtæ.

Inſiſtes. Ex Auguſtino, Deus præſcit quidem voluntatem humanam ut futuram, ſed in ſeipſa, quandoquidem ſi non eſſet futura, nihil profecto præſciret Deus, neque vero humanæ voluntatis tollitur libertas, namque Deus præſcit & vim ejuſdem voluntatis electivam: aſt non videtur libertati locus ſi præſcientia fundetur in decreto, utpote quod & antecedat liberi arbitrii determinationem, & ſit immutabile. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: Deus præſcit voluntatem humanam in ſeipſa dependenter a decreto, concedo: independenter ab illo, nego. Certum eſt Deum præſcire quidquid futurum eſt in creatura: ſed a ſuo dependenter placito, quatenus cauſæ ſecundæ actus a prima dependet cauſa. Immo cum Deus ſit primum agens liberum, omnis voluntas libera, ſeu actus quicumque liber & ab ipſo ut a primo fonte promanat, & ab eodem habet quod ſit liber. Motus igitur primi moventis præcedit natura, & cauſalitate motum mobilis, ſalva tamen ſemper liberate. Non mirum, cum utrumque movens ſimul ſimultate temporis agat. Nec detur actus niſi prævia deliberatione, & electione, ut fuſius dicetur infra.

Oppones 2. S. Aug. paſſim dicit omnia præſcita non eſſe prædeſtinata; ergo ex ipſo Deus non cognoſcit omnia in decreto prædefiniente.

Reſpondeo diſtinguendo: Et loquitur Aug. de peccatis quæ Deus præſcit, ſed non prædeſtinat, concedo: de operibus bonis, nego. Dictum eſt ſupra cum D. Thoma, Deum cognoſcere privationes in formis oppoſitis: igitur Deus cognoſcit malum, in bono oppoſito, impietatem reprobi, in devotione prædeſtinati &c.

Ex Divo Thoma.

OBJICIES 1. D. Thomas, q. 6. de verit. art. 3. dicit præſcientiam in Deo non importare ſemper rationem cauſæ reſpectu omnium quæ attingit. Rurſus hic 1. p. q. 14. art. 8. docet præſcientiam eſſe cauſam rerum, eo prope modo quo ſcientia artificis eſt artefacti cauſa: ſed ſcientia artificis eſt mere ſpeculativa: igitur talis eſt ſcientia Dei; adeoque eſt a decreto independens.

Reſpondeo: ad primum, D. Thomam loqui de peccatis quæ certe Deus nec prædefinuit, nec prædeſtinat. Ad ſecundum, dictum eſt ſupra comparationem inadæquatam eſſe. Deus dirigitur quidem per ideas in cognitione quam de futuris habet: ſed dat rebus futuritionem per ſuæ voluntatis decretum: igitur ſcientia Dei comparatur ſcientiæ artificis quoad aliquid, non penes omnia, hoc eſt ſicut artifex idea dirigit opus, ita & ſuum ſupremus opifex: ſed Dei ſcientia adjunctam habet voluntatem, inquit D. Thomas hic q. 14. unde & eſt cauſa rerum juxta illud Pſalmiſtæ: *Qui fecit cælos in intellectu*.

Oppones 2. D. Thom. 2. 2. q. 174. art. 1. & q. 12. de verit. art. 1. diſtinguit duplex Prophetiæ genus, alterum prædeſtinationis, ut reſuſcitationem Lazari: alterum puræ præſcientiæ ut Ezechiæ mortem per Iſaiam prædictam: primam Prophetiam dicit infallibilem, alteram vero minime, in eo quod præſcientia in ea dirigatur per cauſas ſecundas. Igitur ex D. Th. præſcientia non fundatur in decreto, ſed in cognitione cauſæ ſecundæ ſecundum quod actura vel non actura eſt.

Reſpondeo, diſtinguendo: & vult ſolum Div. Thomas effectus libere futuros revelari quandoque per ordinem ad cauſam primam, quandoque etiam per ordinem ad cauſam ſecundam, ut Deus ſeſe hominum captui accomodet, concedo: & vult Deum ſcientiam a rebus, & non a ſuæ voluntatis decreto accipere, nego. In loco pro objectione in medium adducto, agitur de cognitione Prophetiæ ejuſque medio; nuſquam vero de cognitione Dei in ordine ad ſe, hæc poſterior ſiquidem ſumitur ſemper a decreto, altera vero modo a decreto, videlicet cum effectus revelatur per ordinem ad cauſam primam, & tunc dicitur, inquit D. Thomas, Prophetia prædeſtinationis; modo etiam per ordinem ad cauſas ſecundas, qualis fuit prædictio mortis Regis Ezechiæ, quæ quidem ſecundum morbi gravitatem mox futura erat; de quo tamen eventu pro-

pter

pter ejuſdem Principis pietatem aliter diſponere decreverat Dominus : Porro iſta Prophetia ſicut & aliæ quævis non abſimiles Prophetiæ, nomine comminationis apud eundem Div. Thomam celebrantur.

Objicies 3. 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. ſic loquitur : *Prædeſtinatio ſupponit ſcientiam futurorum*. Igitur præſcientia ex D. Thoma non fundatur in decreto. Ibidem art. 5. ad 2. affert rationem D. Aug. dicentis in q. 2. Paganorum, tunc Chriſtum voluiſſe apparere, quando prævidebat quinam eſſent in ipſum credituri, quam quidem ſine reſtrictione approbat. Igitur non opponitur ſcientiæ mediæ. q. 12. de verit. art. 1. docet ea quæ complentur per cauſas ſecundas, non eſſe prædeſtinata, bene tamen præſcita, & loquitur de futuris liberis, namque loquitur de actibus humanis : igitur non intendit Div. Thomas præſcientiam fundari in decreto.

Reſpondeo ad primum, diſtinguendo. Prædeſtinatio Chriſti ſupponit ſcientiam futurorum, concedo : prædeſtinatio late ſumpta & pro decreto ad aliquod opus a parte rei ponendum, nego. Jamjam dictum eſt prædeſtinationem a D. Thoma ſumi dupliciter, 1. pro tranſmiſſione creaturæ infallibili ad finem ſupernaturalem, 2. pro determinatione voluntatis divinæ ad aliquod agendum in creatura quæ non ſe movet ad actum niſi prius mota. Prædeſtinatio æterna primo modo ſumpta ſupponit ſecundum noſtrum concipiendi modum prævisionem peccati originalis, quod quidem delere voluit Deus per mortem ſui unigeniti & de qua loquitur D. Th. ſicut etiam, inquit, ſi Deus vellet operari ſalutem alicujus per orationem Sanctorum ut de facto operatus eſt ſalutem Pauli per orationem Divi Stephani, prius concipitur oratio ſancti Levitæ futura, quam converſio Pauli : ſed prædeſtinatio futuri contingentis, non ſupponit præſcientiam, quia ante decretum concipitur mere poſſibile ; ſimul igitur præſcitur in ideis & prædeſtinatur per decretum.

Solutio patet ex ipſo textu Divi Thomæ qui ad 4. ſic loquitur : *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, & ideo ſicut Deus prædeſtinat ſalutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædeſtinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.*

Ad ſecundum nego, Thom. approbare reſponſionem Auguſtini pro ſcientia media. Illam quidem refert, verum addit : „ Hanc reſponſionem reprobans idem Aug. „ in l. de perſ. c. 9. dicit : Numquid „ poſſumus dicere Tyrios & Sidonios ta- „ libus apud ſe virtutibus factis credere „ noluiſſe, aut credituros non fuiſſe ſi „ fierent ; cum ipſe Deus atteſtetur eis, „ quod acturi eſſent magnæ humilitatis „ pœnitentiam, ſi in eis facta fuiſſent di- „ vinarum iſta ſigna virtutum, proinde „ ut ipſe ſolvens ſubdit, ſicut ait Apo- „ ſtolus, non eſt volentis neque cur- „ rentis, ſed miſerentis Dei, qui his „ quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, „ ſuis miraculis credituros, quibus voluit „ ſubvenit ; aliis autem non ſubvenit, „ de quibus in ſua prædeſtinatione occul- „ te quidem, ſed aliud juſte judicavit : „ ita miſericordiam ejus in his qui libe- „ rantur, & veritatem in his qui pu- „ niuntur, ſine dubitatione credamus. „ Ex quibus animadvertere eſt quomodo Aug. & cum ipſo D. Thomas recurrant ad Dei placitum pro futuris contingentibus.

Ad tertium diſtinguo. Quæ complentur per cauſas ſecundas non ſunt prædeſtinata, ſi ſint peccata, concedo : ſi bona opera, ſubdiſtinguo : non ſunt prædeſtinata ſi conſiderentur per ordinem ad cauſas ſecundas, quæ ſunt fallibiles, concedo : ſi conſiderentur reſpective ad cauſam primam, nego. Uterque ſenſus eſt D. Thomæ.

Inſtabis. D. Thom. hic q. 14. ubi agit ex profeſſo de ſcientia Dei, non recurrit ad decretum pro cognitione futuri contingentis, etiam conditionati : & probatur art. 5. Dicit Deum alia a ſe cognoſcere non per ſpeciem propriam, ſed per eſſentiam ſuam quam intelligit. Rurſus art. 6. aſſerit Deum cognoſcere alia a ſe propria cognitione, ideſt ſecundum omnes rationes, quatenus rerum perfectiones in divina continentur eſſentia formaliter aut ſaltem eminenter, adeoque illas in ea velut in ſpeculo conſpici. Art. 8. Docet ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum eo prope modo quo ſcientia artificis eſt cauſa artefacti, & conſequenter mere directive & ſpeculative. Art. 13. Ubi ex profeſſo de futuris tractat contingentibus dicit, a Deo illa cognoſci prout ſunt in æternitate præſentia ; in iſto autem articulo altum eſt de decreto ſilentium. Art. 16. ait,

ſcientiam ſpeculativam eſſe practica nobiliorem, ex quo concludit ſcientiam Dei eam eſſe quæ ſpeculativa dicitur : ſic enim ad propoſitam reſpondet quæſtionem in argumento, ſed contra : *Omne quod eſt nobilius eſt Deo tribuendum : ſed ſcientia ſpeculativa eſt nobilior quam practica ; ergo Deus habet de rebus ſcientiam ſpeculativam*. Igitur ſcientia Dei non eſt practica, & in decreto prædefiniente fundata.

Reſpondeo 1. Conſtare ex multis D. Thomæ auctoritatibus adductis S. Doctorem admittere præſcientiam a decreto dependentem; cum igitur in hac decima quarta quæſtione S. Doctor explicet cauſam futuri contingentis adæquatam, non mirum ſi quandoque loquatur de directione, quandoque etiam de ipſa futuri eſſentia. Certum eſt a Deo futura cognoſci in ideis quæ nihil aliud ſunt quam eſſentia divina diverſis modis in infinitum participabilis : ſub iſto reſpectu ſcientia dicitur mere ſpeculativa, etenim ut ſic primus eſt veluti gradus productionis rei, & in hoc ſane comparatur ſcientiæ artificis. Deus idem futurum in ſua cognoſcit æternitate, quæ quidem omnia complectitur tempora; porro ex hac parte præſcientia eſt adhuc mere ſpeculativa : ſed inſuper Deus in ſua virtute ſeu voluntate in qua futurum tanquam in cauſa præcontinetur, videt eventus qui quandoque exiſtentiam in tempore habituri ſunt; & ex hac parte ſcientia Dei eſt cauſa rerum, eaque effectiva & practica.

Reſpondeo 2. diſtinguendo : Divus Thomas non loquitur de decreto cum de cauſa futuri inadæquata ſermonem inſtituit, concedo : cum de cauſa adæquata loquitur, nego. Deus eſt quidem in ſe cauſa ſemper adæquata, quandoquidem unicus actus, unicaque entitas & dicitur & eſt; quia tamen ejus mirabilis & prorſus ineffabilis eſſentia æquivalet perfectionibus creatis a ſe invicem diſtinctis, ideo juxta noſtrum concipiendi modum ſcientiam & ſpeculativam & practicam diſtinguimus. Primam quæ fundatur in ideis inadæquatam vocamus, eandem ut habet voluntatem adjunctam nominamus & practicam & adæquatam ex parte primæ cauſæ, adeoque effectivam & in decreto fundatam.

Hoc patet ex art. 8. ubi D. Thomas non ſoli ſcientiæ artificis comparat Dei ſcientiam, ſed & calori qui eſt principium calefactionis effectivum, immo ibidem probat ex profeſſo ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum effectivam adjuncta voluntate, ideſt per decretum. " Dicendum, *inquit*, „ quod ſcientia Dei eſt cauſa rerum. *Sic* „ enim ſe habet ſcientia Dei ad omnes „ res creatas ſicut ſcientia artificis ſe ha- „ bet ad artificiata, ſcientia autem arti- „ ficis eſt cauſa artificiatorum, eo quod „ artifex operatur per intellectum. Un- „ de oportet quod forma intellectus ſit „ principium operationis, ſicut calor eſt „ principium calefactionis.... Manifeſtum „ eſt autem quod Deus per intellectum „ ſuum cauſat res, cum ſuum eſſe ſit „ ſuum intelligere. Unde neceſſe eſt quod „ ſua eſſentia ſit cauſa rerum ſecundum „ quod habet voluntatem conjunctam. „

Hoc utique patet ex art. 16. ubi S. Doctor dicit ſcientiam eſſe quidem reſpectu Dei ſpeculativam, ſpeculativam vero ſimul & practicam reſpectu creaturarum. „ Dicendum eſt, *inquit*, quod Deus ſeipſo habet ſcientiam ſpeculativam tantum : ipſe enim operabilis non eſt. „ De omnibus vero aliis habet ſcientiam „ & ſpeculativam & practicam. Specu- „ lativam quidem quantum ad modum : „ quidquid enim in rebus nos ſpeculative „ cognoſcimus definiendo & dividendo, „ hoc totum Deus multo perfectius novit. Sed de his, quæ poteſt quidem facere, ſed ſecundum nullum tempus facit : non habet practicam ſcientiam, „ ſed ſecundum quod ſcientia dicitur practica a fine. Si autem habet ſcientiam „ practicam de his, quæ ſecundum aliquod tempus facit : mala vero licet ab „ eo non ſint operabilia, tamen ſub cognitione practica ipſius cadunt : ſicut „ & bona in quantum permittit vel impedit, vel ordinat ea, ſicut & ægritudines cadunt ſub ſcientia practica medici, in quantum per artem ſuam curat eas. „ Quibus verbis Divus Thomas docet Deum cognoſcere mere poſſibilia per ſcientiam ſpeculativam & ſimplicis intelligentiæ, futura libera per ſcientiam viſionis & practicam; bona quidem in decreto poſitivo : mala vero in decreto permiſſivo.

Ex

Ex aliis Patribus.

OBJICIES 1. Gregoris Nyſſenus oratione de iufant. ſic loquitur : " Eſt enim „ conſentaneum , ab illo , qui peræque „ futurum movit ac præteritum ; prohi- „ beri parvuli progreſſionem ad perfectam „ ætatem , ne malum illud quod præſciens „ illa vis & facultas cognoſceret , in eo , „ qui victurus eſſet ita , perficiatur : at- „ que ei , qui ea voluntate , arbitrioque vi- „ cturus fuiſſet , materia nequitiæ vita „ fiat . „ Ibi Gregorius loquitur de ſcientia media , loquitur enim de ſcientia qua prævidens Deus , quod ſi puer viveret , vita eſſet illi materia nequitiæ , rapit eum : ergo cognoſcit Deus futura conditionata in ſcientia media , & non in decreto .

Reſpondeo negando , Gregorium loqui de ſcientia media ; agit ſiquidem de prædeſtinatione pueri qui poſt Baptiſmum rapitur ne malitia immutet intellectum ejus . Certe ratio raptus uon eſt meritum imaginarium prævifum , immo prævidentur ſolum mala ſi viveret : igitur ipſius prædeſtinatio ſtat ſolummodo ſecundum propoſitum , quia ſic placet Deo illum tollere . Ita explicandi ſunt alii Patres cum ſimilia proferunt .

Objicies . 2. S. Chryſoſtomus Hom. 11. in Epiſt. ad Hebr. ſic habet : " Oportet „ nos eligere primum , quæ bona ſunt , & „ tunc ipſe , ſcilicet Deus quæ ſua ſunt „ introducit : non antecedit noſtras vo- „ luntates , ne lædatur liberum arbi- „ trium . Cum nos elegerimus , tunc mul- „ tam nobis affert auxiliationem . „ Igitur ex S. Chryſoſtomo Deus non cognoſcit futura contingentia in decreto prædefiniente ; alias liberum lædaretur arbitrium .

Reſpondeo diſtinguendo . Deus non cognoſcit futura libera in decreto prædefiniente neceſſitante , concedo : præveniente ſuaviter , non lædendo , ſed potius humanam fovendo libertatem , nego . Quod autem ſanctus ille Doctor in primo ſolum ſenſu loquatur , patet ex duobus momentis . Primo quidem quia contra Manichæos , qui quoddam fatum in vitam hominis inducebant , inſurgit . Secundo quia gratiam prævenientem a qua omne inchoatur bonum , ipſe admittit , afferendo omnia juſta & ſancta opera eſſe a Deo . Sic autem loquitur Hom. 18. in Epiſtolam primam ad Corint . " Ponamus te eſ- „ ſe dignum laudibus , & vere habere gra- „ tiam nec eſſe corruptum hominum judi- „ cium , nam nec ſiquidem oportet te efferre „ & ſuperbire , nihil enim habes domo „ allatum , ſed a Deo acceptum : quid er- „ go te habere præ te fers quod non ha- „ bes? at tu hoc habes & alii tecum ac- „ ceptum , ergo habes , non hoc autem il- „ lud , ſed omnia quæ habes , non enim tua „ ſunt hæc recte facta , ſed gratiæ Dei . „ Rurſus Hom. 8. in Epiſt. ad Philip. de Deo dicit : *Propenſionem voluntatis ipſe nobis dat & operationem* . Si dat initium boni operis , ſi deſiderium , & ipſius boni inclinationem , manifeſtum eſt ſecundum doctrinam Chryſoſtomi bona omnia eſſe a decreto prædefiniente , adeoque Deum ea videre in tali cauſa .

Objicies 3. Origenes apud Euſebium , l. 6. de præp. ſic loquitur : " Ac ſi ita loqui „ fas eſt , non eſt præſcientia cauſa rerum „ quæ fiunt . Non enim illum , qui pec- „ catum admiſſurus eſſe præſcitur , attin- „ git Deus , cum peccat : ſed (ut quod „ dictu quidem magis eſt mirabile , ſed „ tamen verius , eloquar) quod futu- „ rum eſt , cauſa eſt cur talis ſit ipſius præ- „ ſcientia ; non enim ex eo quod cognitum „ eſt , fit illud , ſed quoniam futurum erat , „ eſt cognitum . „ Igitur ex Origene Deus & accipit ſcientiam a rebus , & eas futuras non in decreto , ſed in earum veritate objectiva cognoſcit .

Reſpondeo diſtinguendo . Deus res futuras cognoſcit in veritate objectiva ſecundum conſequentiam , hoc eſt , ex eo quod res ſint , ſequitur illas cognoſci a Deo , concedo : ſecundum cauſalitatem , nego : in eo prorſus ſenſu explicat Origenem Divus Thomas hic q. 14. art. 8. ad 1. & hoc potiſſimum patet ex modo loquendi Origenis per diminutum , quæ quidem verba ſufficienter manifeſtant ejus expreſſionem non ſumendam eſſe ad litteram . Porro ſic loquitur maxime ut duo demonſtret : primum quidem Dei præſcientiam libertati non adverſari : alterum vero res non eſſe ab æterno exiſtentes , tametſi Deus eas in æternitatis menſura ſecundum omnes rationes cognoſcat . Eo loquendi modo utitur Origenes etiam ut oſtendat Deum non eſſe peccati auctorem . Et vero cum peccatum non habeat cauſam efficien-

Digitized by Google

tem, ſed deficientem, ſane non cognoſcitur a Deo per decretum poſitivum, unde ſancti Doctores recte aſſerunt peccatum præſciri quidem a Deo; nuſquam vero prædeſtinari.

Objicies 4. Damaſcenus l. 2. de fide c. ult. ait: Illud quidem ſcire intereſt, Deum „ quidem omnia præſcire, ſed non om„ nia præfinire, præſcit enim ea quæ in „ noſtra poteſtate & arbitrio ſita ſunt, & „ non ea præfinit; neque enim vitium ad„ mitti vult; nec rurſus virtuti vim „ affert. „ Igitur ex Damaſceno, Deus non cognoſcit futura libera in decreto, quia non præfinit ea quæ ſunt in poteſtate noſtri liberi arbitrii, ne vim inferat virtuti aut ſit cauſa peccati. Certe iſtæ rationes nullius eſſent ponderis, ſi in decreto futura libera prædefiniret Deus.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus ex Damaſceno non prædefinit peccata, concedo: bona opera futura, ſubdiſtinguo: neceſſitatem inducendo & fatum, concedo; movendo ad libertatis exercitium, nego. Loquitur Damaſcenus ſecundum phraſim antiquorum Patrum Græcorum; refutat enim fatum, quod in vitam humanam inducebant Manichæi; Patres vero loquendo contra aliquam hæreſim, quaſi in aliud extremum prorumpere videntur, ut magis urgeant & fortius premant fidei hoſtes. Quod autem Damaſcenus loquatur excludendo duntaxat fatum neceſſitans, patet ex terminis: *Neque enim*, inquit, *vitium admitti vult*, *nec rurſus virtuti vim affert*. Manichæi autem inducendo fatum, & tollebant libertatem, & Deum faciebant auctorem peccati. Solutio eſt Divi Thomæ, 1. p. q. 23. art. 1. qui hoc ſibi proponit argumentum quod poſtea ſolvit. " Videtur quod homines non præ„ deſtinentur a Deo, dicit enim Da„ maſ. in 2. l. oportet cognoſcere quod „ omnia quidem præcognoſcit Deus: non „ autem omnia prædeterminat. Præco„ gnoſcit enim ea quæ in nobis ſunt: „ non autem prædeterminat ea. „ Cui argumento ſic reſpondet: " Ad pri„ mum dicendum quod Damaſcenus no„ minat prædeterminationem, impoſitio„ nem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus na„ turalibus, quæ ſunt prædeterminatae ad „ unum. Quod patet ex eo quod ſubdit, „ non enim vult malitiam, neque com„ pellit virtutem. Unde non excluditur „ prædeterminatio.

Objicies 5. Gaudentius Brixianus tractatu 3. de Paſch. " Synaguga quippe Judæo„ rum, *inquit*, quod erat crudeliter fa„ ctura, prædictum eſt, non ut fieret, „ juſtum eſt: nec ideo factum eſt, quia „ prædictum erat, ſed ideo prædictum „ eſt, quia erat futurum, ut præſcien„ tiam ſuam in his, quæ per libertatem „ arbitrii hominum futura erant, oſten„ deret. Libertatem dicimus arbitrii, „ quia voluerunt Judæi facere, quod fe„ cerunt, & utique ſi voluiſſent, non „ feciſſent. „ Ibi loquitur de morte Chriſti: ſed ideo dicit non prædefiniri, quia libertas tolleretur. Igitur Deus non cognoſcit futura libera in decreto prædefiniente.

Reſpondeo 1. Gaudentium loqui de peccato horribili Judæorum qui Filium Dei crucifixerunt: ſupra autem dictum eſt peccata præſciri quidem, ſed non prædeſtinari a Deo. 2. Loqui in ſenſu aliorum Patrum & contra fatalitatem, ibi enim addit: *Præſcientia Dei quidem non fallitur, ſed nec homini conceſſa ſemel voluntatis libertas aufertur*. Igitur aſſerunt Patres rationem libertatis, non ad rejiciendum decretum liberum prædefiniens & præmovens, a quo omnis libertatis exercitium eſt, cum ſine præmotione Dei, creatura maneret ſemper ſuſpenſa, & in ſua potentialitate ligata, nec unquam ageret; ſed ut oſtendant non dari fatum ethnicum perimens liberum arbitrium. Sic intelligendi ſunt ex Patribus Græcis Juſtinus qu. 8. ad orthodoxos. Theodoretus lib. 5. de div. offic. c. de provid. Ex Latinis Arnobius in Pſalm. 50. Tertullianus, Hieronymus & alii.

Ex ratione multiplici.

OBJICIES 1. Deus cognoſcit futura libera ante decretum prædefiniens & independenter ab ipſo. Probatur, 1. Rationes omnium rerum ſunt in ideis divinis quæ concipiuntur ante decretum, ſunt enim ipſa eſſentia divina infinitis modis participabilis. Et certe futura libera tam repræſentantur futura in ideis, quam alia. 2. Quia eſſentiæ rerum ſunt in eſſentia divina ut participali, & non in decreto, quod ſulummodo reſpicit exi-

Digitized by Google

exiſtentiam : porro eſſentiæ ſunt immutabiles, nec dependent a decreto libero : ergo in eo non coguoſcuntur futura conditionata.

Reſpondeo. Ut jam ſupra prælibatum eſt, & ad omnem æquivocationem tollendam, Deum omnia ſimul, & poſſibilia, & furura cognoſcere, non enim datur in ipſo ſucceſſio, cum ſit actus purus & ſit ſemper in actu ſuorum intelligibilium : igitur prioritas rerum in cognitione Dei, eſt ſolum prioritas ordinis & conceptionis noſtræ, propter dependentiam creaturæ a Deo.

Reſpondeo 2. negando antecedens. Ad primam probationem, diſtinguo : rationes rerum ideales & Metaphyſicæ ſunt in Deo ante decretum, concedo : rationes Phyſicæ & reales, nego. Duplex eſt eſſentia rei, alia abſtracta & Metaphyſica, & eſt idea rei atque conceptio ſecundum ſe, adeoque indifferens ad eſſe futurum. Alia Phyſica & concreta, & ſunt ipſæ res conſideratæ ut entia realia cum exiſtentia actuali vel connotata. Rationes rerum ſunt in Deo aute decretum primo modo, nihil enim aliud ſunr, quam eſſentia divina ut participabilis : ſecundo vero modo, per decretum & voluutatem Dei, quæ dat rebus eſſe reale juxta illud Pſalm. 113. *Omnia quæcumque voluit fecit*. Quæſtio autem præſens movetur de futuris liberis, adeoque de rebus cum exiſtentia conſideratis, quæ quidem repræſentantur in ideis, ſed adjuncto decreto, alias eſſent pure poſſibiles.

Ad ſecundam probationem, diſt. eſſentiæ rerum repræſentantur ſolum in ideis, eſſentiæ metaphyſicæ, concedo : phyſicæ, nego. Iſtæ repræſeutantur in decreto & in virtute in qua continentur realiter ; ſicut arbor repræſentatur in ſemine. Ad id quod dicitur, eſſeutias eſſe æternas & ante decretum, diſtinguo : quoad enuntiationem propoſitionis, & metaphyſice conſideratas, concedo : ab æterno enim ante decretum, verum eſt dicere in genere & in abſtracto, eſſentia hominis eſt, quod ſit animal rationale, quia eſſentia divina ſic eſt participabilis ante decretum. Quoad futuritionem de qua eſt quæſtio, & realitatem, ſubdiſtinguo : per decretum, concedo : a ſola enim Dei voluntate Petrus habet quod ſit actu : ſine decreto, nego. Exiſtentia eſt de eſſentia rei in concreto conſiderata, videlicet ut talis eſt a parte rei ponenda. Igitur cum hoc ſit a ſolo decreto, res cognoſcitur ut futura ſolummodo per Dei voluntatem.

Inſtabis. Deus antecedenter ad decretum, cognoſcit infinita, etiam omnia futura, alias ipſius intellectus maneret in potentia ad aliquid cognoſcendum, immo aliquid novi conciperetur illi advenire, adeoque conceptus de Dei cognitione non eſſet perfectus : ſed abſurdum conſequens, ergo & antecedens. Confirmatur. Deus antecedenter ad decretum comprehendit omnia quæ in virtute ſua coutinentur, cognoſcit in ea quicquid poteſt facere & facturus eſt : ergo & futura libera, quæ certe antecedenter ad decretum, præcontinentur in eſſentia divina ; quandoquidem omnes rerum perfectiones & a Deo ſunt, & præexiſtunt in Deo. Ad ſummum, inquit ſubtiliter Suarez, poteſt Deus in ſuæ eſſentiæ comprehenſione decretum ut futurum & omnia in ipſo cognoſcere ; maxime, quia omnia videt Deus in æternitate ; æternitas autem illi ante decretum convenit, cum ſit attributum eſſentiale & duratio ipſam menſurans eſſentiam ; decretum vero, ut pote liberum, eſt poſterius. Ergo Deus cognoſcit futura libera independenter a decreto ; tum quia ante illud videt infinita, tum quia omnia comprehendit, tum quia omuia in æternitate intuetur.

Reſpondeo diſtinguendo. Antecedenter ad decretum Deus videt infinita, eo modo quo ſunt cognoſcibilia, concedo : alio modo, nego. Videt & futura, quia videt quidquid facere poteſt, ſed videt quatenus poſſibilia, nondum quippe ſunt futura, ſiquidem e ſtatu poſſibilitatis educuntur per decretum. Ad id quod additur, quod intellectus divinus conciperetur in potentia ad novum objectum cognoſcendum ; nego propter duo. 1. Quia cognoſcit omnia etiam futura ante decretum, ſed quatenus poſſibilia. 2. Quia in eodem inſtanti cognoſcit & ſe & alia ; quando igitur non concipitur cognoſcere poſſibilia, poſtea futura, hæc poſterioritas eſt ſolum a quo & ordinis, in quantum concipitur prius poſſibile ab eſſentia divina fluere, deinde futurum ; & ſi qua

eſt in concipiendo potentialitas, tota ſe tenet ex parte intellectus creati, qui propter ſuam limitationem concipit divina ut humana.

Ad confirmationem ſimiliter, diſtinguo: Deus comprehendit omnia, & ipſa poſſibilia prius ab ipſo fluere, deinde futura per decretum, concedo: ſecus, nego. Reſpectu Dei non datur prius & poſterius in cognitione, cum voluntatis actus idem ſit realiter cum actu intellectus, & ipſa futura quæ dependent ab ipſius voluntate, ſimul cum poſſibilibus cognoſcantur; ſed datur reſpectu rerum & noſtri, in quantum unum prius concipimus a Deo fluere quam aliud: ſicut enim propter illum ordinem concipimus eſſe in Deo & intellectum & voluntatem, quia entitas divina facit quidquid facit & intellectus & voluntas noſtra, ita & diverſas virtualiter cognitiones ſecundum diverſitatem & ordinem objectorum in Deo diſtinguimus. Et ideo etiam in opinione oppoſita, alia eſt cognitio poſſibilium, alia futurorum: quidni igitur & dicemus poſſibilia cognoſci quidem ante decretum prius prioritate naturæ & ordinis, deinde ipſa futura videri in decreto tanquam in medio, in quo relucent & præcontinentur, ſicut effectus in cauſa?

Ad rationem Suareſii; nego decretum repræſentari ut fururum in æternitate; ideo enim Patres ſæpe recurrunt ad præſentiam rorum in æternitate quæ facta noſtra divino objicit intellectui, ut a peccatis deterreant peccatores, qui a paſſionibus illuſi credunt Deum, aut oblviſci futurorum, aut etiam præſentia cæteris hominibus impervia ignorare; ſed non excludunt per hoc dependentiam rerum creatarum a divina voluntate: unde & in iſto medio videt Deus futura libera a ſuo dependere beneplacito: igitur hæc ratio concludit pro nobis, & oſtendit decretum non poſſe concipi futurum, ut poſuit Suarez; maxime cum non detur inſtans in quo tale decretum non ſit actus voluntatis divinæ. Solutio eſt D. Thomæ qui q. 6. de veritate art. 3. ad 10. ait: "Actus „ prædeſtinationis cum menſuretur æter„ nitate, nunquam cadit in præteritum, „ ſicut nunquam eſt futurus, ſed ſemper „ conſideratur ut egrediens a voluntate „ per modum libertatis. „ Obſerves velim, Lector benevole, Divum Thomam loqui de actu libero ad creaturam terminato: igitur & actus proceſſionum ad intra, & ipſe actus Dei liber ad extra non concipiuntur ut futuri; ſicque ruit ratio in contrarium.

Rurſus inſtabis. Scientia ſimplicis intelligentiæ concipitur ante ſcientiam viſionis: igitur & cognitio futuri decreti poteſt concipi ante cognitionem particularem futuri; maxime quia divina concipiuntur ante creata; decretum autem eſt actus liber divinæ voluntatis; poteſt igitur & prius concipi & in eo futurum liberum videri, antequam de facto exeat illud decretum a voluntate divina pro productione rei. Confirmatur. Si Angelus eſſet ab æterno, dilectio tamen creaturæ ab Angelo poſſet concipi futura, eo quod prius eſſet Angelum exiſtere, quam amare: ſic prius eſt actum voluntatis divinæ eſſe, quam terminari ad creaturam: igitur decretum de creatura poteſt concipi ut futurum, adeoque futurum conditionatum poteſt cognoſci antecedenter ad decretum. Probatur iterum. Decretum Dei liberum a quo dependet creatura, addit ſolum aliquid rationis ſuper actum voluntatis divinæ, ſcilicet connotationem creaturæ: ſed ante illam connotationem, Deus ſuam cognoſcit voluntatem & omnia quæ in ea ſunt: ergo antecedenter ad decretum, & cognoſcit futurum conditionatum, & ipſum decretum poteſt concipi ut futurum; præſertim vero cum creaturam non producat niſi in tempore.

Reſpondeo diſtinguendo. Scientia ſimplicis intelligentiæ concipitur ante ſcientiam viſionis; & ideo prius concipitur Deus poſſibilia cognoſcere quam futura libera, concedo: & ideo decretum concipitur ut futurum, nego. Tametſi decretum terminetur ad creaturas, eſt tamen quid divinum, & ideo non poteſt concipi ut futurum, divina enim menſurantur æternitate eſſentiali, in qua ſunt æqualiter præſentia. Deinde decretum illud, quod juxta Suareſium conciperetur ut futurum, eſſet tantum indifferens, quia voluntas divina in illo priori nondum conciperetur determinata ad productionem rei, alias jam poſitum eſſet decretum, & ſic in noſtrum incidit ſenſum: vel dicendum quod in illo priori decretum conciperetur ut poſſibile, adeoque & alia a ſe, pure poſſibilia & non futura, quia in

illo

illo priori conciperetur voluntas divina ut potens multa facere. Sed hoc non cohæret cum doctrina D. Thomæ, qui hic q. 16. negat Deum habere ideam de ſe, adeoque de actu ſuæ voluntatis, quia, inquit, idea eſt ad aliud; unde Deus ſe & ſua attributa non cognoſcit per ideam & aliquod medium, ſed in ſeipſo.

Reſpondeo ad confirmationem, negando paritatem, propter duo. Primo, quia Angelus non poteſt ſibi ſuam identificare voluntatem, quæ eſt facultas, adeoque aliud a ſua ſubſtantia, nec utique poteſt ſibi ſuum identificare ſuæ voluntatis actum: unde prius eſt Angelum eſſe, quam diligere: igitur ipſius dilectio poteſt concipi ut futura, nuſquam vero decretum Dei, propter rationes jam allatas. Secundo, quia dilectio Angeli eſſet æterna æternitate ſolum participata, at vero decretum Dei eſt æternum æternitate eſſentiali; quia vero eſt liberum pro rebus ad extra, ſolummodo ſequitur creaturam concipi ut futuram, & eſſe de facto talem.

Reſpondeo ad aliam probationem, diſtinguendo: decretum addit tantum aliquid rationis reſpective ad creaturam, concedo: concipitur enim relatio duntaxat rationis & non realis in Deo ad creaturam connotatam, quia Deus ab ipſa non dependet: eſt aliquid rationis reſpectu Dei, nego. Eſt enim voluntatis divinæ actus, qui quidem ſimul eſt eminenter & liber & neceſſarius; in quo certe connotatio ad creaturam producendam fundatur. Ad id quod additur, ante connotationem Deus ſuam videt voluntatem & omnia in ea: diſtinguo, videt ut poſſibilia, concedo: ut futura, nego. In illo enim priori rationis ſuam videt Deus voluntatem nondum determinatam; quia per decretum, quod nondum intelligitur, determinationem habet. Igitur, cum nihil ſit futurum ante decretum, dicendum Deum futura libera conditionata & alia in decreto prædefiniente cognoſcere.

Oppones 2. E duobus propoſitionibus de futuro contingenti, una eſt ex ſe determinate vera, altera determinate falſa; verbi gratia, Petrus diſputabit, Petrus non diſputabit: & probatur, una ex ſe ante decretum eſt conformis objecto enunciato, altera non; quia ſunt contradictoriæ, adeoque una debet eſſe falſa, alia vera, ſin minus non eſſent contradictoriæ.

Reſpondeo negando anteced. ad primam probationem, nego unam propoſitionem eſſe ante decretum objecto & veritati conformem, alteram vero difformem, quia tunc nihil eſt futurum, cum cauſæ nondum intelligantur determinatæ: non quidem prima, quia ſupponitur nihil adhuc decreviſſe; neque ſecunda, quia determinatur per primam, nec ſeipſam applicat ad actum, niſi præmota per illam; unde propoſitiones non ſunt niſi materialiter contradictoriæ, ſed eatenus indifferentes, quatenus objectum eſt in potentia ad eſſe vel non eſſe.

Urgebis. Iſta propoſitio vel Petrus diſputabit, vel non diſputabit, eſt determinate vera ante decretum, altera falſa: ergo & una ex iſtis, Petrus diſputabit, Petrus non diſputabit. Confirmatur. Effectus neceſſarius, ut eclipſis lunæ, poteſt cognoſci futurus independenter a decreto: ergo & contingens, cum non magis dependere debeat a decreto, quam effectus neceſſarius.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad veritatem enim unius disjunctivæ, ſufficit rem poſſe eſſe vel non eſſe; & ſenſus eſt, vel cauſa prima & ſecunda, ſe determinabunt ad hoc vel non. Sed in duabus propoſitionibus de futuro contingenti, una dicitur determinate vera, altera determinate falſa: quod autem eſt determinatum, eſt abſolute futurum, quia ſupponit cauſam primam, ad unum membrum determinatam.

Reſpondeo ad confirmationem, diſtinguendo: effectus neceſſarius poteſt cognoſci futurus quoad ſpeciem & in genere, ſeu vage independenter a decreto, concedo: futurus in particulari & actu, nego. Aſtronomus poteſt propter aliqua ſigna cognoſcere in genere eclipſim lunæ, ſed ante decretum non eſt illa eclipſis determinate futura; tum quia poteſt impediri a Deo; tum quia cauſæ neceſſariæ ſecundæ indigent utique præmotione Dei ut exeant ad actum: cum enim ſint potentiales, debent reduci ad exercitium per id quod eſt ſemper in actu, ſcilicet per primam cauſam, quæ movet creaturas ſecundum exigentiam naturæ, neceſſarias ſcilicet neceſſario, liberas vero libere.

Objicies 3. Scientia conditionatorum in Deo eſt media inter ſcientias ſimplicis intelligentiæ & viſionis: igitur Deus cogno-

gnoſcit futura libera independenter a decreto. Probatur antecedens. 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt de pure poſſibilibus, ſcientia vero viſionis de futuris abſolutis. Igitur datur media, quæ eſt de conditionatis. 2. Scientia ſpecificatur ab objecto; unde ubi ſunt objecta formaliter diverſa, ſunt etiam diverſæ ſcientiæ: ſed futurum conditionatum eſt formaliter diſtinctum a poſſibili & a futuro abſoluto: igitur ſpecificat ſpecialem ſcientiam. 3. Si futurum conditionatum non eſt formaliter diverſum ab aliis divinæ ſcientiæ objectis, erit vel ſimpliciter poſſibile, vel ſimpliciter & abſolute futurum, & nullo modo conditionatum: at contrarium oſtenſum eſt, cum dari futura conditionata probavimus. Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Scientia conditionatorum eſt media, in terminis & quoad nomen, ſeu loquendi modum, concedo: cum enim futura conditione reſpective ad cauſas ſecundas dependeant a conditione quæ poteſt poni vel non, præſcientia eorum concipitur quaſi media ſecundum modum loquendi. Eſt media in rei veritate & cum fundamento, nego. Qualitas enim præſcientiæ conſideratur & menſuratur in ordine ad Deum & ſecundum quod videt; jam vero, cum reſpectu Dei conditionata reducantur vel ad poſſibilia, ſi conditio non eſt purificanda, vel ad futura abſoluta, ſi ponenda eſt conditio, & Deus certo ſciat quod ponetur conditio, vel non ponetur, futurum conditionatum cognoſcitur, vel perſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel per ſcientiam viſionis.

Ad primam probationem, diſtinguo: & ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt de futuris conditionatis quorum conditio non purificabitur, ſcientia vero viſionis de aliis quorum conditio ponetur, concedo; pertinent enim illa reductive ad alterutram ſcientiam: ſecus, nego.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo: objecta ſunt formaliter diverſa, quoad nos & quoad cauſas ſecundas, concedo: quoad Deum, nego. Ignoramus quippe an conditio ponenda ſit, vel non, tum quia cauſæ ſecundæ concipiuntur partim determinatæ, partim non determinatæ: ideo reſpectu noſtri objecta ſunt ſpecie formaliter diverſa, poſſuntque diverſas in nobis conſtituere ſcientias: ſed dictum eſt Deum non accipere ſcientiam a rebus, bene vero a ſeipſo; cognoſcit enim poſſibilia in ideis, futura in decretis, omnia in æternitate: ſequitur igitur præſcientiam Dei res attingere quales erunt & non erunt; ſi enim futurum foret conditionatum reſpectu Dei, præſcientia non eſſet certa & infallibilis: ideoque objectum non eſt reſpectu Dei formaliter diverſum, ſed vel poſſibile vel futurum ſimpliciter. Illud tamen cognoſcit Deus ut vere conditionatum, quia tale eſt reſpectu cauſæ ſecundæ a quo ſpecificatur. Aliud eſt igitur cognoſcere futurum conditionatum, aliud cognoſcere conditionate: primum competit Deo; alterum vero tantum creaturæ; & ſic patet ſolutio ad tertium.

Inſtabis. Eſt unicus in Deo actus intellectus, quia tamen cognitio Dei æquivalet ſcientiis multis, quæ realiter diſtinguuntur in creatis, in ipſo utique diſtinguuntur virtualiter, & plures concipiuntur ſcientiæ: ſed præſcientia Dei æquivalet ſcientia poſſibilium, & ſcientia futurorum abſolutorum, & ſcientia conditionatorum quæ formaliter ſunt diverſæ in creaturis: igitur ſunt & in Deo tres virtualiter ſcientiæ, una ſcilicet media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis.

Reſpondeo diſtinguendo. Si ſcientiæ creatæ ex natura rei ſint diverſæ, actus intellectus Dei habet ſcientias virtualiter diverſas, concedo: ſi ſcientiæ creatæ ſint ſolum per accidens diverſæ formaliter, nego. Scientia conditionatorum in creaturis eſt diverſa a ſcientia ſimplicis intelligentiæ & a ſcientia viſionis defectu luminis: nam objecta diverſam ab eo non a ſua natura inducunt rationem, cum ex ſe ſint vel pure poſſibilia, vel ſimpliciter futura, & ſolum conditionate futura propter potentialitatem creaturæ: igitur cognoſcuntur ab homine ut conditionate futura defectu ſufficientis luminis, quod ſi plenum adeſſet, homo eandem inveniret rationem in objectis, ſcilicet vel rationem puræ poſſibilitatis, vel puræ futuritionis. Porro in Deo eſt lumen infinitum, & ideo non poteſt eſſe ſcientia media conditionatorum, utpote quæ argueret in eo imperfectionem, quatenus reſponderet noſtræ conditionatorum ſcientiæ, quæ eſt conjecturalis & imperfecta. Cognoſcere triangulum medio mathematico, & ut abſtrahit a materia individuali, & cognoſcere medio phyſico,

co, & ut eſt a parte rei ſenſibilis & individualis, arguit duplicem ſcientiam, ſed cognoſcere medio probabili arguit imperfectionem; objectum enim non apparet formaliter diverſum niſi propter imperfectionem luminis in homine, unde in ipſo cognitio conjecturalis parit habitum medium, ſcilicet opinionem, ſed nunquam in Deo.

Inſtabis iterum. Objectum ſcientiæ ſpecificum a cauſis ſecundis deſumitur: ſed futurum conditionatum eſt tale & in ſe, & per ordinem ad cauſas ſecundas: igitur arguit ſcientiam formaliter diverſam a ſcientiis ſimplicis intelligentiæ & viſionis: alias nihil erit conditionate futurum, ſed omnia erunt vel poſſibilia, vel abſolute futura.

Reſpondeo diſtinguendo. Objectum ſpecificatur a cauſis ſecundis, & a ratione propria quæ eſt illi intrinſeca, concedo, a cauſis ſecundis tantum, nego. Corpus humanum eſt objectum medicinæ ſimul & phyſicæ, non præciſe quia a ſciente conſideratur, ſiquidem Tyro attingit illud medio probabili, & habet ſolummodo opinionem, verum potius in ratione objecti formalis conſtituitur ut eſt ſanabile & mobile. Primo modo attingitur a medicina, ſecundo modo a phyſica: illæ enim rationes & ſunt diverſæ, & illi intrinſecæ: ſed quod ſit conditionatum & dubium objectum, habet hoc ſolum ab extrinſeco, & defectu luminis in ſciente & contemplante; quia tamen dependet a conditione, eſt futurum vere conditionatum.

Solutio eſt Divi Thomæ qui hic qu. 14. art. 13. ſic reſpondet ad difficultatem. "„ Ad primum ergo dicendum, quod licet „ cauſa ſuprema ſit neceſſaria, tamen ef„ fectus poteſt eſſe contingens propter cau„ ſam proximam contingentem. Sicut ger„ minatio plantæ eſt contingens propter „ cauſam proximam contingentem; licet „ motus ſolis, qui eſt cauſa prima, ſit „ neceſſarius: & ſimiliter ſcita a Deo ſunt „ contingentia, propter cauſas proximas, „ licet Dei ſcientia quæ eſt cauſa prima „ ſit neceſſaria. „

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Objectum formale a cauſis ſecundis deſumitur, & a modo & a tendentia ſpeciem habet, concedo: & non habet, nego. Objectum triplex diſtinguitur, materiale ſcilicet, formale quod, & formale ſub quo. Materiale eſt res ipſa in ſe ſpectata; formale quod, eſt ratio quæ attingitur in objecto: formale ſub quo, eſt medium quo facultas rem vel attingit, vel conſiderat. Quod quidem variis poteſt illuſtrari exemplis. Paries, verbi gratia, eſt res ab oculo viſa: color, eſt ratio quam oculus attingit in pariete: lumen naturale medium quo poſſidet objectum. Corpus humanum eſt utique res circa quam occupatur medicina: corpus ut ſanabile ſeu ſanabilitas, ratio quæ reſpicitur: lumen naturale & diſcurſus, medium: ſic in facto præſenti: futurum conditionatum eſt id quod conſideratur a Deo in decreto conditionato: verum ſi futurum habet conditionem non purificandam, pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia intellectus divinus in eo videt ſolum poſſibilitatis rationem: ſi vero conditio ponenda eſt, ad ſcientiam viſionis ſpectat; ſiquidem habet exiſtentiam vere futuram, & in æternitate tanquam præſens ſiſtitur oculis Dei. Ratio ſub qua ſcientia attingit ejuſmodi futurum primo modo conſideratum, eſt ſpeculatio, ſeu lumen puræ intelligentiæ: ratio ſeu medium quo Deus intelligit & cognoſcit futurum conditionatum ſecundo modo ſumptum, eſt lumen practicum habens adjunctam voluntatem, adeoque viſionis lux & ſcientia.

Reſpondeo 3. diſtinguendo iterum. Scientia ſpecificatur ab objecto, & a modo tendendi in objectum, & a ratione quæ in objecto conſideratur, concedo: ab objecto materialiter ſumpto, nego. Tres quidem res & tria apparent objecta, videlicet poſſibile, futurum abſolutum, & futurum conditionatum; verum iſtud non multiplicat in Deo ſcientiam, quia reducitur vel ad poſſibile, vel ad futurum ſimpliciter. Et vero ſi conditio non eſt purificanda, circa illud ſe habet intellectus divinus ſpeculative & ut ad rem poſſibilem; ſin minus, tendit practice in illud, & tanquam vere futurum contemplatur: igitur neque modus tendendi diverſus eſt, neque ratio diſtincta ab ea quæ attingitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis.

Dices. Creaturæ futuræ habent ſolum eſſe objective in Deo, non enim realiter & actu præexiſtunt in eo; alias æternæ forent ſicut ipſe Deus, quod eſt contra fidem: ſed objecta ſunt in ſe diverſa; quid enim magis diverſum concipi poteſt quam

res

res alia mere poſſibilis, alia ſimpliciter futura, alia vero conditionate futura? Igitur & ſunt diverſæ formaliter, & diſtinctæ ſcientiæ, ſeu diverſas formaliter terminant in Deo ſcientias.

Reſpondeo diſtinguendo. Creaturæ in propria menſura ſpectatæ, videlicet in tempore, habent tantum eſſe objective, concedo: in menſura æternitatis, nego. Futurum igitur duplici modo ſpectari poteſt, nimirum in propria menſura, deinde in ſuperiori: ſi ſpectetur in propria, profecto habet eſſe mere objectivum, nondum quippe eſt, ſed aliquando erit: at vero ſi ſpectetur in ſuperiori, & in Deo dicitur eſſe realiter præſens, propter duo; primo quidem quia continetur ut effectus in prima ſua cauſa; deinde vero, in æternitate, quæ cuncta includit tempora, repræſentatur: cum igitur Deus illud in iſta intueatur menſura, certe futurum cognoſcit eo modo quo futurum eſt, ſcilicet vel cum conditione non purificanda, vel cum conditione non purificanda: ſi primo modo, ad ſcientiam viſionis ſpectat, ſi ſecundo, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Igitur ſcientia media ad hoc momentum prorſus inutilis videtur.

Objicies 4. Sapiens proviſor prius cogitat facienda, deinde ponderat media ad finem, antequam operetur: ergo cum in Deo ſit ſapientia infinita, debet eſſe & ſcientia media, ut cuncta ordinet, antequam operetur per decretum; decretum igitur prædefiniens amovendum eſt.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: & ad omnia ordinanda datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, concedo: ſcientia media, nego: ad hoc enim ſcientia media prorſus inutilis eſt, ſiquidem in ideis divinis ſunt rerum omnium rationes; unde ſcientia ſimplicis intelligentiæ a D. Thom. hic q. 15. dicitur cauſa rerum directiva, decretum vero eas educit e ſtatu puræ poſſibilitatis, quatenus ſtatuit Deus eas producere..

Inſtabis: Atqui ſcientia media ad hoc non eſt inutilis: & probatur: ſcientia media ſalvat creaturæ libertatem; per eam quippe luſtrat Deus quid creatura velit, ut illam poſtea moveat & adjuvet ad agendum: decretum vero prædefiniens movet creaturam independenter ab ea: ergo iſtud removendum; ſcientia vero media, utpote ſuavis, admittenda eſt.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo. Scientia media ſalvat libertatem imperfectam & ſterilem, concedo: perfectam & fœcundam, nego. Duplex diſtinguitur libertas: altera potentialis & imperfecta, altera actualis & perfecta. Prior eſt pura potentia ad agendum, & hanc ſolum ſalvat ſcientia media, ſiquidem relinquit creaturam ſuſpenſam & proprio potentialitatis vinculo alligatam; enimvero debet creatura ſeipſam applicare ad agendum. Sed quomodo ſe determinabit, niſi mota ab alio, cum ejus agendi virtus ſit in potentia? Altera libertas eſt liberum voluntatis exercitium in quo conſiſtit eſſentia libertatis; ſiquidem libertas Dei quæ eſt cæterarum libertatum radix, ſemper actualis eſt: porro per ſolam Dei voluntatem & actum ejus liberum ſeu decretum, poteſt creatura habere libertatem perfectam: igitur decretum non perimit, ſed fovet & nutrit liberum arbitrium. De hac difficultate fuſior redibit ſermo in diſputatione ſequenti, ubi agemus de concordia libertatis humanæ cum præſcientia Dei.

Solvitur argumentum deſumptum ex læſione ſanctitatis Dei.

OBJICIES. Deus non cognoſcit peccata in decreto ſuo prædefiniente; alias cum decretum ſit cauſa rerum, Deus foret auctor peccatorum: ergo datur ſcientia media, ſaltem ad iſta cognoſcenda.

Reſpondeo diſtinguendo. Deus non cognoſcit peccata in decreto permiſſivo, nego: in decreto poſitivo, ſubdiſtinguo: ſecundum formale peccati, concedo: ſecundum materiale, nego. Dictum eſt ſupra in prima diſputatione, Deum cognoſcere mala & privationes in bono oppoſito: ita Div. Thomas ex profeſſo hic q. 14. art. 10. *Per hoc*, inquit, *quod Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala, ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ*, unde dicit Dionyſius c. 7. de div. nom. *Quod Deus per ſemetipſum tenebrarum accipit viſionem, non aliunde videndo tenebras quam in luce*. Ad majorem difficultatis explicationem, duo ſunt conſideranda in peccato, ſcilicet id quod eſt phyſicum & ens, verbi gratia, motio manus tenentis enſem; & formale ſeu privatio & deformitas ad regulas morum. Materiale ut ſic, eſt quid indifferens ad bonum

num vel malum, ut in exemplo allato, motio manus ad enſem; ſiquidem aliquis poteſt movere gladium contra inimicum patriæ, & tunc non eſt peccatum, vel contra civem & in vindictam, & tunc eſt culpa grandis; formale igitur peccati cauſatur ex intentione, quæ detorquet actionem phyſicam manus ad malum perpetrandum, ſicut virtus vitiata in tibia, inquit D. Thomas, detorquet ad malam motionem vitalem de ſe tendentem in bonum, & facit claudicare: igitur Deus non poteſt eſſe auctor peccati, quia malum habet ſolum cauſam deficientem, non efficientem.

Inſtabis. Formale peccati ſequitur ad materiale: ergo ſi Deus prædefinit materiale & eſt cauſa illius, videtur quod & influat in formale.

Reſpondeo, diſtinguendo. Formale ſequitur ad materiale obliquatum, concedo: ad materiale ut ſic, & quatenus ſolum eſt ens, nego. Actus peccaminoſus poteſt conſiderari dupliciter: 1. ut eſt ens quoddam reale & poſitivum in ſe, ſine ordine ad regulas morum, ſed iſto reſpectu eſt quid indifferens, immo & quid bonum phyſice, quia ens & bonum convertuntur: 2. ut eſt tendentia in objectum diſſonum, qualis eſt intuitus mulieris cum malo deſiderio; ſub iſta conſideratione eſt materiale obliquatum, & ut ſic profecto eſt malum: 3. ut eſt privatio juſtitiæ reſultans ad illum actum, & hoc vocatur formale peccati. Duobus his poſterioribus modis non eſt a Deo: igitur peccatum non eſt a Deo; quandoquidem habet ſolum quod ſit peccatum formaliter, per ordinem ad regulas morum diſſonas, & per privationem.

Rurſus inſtabis. Approximatio ſtupæ ad ignem eſt cauſa ignitionis: ſed ſic ſe habet materiale formale peccati; eſt enim neceſſaria connexio inter utrumque: igitur ſi Deus per decretum præmovet ad materiale peccati, videtur quod conſequenter in hypotheſi moveat & ad formale.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem. Eodem modo ſe habet materiale obliquatum, concedo: materiale ut ſic, nego. Iſtud enim eſt indifferens ad bonum & malum, nec ſubeſt bono aut malo niſi per intentionem; juxta illud axioma, *quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*: igitur formale peccati ſequitur ſolum ſequela ordinis ad materiale ut ſic, nuſquam vero ſequela cauſalitatis, niſi ſit materiale jam obliquatum.

Inſtabis adhuc. Poſita præmotione ad materiale ut ſic, ſequitur neceſſario formale: ergo ſi decretum prædefiniens eſt ad materiale, erit & ad formale, quod certe dici non debet.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum. Poſito concurſu ſimultaneo Dei ad materiale peccati, ſequitur utique peccatum formaliter, & quidem infallibiliter: eadem igitur pro utraque parte procedit & currit difficultas.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: poſita præmotione, ſequitur formale, ſequela ordinis, concedo: ſequela influxus & cauſalitatis, nego. Non datur præmotio ad materiale obliquatum & formale, iſta enim duo non habent cauſam efficientem ſed deficientem: ad quid igitur & quo ſcopo confertur? claret eo fine dari, ut creatura exeat de potentia in actum phyſicum; unde ne quidem indirecte ad peccatum concurrit præmotio Dei, quia peccatum reduplicative ut peccatum, eſt deformitas, & rectitudinis privatio.

Inſiſtes. Deus cognoſcit peccatum in decreto permiſſivo, decernendo negare gratiam: ergo decretum ſi admittatur, erit cauſa ipſius peccati: & probatur: denegatio gratiæ eſt cauſa peccati, ſiquidem ſine ea non poteſt vinci tentatio.

Reſpondeo diſtinguendo. Denegatio gratiæ eſt cauſa peccati cauſalitate conſequentiæ, ideſt, ſequitur hominem peccare ſi non habet gratiam, concedo: eſt cauſa peccati cauſalitate influxus, nego. Sola voluntas humana detorquens in malum motionem phyſicam, quam malitioſe ſibi facit ſervire, eſt cauſa mali. Cæterum, cum Deus ſit proviſor generalis finit cauſas ſecundas liberas ad nutum agere, unde ſi homo vel per peccata præterita, vel per iteratam inſpirationibus ſanctis obnitentiam, indignum gratia efficaci ſe præbuerit, juſtiſſime ea privatur: quod vero, defectu gratiæ, in nova ruat peccata, eſt per accidens, quandoquidem denegatio gratiæ eſt cauſa peccati tantum negativa, in quantum maxima remanent ad vincendas tentationes occurrentes impedimenta.

Inſtabis. Denegatio gratiæ infallibilem habet cum peccato connexionem; denegata

gata quippe gratia pro certo ſequitur peccatum : ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo. Denegatio gratiæ infallibilem habet cum peccato connexionem ordinis, concedo : connexionem cauſalitatis, nego. Sequitur quidem peccatum, ex denegatione gratiæ ; ſed gratiæ denegatio non eſt cauſa peccati, nihil enim ad hoc influit, ſola mala voluntas deficiens illud operatur ; unde *perditio tua Iſrael*, ait Dominus *Oſee* 13. 9.

Inſtabis. Si denegatio gratiæ infallibilem habet cum peccato connexionem ordinis, duo exinde ſequuntur abſurda ; primum quidem, voluntatem humanam manere ex ſe ad malum determinatam ; alterum vero, eamdem nullum omnino poſſe bonum : ergo &c.

Reſpondeo, negando utramque ſequelam: primam quidem ; namque homo gratiam habet ſufficientem qua poteſt operari bonum ; ſi uberiori ad faciendum opus habeat, oret ſicut oportet, & obtinebit : neque vero aliud ſequitur inconveniens ; gratia quippe prævenit peccatorem ut declinet a malo & faciat bonum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus ſecundum Thomiſtas cognoſcit futura conditionata in decretis.

PRIMO, Apoſtolus id declarare videtur; loquens enim de Deo Epheſ. 1. 11. ait : *Omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* : ibid. 2. 10. *Ipſius factura ſumus, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis*.

Secundo, Idem ex Auguſtino confirmatur l. de dono perſ. c. 17. *Si Deus*, inquit, *bona opera præſcivit, profecto prædeſtinavit, hoc eſt decrevit*. Concinit D. Thomas hic 1. p. q. 16. art. 7. ad 3. *Illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat ut fieret*. & q. 14. art. 8. *Neceſſe eſt quod ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſecundum quod habet voluntatem conjunctam*.

Tertio, Ratio ſuffragatur. Ante decretum nihil eſt futurum; nullæ enim cauſæ ſunt ad agendum determinatæ : non quidem prima, ut ſupponitur ; ſed neque ſecunda, quia a prima moveri & determinari debet, cum id quod eſt in potentia debeat determinari, per id quod eſt ſemper in actu.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD ARGUMENTA IN CONTRARIUM.

PRIMO. Tametſi Deus cuncta futura cognoſcat in decreto, non inde ſequitur injuſte Judæos a Chriſto increpari, quippe qui ſua culpa, gratia efficaci ad converſionem caruerint, juxta illud B. Stephani eos ſic objurgantis Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* : Nonnunquam tamen Scriptura revelat futura per ordinem ad cauſas ſecundas, ſed non excludit primam, immo ſupponit.

Secundo, Quandoque etiam Patres aſſerunt Deum omnia præſcire, ſed non prædeterminare ; obſervandum eſt igitur, eos loqui de peccatis, quæ quidem non habent cauſam efficientem, ſed tantum deficientem.

Tertio, Auguſtinus interdum dicit Deum eo vocare modo, quo ſcit congruere ; ſed non ideo divinum exſufflat decretum, maxime vero cum dicat hom. 23. inter 50. etiam circumſtantias concludi in beneplacito. Eodem prorſus modo explicandus eſt, cum ait, ideo aliquid eſſe futurum quia Deus humanæ præſcius eſt voluntatis : ſed quo modo, & quo in medio præſcius, niſi in decreto.

Quarto. Nec utique negamus D. Thomam recurrere pro futuritione rerum & ad ideas, & ad æternitatem ſicut multi Patres ; ſed quid mirum ? non enim una aut altera, ſed multiplex cauſa ad eumdem concurrit effectum ; idea quidem directive, decretum vero efficienter. Ergone læditur aut libertas hominis, aut ſanctitas Dei ? nuſquam profecto ; namque decretum movet cauſas liberas libere, ad peccatum vero nullo modo concurrit.

DISSERTATIO QUARTA
DE
CONCORDIA LIBERTATIS CUM PRÆSCIENTIA DIVINA.

In Scholis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ.

PROTESTANTES negant libertatem hominis cum præſcientia divina conſociari. Sed contra quod dicitur Eccli. 15. *Appoſui tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam.*

Dogma de concordia libertatis hominis cum præſcientia Dei quatuor momentis explicatur & defenditur.

PRIMO, quia eſt de fide hominem viatorem eſſe liberum.

Secundo, quia præſcientia non lædit, ſed potius fovet hominis libertatem.

Tertio, quia ſic ab omni ævo docuerunt Theologi cordati & orthodoxi.

Quarto, in hoc potiſſimum puncto citra dubium conveniunt omnes Academiæ Catholicæ.

Puritas fidei in hoc momento plurimum commendatur virtute & religione Sacræ Facultatis Pariſienſis.

Affulget quoque non mediocriter in Schola Angelica, nedum eruditione, ſed & auctorum ſententiis, ſupra modum vero ſanctitate & mirabili D. Thomæ Aquinatis ſapientia.

Rutilat denique in cæteris Eccleſiæ Academiis, quarum Theologi non pauci, verbo irreprehenſibili, doctiſſimis ſcriptis, & virtutum omnium apparatu, fidem & contra impugnantes defenderunt, & adverſus adulterantes intactam prædicare & cuſtodire ſategerunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum homo lapſus ſit liber libertate vera, ideſt non ſolum a coactione, ſed a neceſſitate, in actionibus ſive ordinis naturalis, ſive ordinis ſupernaturalis.

MANICHÆI admittebant fatum & quamdam violentiam inducebant in voluntatem humanam. Lutherus aſſert. 36. Calv. l. 2. inſt. c. 4. §. 6. docent liberum arbitrium non poſſe ſine gratia facere actiones etiam civiles & moraliter bonas: primus art. 36. aſſerit liberum arbitrium per peccatum penitus ablatum, eſſe titulum ſine re, trahique a gratia ut inanime quoddam. Aſtipulatur Calv. lib. 2. inſt. c. 2. §. 26. & 27. nam & voluntatem ad malum trahi neceſſario non ſemel dicit. Janſen. Ypr. l. 3. de ſtatu naturæ lapſæ, in hunc collimat errorem: ibi enim ſcribit hominem per peccatum, non ſolum amiſiſſe libertatem ad bonum faciendum, ſed etiam ad abſtinendum a malo, & loco libertatis indifferentiæ ad bonum & malum, inductam fuiſſe neceſſitatem ad utrumque.

Ex his falſis & erroneis ſententiis ſequitur ſcientiam Dei libertati humanæ adverſari: verum ſi ſemel probaverimus, neque Dei gratia, neque concupiſcentia vim voluntati noſtræ, vel ad bonum vel

ad malum operandum inſerri, luce clarius patebit præſcientiam cum libero arbitrio apprime conciliari: ſed ut ordine procedamus, repetendum eſt principium. Triplex igitur ex dictis contra libertatem creaturæ rationalis colligitur error, cum dicitur 1. liberum arbitrium eſſe titulum ſine re, & trahi ut inanime quoddam, ita ut mere paſſive ſe habeat ad bonum & malum: 2. nihil valere ad bonum ſupernaturale, & a gratia neceſſitari: 3. totam hominis libertatem ſitam eſſe in voluntario ſpontaneo. Hinc & tria ad veritatem ſtabiliendam demonſtranda ſunt. Primo quidem ineſſe homini lapſo liberum arbitrium, ſeu libertatem indifferentiæ & actus. 2. Hominem ſub dominio gratiæ eſſe liberum ad bonum ſalutis operandum. 3. Libertatem eſſentialiter conſiſtere in indifferentia, & talem prædicari tum ab Eccleſia, tum a Conciliis, tum a ſanctis Patribus. Datur igitur libertas a coactione; homo viator nullam vim in actibus interioribus experitur. Datur libertas a neceſſitate; homo libere ſe movet ad agendum. Datur libertas a paſſionibus & concupiſcentia; homo per gratiam Chriſti ſolvitur a vinculis peccatorum. Nunc ad ſingula probanda properare juvat.

SECTIO PRIMA.

Utrum homo lapſus ſit liber libertate indifferentiæ ad bonum & malum.

CONCLUSIO.

Homo lapſus eſt vere & intrinſece liber libertate indifferentiæ ad bonum & malum, morale & civile.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra veteris Teſtamenti.*

1. GENES. 4. Deus Cainum ſic alloquitur: *Si bene egeris, recipies; ſi male, ſtatim in foribus peccatum aderit: ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ex hac ſententia liquet ineſſe homini libertatem indifferentiæ ad bonum & malum, quandoquidem utrumque operari poteſt; alias quare adhortaretur ut ſuo dominetur appetitui ne faciat malum, ſi ad peccatum vi & impetu concupiſcentiæ rapiatur ut inanime quoddam? Porro obſervandum eſt Scripturam ibi de homine lapſo habere ſermonem; jam enim peccaverat Adam, cum Deus Cainum allocutus eſt; jam ipſe Cainus invidia adverſus fratrem tabeſcente mala molitus fuerat; Deus tamen eum ad meliora adhortatur: poterat igitur Cainus operari bonum, & ſe convertere.

2. Deuteronomii 30. Deum ad Iſraelitas hæc dixiſſe refertur: *Propoſui vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam.* Quod quidem oraculum dilucide probat libertatem quam prædicamus.

3. Eccleſiaſt. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ubi eſt electio, ibi eſt libertas indifferentiæ: atqui ex Scriptura, bonum & malum, vita & mors, proponuntur homini lapſo, ut eligat quod voluerit; ſiquidem de ſolo homine lapſo loquitur Eccleſiaſticus. quippe qui ſermonem inſtituat ad inſtructionem & morum directionem: igitur homo eſt vere liber libertate indifferentiæ ad bonum & malum.

Ex Novo Teſtamento.

1. LUC. 9. 23. Chriſtus: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemet-ipſum.* Et iterum Matth. 20. 29. *Qui reliquerit patrem aut matrem ..... propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Utrumque proponitur ſub electione: igitur eſt in poteſtate hominis facere vel non facere, eligere unum & relinquere alterum.

2. Apoſtolus 1. Cor. 7. loquens de virginitate ad arbitrium colenda ſic loquitur: *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuper adulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat, ſi nubat. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit:* ſed habere poteſtatem ſuæ voluntatis, & poſſe facere vel non facere quod placuerit, eſt eſſe liberum: igitur homo lapſus eſt liberrimus; loquitur enim Apoſtolus de patre, qui poteſt jungere vir-

Digitized by Google

virginem ſuam matrimonio, vel non jungere.

3. Apoc. 2. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe . . . ſcio opera tua & laborem & patientiam tuam. . . ſed habes adverſum te, quod charitatem tuam primam dereliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris, & age pænitentiam & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum de loco ſuo.* Ibi laudatur Epiſcopus de bonis operibus ſuis, increpatur vero quod a prima charitate exciderit. Illum hortatur Propheta Evangelicus, ut prima bona opera iterum ex animo faciat, poterat igitur facere; alias fruſtranea foret exhortatio, pariter & injuſta increpatio atque comminatio. Ibi, ut patet, agitur de homine lapſo, & tamen liberrimo ad bonum & malum: igitur homo lapſus eſt liber libertate indifferentiæ.

Secundo, *Ex Traditione & Patribus.*

PRIMUM SÆCULUM. Primo loco occurrunt Auctores canonici; qui ab ipſo Deo edocti de actibus humanis, tanquam de rebus, quæ ad nutum noſtrum poſſunt eſſe vel non eſſe, loquuntur. Juxta illud Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* Rurſus Prov. 1. 24. *Vocavi & renuiſtis.* Certe ſi homo determinatus foret ex neceſſitate ad bonum, Iſrael utique feciſſet opera ſalutis, quandoquidem iterata gratia eum compellebat ad obſervationem mandatorum, ſed pro innata libertate & ex certa malitia obedire renuit. De hoc conqueritur Deus. *Vos ſemper*, inquit Judæis, Act. 7. *Spiritui ſancto reſiſtitis ſicut Patres veſtri.* Jam vero juſta non videretur increpatio, ſi homines ex neceſſitate compellerentur ad malum. Enimvero reſpondiſſent Judæi, ideo noluimus, quia tracti & ad peccatum ex impetu rapti, aliter facere nuſquam potuimus.

Secundum ſæculum. Juſtinus Martyr apol. 1. *Sed enim quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, juſto judicio pro peccatis ſuis ſupplicium in igne ſempiterno reportabunt. Illa quippe orta cujuſque rei natura eſt, ut virtutis & vitii ſit capax, neque quidquam eorum quæ creata ſunt laude dignum eſſet, niſi vim ac poteſtatem altero verſum ſe convertendi obtineret.* Igitur ex Juſtino ineſt homini poteſtas ad vitium & virtutem, ad unum aut ad alterum amplectendum: ergo voluntas humana eſt formaliter electiva & libera.

Irenæus l. 4. adverſ. hær. c. 11. ſimilia dicit: *Poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum in Angelis.* & c. 72. *Si igitur non eſſet in nobis poteſtas faciendi hæc, aut non faciendi; quam cauſam habebat Apoſtolus, & ipſe Dominus, conſilium dare quædam quidem facere, a quibuſdam vero abſtinere?*

Clemens Alex. l. 1. Strom. aſtipulatur: *Quoniam libera electio & appetitio peccati primum inchoat, jure infliguntur ſupplicia.* Ubique prædicatur electio, & conſequenter libertas indifferentiæ, quæ definitur vis electiva.

Tertium ſæculum. Tertullianus l. 2. contra Marcion. c. 6. eandem confirmat veritatem, & ſic loquitur: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi*, ſcilicet homini, *ut ſui Dominus conſtanter occurreret, bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando: quoniam & alias poſitum hominem ſub judicio Dei, oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inventus.* Ponderanda ſunt verba: eſſentia liberi arbitrii eſt eſſe ad utramque partem, ad bonum vel malum eligendum, ut ſit merces & meritum; requiritur ad hoc, ut opus ſit ſpontaneum non quacumque ſpontaneitate, ſed ea quæ opponitur & violento, & neceſſario.

Origenes l. 6. in Epiſt. ad Rom. primas etiam in hac parte obtinet ſedes. *Hoc eſt ergo*, inquit, *quod hoc in loco Apoſtolus docet: quia unuſquiſque in manu ſua habet; & in arbitrii poteſtate, ut aut peccati ſervus ſit, aut juſtitiæ.*

Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium ejuſdem eſt labii; ait enim de Chriſto, *ad Apoſtolos ſuos dixit: Numquid & vos vultis ire? ſervans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimetipſi vel mortem appetit, vel ſalutem.*

Athanaſius non prætereundus, namque oratione contra gentes c. 4. de homine lapſo ſic loquitur: *Poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari,*

qua cum liberum ſui jus arbitriumque intuetur : & ſentit ſe in utramque partem corporeis membris uti poſſe, tum ad ea quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt. Ea autem quæ ſunt, appello bona, quæ non ſunt, mala. Ex illis Patribus, homo eſt ſui juris, habet poteſtatem & in ſuos actus, & in utramque partem ; ex illis poteſt eligere, igitur ex eiſdem eſt liberrimus.

Quartum ſæculum. Hilarius enarrat. in Pſal. 2. Baſilius hom. 31. de lib. arb. idem docent, & præcipue Ambroſ. l. 2. de Cain & Abel c. 7. ſic exponit verba Dei ad Cainum : *Nonne ſi bene egeris, recipies?* &c. *Non habes quod excuſes, non habes in quo neceſſitatem magis quam mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit, ſed voluntarius reus, judicio non lapſu, feciſti dolum quo te divinæ injuriæ reum ipſe convincis.* Igitur homo libere, elective, judicio, non neceſſitate peccat : igitur eſt & a violentia & a neceſſitate in peccando immunis.

Quintum ſæculum. Aug. in tribus l. de lib. arb. contra Manichæos, ex profeſſo probat libertatem indifferentiæ eſſe in homine lapſo ad bonum & malum. Item l. de gr. & lib. arb. c. 2. n. 2. ſic loquitur : *Revelavit autem nobis Deus per Scripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.* Multas de hoc affert rationes, *quia*, inquit, *ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium quo ea faciens, ad promiſſa præmia perveniret.*

Idem l. 3. c. 28. *Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem : caveri igitur poteſt.*

Idem l. de vera Religione c. 14. ait : *Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe judicavit Deus, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Igitur eſt in homine ex Aug. libertas a neceſſitate.

Percelebris eſt textus Divi Auguſtini libri de gratia & libero arbitrio, a numero tertio ad quintum uſque, ubi diſerte probat auctoritate utriuſque Teſtamenti, libertatem & datam fuiſſe primo homini, & remanſiſſe in homine lapſo. Iſtud momentum, videlicet pro homine lapſo apparebit maxime ex Evangelio & Epiſtolis quorum loca adducit quæ intelligi nequeunt, niſi de homine peccatore. Sic igitur intonat num. ſcilicet 3.

" Liber Eccleſiaſticus dicit: (a) *Ne dixeris,*
,, *quia propter Dominum receſſi; quæ enim odit*
,, *non facias. Ne dixeris, quia ipſe me indu-*
,, *xit : non enim opus habet viro peccatore. Om-*
,, *ne exſecramentum odit Dominus, & non eſt*
,, *amabile timentibus illum. Ipſe ab initio fecit*
,, *hominem, & reliquit eum in manu conſilii*
,, *ſui. Si volueris, conſervabis mandata, &*
,, *fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem &*
,, *aquam, ad quodcumque volueris extende ma-*
,, *num tuam; in conſpectu hominis vita & mors,*
,, *& quodcumque placuerit dabitur ei.* Ecce
,, apertiſſime videmus expreſſum liberum
,, humanæ voluntatis arbitrium. ,,

Pergit n. 4. & ait : " Quid illud, quod
,, tam multis locis omnia mandata ſua cu-
,, ſtodiri & fieri jubet Deus? quomodo ju-
,, bet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid
,, beatus ille, de quo Pſalmus dicit, quod
,, (b) *in lege Domini fuit voluntas ejus?* non-
,, ne ſatis indicat, voluntate ſua hominem
,, in lege Dei conſiſtere? Deinde tam mul-
,, ta mandata, quæ ipſam quodammodo no-
,, minatim conveniunt voluntatem ſicut
,, eſt, (c) *Noli vinci a malo* : & alia ſi-
,, milia; ſicut ſunt, (d) *Nolite fieri ſicut*
,, *equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*
,, &, (e) *Noli repellere conſilia matris tuæ:*
,, &, (f) *Noli eſſe ſapiens apud teipſum* : &,
,, (g) *Noli deficere a diſciplina Domini* : &,
,, (h) *Noli negligere legem* : &, *Noli abſti-*
,, *nere bene facere egenti* : &, (i) *Noli fa-*
,, *bricare in amicum tuum mala* : &, (K)
,, *Noli intendere fallaci mulieri*: &, (l) *Noluit*
,, *intelligere ut bene ageret* : &, (m) *Nolue-*
,, *runt accipere diſciplinam.* Et innumerabi-
,, lia alia in veteribus libris divinorum elo-
,, quiorum, quid oſtendunt, niſi liberum
,, arbitrium voluntatis humanæ? In li-
,, bris etiam novis Evangelicis & Apo-
,, ſtolicis, quid aliud oſtenditur, ubi di-
,, citur? (n) *Nolite vobis condere theſauros*
,, *in terra* : &, (o) *Nolite timere eos qui*
,, *occidunt corpus* : &, (p) *Qui vult*
,, *venire poſt me, abneget ſemetipſum* : &,
,, (q) *Pax in terra hominibus bonæ volunta-*
,, *tis.*

(a) *Eccli.* 15. 11. (b) *Pſ.* 1. 2.
(c) *Rom.* 12. 21. (d) *Pſ.* 31. 9. (e) *Prov.* 18.
(f) *Ibid.* 3. 7. (g) *Ibid.* 11. (h) *Ibid.* 27.
(i) *Ibid.* 29. (K) *Ibid. c.* 5. 2.
(l) *Pſ.* 35. 4. (m) *Prov.* 1. 29.
(n) *Matth.* 6. 19. (o) *Ibid.* 10. 28.
(p) *Ibid.* 16. 24. (q) *Luc.* 2. 14.

tis. (a) Et quod dicit Apoſtolus Paulus: (b) *Quod vult faciat, non peccat, ſi nubat: qui autem ſtatuit in corde ſuo, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc ſtatuit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit*. Item dicit: (c) *Si autem volens, hoc facio, mercedem habeo*. Et alio loco: (d) *Sobrii eſtote juſte, & nolite peccare*. Et iterum: (e) *Ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi*. Et ad Timotheum dicit: (f) *Cum enim in deliciis egerint in Chriſto, nubere volunt*. Et alibi: (g) *Sed & omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*. Et ipſi Timotheo: (h) *Noli negligere gratiam quæ in te eſt*. Et ad Philemonem: (i) *Ne bonum tuum velut ex neceſſitate eſſet, ſed ex voluntate*. Servos etiam ipſos monet, ut Dominis ſuis (K) *ex animo ſerviant cum bona voluntate*. Item Jacobus: (l) *Nolite itaque errare, Fratres mei, & nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti*: &, (m) *Nolite detrahere de alterutro*. Item Joannes in Epiſtola ſua: (n) *Nolite diligere mundum*. Et cætera hujuſmodi, nempe ubi dicitur, noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cautetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat. ,,.

Patres ſequentium ſæculorum idem docent, maxime Damaſcenus l. 2. de fide orthod. c. 25. 26. 27. & 28. Bernard. tractatu de gr. & de lib. arb. D. Th. paſſim, & præcipue q. 6. de malo, art. unico. Ipſe Calvinus l. 2. inſtit. c. 2. §. 2. 3: & 4. fatetur Patres Latinos & Græcos, immo & ipſos Philoſophos agnoſcere voluntatem humanam ſui juris eſſe, & ideo apud Latinos nomen liberi arbitrii ſemper extitiſſe; Græcos vero ſui ipſius poteſtatem appellaſſe; unde non parum laborat, ut illos in alienum trahat ſenſum.

(a) *Luc.* 2. 14. (b) 1. *Cor.* 7. 36.
(c) 1. *Cor.* 9. 17. (d) *Ibid.* 15. 31.
(e) 2. *Cor.* 8. 11. (f) 1. *Tim.* 5. 11.
(g) 2. *Tim.* 3. 12. (h) 1. *Tim.* 4. 14.
(i.) *c.* 14 (K) *Eph.* 6. 6.
(l.) *Jac.* 2. 1. (m) *Ibid.* 4. 11.
(n:) 1. *Joan.* 2. 15.

Tertio, *Ex Decretis ſummorum Pontificum*.

INNOCENTIUS I. in reſcripto ad Concilium Carthag. ſic loquitur: *Quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad caſum, tam expoſitum ad omnia pericula, ſi hoc ſolum nobis putantes poſſe ſufficere, quod liberum arbitrium, cum naſceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quæramus, ideſt auctoris noſtri obliti, ejus potentiam ut nos oſtendamus liberos, adjuvemus: quaſi jam amplius quod dare poſſit non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit*.

Cæleſtinus I. epiſt. ad Epiſcop. Galliæ c. 9. idem confirmat: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum*. Uterque Pontifex defendit liberum arbitrium, etiam ſub dominio gratiæ a qua dicunt non quidem obrui, ſed mirum in modum perfici.

Leo X. in Bulla contra Lutherum hanc 31. damnat propoſitionem: *Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo*.

Innocentius X. in ſua Conſtitutione contra librum Janſenii Yprenſis, quinque proſcribit propoſitiones, quarum ſecunda & tertia deſtruunt libertatem.

Quarto, *Ex Conciliis*.

ARAUSICANUM 2. can. 13. ſic loquitur: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi. Unde veritas ipſa dicit: ſi vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Quibus verbis docet liberum arbitrium manere ſub dominio gratiæ etiam ad bonum ſupernaturale, a fortiori ad naturale.

Palæſtinum ex S. Aug. Epiſ. 106. & Conſtantienſe contra art. 27. Wicleffi idem docent.

Tridentinum ſeſſ. 6. can. 5. ſic definit: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit*. Ergo &c.

Quinto, *Ex ipſis Philoſophis, Oratoribus & Poetis Paganis.*

ARISTOTELES 3. Ethic. c. 5. Cicero l. 3. de natura Deor. liberum propugnant arbitrium: immo & ipſi Poetę illud in ſuis operibus paſſim aut aſtruunt, aut ſupponendo prædicant. Et vero ubique homines introducunt libere modo agentes, modo etiam loquentes. Sic Virgilius l. 2. Æneid. Laocoon commemorat qui conſilium dat Trojæ civibus, ne inter civitatis mœnia equi machinam a Græcis oblatam, in ſuam recipiant perniciem. Fabula quidem eſt, ſed clare denotat liberum arbitrium, quatenus Trojanis ſicut licitum, ita & liberum erat, ut ſupponit Poeta, equum vel recipere, vel abjicere.

In primis Seneca contra fatum neceſſitans inſurgit, ſic enim loquitur l. 2. naturalium quæſt. c. 37. & 38. *Quædam a Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta ſunt, ut in bonum vertant ſi admotæ preces fuerint.* Quibus verbis notat res ex innata hominum libertate, poſſe aliter atque aliter ſe habere.

Sexto, *Ex ratione multiplici.*

PRIMA. ſic procedit. Experientia comprobamus quotidiana nos modo unum, modo alterum velle & facere per electionem; modo amare unum objectum, modo idem non amare, & quandoque odio habere: ergo ineſt homini libertas indifferentiæ; ſiquidem ineſt nobis potentia ad oppoſitum, alias quod ſemel amamus, ſemper & immutabiliter amaremus.

Secunda. Ubi eſt objectum contingens & liberum, & proponitur ut tale voluntati, ibi eſt proſecutio objecti libera: atqui omne objectum creatum ſic eſt. Et probatur 1. habet perfectionem ſolum aliquam, eamque finitam, & ex hoc in omni creatura apparet defectus, in quantum caret multis perfectionibus ad quas inhiat cor hominis, appetit enim bonum infinitum; quid mirum igitur, ſi reſpuat quandoque bona creata etiam licita? unde hoc? niſi ex innata libertate, alias neceſſario amaret omne bonum finitum eo ipſo quo illi proponitur; ſed heu! inquit Aug. quidquid Deo minus eſt explere non poteſt. 2. Objectum bonum propoſitum voluntati, reclamantibus paſſionibus, nonnumquam apparet malum; talis eleemoſyna videtur avaro; cum igitur ſolum bonum ſit voluntatis objectum, ipſa reſpuit omne quod ab intellectu judicatur malum; hinc ſi avarus conſilium accipiat a paſſione, non dat eleemoſynam, quam tamen aliquando motu compaſſionis elargitur; ex indifferentia igitur objecti, oritur indifferentia intellectus judicantis, ex indifferentia vero intellectus, indifferentia voluntatis; quia nihil amatum quin præcognitum ut bonum, & tale judicatum: igitur voluntas fertur libere in objecta, vel per modum fugæ, vel per modum amoris; odiendo, vel amando: faciendo, vel non faciendo.

Tertia. Libertas eſt perfectio creaturæ rationalis ejus conſequens naturam; Deus enim creavit hominem liberum: peccatum corrupit quidem, ſed non penitus extinxit naturam, unde, inquit D. Thomas 1. p. naturalia permanſerunt in dæmonibus: igitur & libertas in homine lapſo, infirmata quidem, attamen vera pro utroque ordine, naturali ſcilicet & ſupernaturali.

Quarta. Cuncta orbis terrarum imperia, omnes civitates, familiæ ſingulæ, omnes uno verbo homines conſilio reguntur, eligendo ſcilicet media fini præconcepto proportionata: igitur datur libertas actus in homine, cum inſit ipſis vis electiva.

Quinta. Homo diſtinguitur eſſentialiter a brutis: ſed diſtinguitur per rationem, & per libertatem. Probatur 1. quidem ratio eligit media ut media ad finem conducentia; porro ſi homo foret ad unum determinatus, jam ipſo facto non ſe moveret ad media, illa eadem conferendo cum fine. 2. Belluæ ſunt ad unum determinatæ, proindeque exhortationis incapaces: ſed eſt de fide hominem exhortationis & conſilii eſſe capacem, ſiquidem illum inceſſanter Deus adhortatur ad bonum tum juris naturalis, tum etiam ſupernaturalis ſuſcipiendum: igitur homo diſtinguitur etiam intrinſece per libertatem a belluis.

Solvuntur Proteſtantium objectiones, quas ex Scriptura ſacra deducunt.

OBJICIUNT: Tunc non eſt libertas, ubi

totius

totus effectus eſt a Deo, independenter a voluntate humana: atqui tales ſunt actiones humanæ. Et probatur variis Scripturæ ſacræ auctoritatibus. 1. Gen. 43. Jacob mittens ſecundo filios in Ægyptum, ut haberent frumentum pro vita alenda & conſervanda, ſic oravit: *Deus faciat vobis eum placabilem*, ſcilicet Joſephum, totum expectans a Deo, qui hominum corda ad quod vult convertit. 2. Exod. 11. Deus conciliat Iſraelitis Ægyptiorum voluntates, ut illi mutuo vaſa aurea & argentea præberent. 3. Utique ſcriptum eſt, Deum compuliſſe Saulem ad peccatum 4. 2. Reg. 17. legitur Dominum diſſipaſſe conſilium Architophel ut ſalvaret David; in quibus & ſimilibus ſententiis totum, nulla facta mentione cauſæ ſecundæ, Deo tribuitur.

Reſpondeo, negando minorem. Nam cum Deus ſit prima omnium rerum cauſa, ideo effectus tribuitur illi ſoli, tacito nomine cauſæ liberæ; ſed non inde cauſæ ſecundæ excluditur cooperatio, cum ipſe Dominus in Scripturis ſanctis hortetur homines ad bonum, cum præmia proponat bene agentibus, ſupplicia vero pro peccantibus decernat: verum eos movet libere, ſcilicet conformiter eorum naturæ. Sic pronuntiat D. Th. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 1. *Voluntas divina*, inquit, *non tantum ſe extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, ſed ut etiam eo modo fiat quo congruit ipſius naturæ*.

Ad primum, diſtinguo. Deus fecit placabilem Dominum Ægypti filiis Jacob, hoc eſt, inclinavit ipſius cor ad benefaciendum Iſraelitis, concedo: hoc eſt neceſſitavit, nego. Cæterum Joſeph erat & juſtus, & frater filiorum Jacob: quia juſtus, inſpirante & adjuvante Deo, volebat bona pro malis retribuere: quia frater, volebat & ex pietate erga patrem, & ex amore erga fratres dare omnia ad vitam neceſſaria, & hoc liberrime, & hoc generoſe propter Deum ſumme dilectum: quippe qui ſciret non ſine magna providentia clavum Regni Ægypti ſe tenere ut ſalvaret Iſrael, unde c. 45. fratres conterritos videns propter ſcelus nefandum in ſemetipſo commiſſum, ait: *Nolite pavere, neque durum eſſe vobis non videatur quod vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum; biennium eſt enim quod cæpit fames eſſe in terra, & adhuc quinque anni reſtant*.

Ad ſecundum, conciliavit Deus Ægyptios Iſraelitis, diſtinguo. Dando iſtis gratiam ut placerent inimicis, & gratiores facti obtinerent neceſſaria, tum ad peregrinandum, tum ad ſacrificandum Deo in deſerto, concedo: & aliquam induxit Deus in corda Ægyptiorum neceſſitatem, nego. Igitur Ægyptii Iſraelitis libere neceſſaria ſuppeditaruut: 1. ut citius egrederentur Hebræi e terra Ægypti: 2. ut Ægyptii conſulerent propriæ ſaluti: timebant enim ne novis plagis perirent: 3. quia ut habetur c. 12. Dominus dedit Hebræis gratiam coram Ægyptiis ut eis commodarent: profecto gratia quam Dominus dedit Hebræis non neceſſitavit Ægyptios, & ſi Ægyptii ex gratia commodarunt, certe non ex neceſſitate, ut contendit Calvinus.

Ad tertium, diſtinguo. Deus compulit Saulem ad peccatum, hoc eſt permiſit ut peccaret, concedo: auctor fuit & cauſa cur prævaricaretur, nego. Neque vim fecit Deus Sauli, neque neceſſitando compulit ad peccatum; permiſit ſolummodo malum hominem magis ruere in peccata, ut qui propria voluntate deliquerat, etiam propria voluntate puniretur. Et vero, quis illum compellebat ad ſacrificandum & libandum Deo ante adventu Samuelis, ad quem ſolum offerre ſacrificium ſpectabat? hinc Rex prævaricator dictus in prælio manus violentas ſibi inferri voluit, unde propria voluntas, quæ peccati cauſa fuerat, utique fuit & perditionis.

Ad quartum ſimiliter, diſtinguo. Permiſit Deus ut Abſalon malus, dimiſſo conſilio Architophel, audiret ſolum Cuſam ad ſalvandum David pœnitentem, concedo, neceſſitavit Abſalonem, nego. Nulla ibi ſane neceſſitas, ubi ex omni parte conſilium patet: unum dat Architophel, aliud dat Cuſai. Liberum erat Abſaloni ſequi alterutrum.

Inſtant Calviniſtæ. Jeremiæ 10. habetur: *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos*. Igitur homo non habet libertatem; alias ad ipſum pertineret dirigere greſſus ſuos.

Reſpondeo 1. Opponendo ſcripturam ſcripturæ; nam ibidem c. 18. legitur: *Dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra*. Igitur ver-

verba in objectione laudata non ſunt ſumenda in ſenſu Calvini.

Reſpondeo 2. diſtinguendo. Non eſt in hominis poteſtate dirigere vias ſuas; cum adſunt extrinſeca impedimenta fortiora, quæ ipſe non valet amovere, concedo: non eſt in hominis poteſtate eligere bonum & malum, nego. Propheta vult oſtendere hominem in omnibus a Deo dependere, dicendo non eſſe ſemper in ipſius poteſtate ad felicem rerum exitum pervenire: ſic mercator mari ſe committit, ut abeat in regionem longinquam ad theſauros comparandos; verum ſæpius furente mari & ingraveſcente tempeſtate, quam avertere neutiquam poteſt, perit. Igitur homo in omnibus advocare ſubſidium debet, ut proſperas faciat miſericors Pater ſemitas ejus.

Inſtant Hæretici. Joan. 6. habetur: *Nemo*, inquit Chriſtus, *poteſt venire ad me, niſi Pater meus qui miſit me, traxerit eum*. Sed qui trahitur, cogitur & vim patitur: igitur homo non eſt liber.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem. Si trahatur ab extrinſeco vim inferente, concedo: ſi non trahatur, nego. Deus eſt quidem extrinſecus homini, ſed illabitur in animam noſtram per gratiam, non ut perimat libertatem, ſed potius ut illam foveat & adjuvet; nam cum ſit prima cauſa, eaque liberrima, omnis libertas eſt ab ipſo, juxta illud axioma philoſophicum, quod eſt per ſe primo tale, cætera non ſunt talia niſi per ordinem ad illud: unde & de ſapientia æterna legitur quod omnia attingat a fine ad finem & diſponat ſuaviter, quare? niſi quia attingit modum agendi cuilibet rei connaturalem, & ideo facit homines agere libere, præſertim amore. Ita Aug. tract. 26. n. 4. in Joan. ubi locum in objectione allatum ſic explicat: " Nolite cogitare invitum trahi.
„ Trahitur animus & amore ..... forſi-
„ tan reprehendamur, & dicatur nobis;
„ quomodo voluntate credo, ſi trahor?
„ ego dico parum eſt voluntate, etiam
„ voluptate traheris. Quid eſt trahi volu-
„ ptate? delectare in Domino & dabit
„ tibi petitiones cordis tui .... trahit
„ ſua quemque voluptas; non neceſſitas,
„ ſed voluptas: non obligatio, ſed delecta-
„ tio .... ramum viridem oſtendis ovi,
„ & trahis illam; nuces puero demonſtran-
„ tur, & trahitur ...... cordis vinculo
„ trahitur. Si ergo iſta, quæ inter deli-
„ cias & voluptates terrenas revelantur
„ amantibus, trahunt, quoniam verum eſt,
„ trahit ſua quemque voluptas, non trahit
„ revelatus Chriſtus a Patre? quid enim
„ fortius deſiderat anima quam verita-
„ tem? „

Rurſus inſtant, Joan. 15. habetur: *Sine me*, inquit Chriſtus, *nihil poteſtis facere*. 2. ad Tim. 2. *Reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*. Si homo nihil poteſt de ſe facere, jam non eſt liber. Si eſt ſervus, ſi captivus & ſi teneatur voluntate dæmonis, ubi eſt libertas? ſed tamen utrumque dicit Scriptura: ergo homo non habet libertatem.

Reſpondeo diſtinguendo. Et hæc omnia denotant ſolummodo hominem ſe ſolo non poſſe facere bonum ſupernaturale, tum propter excellentiam ex parte objecti, tum propter infirmitatem ex parte ſubjecti, concedo: denotant non eſſe in homine liberum arbitrium, nego: ad quid enim tot in Scriptura exhortationes, ſi homo non eſt liber ad malum & bonum? Unde

Ad primum, diſtinguo: ſine gratia Chriſti homo non poteſt facere aliquid meritorium & ad vitam æternam conducens, concedo: homo non eſt liber abſolute, nego. Solutio eſt Auguſtini tractatu 81. in Joan. n. 3. ubi verba in objectione poſita ſic explanat: " Ne quiſquam puta-
„ ret, ſaltem parvum aliquem fructum
„ poſſe a ſemetipſo palmitem ferre;
„ cum dixiſſet, hic fert fructum mul-
„ tum, non ait quia ſine me parum
„ poteſtis facere, ſed nihil poteſtis fa-
„ cere .... quamvis autem Chriſtus
„ vitis non eſſet, niſi homo eſſet; ta-
„ men iſtam gratiam palmitibus non præ-
„ beret, niſi etiam Deus eſſet. Ve-
„ rum quia ita ſine iſta gratia non poteſt
„ vivi, ut & mors in poteſtate ſit li-
„ beri arbitrii, &c. „ Patet igitur ex ipſis verbis conſequentibus Chriſtum loqui de actibus meritoriis; nam ibidem immediate ante verba in objectione allata, ait: *Ego ſum vitis, ves palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum*.

Ad ſecundum, diſtinguo: homo eſt captivus diaboli voluntarie & libere, concedo: involuntarie, ſubdiſtinguo; ſecundum quid, & ratione concupiſcentiæ a

pec-

Digitized by Google

peccato originali in anima relictæ, concedo : ſimpliciter , nego. Homo manet ſemper liber, ſed quia pronus eſt ab adoleſcentia ad malum, reclamantibus paſſionibus , perverſam ſæpe ſequitur inclinationem & obedit tentatori, ſed voluntarie & liberrime ; dicitur tamen ſecundum quid captivus, quia paſſiones ſunt veluti vincula, quibus ligatus non facit niſi cum difficultate bonum. Verum ut ſolutio clarius innoteſcat, dicendum multiplicem eſſe neceſſitatem, aliam violentam, & eſt coactio; aliam ſpontaneam, & eſt determinatio ad unum ex inclinatione ; aliam miſeriarum, & eſt ſubjectio concupiſcentiæ ac cæteris paſſionibus ; aliam peccati, & eſt amor inordinatus rerum ſenſibilium, quæ dicitur ſervitus, captivitas & lex peccati. Totuplex eſt libertas oppoſita : eſt igitur libertas a coactione & in exemptione a violento ſita eſt ; libertas a neceſſitate , & eſt vis electiva ad oppoſita; libertas a miſeriis, & eſt dominari paſſionibus; libertas a peccato, & eſt amor juſtitiæ : primam & ſecundam habuit homo in prima ſui productione, eamque retinuit, ut probatum eſt ex Scripturis, & ipſa experientia teſtatur ; tertiam vero & quartam habet per gratiam Chriſti, quæ noſtram adjuvat infirmitatem ad faciendum bonum.

Divus Bernardus totum hoc negotium explicat tractatu de grat. & lib. arb. his verbis : " Cum igitur triplex ſit nobis
,, propoſita libertas, a peccato , a miſe-
,, ria, a neceſſitate; hanc ultimo loco po-
,, ſitam contulit nobis in conditione na-
,, turæ; in primam reſtauramur a gratia;
,, media nobis reſervatur in patria; di-
,, catur igitur prima libertas naturæ, ſe-
,, cunda gratiæ, tertia gloriæ & vitæ ...
,, Verum libertas a neceſſitate æque &
,, indifferenter Deo , univerſæque, tam
,, malæ quam bonæ convenit rationali
,, creaturæ. Nec peccato nec miſeria a-
,, mittitur, vel minuitur : nec major in
,, juſto eſt, quam in peccatore; nec ple-
,, nior in Angelo quam in homine .....
,, manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam
,, ſit captivitas mentis, tam plena quidem
,, in malis, quam & in bonis; ſed in bo-
,, nis ordinatior : tam integra quoque pro
,, ſuo modo in creatura quam in creato-
,, re ; ſed in illo potentior . ,,

Inſiſtunt Calvinus & ejus Sectatores. Non major eſt libertas ſub dominio Dei, a quo homo in omnibus dependet, quam in luto in manu figuli : ſed ſicut iſte facit de luto quod vult , vas vel in honurem, vel in contumeliam; ita & Deus diſponit de hominibus ; & hoc probatur ex illo Rom. 9. *Quid adhuc quæritur? voluntati ejus quis reſiſtit? o homo! tu quis es , qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit : quid me feciſti? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem , aliud vero in contumeliam?* Ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo : & comparatio hominis cum luto eſt inadæquata , concedo : & eſt adæquata, nego. Agit ibi Apoſtolus non de libertate quam multis locis in homine agnoſcit, maxime 1. Cor. 7. ſed de prædeſtinatione Sanctorum quæ eſt gratuita, ſi conſideretur ſecundum primam gratiam quæ eſt in nobis ſine nobis, & ſecundum perſeverantiam finalem , vultque quod ſicut figulus poteſt facere de luto vas vel in honorem , vel in contumeliam; ita Deus poterat prædeſtinare hominem vel non; ſalvare vel non ſalvare: nemini quippe gratiam debet niſi per Chriſtum. Sed profecto non eſt ſenſus, hominem in manu Dei mere paſſive ſe habere ut lutum & inanime quoddam, cum conſtet ex Scripturis ſacris relictum fuiſſe in manu conſilii ſui; vult etiam Apoſtolus hominem ſine gratia nihil pro ſalute facere: unde ibidem Rom. 9. 29. ſubdit : *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen , ſicut Sodoma facti eſſemus.*

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo : nullus voluntati Dei generali, qua ſuam in omnibus quærit gloriam , poteſt reſiſtere , concedo; voluntati particulari qua creaturæ rationalis quærit ſalutem, nego. Duplex igitur diſtinguenda eſt in Deo voluntas; una ad ſeipſum ad ejus gloriam terminata; altera vero quæ hominis ſalutem ſpectat. Priori neminem poſſe reſiſtere aſſerit S. Thomas , cum enim , inquit, ſit univerſaliſſima, omnes effectus cedunt in ipſius gloriam , quinimmo ipſe peccator, etiam dum actu in nova prolabitur peccata, tantæ voluntatis dominium impedire non valet, dum enim fugit & declinat Dei voluntatem ſecundum lineam bonitatis, eatenus eidem ſubjicitur, quatenus juſta eſt, hinc & prævaricator Dei adimplet in pœnis pro peccato inflictis volun-

 tatem.

tatem, quæ vult impœnitens extremis affici ſuppliciis. Non ſic de voluntate Dei ad ſalutem hominum terminata: ei enim poſſe reſiſti nemo non novit: ipſi Prædeſtinati nonnumquam ei reſiſtunt. Petrus tametſi electus negando Dominum divinæ reſtitit voluntati, ſed flevit amare, & flendo nedum abſterſit peccatum, ſed & ad majorem reſurrexit gratiam. Nullus igitur niſi heterodoxus hominem poſſe Deo reſiſtere negabit. Apoſtolus eo loci loquitur in primo ſenſu, nuſquam vero in ſecundo: hoc eſt neminem poſſe reſiſtere voluntati univerſaliſſimæ qua Deus ſuæ conſulit gloriæ, propugnat: voluntati vero qua Deus offert homini media ſalutis, eum & poſſe reſiſtere, & ut plurimum reſiſtere non ſemel aſſerit.

Cæterum in loco quem objicit Calvinus contra libertatis humanæ jura, non dicit Apoſtolus nullum poſſe Deo reſiſtere, ſed de facto non reſiſtere; ſic enim habetur: *Voluntati ejus quis reſiſtit?* quæ duo ſane diſcrepant: Quamvis enim nemo Deo ſuaviter & efficaciter vocanti non reſiſtat, non inde ſequitur aliquem poſſe reſiſtere.

Inſtant Proteſtantes; Eccl. 7. habetur: *Conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit*. Rurſus Rom. 7. Apoſtolus ait ſe facere malum quod non vult. Igitur, non eſt in homine libertas; alias poſſet corrigi, nec malum invito animo & recalcitrante operaretur.

Reſpondeo ad primum, diſtinguendo: nullus poteſt corrigere impium, ideſt difficiliter corrigitur impius eo quod habitudo mala ſemper illum inclinet ad malum, concedo: nullo modo poteſt corrigi, nego. Si hoc eſſet, ad quid perpetuæ ad bonum invitationes? unde Aug. l. 3. de Lib. arb. c. 18. dicit: " Quis enim peccat in „ eo quod nullo modo caveri poteſt? pec- „ catur autem; ergo caveri poteſt. „

Ad ſecundum, diſtinguo: & loquitur Apoſtolus de motibus primo primis & indeliberatis concupiſcentiæ, concedo: de motibus deliberatis, nego. Nam ibidem ſubjungit: *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*; ideſt concupiſcentia, quam vocat Angelum Satanæ colaphizantem, ſed dictum eſt illi: *Sufficit tibi Paule, gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Cæterum malum illud, motus ſcilicet concupiſcentiæ primo primus, erat ſolummodo malum cauſaliter, in quantum concupiſcentia inducit & provocat ad peccatum, ſed non formaliter & in ſe.

Explodantur argumenta ex auctoritate Divi Auguſtini deprompta.

Objiciunt: Auguſtinus dicit hominem per peccatum amiſiſſe liberum arbitrium; ſic enim loquitur in Enchirid. ad Laurentium c. 30. n. 9. " Libero arbitrio „ male utens homo, & ſe perdidit & ipſum. „ Epiſt. 107. " Liberum arbitrium „ ad diligendum Deum, primi peccati „ granditate perdidimus. „ Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: homo per peccatum perdidit liberum arbitrium quoad perfectionem, concedo: quoad ſe, nego. Amiſit quidem facilitatem & inclinationem ad bonum, minime vero ipſum liberum arbitrium. Div. Aug. eſt ſui ipſius Interpreſ. l. 1. ad Bonifacium contra duas Epiſt. Pelag. c. 2. n. 5. his verbis: *Quibus autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato, perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia*. Ita & Bernardus ſupra citatus.

Urgent: S. Auguſtinus Epiſt. 145. ad Anaſtaſium ait: *Quod ſine Dei gratia nullo modo voluntas implet humana, quæ nec libera dicenda eſt, quamdiu eſt vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita: a quo enim quis devictus, huic & ſervus addictus eſt*. Igitur homo gratia privatus, non eſt liber.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, homo abſque gratia non eſt liber, hoc eſt opera ad ſalutem conducentia, ſecluſo Dei auxilio, facere non valet, concedo: non poteſt bonum morale naturalis ordinis ſe ſolo & viribus innatis operari, nego. Abſque gratia homo non poteſt aliquid ad ſalutem conducens operari, manet tamen ſemper & ubique liber ad actiones moraliter bonas ordinis tum naturalis, tum ſupernaturalis, quandoquidem gratia ſemper in arduis adeſt, ut adjuvet infirmitatem: hinc iſtud axioma promanavit apud ſanctos Doctores: facienti quod in ſe eſt, viribus ſcilicet gratiæ prævenientis, Deus non denegat uberiorem gratiam. Ita cenſet & docet S. Auguſtinus l. de grat. & lib. arb. c. 15. *Per hanc gratiam*, inquit, nimirum efficacem, *fit ut homo ſit bonæ voluntatis...... ſic utique adjuvante, ut fiat quod jubetur*. Habet igitur

igitur omnis homo gratiam ſufficientem, qua quidem Dei poteſt adimplere præcepta: jam vero oratione & deprecationibus efficacem, qua de facto illa adimpleat, advocare debet, juxta illud S. Auguſtini lib. de perfectione juſtitiæ, cap. 10. *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum ſanitatis.*

Inſtant adhuc: voluntas cogitur a cupiditate; ergo non eſt libera ad bonum faciendum: Probatur antecedens. Aug. l. 1. retract. c. 15. n. 3. ait: *Qui cogenti cupiditati, bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.* Idem dicit lib. 3. de lib. arbit. c. 18. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: voluntas cogitur a cupiditate, ideſt, cupiditas exardeſcens maxime ad peccandum allicit, concedo: cogitur ſimpliciter & abſolute, nego. Hoc enim manifeſte adverſatur menti S. Aug. qui non ſemel dicit voluntatem humanam eſſe ſemper & ubique in præſenti ſtatu liberrimam, quod dilucide probat in toto libro de correptione & gratia: inde enim correptionis utilitatem & neceſſitatem concludit, quia quamdiu homo peregrinatur a Domino, a viis pravis deflectere, & ad Deum ſeſe convertere poteſt. Igitur ad probationem, diſtinguo: voluntas, premente cupiditate, ex S. Aug. ſe ſola reſiſtere non poteſt, concedo: cum gratia, nego. Ibi S. Doctor debellat Pelagianos qui naturam ita ſanam prædicabant, ut & graves tentationes ſuperare, & bonum ſalutis innatis viribus operari poſſet, quod certe adverſatur Apoſtolo dicenti 2. Cor. 3. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Hoc igitur unum eo loci contendit S. Aug. voluntatem humanam abſque gratiæ adjutorio cupiditati exardeſcenti non poſſe reſiſtere. Quia vero gratia ſufficiens, cum urget præceptum, ſemper adeſt, ut bonum poſſimus; verum eſt dicere hominem etiam prementi cupiditati poſſe reſiſtere: ut autem actu reſiſtat, indiget quidem gratia uberiori, videlicet efficaci, ſed oret, & habebit. Ita cenſet S. Doctor qui eſt ſui ipſius interpres; nam ibidem n. 4. ſubjicit: *Quantum eſt, quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi forte ſi pia eſt, ut oret auxilium: in tantum enim libera eſt, in quantum liberata eſt.* Igitur per gratiam victricem liberatur.

Perſiſtunt. S. Auguſtinus ibidem aſſerit non eſſe homini lapſo liberum abſtinere a peccato, & hoc ipſum eſſe peccati primi Parentis pœnam, quod quidem his confirmat verbis l. 3. de lib. arb. c. 18. n. 52. *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut . . . . qui recte facere cum poſſet, noluit; amittat poſſe cum velit.* Et l. de nat. & grat. peccatum ſic delineat: *Eſt voluntas retinendi, & unde liberum eſt abſtinere.* Iſtius meminit definitionis l. 1. Retr. c. 15. n. 3. & hoc inter hominem innocentem & lapſum ſtatuit diſcrimen, quod primus a malo abſtinere poſſet: alter minime propter cupiditatem. Sic igitur explanat definitionem datam: *Quod propterea dictum eſt, ut in hac definitione volens a nolente diſcerneretur, & ſic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiſo fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc eſt libera voluntate peccando, quia & ut ſcientes hoc fecerunt, & ille tentator ſuaſit ut hoc fieret, non coegit.* Igitur dicit 1. hominem in præſenti ſtatu non poſſe omnino a malo abſtinere. 2. Amittere poſſe cum velit. 3. Cogi a cupiditate ad malum patrandum, in quo differt ab homine innocente qui libere, conſentiendo tentationi peccavit: ergo peccatum originale extinguit libertatem.

Reſpondeo ad primum, diſtinguendo: non eſt liberum in præſenti ſtatu abſtinere ab omni peccato etiam leviori in genere & collective, concedo. *In multis enim*, ait B. Jacobus 3. 2. *offendimus omnes*. Modo levitate peccamus, modo inadvertentia, quandoque etiam ex malitia; quia vero ignorantia inducta per peccatum primi hominis, eſt cauſa cur contra legem multa patrentur, quæ quidem impedimenta in ſtatu innocentiæ non erant, hinc Propheta Regius ait Pſal. 50. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Non eſt liberum in particulari, ſubdiſtinguo: ſi ſit ſermo de peccato originali & de concupiſcentia quæ eſt mala in radice, quæque ad peccatum inclinat, concedo: ſi de peccato actuali, nego. Poſſumus, adjuvante Deo, qui numquam deeſt nobis in neceſſariis, omne vitare peccatum: porro quod per amicos poſſumus, per noſmetipſos, inquit Divus Thomas 1. 2. poſſumus: Deus autem non ſolum amicus, ſed & Pater miſericordiarum eſt. Beatus autem Auguſtinus in primo ſolum ſenſu loquitur: quod quidem patet ex ejus ſcopo, quippe qui agat contra Pelagianos peccatum originale per fas & nefas negantes, ſed illud eis probat multis momentis, vi-

deli-

delicet ex ignorantia, ex concupiſcentia, immo ex multitudine leviorum peccatorum in quæ etiam ſanctiſſimi inter homines præ nimia mentis inſtabilitate prolabuntur, quæque Propheta eatenus neceſſitates vocat, quatenus abſque privilegio ſoli Deiparæ conceſſo, ea omnia collective vitare non poſſumus: Etvero dum attendimus ad unum, mens ad alia rapitur, & in altero deficimus: ſed nuſquam negat S. Doctor liberum eſſe homini lapſo abſtinere a peccato. Igitur S. Auguſtinus in definitione peccati non excludit exemptionem a neceſſitate, ſed prædicat ſolummodo difficultatem ad bonum, qua Pelagianis peccatum originale probare fatagit.

Quod autem S. Auguſtinus non excludat libertatem a nobis, audi eundem loquentem in l. 1. Retractationum c. 15. n. 2. *Peccatum autem quod nuſquam eſt niſi in voluntate, illud præcipue intelligendum eſt, quod juſta damnatio conſecuta eſt. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum.* Si peccatum eſt ſemper in voluntate, eſt utique ſemper liberum. Et cum Julianus objeciſſet Sancto Auguſtino: *Cum igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur, non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere?* Hoc falſum eſſe aſerit ſanctus Doctor l. 1. operum Perfecti contra Julianum his verbis: *Peccatum ſecundum definitiones tuas, jam nec in moribus invenitur.*

Reſpondeo 2. iterum, ſed aliter diſtinguendo: non eſt liberum abſtinere a peccatis, hoc eſt a quibuſdam ignorantiis, quæ moraliter loquendo vinci non poſſunt, quæ ſunt pœna peccati originalis, quæque nonnumquam dicuntur peccata in radice, ſeu etiam cauſaliter quatenus ad culpam voluntariam compellunt, concedo: non eſt liberum abſtinere a peccatis contra legem quæ cognoſcitur, nego. Solutio colligitur ex Auguſtino qui ibidem l. 1. operum Perf. ſic proſequitur: *Et peccatis de ignorantia & affectionum neceſſitate venientibus quæ jam non ſolum peccata ſunt, verum etiam pœnæ peccatorum, plenum ſit genus humanum; quomodo dicis, definitionibus noſtris, peccatum nec in moribus inveniri?*

Ad ſecundum, diſtinguo: amittit peccator obduratus in pœnam peccati poſſe proximum & ultimatum ad converſionem, concedo: omne poſſe proximum, puta ad orandum, nego. Ex habituali reſiſtentia gratiæ refrigeſcit charitas & ſic peccator amittit poſſe uberius, ſed oratione illud poteſt recuperare ex S. Auguſtino: non igitur amittit omne poſſe, ſiquidem poteſt ſemper facere bonum, ſed langueſcente voluntate, & renitente langueſcit gratia, & parva admodum eſt.

Ad tertium, diſtinguo ut ſupra: voluntas cogitur cupiditate, ideſt maxime allicitur ad malum, concedo: neceſſitatur, nego. Patet & ex probationibus & ex ſuperioribus reſponſionibus S. Auguſtinum loqui ſolummodo de inclinatione & pronitate ad malum; minime vero de neceſſitate Phyſica & abſoluta, cum perpetuo dicat hominem non neceſſitari in actibus ſuis, a fortiori non cogi. Divus Thomas rem totam explicat q. 6. de malo art. unico, ad 10. his verbis: *Dicendum quod conſuetudo facit neceſſitatem, non ſimpliciter, ſed in repentinis, præcipue, nam ex deliberatione quantumcumque conſuetus, poteſt contra conſuetudinem agere.*

Diluuntur objectiones ex ratione prodeuntes.

OBJICIUNT: homo neceſſario vult bonum; ergo non eſt in eo libertas. Probatur antecedens: ſolum bonum eſt ejus voluntatis objectum: igitur neceſſario vult bonum.

Reſpondeo diſtinguendo: neceſſario vult bonum in genere, concedo: in particulari, nego. Modo enim vult bonum verum, modo apparens: modo eligit iſtud bonum, modo relinquit juxta illud Eccleſiaſtici 31. 10. *Erit illi gloria æterna; qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.*

Inſtabis: eo ipſo quo bonum proponitur voluntati, rapitur & neceſſario illud amat: & probatur. Non poteſt velle malum. Ergo amat neceſſario bonum ſibi propoſitum.

Reſpondeo negando antecedens: ad probationem, diſtinguo: voluntas non poteſt appetere malum ut malum, concedo: malum ſub ratione boni, nego. Paſſiones repræſentant, v. g. pœnitentiam ut malum corporis, lex vero ut bonum animæ, ſed voluntas ſeducta ſæpe rejicit iſtud ut indulgeat corpori.

Iterum inſtant: non datur indifferentia in voluntate: probatur, non datur electio, quan-

quandoquidem objectum ſemper proponitur ut bonum, voluntas vero neceſſario fertur circa bonum: ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo, objectum proponitur ſub ratione boni & ſimul ſub ratione mali, & ideo datur electioni locus, concedo: proponitur ſemper ſub ratione boni, nego. Sub duplici facie proponitur objectum; ſi de ſe ſit bonum creatum, primo quidem ſub ratione boni, ſicut de facto eſt, ſecundo ſub quadam ratione mali, quatenus non habet totam boni rationem, adeoque habens defectus, utpote carens multis perfectionibus. Jam vero cum ſolum bonum infinitum poſſit ſatiare voluntatem, ideo homo libere eligit bonum creatum amandum, immo ſi amat, ſæpius ceſſat amare, quia vult majus bonum & quærit. Si vero objectum ſit malum ut v. g. fornicatio, dum proponitur ut bonum ſenſuale, lex prohibens oſtendit ut malum ab anima vitandum, & ſic datur ſemper electioni locus.

Inſiſtunt adhuc: ergo voluntas ſaltem amat Deum neceſſario, vel ut auctorem naturæ, vel ut auctorem gratiæ, & probatur: Deus eſt ſummum bonum, adeoque totam replens appetitus rationalis capacitatem; igitur amatur neceſſario.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem, diſtinguo: Deus eſt ſummum bonum & non apparet ſemper tale voluntati, concedo: & apparet, nego. Hic Deum, *ex parte cognoſcimus*, inquit Apoſt. namque ut auctor naturæ cognoſcitur ſolum per creaturas; ut auctor gratiæ cognoſcitur quidem per fidem, ſed obſcure & non intuitive, adeoque imperfecte, cum igitur finito apprehendatur modo, & non clare ſicuti eſt, apparet ut bonum finitum, adeoque libere amandum: maxime quia bona ſenſibilia utpote magis proportionata, magis etiam & placent & alliciunt: ex alia parte natura propter corruptionem eſt de ſe prona ad malum, hinc fit ut homo ſæpe creaturam creatori anteponat; dixit enim inſipiens peccator in corde ſuo, inquit Propheta, non eſt Deus, Deum inviſibilem quaſi nullum reputat. Cæterum Deus ut auctor gratiæ dura eaque graviſſima naturæ præcipit, qua de cauſa peccator, teſte Propheta, noluit intelligere ut bene ageret, & ſic bonum ſenſibile, relicto bono incommutabili, pluris facit & eligit amandum de quo conqueritur Dominus Jerem. 1. 13. his verbis: *Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo lapſus eſt intrinſece liber ad bonum & malum morale.

PRIMO, Deus ipſe hanc pronuntiat veritatem, Gen. 4. ſic enim alloquitur Cainum: *Si bene egeris, recipies, ſi male, ſtatim in foribus peccatum aderit*. Rurſus Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum quod placuerit ei, dabitur illi*.

Secundo, Idem prædicant omnium ſæculorum Patres. In primis S. Auguſtinus l. de vera Relig. c. 14. *Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe judicavit Deus ſi ei ſervirent liberaliter; quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent*. Tridentina Synodus hoc ipſum declaravit de fide ſeſſ. 6. Can. 5.

Tertio, Ratio D. Thomæ non una eſt, ex ipſo homo lapſus liber eſt libertate indifferentiæ, quia ineſt ei vis electiva, ineſt conſilium & delibertatio. Quid plura? correctionis & exhortationis capax eſt, immo perfectum habet in ſuos actus dominium.

SYNOPSIS RESPONSIONUM AD OBJECTIONES.

PRIMO, fruſtra objicit Calvinus Deum eſſe humanarum actionum auctorem, neminem ad Chriſtum accedere niſi a Patre trahatur, non inde profecto læditur, ſed potius aſtruitur libertas, ſiquidem Deus eſt cauſa, ſed ſuadendo, ſed ſuaviter & libere movendo; immo, inquit S. Auguſtinus, non vi ſed amore trahit, ſeu potius allicit.

Secundo, non unus S. Auguſtinus, ſed multi ſancti Doctores dicunt primum hominem granditate peccati ſuum amiſiſſe liberum arbitrium, ſed intelligas velim, benevole Lector, quoad perfectionem, hic eſt genuinus S. Auguſtini ſenſus, eo quippe loci agit contra Pelagianos liberi arbitrii inflatores, eiſque probat ſe ſolum, ut con-

contendebant, ad bonum ſalutis faciendum non ſufficere. Cæterum ſi ſanctus Doctor vincula concupiſcentiæ quibus nonnumquam ligatur voluntas, nominat, neque coactionem aut neceſſitatem, ſed difficultatem tantummodo ad bonum intelligit.

Tertio, voluntas non appetit malum quo malum, ſed ſemper bonum, ergo & neceſſario? minime: tametſi enim, bonum in communi ex innata inclinatione velit, libere tamen & elective in particulari: enimvero bonum modo verum, modo etiam tantummodo apparens eligit ac proſequitur, unde & libere; immo bonum verum cognitum & propoſitum ut tale, libere amat, quia cum ſit bonum finitum & contingens, nec rapit, nec ſatiat voluntatem, quæ cum inhiet infinitum, ita diligit primum ut nec ligetur, nec neceſſitetur ad ejus proſequutionem; unde & experientia comprobat quotidiana, nonnumquam poſtea ſe odio habere quod vehementer amavit.

SECTIO SECUNDA.

Utrum homo ſit liber ad actiones ſupernaturales faciendas.

CONCLUSIO.

Homo eſt liber ad actiones ſupernaturales faciendas.

PROBATA quidem manet iſta aſſertio ex præcedenti Seſſione, quia tamen ſpecialis in hoc puncto occurrit difficultas, eo quod homo abſque gratia non poſſit ſuam operari ſalutem, quod quidem momentum urgent Lutherus art. 36. & Calvin. l. 2. Inſt. c. 2. §. 26. & ſequentibus: ideo hanc veritatem ad exaltationem fidei Catholicæ iterum probandam ſuſcipimus.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

1. REDIMERE peccata eleemoſynis, eſt bonum ordinis ſupernaturalis propter motivum: ſed illa actio ab homine libere agente procedit; præcipitur enim Nabuchodonoſori juxta illud Daniel. 4. v. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Ergo homo eſt liber ad actiones ſupernaturales faciendas.

2. *Declinare* a malo & facere bonum propter ſalutem, eſt actio ſupernaturalis: atqui homo lapſus utrumque poteſt, quia utrumque lex illi præcipit: addo & libere poteſt juxta illud Eccl. 31. 10. *Erit illi gloria æterna: qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Ergo, &c.

3. *Diligere* inimicos, & illis propter Deum benefacere eſt actio ſupernaturalis, immo & heroica: atqui homo poteſt hoc facere libere, quandoquidem hoc ipſum præcipitur: nihil autem impoſſibile præcipit lex: igitur homo eſt liber ad actiones ſupernaturales faciendas, immo ita liber ut poſſit etiam non facere, & ſæpius non faciat.

4. *Abſtinere* a fornicatione & ab immunditiis propter Deum, eſt quid maxime ſupernaturale; atqui homo poteſt ab his abſtinere libere propter Deum: ergo eſt liber.

5. *Diligere* Deum ex toto corde ut finem ultimum & remuneratorem, eſt actio maxime ſupernaturalis: atqui homo lapſus hoc poteſt & præcipitur illi tam in veteri, quam in novo teſtamento, juxta illud Deut. 6. 5. & Matth. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.* Ergo, &c.

Secundo, *Ex Conciliis.*

ARAUSICANUM ſecundum can. 13. dicit liberum arbitrium adjuvari a gratia ad faciendum bonum opus ſupernaturale.

Tridentinum ſeſſ. 6. c. 15. Can. 4. ait: *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Certe loquitur de opere ſupernaturali; loquitur enim de libero arbitrio moto per gratiam, aſſeritque hominem poſſe facere vel non facere bonum, poſſe vocantem audire vel ei reſiſtere. Igitur homo eſt liber ad actiones ſupernaturales faciendas. Et iterum Can. 5. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe, aut rem eſſe de ſolo titu-*

lo,

Digitized by Google

lo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit. Hoc patet etiam ex Decretalibus ſummorum Pontificum in Seſſione præcedente laudatis.

Tertio, *Ex Patribus*.

TERTULLIANUS ſic loquitur l. 2. contra Marcionem c. 5. *Liberum & ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum: nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam: neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, anima ad formam Dei ſplendentis, & arbitrii ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt*. Rurſus in exhortatione ad caſtitatem l. 2. ait: *Cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit, & quid nolit, tamen eſt nobis voluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptum eſt, ecce poſui ante te bonum & malum*.

Cyprianus eodem prope modo loquitur Epiſt. 55. ad Cornelium: namque explicans illa Chriſti ad Apoſtolos verba: *Numquid & vos vultis ire?* ait, " ſervans legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus, ſibimetipſe mortem appetit, vel ſalutem. " Idem dicit l. 3. de teſtimoniis ad Quirinum.

Ambroſius ſuccinit in Pſalm. 40. *Homini dedit eligendi arbitrium, quod ſequatur*.

Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem ſic alloquitur Pelagium: *Fruſtra blaſphemas nos liberum arbitrium condemnare, damnetur ille qui damnat*. & l. 3. contra Pelagianos: *Ergone*, inquit, *liberum tollo arbitrium, quia in tota diſputatione mea, nihil aliud egi, niſi ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conſervarem?* Controverſia movebatur in his diſputationibus, de opere ſupernaturali quod Pelagius affirmabat a ſolis naturæ viribus promanare, ne gratia liberum læderet arbitrium. Hieronymus autem duo probat, ſcilicet & voluntatem humanam ſine gratia nihil boni in ordine ad ſalutem operari poſſe, ſaltem proxime, & manere ſub dominio gratiæ liberam.

S. Auguſtinus eiſdem Hæreticis idem repetit & inculcat, maxime Epiſt. 89. ad Hilarium: *Neque enim*, inquit, *voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur*. Rurſus lib. de correptione & gr. c. 8. hæc dicit de oratione Chriſti pro Petro: *Quando rogavit ergo, ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, niſi ut haberet liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* Et infra: *Ecce quemadmodum ſecundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinem*.

Quarto, *Ex Ratione*.

PRIMA eſt; præcepta divina quorum objectum eſt bonum ſalutis, proponuntur homini ut materia laudis & præmii: ergo homo eſt liber ad illa adimplenda: Et vero ſi eſſent illi impoſſibilia, fruſtra proponerentur adimplenda: ſi gratia quiſquis adjutus, neceſſario adimplet, nullum eſt meritum, nullуſque laudis & præmii locus, igitur homo eſt liber ad opera ordinis ſupernaturalis facienda.

Secunda. Ille liber eſt qui dominium habet cordis proprii: atqui licet cuncta creata ſint bona Dei, & omnia ejus ſint, reliquit tamen homini cordis proprii dominium, ut ſeipſum hoſtiam laudis ſuo offerret creatori. Ergo, &c.

Tertia. His altera iſta ratio accedit: Deus proponit bonum non ſolum naturalis, ſed & ſupernaturalis ordinis faciendum, quandoquidem homo elevatus eſt ad illum intuitive videndum. Igitur liberum eſt homini lapſo utrumque operari, & in hoc Deum colit, & glorificat, juxta illud Eccli. 31. 10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*.

Quarta ſic exponitur: Homo lapſus bonis operibus vitam promeretur æternam; ſed ideo meretur, quia liber eſt ad bonum & malum, quia abſtractus & illectus a concupiſcentia non cedit tentationi, unde poſt verba Scripturæ modo laudata iſta ſequuntur: *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Igitur homo lapſus liber eſt ad bonum ſupernaturale faciendum.

Quinta hæc eſt. Bonum ſalutis proponitur homini faciendum juxta illud Decalogi præceptum: *Unum cole Deum*. Sed illud præceptum nullam imponit aut vim, aut neceſſitatem: & probatur, Tametſi Deus ſic ſum-

ſummum bonum, attamen viator cognoſcit illum ſolummodo per effectus & per fidem quæ eſt obſcura; qua de cauſa non judicat iſtud bonum, licet in ſe infinitum, neceſſario amandum; immo paſſiones illudunt impium qui dicit in corde ſuo non eſt Deus: igitur bonum incommutabile quia abſens & inviſibile, apparet viatoribus veluti contingens, & ideo libere & per electionem amatur. Ratio a priori ea eſt, quod ut viator bonum æternum ſuo proſequatur amore, illud, etiam reclamantibus paſſionibus, eſſe tale judicare debet intellectus, ideſt præ omnibus bonis creatis multo melius: hanc præſcribit regulam Propheta dicens Pſal. 83. 11. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Ergo &c.

Sexta non minus ſuadet: gratia non tollit liberum arbitrium, ut perperam contendunt Hæretici. Igitur homo manet liber ſub dominio gratiæ ad actiones ſupernaturales. Probatur antecedens. Gratia fovet & adjuvat liberum arbitrium. Etvero homo lapſus duplicem habet ad faciendum bonum ordinis ſupernaturalis difficultatem moralem, eamque maximam. Primam quidem ex parte ipſius boni quod ſane multum excedit hominis in ſe relicti vires, ſiquidem eſt ordinis ſuperioris: alteram ex parte concupiſcentiæ & paſſionum quæ ſunt veluti vincula quibus voluntas jam per peccatum ſauciata irretitur ne faciat bonum: ſed gratia utrumque tollit impedimentum, primum quidem, quia elevat hominem & ponit in ordine ſupernaturali: ſecundum vero quia compeſcit paſſiones: unde Propheta de his mirabilibus loquens Pſal. 115. ait: *Dirupiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Et iterum alia Scriptura Joan. 8. 36. *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Igitur gratia fovet & dat libertatem filiorum Dei.

Septima, eaque validiſſima: ſuavitas gratiæ quæ datur ut homo currat viam mandatorum, nullam vim imponit voluntati humanæ: igitur homo manet liber ſub dominio gratiæ. Probatur antecedens: tunc voluntas amat, quia vult amare: amat quia proponitur illi bonum verum, & tale in unctione docente experitur: agit quidem, poſita & data gratia, ſed libere; amat enim per electionem, videlicet quia judicavit intellectus eſſe verum bonum, creaturam vero allicientem, & fucatum, & ideo libere prorſus operatur voluntas.

Octava premit fidei hoſtes: ille manet liber ſub dominio gratiæ qui poteſt ei reſiſtere, ejuſque impedire effectum: ſed homo lapſus poteſt reſiſtere gratiæ, & de facto ſæpius obnititur: quinimmo de hac animi ingratitudine plurimum conqueritur Deus, juxta illud Proverb. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis*. Rurſus act. 7. 51. *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Ergo, &c.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

OBJICIUNT. Juſtificatio eſt opus ſupernaturale: ſed homo non poteſt cooperari gratiæ: igitur non eſt liber ad actiones ſupernaturales. Probatur minor Pſal. 42. 2. habetur: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. 2. Iſa. 64. 6. *Quaſi pannus menſtruatæ univerſa juſtitia noſtra*. 3. ibidem c. 1. 6. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas*. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. diſtinguendo minorem: homo ſine gratiæ adjutorio non poteſt juſtificari, concedo: quia ſine gratia non habet ſufficientes vires ad operandum bonum ſupernaturale; tum quia juſtificatio excedit vires naturæ infirmæ, tum quia eſt ſuperioris ordinis; non poteſt cum gratiæ auxilio, nego. Deus autem dat omnibus gratiam ſufficientem ut poſſint agere. Jam vero ſi conſideretur peccator ſine gratia, certe non juſtificabitur, juſtitiæ ipſius nullæ ſunt, nullam quippe ſanitatem habet, plaga univerſalis eſt, ignorantia ſcilicet in intellectu, inquit V. Beda, malitia in voluntate, rebelllo in appetitu ſenſitivo & exceſſus in iraſcibili: porro Scriptura in locis allatis loquitur de homine conſiderato ſecundum ſe, vel in peccato mortali exiſtente, vel per peccatum originale ſauciato: in hoc ſenſu S. Chryſoſtomus Homilia prima in Adventu dicit: *Omnis homo totus peccatum eſt*.

Reſpondeo 2. aliter diſtinguendo: homo non juſtificabitur in conſpectu Dei, ideſt, juſtitia ejus tam diſtat a ſanctitate Dei, ut prope nihil ſit, ut ipſius puritas ſit fœditas, quia eſt inter utramque juſtitiam di-

diſtantia infinita, concedo; non juſtificabitur, ideſt, non poteſt cooperari juſtificationi, nego. Etvero homo non ut inanime quoddam ad opus juſtificationis aſſumitur, ſed ut gratiæ prævenienti & adjuvanti cooperator fidelis, dicente Domino peccatoribus, Zachar. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.*

Ad primum: non juſtificabitur in conſpectu Dei omnis vivens, diſtinguo: ideſt, homo comparatus Deo tanquam nihilum ante ipſum eſt, teſte Propheta, non enim ſolis viribus abſque miſericordia & gratiæ auxilio juſtificari poteſt, concedo: nullo modo poteſt, nego.

Ad ſecundum: juſtitiæ veſtræ ſunt ſicut pannus menſtruatæ, etiam diſtinguo: hoc eſt juſtitiæ leges ſanctitate interiori deſtitutæ ſunt, concedo: juſtitiæ veſtræ ex motivo amoris Dei factæ, nego. Propheta ſermonem inſtituit de prioribus; arguit enim Judæos de peccato hypocriſis, eo quod ad litteram legis ſolummodo attendentes, procul facerent ſpiritum, & cultum dumtaxat externum exhiberent: Etvero jejunabant quidem, Neomenias celebrabant; ſed ſuperbi, & uſurarii & prævaricatores erant, & ideo juſtitiæ eorum non ſolum erant prorſus vacuæ, ſed peccato hypocriſis maculatæ.

Ad tertium, ſolutio patet: loquitur enim Propheta de iiſdem Judæis qui in nullo legis puncto fideles, ibant in adinventionibus ſuis: hinc in nova peccata ruere gloriabantur, & ideo plaga univerſalis & veluti inſanabilis inerat eis.

Opponunt 2. Qui ex natura ſua malus eſt, nullum poteſt facere bonum: atqui homo lapſus ex natura ſua malus eſt, juxta illud Eph. 2. *Natura ſumus filii iræ*. Igitur homo non eſt liber ad operandum bonum; quippe qui ſit in maligno totaliter poſitus. Confirmatur. Chryſoſtomus Hom. 37. in Matth. aſſerit hominem propria voluntate veluti vinculo alligatum manere, ita ut quod vult bonum, non faciat: igitur non eſt liber.

Reſpondeo diſtinguendo: qui ex natura ſua malus eſt ut natura dicit eſſentiam, concedo: ut dicit ſolummodo originem, nego. Et diſtinguo minorem, ſumus natura filii iræ, juxta illud Prophetæ effatum Pſal. 50. 6. *Et in peccatis concepit me mater mea*, concedo: eſſentialiter, nego. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona: igitur homo non eſt eſſentialiter malus, præſertim vero cum peccatum irrepſerit in naturam alias juſtam & innocentem: licet autem eam plurimum læſerit, non tamen, inquit Div. Thom. totaliter corrupit bonum naturæ, immo teſte Dionyſio naturalia permanſerunt in Dæmonibus, igitur & in primis parentibus. Libertas autem eſt perfectio naturalis & intrinſeca naturæ: igitur remanſit, ſed fuit debilitata, quod ultro fatemur.

Reſpondeo 2. Argumentum Hæreticorum nimis probare, ſequeretur enim ex hoc quod nequidem Apoſtoli potuiſſent aliquod operari bonum vitæ æternæ dignum, erant enim ab origine ſicut cæteri homines natura filii iræ, & tamen Apoſtolus de ſe loquens ait: *Repoſita eſt mihi corona juſtitia quam reddet mihi in illa die juſtus judex*. 2. Tim. 4. 8.

Ad confirmationem, diſtinguo: peccatur habitibus malis alligatus non eſt liber a ſervitute diaboli, concedo: ſcriptum eſt enim 2. Petr. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*: non eſt liber libertate naturali & indifferentiæ, nego: licet enim homo pronus ſit ad malum eo quod perverſa inclinatione peccet, attamen poteſt & non peccare, & a peccato ſi illud prolapſus ſit, reſurgere; immo Deus ad hoc illum iterum atque iterum adhortatur, ſic enim per os Oſeæ c. 3. loquitur: *Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras*. S. Chryſoſtomus loquitur tantum in primo ſenſu, & eſt ſui ipſius interpres Hom. 3. in Gen. *In corporalibus natura affectiones ſæpe immobiles ſunt, in voluntate autem, non ita ſe res habet. Sæpe enim ſi voluerit etiam qui malus eſt, mutatur & ſit bonus, & qui bonus per ignaviam excidit, & ſit malus, quia liberi arbitrii eſſe noſtram naturam fecit omnium Dominus.*

Inſtant: homo in peccato mortali exiſtens non poteſt operari bonum: ergo verum eſt hominem ad peccatum per propriam voluntatem ligatum, non eſſe liberum. Probatur antecedens. Homo ille habet pro fine ultimo creaturam, adeoque agit propter illam, & conſequenter neceſſario ſemper peccat. Ergo, &c.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: habet pro fine ultimo habituali creaturam, concedo: pro fine

ne ſemper actuali, nego. Enimvero non ſemper cogitat & agit propter creaturam. Nonne Scripturæ ſanctæ adhortantur impios ad opera bona? poſſunt ergo illa facere. Nonne injungitur peccatoribus, dolere de peccatis? juxta illud Chriſti, Luc. 13. 3. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Et iterum alia Scriptura, Joel. 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, ait Dominus omnipotens*. Igitur peccatores bona opera poſſunt facere.

Objiciunt 3. Prædeſtinatio inducit neceſſitatem: namque ſi homo eſt prædeſtinatus, neceſſario ſalvabitur; ſiquidem prædeſtinatio non poteſt falli. Si vero non ſit prædeſtinatus, neceſſario peribit, quia ſoli electi ſalvabuntur. Ergo, &c.

Reſpondeo, negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo: ſi homo eſt prædeſtinatus, neceſſario ſalvabitur neceſſitate hypothetica, & ſuppoſito quod libere agendo operetur bona, concedo: neceſſitate abſoluta & antecedente, nego. Liberum eſt Deo prædeſtinare quem vult, hoc enim ab homine non pendet; Deus quippe ſuorum donorum Dominus eſt, ſed intuitu meritorum dilecti Filii ſui dedit hominibus jus ad gloriam, dat omnibus gratiam ſufficientem, vult ut juſtus per merita & bona opera, vitam conſequatur æternam: igitur prædeſtinatio ex parte cauſæ ſecundæ quæ eſt contingens, poteſt falli. Ita colligitur ex Div. Thom. 3. contra Gent. c. 94. ubi dicit effectus divinæ Providentiæ eſſe contingentes ex parte cauſæ ſecundæ. Sed de hoc fuſior erit ſermo ubi de præſcientia Dei. Addo ſecundum graviſſimos Theologos prædeſtinationem & ſecundum intentionem agentis, & ſecundum executionem eſſe poſt prævisa merita. Denique B. Apoſtolus Petrus hoc momentum ſalva libertate explanat cum 2. Epiſt. 1. 19. dicit: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. Igitur certitudo ſalutis dependat ab operibus bonis quæ unuſquiſque ad nutum ſuum facere poteſt. Igitur prædeſtinatio Sanctorum in nullo offendit libertatem voluntatis humanæ.

Opponunt 4. Voluntas humana ſe ſola non poteſt adimplere legem & amare Deum ut auctorem gratiæ: igitur non eſt libera ad actiones ſupernaturales. Probatur conſequentia, ſi eſſet libera, poſſet elicere tales actiones: ſic non dicitur de brutis quod ſint liberæ ad ratiocinandum, ad conſilium dandum, quia hoc non poſſunt, eo quod ſint ad unum determinatæ: igitur a ſimili creatura rationalis ad actiones ſupernaturales eliciendas, nullo modo eſt libera.

Reſpondeo, diſtinguendo; voluntas humana ſe ſola non poteſt proxime elicere actum ſupernaturalem, concedo: non poteſt ullo modo, nego. Actus amoris Dei, v. g. eſt actus vitalis a voluntate eliciendus: igitur ineſt homini potentia aliqua remota ad illum producendum: quod & probatur ratione a ſimili. Tametſi oculus corporalis, ſecluſo ſolis lumine, actu objecta videre non valet, non eſt tamen verum ſimpliciter dicere, illum non poſſe ea intueri, eodem prope modo licet voluntas indigeat auxilio gratiæ, & ut poſſit proxime amare, & ut actu amet, nemo tamen eam ſecundum ſe ſpectatam ſimpliciter & abſolute ad amandum phyſice impotentem dicit. Poteſt igitur potentia remota operari bonum ſalutis, non tamen poſitive, & proxime abſque gratiæ adjutorio. Ad confirmationem, nego paritatem: Bruta enim potentiam ad ratiocinandum ne quidem remotam habent.

Inſtant. Gratia nec pendet ab homine, nec eſt in ejus poteſtate illam habere ad nutum: igitur homo non eſt liber ad actiones ſupernaturales eliciendas: & probatur; abſque auxilio gratiæ non eſt ad eas producendas expeditus: igitur cum gratiam ad hoc neceſſariam non habeat quando vult, hæc & ſimilia ſalutis negotia operari non valet.

Reſpondeo, diſtinguendo illam partem: non eſt in poteſtate hominis phyſica & abſoluta habere gratiam quando vult, quia de facto ab ipſo non pendet gratia, cum ſolum Deum habeat auctorem, concedo: non eſt in poteſtate morali, nego. Gratia eſt moraliter in poteſtate hominis in quantum Deus non deficit in neceſſariis, quia intuitu meritorum Chriſti, ut jam dictum eſt, dat omnibus gratiam ſufficientem & offert efficacem quando præceptum urget. Cæterum, inquit Div. Thom. 1. 2. q. 109. quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſumus, unde dicebat Apoſt. Phil. 4. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Et iterum alia Scriptura Pſ. 54. 23.

Jacta

Jacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet, non dabit in æternum fluctationem juſto. Et adhuc Pſal. 113. *Qui timent Dominum ſperaverunt in Domino, adjutor eorum & protector eorum eſt.* Cum igitur Deus ſit non ſolum amicus, ſed Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, gratia nemini deeſt, niſi homo prius gratiæ deſit reſiſtendo, quinimmo os loquentium iniqua rejiciendo culpas in defectum gratiæ, occludit Spiritus Sanctus dicens Eccl. 15. 11. *Non dixeris per Deum abeſt.* Et Oſee 13. 9. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

Auctor Libri de vocatione Gentium c. 20. facit ſatis omnibus difficultatibus in hoc puncto occurrentibus, paucis ſed efficaciſſimis verbis: “ Gratia Dei in omnibus „ juſtificationibus principaliter præminet; „ ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur „ atque conjungitur quæ adeſt prædictis „ excitata præſidiis, ut divino in ſe „ cooperetur operi, de ſua habens muta- „ bilitate ſi deficit, de gratiæ opitula- „ tione ſi proficit, quæ opitulatio per in- „ numeros ſive occultos, ſive manifeſtos „ modos omnibus adhibetur, & quod a „ multis deſeritur, ipſorum eſt nequitiæ. „

Objiciunt 4. Liberum arbitrium amiſſum eſt per peccatum, & reparatum per gratiam, ſic enim loquitur Arauſicanum 2. Can. 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi.* Ergo ex Concilio homo lapſus ſecundum ſe nullam habet libertatem.

Reſpondeo diſtinguendo: liberum arbitrium amiſſum eſt per peccatum quoad ſtatum & perfectionem, concedo: enimvero in homine innocente erat ſanum, & cum gratia conjunctum. Amiſſa autem innocentia & gratia, manſit infirmatum: amiſſum eſt quoad ſe, nego. Naturalia quippe permanſerunt & in Angelis & in primis parentibus peccantibus. Igitur per gratiam Chriſti, liberum reſtauratur arbitrium quatenus per illam, vim habet ad operandum bonum etiam in arduis. Immo & reſtituitur, non quidem quoad ſe, ſed quoad virtutem operandi propter Deum.

Inſtant: licet liberum arbitrium adjuvetur ad bonum ſupernaturale, attamen non manet vere liberum, ſed ab ipſa gratia rapitur ut inanime quoddam: & probatur. Aug. l. de gratia Chriſti ait: *Ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico B. Auguſtinum nuſquam docere gratia liberum perimi arbitrium, verumtamen hoc ipſum quibuſdam videri. Et quibus? niſi ignaris & ſimplicibus. Quandoque locutiones præ ſe ferunt quaſdam difficultates, eo quod Patres aliquod dogma propugnantes, totum pro hoc momento concludere ſatagant. Non mirum igitur ſi Auguſtinus contra Pelagianos qui omnia naturæ tribuebant, partem oppoſitam quaſi per exceſſum gratiam exaltando defendat, ſalvo tamen ſemper liberi arbitrii jure. Ipſe ſe explicat contra Julianum c. 8. “ Ego dixi iſtam quæſtionem „ ad diſcernendum eſſe difficilem, non „ autem dixi non poſſe diſcerni. Multo „ minus ego dicerem, quod me dixiſſe „ mentiris, negari liberum arbitrium, ſi „ gratia commendetur, & negari gratiam „ ſi liberum commendetur arbitrium .... „ non dixi negari gratiam, ſed ut negari „ gratia videatur, non dixi negari liberum arbitrium vel auferri. „

Inſtant iterum: Poſita gratia efficaci, non manet indifferentia & potentia ad oppoſitum: ergo nec liberum arbitrium ſub dominio gratiæ. Probatur antecedens. Voluntas non poteſt agere, quia eo ipſo quo datur gratia efficax, jam eſt conſenſus: ſed ut voluntas eſſet libera, deberet poſſe non agere etiam ſub dominio gratiæ, atque ipſa præſente. Ergo, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo: voluntas non poteſt non agere in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Senſus compoſitus eſt actus conjunctus cum potentia, & certe quando eſt conſenſus, non poteſt non eſſe, nullus poteſt componere ſimul actum & non actum. Senſus diviſus eſt cum potentia conſideratur vel ſecundum ſe, vel etiam cum gratia & in illo priori antequam eliciat actum. Jamvero poteſt non agere quando offertur & datur gratia efficax, quia poteſt illi reſiſtere, Tridentino dicente ſeſſ. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium motum non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.* Quid plura? voluntas manet libera etiam in ipſo actu, tum quia eli-

cit illum prævia electione, tum quia poteſt ceſſare ab illo, & contrarium facere.

Ad id quod dicitur, quando datur gratia efficax, jam eſt conſenſus, nego. Prius enim eſt gratiam dari, gratiam in voluntate recipi & ipſam voluntatem moveri & applicari ad actum, quam agere: unde manet libera ſub dominio gratiæ, maxime cum gratia efficax ſecundum graviſſimos Theologos ſita ſit ſolum in motionibus moralibus, quibus ad nutum poteſt reſiſtere voluntas humana.

Duo præcipua Calvini argumenta, alterum ex prædeſtinatione deſumptum, alterum ex gratia inſuperabili humanam lædente libertatem, confutata manent ex doctrina S. Proſperi qui ſententia ſexta poſt reſponſionem ad capita Gallorum ſic loquitur: *Qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum, ſive ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operetur, non eſt Catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, ſed adolet & ab errore in viam revocat & reducit, ut quod ſua libertate erat pravum, Spiritu Dei agente ſit rectum.*

Adhuc inſiſtunt Heterodoxi: Gratia movet inſuperabiliter, juxta illud Aug. l. de corr. & 9. cap. 12. num. 38. *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Igitur ſub dominio gratiæ non manet potentia ad oppoſitum: alias jam non indeclinabiliter, ſed declinabiliter gratia moveret voluntatem humanam ad opus bonum.

Reſpondeo diſtinguendo, gratia perſeverantiæ finalis, concedo: gratia efficax ut ſic, nego. Gratia perſeverantiæ finalis dicit Providentiam ſpecialiſſimam quæ jungit infallibiliter mortem cum gratia: at vero gratia efficax ſecundum ſe non ſic movet; quandoquidem liberum arbitrium ab ipſa motum, affirmante Tridentino; poteſt diſſentire ſi velit. S. Auguſtinus loquitur tantummodo de priori gratia; namque ibidem num. 38. ſubdit poſt verba in objectione laudata: *Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit.* Qua quidem ſententia non relinquitur circa mentem Auguſtini ambigendi locus; nam ibi in eo maxime Chriſti gratiam celebrat, quod det finalem in bono perſeverantiam quam ipſe Adamus tametſi ſanus & fortis vi gratiæ ſuæ non habuit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo eſt liber ad actiones ſupernaturales.

PRIMO, Redimere peccata eleemoſynis, inimicis condonare, ſunt actiones ſupernaturales: ſed præcipiuntur in Scripturis: igitur homo eſt in his momentis exequendis liber, alias fruſtra hæc præciperentur; quod enim fit neceſſario, neque conſilio, neque deliberationi ſubjicitur.

Secundo, Gratia non perimit ſed adjuvat liberum arbitrium, juxta illud Auguſtini Epiſt. 89. " Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur; ſed ideo juvatur, quia non tollitur. " Igitur ruit Calvini fundamentum.

Tertio, Ratio in promptu & quidem in Scripturis ſacris ſuffragatur. Ideo homo juſtus laude dignus eſt, quia cum poſſit traſgredi non tranſgreditur: igitur in homine ex integro intacta manet ad actiones ſupernaturales libertas.

SYNOPSIS SOLUTIONUM

QUIBUS DILUUNTUR ARGUMENTA IN CONTRARIUM.

PRIMO, incaſſum ab Heterodoxis in medium adducuntur Scripturæ ſacræ. Loca in quibus quandoque dicitur hominem in conſpectu Dei non juſtificari, mortalium juſtitias nihil eſſe; iſta quippe & ſimilia libertati non adverſantur, ſed unum dumtaxat probant, hominem abſque Dei auxilio nec quidquam mereri; nec ſuam aſſequi ſalutem.

Secundo, Bene dicitur hominem in ſe relictum non habere poſſe proximum ſalvari, a fortiori ipſam ſalutem, niſi donante Domino, qui teſte Apoſtolo, operatur in nobis velle & perficere, ergone tollitur libertas? Quinimmo elevatur & perficitur, quatenus dat poſſe proximum, immo & actum, quem quidem voluntas prævio gratiæ conſenſu & prævia electione elicit.

Ter-

Tertio, Non negamus gratiam inſallibiliter movere, ſed ſuaviter, namque liberum arbitrium motum ipſi poteſt in ſenſu diviſo reſiſtere; cæterum cum voluntas malis actibus & propria concupiſcentia veluti tot vinculis obſtricta dicitur, difficultas ſolum ad bonum, nuſquam vero ad malum neceſſitas deſignatur. Quid plura? non gratia interior & efficax ut ſic movet inſuperabiliter, ſed tantum gratia perſeverantiæ, quæ Providentiam importat extrinſecam & extraordinariam qua mors cum charitate conjungitur.

SECTIO TERTIA.

Vtrum libertas eſſentialiter poſita ſit in indifferentia actus.

CONCLUSIO.

Eſſentia libertatis conſiſtit in indifferentia actus.

ISTA propoſitio ſequitur ex dictis in duabus ſuperioribus Sectionibus, & colligitur ex Canone quarto, Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini.

Probatur in particulari auctoritate & ratione.

Primo, *Ex Scriptura ſacra.*

LEGITUR 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Eo loci Apoſtolus loquitur de homine qui poteſt ad libitum nubere vel non nubere, ſumere vel non ſumere uxorem: ſed illa poteſtas in eo maxime ſita eſt quod homo poſſit, uno relicto, alterum pro innata libertate & voluntatis arbitrio eligere: ergo libertas conſiſtit formaliter in indifferentia. Etvero ut ipſum verbum ſonat, eſſe liberum, eſt non eſſe ligatum, ſeu neceſſitate compulſum ad aliquid, eſt poſſe facere illud vel non facere.

Secundo, *Ex D. Auguſtino & D. Thoma.*

S. AUGUSTINUS quidem in omnibus locis jam ſupra citatis perpetuo prædicat libertatem cum potentia ad oppoſitum ſecundum voluntatis electionem, ſed præcipue l. 2. de actis cum Felice Manichæo c. 4. *Habet*, inquit, *unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala.* & l. de Spiritu & littera c. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Unde ſic argumentor: indifferentia activa hominis in eo potiſſimum conſiſtit, quod poſſit eligere unum ex duobus, alio relicto, quia ubi eſt neceſſitas, ibi non eſt electio, ſed ad unum determinatio: atqui ex S. Auguſtino unuſquiſque habet in voluntate quod eligat bonum vel malum; propriæ voluntatis eſt, inquit, conſentire vel diſſentire vocationi Dei: igitur ex eodem libertas conſiſtit in indifferentia activa, & in eo quod homo poſſit aliquid facere vel non facere.

Divus Thomas ubique libertatem in indifferentia activa & in immunitate ab omni neceſſitate conſtituit, ut q. 24. de verit. art. 1. ſed præcipue q. 6. de malo art. unico ubi ſic loquitur: *Quidam poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid agendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur, non enim omne neceſſarium eſt violentum, hæc autem opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus.* Igitur libertas conſiſtit in indifferentia activa & contrarium aſſerere, hæreticum eſt. Quid efficacius poterat ſanctus Doctor dicere ad proſcribendam Janſenii ſententiam? quæ clare manet damnata in utroque ſancto Doctore, Auguſtino ſcilicet, & Angelo Scholæ, ſicut & in Trid. Can. 4. Seſſ. 6. cum dixit: *Si quis dixerit liberum arbitrium motum a Deo non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.*

Tertio, *Ratione, eaque multiplici.*

PRIMA eſt: in hoc formaliter conſiſtit libertas, in quo illam ſemper conſiſtere deſignat Scriptura ſacra: atqui ubi Scriptura loquitur de libertate, ſemper illam prædicat in indifferentia activa voluntatis quæ unum, alio relicto, poteſt facere, juxta illud Gen. 4. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Et iſtud Eccl. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hoc ipſum confirmat Apoſtolus 1. Cor. 7. his verbis: *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens voluntatis ſuæ.*

Igitur eſſentia libertatis in indifferentia activa potiſſimum ſita eſt.

Secunda, Eſſentia libertatis in eo maxime conſiſtit, in quo Traditio, Scripturæ ſacræ fidelis interpres, illam conſtitui cenſet: atqui Traditio Patrum nomine indifferentiæ activæ illam celebrat: Juſtinus ſupra laudatus dicit ineſſe hominibus vim & poteſtatem, ut ſeſe pro nutu vel ad bonum, vel etiam ad malum convertant; Clemens Alexandrinus eos, utriuſque electionem habere aſſerit: id ipſum propugnat Tertullianus; id Ambroſius, id Auguſtinus. Ergo, &c.

Tertia: eaque validiſſima, homines ſunt exhortationis & correptionis capaces: ſed hoc habent ſolum ratione indifferentiæ activæ; ratione virtutis electivæ, qua tametſi mali, poſſunt tamen flecti ad bonum; namque ubi eſt aut coactio, aut vis & neceſſitas, ibi ſane non relinquitur conſilio locus, quandoquidem voluntas manet determinata ad unum: igitur libertas conſiſtit formaliter in indifferentia activa. Hanc urget & explanat rationem S. Auguſtinus in libris de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia, & alibi.

Quarta, Homo ratione libertatis meretur, ſi propter amorem Dei abſtinet a malo: atqui homo propter amorem Dei, quandoque abſtinet a malo, juxta illud Eccli. 31. 10. de Juſto: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Igitur libertas in indifferentia actus formaliter conſtituitur.

Quinta, Libertas eſſentialiter ſita eſt in dominio quod voluntas humana in ſuos actus habet, ratione cujus eſt ſui juris, poteſtque vel Creatori, vel creaturæ ſervire: ſed illud dominium attenditur ſecundum quod homo poteſt unum, alio relicto, eligere; nullus quippe dicitur Dominus actionis ad quam aut neceſſitate, aut vi compellitur: igitur libertas conſiſtit in indifferentia actus.

Diluuntur objectiones Heterodoxorum ex auctoritate Divi Auguſtini & Divi Thomæ deſumptæ.

OBJICIUNT 1. Auguſtinum qui l. 2. de lib. arb. c. 3. ſic loquitur: *Illud nos habere in poteſtate dicimur, quod cum volumus, facimus*. Ergo ex Divo Auguſtino ut opus ſit liberum, ſufficit quod ſit voluntarium.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ut opus ſit liberum ſufficit quod ſit voluntarium per electionem, concedo: per ſpontaneitatem & neceſſitatem, nego. Sicut animal eſt genus contrahibile per rationale & irrationale, ita voluntarium per liberum & ſpontaneum, uſus tamen invaluit ſumi pro libero, ſiquidem cum volumus exprimere aliquem feciſſe aliquid libere, ex more dicimus, voluntarie fecit. In hoc ſane ſenſu loquitur Aug. & quod ſit ipſius mens, patet ex probationibus ſuperioribus ubi multa ſancti Doctoris loca alias clariſſima pro aſſertione noſtra in medium adduximus. Cæterum l. 3. de Spiritu & littera c. 1. eſt ſui ipſius interpres his verbis: *Hoc quiſquis habere in ſua poteſtate quod ſi vult facit, ſi non vult non facit*.

Inſtant idem l. 5. de Civit. Dei c. 9. & 10. diſputans contra Evodium & Ciceronem docet præſcientiam Dei non nocere libertati, tametſi, quod Deus præſcivit, infallibiliter eveniat, quia, inquit, remanent voluntates & volitiones admodum liberæ, quatenus voluntarie & nulla vi cogente aut compellente, operamur. Igitur voluntarium & liberum apud Auguſtinum ſunt unum & idem: igitur ſufficit quod ſpontanee agamus, ut liberi ſimus.

Reſpondeo 1. ex hoc principio ſic ſtatuto duo ſequi abſurda. Primum quidem proceſſionem Spiritus Sancti eſſe liberam; eſt enim voluntaria: alterum vero ipſas belluas eſſe liberas, quippe quæ ſpontanee agant & operentur.

Reſpondeo 2. ut ſupra: Et Auguſtinus loquitur de voluntario per electionem, concedo: de voluntario mere ſpontaneo, nego. Hoc ipſum patet ex ſcopo ſancti Doctoris qui vult oſtendere præſcientiam neque tollere libertatem, neque ullam rebus humanis imponere neceſſitatem: profecto nihil concluderet, ſi in probationem afferret volitiones ex neceſſitate procedentes. Arguebat enim ibi contra Ciceronem, qui teſte Nemeſio lib. de natura hominis admittebat fatum & neceſſitatem in actibus humanis, quos tamen voluntarios dicebat, illumque revincit S. Doctor, dicendo nullum eſſe fatum ex præſcientia, quia voluntates manent liberæ, ad

bonum

bonum & malum flexibiles. Eodem modo explicandi ſunt alii ſancti Doctores qui eadem phraſi explicant libertatem per voluntarium; uſus quippe invaluit, ut per hoc intelligeretur ſemper voluntarium per electionem & cum potentia ad oppoſitum.

Objiciunt 2. Divus Thomas paſſim dicit neceſſitatem non nocere libertati, ſic 1. p. q. 82. art. 1. ad 1. *Neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*. Igitur libertas in voluntario ſpontaneo ſita eſt.

Reſpondeo, diſtinguendo: non tollit libertatem potentiæ, concedo: libertatem activam ſeu actus, nego. Voluntas poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicet ut natura & ut libera: ut natura quatenus ex inclinatione fertur in bonum tanquam in proprium & connaturale objectum: fertur enim ut ſic neceſſario ad illud, ſicut quælibet creatura naturaliter tendit in centrum. Et vero voluntas non poteſt appetere malum quo malum; tendit igitur naturaliter & per actum primo primum illumque indeliberatum ad bonum ut ſic. Poteſt voluntas alio modo ſpectari, ſcilicet ut libera, quatenus agit per electionem præviam & circa tale bonum in individuo, tunc actus eſt deliberatus & liber. Igitur neceſſitas naturalis & inclinatio generalis ad bonum ut ſic, non tollit libertatem potentiæ; licet enim per actum indeliberatum & ex inclinatione agat, manet tamen potens ad agendum cum deliberatione, ut amet tale vel tale bonum in individuo; ſed ſi neceſſitas inveniretur in actibus qui per electionem ex natura, deliberatione prævia, procedunt, nulla foret libertas, quia nulla foret niſi nomine & voce tenus electio. Primum ſolummodo intendit Divus Thomas, cujus mens ſufficienter in probationibus aperitur & explicatur.

Urgent: idem 2. diſt. 25. q. 1. art. 4. ait: *Liberum arbitrium dicitur eſſe eo quod cogi non poteſt*. Ibidem art. 1. dicit Beatos habere liberam electionem circa viſionem Dei & ipſius amorem, qui tamen actus ſunt neceſſarii. Igitur ex Divo Thoma ad libertatem ſufficit exemptio a coactione.

Reſpondeo, ad primum diſtinguendo: liberum arbitrium dicitur eſſe quod non eſt coactum, ut coactum ſumitur generice & dicit id omne quod non eſt violentum & neceſſitate ligatum: concedo. Nam omnis neceſſitas etiam ſpontanea eſt quædam violentia, ſaltem pro natura libera, ut ſumitur ſolum pro exemptione a violento extrinſeco vim inferente, non conferente paſſo, nego. Loquitur Div. Thom. tantum in primo ſenſu.

Reſpondeo ad ſecundum, 1. Divum Thomam ſolummodo velle viſionem & amorem Dei in Beatis non afferre vim & violentiam, ſed potius ſummum parere gaudium & in eo ſenſu amoris actum eſſe liberum, quia maxime voluntarius eſt; ſiquidem ad Deum tendit anima beata ex pondere & inclinatione tanquam ad centrum. Solent etiam ſancti Doctores explicare voluntarium per vocem illam, liberum, quatenus omne liberum opponitur violento: enimvero omne liberum, eſt voluntarium, ſed non omne voluntarium eſt liberum, ut liberum dicit libertatem formalem.

Reſpondeo 2. ad eandem difficultatem diſtinguendo: Beati habent electionem liberam circa viſionem & amorem Dei ut eſt ratio diligendi creaturas, concedo: in ordine ad ſeipſum, nego. Deus poteſt conſiderari a Beatis dupliciter, primo quidem ut eſt ratio diligendi creaturas quæ ejus dona participant; deinde vero ut eſt ratio ſeipſum diligendi, & quatenus eſt bonum ineffabile, illudque ſummum & infinitum. Beati amant Deum libere in primo ſenſu: nec mirum videri debet, nam amare Deum ut eſt ratio diligendi creaturas, eſt potius amare donum quam donatorem. At vero iidem Deum neceſſario amant, cum eum propter ſe & ut ſummum bonum diligunt. Porro Divus Thomas concedit quidem viſionem Dei intuitivam & ejuſdem amorem eſſe in Beatis actus liberos in prima ſignificatione acceptos, nuſquam vero ſub ſecunda conſideratione & ut immediate ad Deum in ſe viſum terminatur: ſic enim ſunt tantummodo ſpontanei.

Rurſus inſtant: idem 2. q. 6. art. 1. ad 1. *Laus*, inquit, *& vituperium conſequuntur actum voluntarium ſecundum perfectam voluntarii rationem*: ſed perfecta voluntarii ratio, eſt ſpontaneitas. Et probatur: voluntarium eſt magis perfectum in Beatis quam in nobis, quia voluntas melius ac ſuavius conjungitur objecto, &

& tamen eſt neceſſarium reſpectu Dei. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: & illa perfecta ratio voluntarii eſt quod ſit voluntarium liberum per electionem, ideo enim ad ipſum ſequuntur laus & vituperium, juxta illud: *Qui potuit tranſgredi: & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*, concedo: quod ſit voluntarium neceſſitans, ſubdiſtinguo: reſpectu Dei clare viſi, concedo; reſpectu boni creati, nego. Libertas eſt ſumma creaturæ rationalis perfectio, qua ab omni alio libera & immunis dicitur & quanto magis eſt libera ad eligendum, tanto magis eſt domina, quod autem Divus Thomas loquatur de voluntario ſecundum iſtam rationem quam exiſtimat perfectam, patet ex hoc quod addit, *ſecundum perfectam voluntarii rationem quale non invenitur in brutis*. Attamen voluntarium ſpontaneum eſt in illis: igitur S. Doctor loquitur de voluntario libero per electionem, quando loquitur de perfecta ratione voluntarii. Si vero objectum ſit ſummum bonum & perfecte poſſeſſum, tunc voluntarium eſt quid perfectius, ſed illa neceſſitas promanat & ex objecto perfecte ſatiante, & ex plenitudine gratiæ conſummatæ, quæ firmat voluntatem in bono, & ex ipſa voluntate quæ vult amare ſummum bonum tamdiu deſideratum ac tandem poſſeſſum; illa autem neceſſitas, ut patet, non limitatione, ſed ex plenitudine & abundantia fluit.

Cæterum in via perfectius eſt amare libere, quia amor liber viatori convenit, & ſolus eſt meritorius; neceſſitas vero quæ in præſenti ſtatu invenitur, eſt aut violenta, aut imperfectio, quandoquidem ligat voluntatem ad unum per ſervitutem, & non per dominium in actus.

Adhuc inſtant: idem in 3. diſt. 12. q. 2. art. 1. ad 3. ſic loquitur: *Impotentia coactionis quæ opponitur voluntario tollit rationem meriti: non impotentia quæ eſt in perfectione, in bonitate vel malitia, quia hoc voluntarium non tollit, ſed ponit voluntarium confirmatum ad unum*. Igitur ex Divo Thoma ſola coactio opponitur libertati.

Reſpondeo diſtinguendo, ſola coactio opponitur omnimode libertati, concedo: & neceſſitas non opponitur, ſubdiſtinguo: neceſſitas quoad ſpecificationem, concedo: neceſſitas quoad actum in individuo ſpectatum, nego. Coactio eſt ab extrinſeco nihil conferente paſſo, unde omnibus modis humanæ opponitur libertati: non ſic de neceſſitate diſcurrendum: duplex quidem diſtinguitur; una objecti, altera vero actus: prima eſt lex quædam ſingulis indita creaturis rationalibus quærendi beatitudinem in communi, amandi bonum in genere, nuſquam vere appetendi malum quo malum, & vocatur neceſſitas quod ſpecificationem: ſecunda eſt determinatio ad unum actum, ita ut non remaneat potentia alium contrarium eligendi, & eliciendi: neceſſitas objecti libertati non officit; nam etſi homo quærat & amet neceſſario tum beatitudinem, tum bonum in communi, nuſquam tamen hic & nunc in individuo: immo experientia comprobat quotidiana, quoſdam beatitudinem in divitiis, quoſdam in dignitatibus ponere: alios amare bonum apparens, alios vero adhæreret Domino: Divus Thomas autem vult tantum neceſſitatem objecti, ſeu amorem beatitudinis in communi nullum libertati actus & indifferentie afferre impedimentum.

Reſpondeo 2. iterum, ſed aliter diſtinguendo: impotentia ſeu confirmatio in bono vel in malo opponitur cujuſcumque actus libertati, ut coactionem vel neceſſitatem importat, concedo: & Divus Thomas vult actum eſſe dumtaxat voluntarium, nego. Chriſtus etiam viator erat quidem impeccabilis, attamen liber erat libertate contradictionis, poterat enim & quædam facere bona, & ab eiſdem, ſaltem ad tempus abſtinere: at vero homo qui eſt aut coactus, aut ad unum ex neceſſitate determinatur veram profecto non habet libertatem, adeoque ſicut mereri, ſic & demereri non poteſt. Et ſic patet reſponſio ad Divum Thomam.

Ad multarum difficultatum quæ objici poſſunt, ſolutionem, obſervandum eſt, quod, ſi interdum Patres libertatem explicant per ſpontaneitatem, eos de ſpontaneitate in gradu perfecto, & ut habet admixtum ſibi liberum, loqui manifeſtum ſit; omne quippe liberum eſt voluntarium: in hoc ſane ſenſu liberum poteſt definiri, id quod a coactione immune eſt, ſic ſancti Doctores illud quandoque delineant, ſed coactio tunc ſumitur latiſſime, nimirum ut vim, & neceſſitatem importat. Om-

ne

ne liberum eſt ſpontaneum & voluntarium, ſed non e contra.

Argumenta ex ratione deducta diſcutiuntur & diluuntur.

OBJICIUNT: Deus eſt liber ad extra & tamen actus ejus eſt neceſſarius: ergo ſufficit ad libertatem, actum eſſe voluntarium. Probatur antecedens: actus voluntatis Dei, eſt ipſe Deus: igitur eſt neceſſarius, quia tamen eſt ſpontaneus, ideo dicitur & liber.

Reſpondeo, diſtinguendo: actus voluntatis Dei eſt neceſſarius & eminenter liber, concedo: eſt neceſſarius tantum, nego. Si actus ille entitative ſumatur, eſt neceſſarius, quia eſt ipſe Deus; ſi vero conſideretur per ordinem ad creaturas, eſt liber: cum enim Deus non habeat neceſſariam cum eis connexionem, potuit illas creare, vel non creare.

Inſtant: Decretum de condendis creaturis eſt æternum, non enim Deus aliquid novi ſuſcipit in ſua voluntate quando res producuntur: ergo neceſſario illas producit, alias falleretur ejus Providentia.

Reſpondeo, diſtinguendo: eſt æternum ut creatura producatur libere, concedo: ut producatur neceſſario, nego. Primo quidem concipitur Deus eſſe, in ſecundo vero inſtanti concipitur ſe determinare ad creaturas condendas, ſed libere; alias creaturæ quodammodo forent a Deo independentes quoad eſſe; non enim datur electio de iis quæ neceſſario aut fiunt, aut debent fieri.

Opponunt 2. Chriſtus Dominus erat liber ad moriendum, immo & ad amandum Deum Patrem: atqui tamen neque poterat non mori, neque non amare Deum, utpote impeccabilis, etiam ut viator. Deinde erat in via beatus quoad animam, unde & ex hac parte non poterat non amare Deum. Ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguendo: Chriſtus non poterat non mori, quatenus libere acceptaverat mortem, concedo: hoc eſt neceſſitate compulſus mortuus eſt, nego. Cardinalis de Lugo Tractatu de Incarnatione aſſerit quod mortem crucis plurimum ignominioſam Pater Æternus præ ſummo erga nos homines amore ſubeundam propoſuerit Filio ſuo dilectiſſimo, qui & eadem commotus dilectione, cum poſſet non acceptare, ſed leviori Paſſione, immo & aliquo charitatis actu elicito mundum redimere, elegit Martyrium ſupra modum crudele, ut redamare non pigeat, qui tanti noſtram fecit ſalutem, ut etiam pro hoc momento ſuum pretioſum effunderet ſanguinem. Quod quidem innuit Scriptura ſacra dicens: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Igitur erat liber pro morte ſubeunda; ſi qua enim affulget in hoc neceſſitas, eſt tantum hypothetica, & ex propria Chriſti voluntate profluens.

Ad aliud de amoris præcepto, utique diſtinguo: Chriſtus non poterat non amare Patrem, hoc eſt præceptum amoris ſecundum ſe ſpectatum non adimplere, concedo: non enim erat liber libertate contrarietatis propter impeccabilitatem; non poterat non adimplere in tali vel tali circumſtantia, tali vel tali tempore, tali vel tali modo, nego. Præceptum amoris obligat quidem omnes ſub pęna peccati mortalis, ſed cum ſit affirmativum, non obligat pro ſemper: igitur Chriſtus Dominus erat liber libertate contradictionis ad amorem, quatenus poterat ſuum prodere amorem tali vel tali tempore, modo actibus humilitatis, modo etiam orationis & pietatis, alteriuſve virtutis. Ergo non erat liber circa ſubſtantiam præcepti? abſit, quia circumſtantiæ non ſeparantur a præcepto, quandoquidem præceptum appellat ſupra actum in individuo ſeu in concreto; ideſt ſupra amoris actum omnibus veſtitum circumſtantiis.

Objiciunt 3. Illud eſt liberum quod eſt in noſtra poteſtate: ſed actus eo ipſo quo eſt voluntarius & ſpontaneus, jam eſt in noſtra poteſtate. Et probatur: illud eſſe in noſtra poteſtate cenſetur, quod facimus quia volumus: ſed actum elicimus ſpontaneum quia volumus. Ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguendo majorem: illud eſt liberum quod eſt in noſtra poteſtate tum phyſice, tum moraliter, concedo: quod eſt in noſtra poteſtate tantummodo phyſice, nego. Similiter diſtinguo minorem: actus eo ipſo quo eſt voluntarius & ſpontaneus, eſt in noſtra poteſtate phyſice, concedo, moraliter, nego minorem & conſequentiam. Aliquid in noſtra poteſtate eſſe dicitur duplici modo, videlicet phyſice, quatenus a potentia aliqua vitali promanat; moraliter vero, cum ab

Digitized by Google

eadem, prævia electione, producitur; namque voluntatis dominium ſuper actus ſuos penes electionem attenditur, unde eatenus cenſetur libera & ſuorum actuum domina quatenus unum, alio omiſſo, poteſt facere. Porro actus mere voluntarius & ſpontaneus, a voluntate quidem procedit, ſed ut natura, inquit Divus Thomas, minime vero ut libera: hoc eſt ex impetu & neceſſario, & non elective a facultate profluit. Ad probationem, diſtinguo majorem: illud in noſtra poteſtate eſſe cenſetur quod facimus quia volumus voluntate ut libera, concedo: voluntate ut natura & ſine prævia deliberatione, nego. Et ſic diſtincta minore, nego conſequentiam.

Inſtant: libertas eſt ſumma perfectio: ſed poſſe unum præ alio eligere ſapit imperfectionem: & probatur. Hoc ipſum potentialitatem importat: ſed potentialitas magnum arguit defectum. Ergo, &c.

Reſpondeo, negando minorem: ad probationem conceſſa majore, diſtinguo minorem: Potentialitas magnum arguit defectum late ſumptum, ideſt quid Deo minus perfectum, concedo; defectum proprie & in rigore Logico ſumptum, nego. Defectus duplex diſtinguitur; unus lato modo ſumptus, alter vero ſtricte: primus dicit quid finitum, quod quidem comparative ad Deum eſt imperfectum, hoc eſt minus perfectum: ſecundus vero importat alicujus boni privationem; puta ſi aliquis aut oculis, aut uſu rationis careret. Libertas creata, utpote finita, potentialitatem importat; ſed quid mirum? cum nec ſit actus purus, nec ſit de ratione ejus quod ſit ſemper in actu: igitur ejuſmodi potentialitas dicit quid imperfectum primo, ſed non ſecundo modo. Præterea, non eſt de eſſentia libertatis indifferentiæ importare potentialitatem, quandoquidem Deus eſt ad extra liberrimus, & unum præ alio eligit amandum abſque potentialitatis defectu.

Inſiſtunt; amor circa finem ultimum perfectiſſimus eſt, & liber; tamen abſque prævia electione a voluntate promanat: atqui indifferentia actus non eſt de ratione iſtius libertatis: probatur minor. Neceſſario beatitudinem amamus. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Unumquodque propria gaudere perfectione, unde tametſi amor beatitudinis ſit liber libertate tantum a coactione, non inde ſequitur libertatem veram in mere voluntario & ſpontaneo ſitam eſſe; quia alia eſt ratio amoris & propenſionis, alia libertatis. Amor meus, pondus meum, ut fert adagium: ſufficit ad amorem ut ſic, & ſecundum ſe conſideratum quod ſit pondus: at vero de ratione eſſentiali libertatis eſt quod ſit vis electiva.

Reſpondeo 2. diſtinguendo iſtam partem majoris: amor circa finem ultimum eſt liber libertate a coactione, concedo: libertate a neceſſitate, ſubdiſtinguo: amor circa finem ultimum in particulari, concedo: circa finem ultimum in communi, nego. Omnes homines in genere ex impetu naturæ & neceſſario appetunt beatitudinem, voluntas quippe bonum in ſe & in tota latitudine tanquam proprium objectum reſpicit: at vero in particulari, nonniſi prævia electione; quod quidem quotidiana comprobat experientia; quidam enim beatitudinem in divitiis, quidam in gloria mundana, non pauci in voluptatibus etiam obſcænis ponunt, raro admodum homines eam in bonis æternis aut quærunt, aut conſtituunt.

Perſiſtunt: atqui amor beatitudinis tametſi neceſſarius, eſt tamen liber eo ipſo quo eſt voluntarius: ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens. Amor ille eſt magis liber quam actus quo bellua appetit pabulum: ſed actus belluæ ſpontaneus eſt: igitur amor beatitudinis etiam in communi, pluſquam ſpontaneus, ſed liber dicenduus eſt, maxime quia perfecte voluntarius. Igitur aliquid liberum eſt eo ipſo quo voluntarium.

Reſpondeo: negando antecedens: ad probationem, diſtinguo majorem: amor beatitudinis in communi eſt magis liber quam actus quo bellua appetit pabulum, magis radicaliter, concedo: magis formaliter, ſubdiſtinguo, ſecundum quid, concedo: abſolute, nego. Tria impræſentiarum diſtinguenda ſunt, & nuſquam confundenda, videlicet, ſpontaneum, voluntarium, & liberum: primum ab inſtinctu & proprio naturæ ſenſitivæ pondere tendentis in ſuum bonum ad ſui conſervationem, fluit: ſecundum procedit a natura intellectiva & ſpirituali finem ut finem præcognoſcenti: tertium

ab

ab eadem promanat ex prævia electione & mediorum ad finem, & ipſius finis. Spontaneum in belluis invenitur, quatenus ex inſtinctu rapiuntur ad pabulum: voluntarium in ſola natura intelligenti admittendum eſt; illa quippe ſola cognoſcit finem ut finem; unde licet beatitudinem in communi neceſſario appetat, hoc fit tamen ex cognitione finis ut finis, & ideo ejuſmodi actus eſt moralis, quinimmo & radicaliter liber, quatenus profluit a facultate, quæ ponderatis omnibus, bonum aliquod ex omnibus pro ſua beatitudine eligere poteſt: liberum denique formaliter illud ſolum cenſetur, quod ex prævia deliberatione fit. Ex quo patet amorem beatitudinis in communi eſſe magis liberum, quam amorem pabuli in bellua, quia voluntarius eſt; ſed non eſt liber formaliter, quia non fit cum electione.

Adhuc inſtant: intellectus neceſſario aſſentitur concluſioni, & tamen aſſenſus fit prævia electione & ponderatione præmiſſarum: ergo licet voluntas neceſſario velit objectum, nihilominus erit libera.

Reſpondeo, negando paritatem: intellectus enim eſt tantum radicaliter liber, unde non mirum, ſi, propoſita veritate, ſtatim & neceſſario aſſentiatur concluſioni. Sed voluntas eſt formaliter libera, adeoque ſola electiva: ſi igitur ad unum determinaretur, jam non foret libera, quia non eſſet electioni locus. Cæterum neceſſario quidem intellectus aſſentitur concluſioni, ſed ſolum neceſſitate hypothetica, bene ſcilicet diſpoſitis præmiſſis, in quo incipit clareſcere libertas.

Perſiſtunt: colere parentes eſt actus moralis & liber, ſicut & elicere concluſionem Mathematicam de triangulo; ſed hujuſmodi actus ſæpe ſunt mere voluntarii atque neceſſarii: Et probatur. Iſta propoſitio; colendi ſunt parentes; ab omnibus prima apprehenſione & ſine deliberatione concipitur: ſic & Doctor in Mathematicis cognoſcit concluſionem ſine diſcurſu in principio. Ergo, &c.

Reſpondeo, negando hujuſmodi actus eſſe liberos, ſi ſint pure voluntarii: ad probationem nego paritatem: aliud enim eſt cognoſcere aliquam veritatem, aliud operari bonum. Primum eſt actus intellectus qui eſt tantum radicaliter liber, maxime circa prima principia quæ ſunt per ſe nota, unde ex prima apprehenſione cognoſcitur colendos eſſe parentes; item peritus in Mathematicis poteſt videre concluſionem in principio, verum in hypotheſi, tametſi non ſit diſcurſus formalis, eſt tamen virtualis, quatenus ex apprehenſione & cognitione prompta terminorum, Mathematicus infert concluſionem, quandoquidem ſcientifice concludit: igitur illud fit ex diſcurſu virtuali. At vero voluntas eſt formaliter electiva, & ideo ita ponit actum, ut poſſit non ponere; unde quamvis multi naturaliter ſciant colendos eſſe parentes, non tamen illos abſque longa, eaque ſeria deliberatione actu colunt; immo non pauci, ne detrimentum aliquod vel in bonis, vel in dignitatibus incurrant, eoſdem oblivioni dari, tanquam quid melius, obcæcatione voluntaria judicant.

Iterum atque iterum inſtant: ſi indifferentia actus eſt de libertatis eſſentia, ſequitur impios & obduratos qui promiſcue in varia labuntur peccata, ita ut nullis irretiti conſcientiæ ſtimulis lætentur cum malefecerint, non tam graviter quam timoratos peccare; iſti ſiquidem inter bonum & malum hærentes ex infirmitate & repetito Dæmonis impetu tentationi cedunt: ſed abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

Reſpondeo, negando ſequelam propter multa. Primo quidem, ſi impii iniquitatem velut aquam ebibant, hoc ſane ex cæcitate voluntaria ortum habet; & ideo gravius peccant, quatenus abſque timore Dei & ex determinata malitia obediunt paſſionibus, hinc & peccatum eorum eſt grande ſcelus, quandoquidem ibi eſt major Dei contemptus; cæteri vero vel ex infirmitate, vel ex tentationum irruentium impetu prolabuntur in peccata. Secundo ſufficiens deliberatio ineſt impiis, immo quia eſt promptior ut in contemptum Dei ſibi indulgeant, hinc & euormis eſt culpa; indifferentia enim ad libertatem expetita, non attenditur præciſe ſecundum magnum, longumque temporis ſpatium, ſed penes intelligentiam & finis, & mediorum ad finem malum conducentium. Tertio indifferentia non offenſæ cauſa adæquata eſt, ſed contemptus Dei & peccantis motivum influit: quia vero impius Deum præ cæteris peccatoribus procul facit & aſpernatur, ideo gravius peccat: maxime vero quia non præciſe converſionem ad creaturam & vo-

Digitized by Google

& voluptatem quærit, ſicut facit qui ex fragilitate peccat: iſte enim, inquit Divus Thomas, ſolus ſibi indulgere ſatagit, quod, & ſi fieri poſſet abſque offenſa Dei, perficere optaret; verum directe inſurgit adverſus Dominum obcæcatus, juxta illud Job de imperio 15. 26. *Contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adverſus eum erecto collo.* Et iterum alia Scriptura Pſal. 35. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Et adhuc de obduratis Pſ. 13. 3. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia activa.

PRIMO. Hoc ſequitur ex omnibus Scripturæ locis quibus aſtruitur potentia ad bonum & malum, uno aut altero relicto, faciendum juxta illud Eccli. 31. 10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Rurſus 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.*

Secundo, Hoc ipſum prædicat S. Auguſtinus l. 1. de actis cum Felice Manichæo c. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor mala.* Divus Thomas q. 6. de malo art. unico contrariæ opinioni hæreſeos labem inurere non dubitat.

Tertio, In tantum voluntas eſt libera, in quantum eſt ſuorum actuum Domina: ſed eſt Domina, quatenus unum, altero relicto, poteſt elicere: igitur libertas eſſentialiter conſiſtit in indifferentia activa; nihil quippe aliud eſt, quam vis electiva, ſeu potentia quæ ad oppoſita pro nutu voluntatis verſatur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO, Non ſemel Divus Auguſtinus & Divus Thomas voluntarium confundunt cum libero, ſed nuſquam liberum cum ſpontaneo. Cæterum omne liberum eſt voluntarium, ſed non e contra.

Secundo, Angelicus Doctor quandoque dicit neceſſitatem libero non opponi, ſed vel loquitur de Actibus primo primis, qui libertatem potentiæ non auferunt: poteſt enim anima ad ſe redire, & per electionem agere; vel de neceſſitate finis; omnis quippe beatitudinem in communi neceſſario appetit: at manet libertas ad actum in individuo, cujus rei certiſſimum & irrefragabile argumentum illud eſt, quod alii beatitudinem in divitiis, alii in voluptatibus, pauci admodum in Deo conſtituant: igitur homo liber eſt libertate actus.

Tertio, Chriſtus utique habebat libertatem actus & circa mortem ſubeundam, hanc quippe libere acceptavit; & circa amorem Patris, eum enim hoc vel uno modo, tali vel tali tempore producebat: igitur erat liber, non quidem libertate contrarietatis, bene tamen contradictionis.

Quarto, Non negamus obduratum minus quam alium in peccando hærere, quia tamen iſta perverſa facilitas ex iteratis peccatis promanat, ideo & gravius peccat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum libertas creata ſtet cum divina præſcientia?

CONCLUSIO.

Stat libertas humana & quævis creata cum præſcientia divina, & eſt de fide.

Probatur auctoritate & ratione.

Primo, *Ex ſcriptura ſacra.*

1. HOC ipſum conſtat ex omnibus locis quibus probatum eſt hominem eſſe liberum, Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* & 1. Cor. 7. de eo qui poteſt nubere vel non nubere: *Poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Sed Deus præſcit quod eſt in homine; ſi igitur homo eſt liber, ſi ex Tridentina Synodo ſub ipſo gratiæ dominio poteſt diſſentire vel conſentire, ſequitur præſcientiam non tollere libertatem: tum quia attingit objectum ut eſt; tum quia Deus cognoſcit hominem eo modo quo eſt homo, ſcilicet liber: igitur præſcientia divina non tollit libertatem, ſed cum ea ſtat & conſociatur.

2. *Sapientia divina*, ad quam pertinet omnem ordinare univerſum, cuncta attingit a fine uſque ad finem, & diſponit omnia ſuaviter, ut legitur Sap. 8. 1. Sed iſta ſuavitas in eo potiſſimum conſiſtit quod regat & moveat omnes creaturas conformiter earum naturæ, videlicet cauſam neceſſariam, neceſſario; liberam vero, libere: igitur non tollit libertatem. Iſta expoſitio eſt Divi Thomæ qui 1. p. q. 19. art. 8. ſic loquitur: *Cum igitur voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult*. & ad 2. *Ex hoc ipſo quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolum fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter, vel neceſſario quæ fieri vult.*

3. *Apoſtolus* aſſerit non ſolum ſibi, ſed & his qui diligunt adventum Domini, coronam juſtitiæ deberi: ſed opus meritorium eſt opus liberum, Deus vero præſcit illud ut a voluntate creata libere promanat: igitur cum præſcientia Dei noſtros attingat actus eo modo quo fieri debent, movendo cauſas liberas libere, ſequitur eam cum libero arbitrio optime conſociari. Etvero, ſi tolleretur libertas quia Deus opus a creatura faciendum præſcit, cum cuncta præſciat, nullum foret liberum in homine arbitrium, cujus tamen contrarium non ſemel in Conciliis, maxime in Tridentino de fide definitum eſt.

Secundo, *Ex Patribus*.

Origenes primus nobis occurrit lib. 6. de præp. pag. 169. " Non enim ex eo quod ,, cognitum eſt, fit illud, ſed quoniam ,, futurum erat, eſt cognitum . . . . di- ,, ſtinctione illic opus eſſe dixit. ,, Nam ſi quod dicitur omnino eſſe futurum, ſic interpretatur aliquis, ut neceſſe ſit fieri, quod præſcitum ſit, hoc illi non concedimus: " Neque enim dicimus, quandoqui- ,, dem præſcitum erat proditorem fore ,, Judam, prorſus neceſſe fuiſſe, uti Ju- ,, das eſſet proditor ... Sin ita quiſpiam ,, narrat, omnino illud fore, hoc ipſum ,, ſignificans, iſta ipſa ſic futura, ut ta- ,, men aliter habere potuerint, id nos ,, tanquam verum admittimus: nam Deus ,, mentiri nullo modo poteſt; poteſt de ,, iis quæ contingentia ſunt, ut fieri vel ,, non fieri poſſint, cognoſcere, futura ,, ipſa vel non futura. ,, Conſociat Origenes libertatem cum præſcientia, aſſerendo ſcientiam Dei non eſſe adæquatam rerum cauſam, eaſque Deum non ſolum in decreto cognoſcere, ſed & in ideis, & in æternitate, & in ipſis cauſis ſecundis, quarum præſcit actiones & motus; immo præſcit peccata: nullus tamen præter impios eum eſſe peccati auctorem dicet: igitur ex Origene præſcientia libertati non adverſatur.

S. Hieronymus eodem principio libertatem cum præſcientia componit: namque in Comment. in cap. 2. Ezech. explicans illa verba: *Si forte vel ipſi audiant*, cap. 26. ait: " Loquitur hæc Deus ambigen- ,, tis affectu, ut liberum hominis mon- ,, ſtret arbitrium, ne præſcientia futuro- ,, rum mali vel boni, immutabile fiat quod ,, Deus futurum noverit. Non enim quia ,, ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt nos ,, facere quod ille præſcivit, ſed quod nos ,, propria voluntate ſumus facturi, ille no- ,, vit futurum quaſi Deus. ,,

Auguſtinus eodem modo explanat libertatem ſub dominio præſcientiæ l. de unitate Eccleſiæ cap. 9. " Quis dubitaverit ,, quod Judas Chriſtum, ſi voluiſſet, non ,, utique tradidiſſet? & Petrus ſi voluiſ- ,, ſet, ter Dominum non negaſſet? Sed ,, ideo fuit de iſtis certa prædictio, quia ,, & Deus facili præclaroque exemplo ex- ,, plicat myſterium. Sicut, *inquit*, non ,, ſibi adverſantur hæc duo, ut tu præ- ,, ſcientia tua noveris, quod alius ſua vo- ,, luntate facturus eſt, ita Deus neminem ,, ad peccatum cogens, prævidet tamen ,, eos qui propria voluntate peccabunt: ,, & ſicut tu memoria tua non cogis fa- ,, cta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus ,, præſcientia ſua, non cogit facienda quæ ,, futura ſunt. ,,

Anſelmus librum integrum conſcripſit de concordia libertatis cum præſcientia divina, ubi variis, miriſque modis rem totam explicat his verbis: " Si quis intel- ,, lectum Verbi proprie conſiderat, hoc ,, ipſo, quod præſciri aliquid dicitur, ,, futurum eſſe prænuntiari. Non enim ,, quod futurum eſt, præſcitur; quia ſcien- ,, tia non eſt niſi veritatis. Quare cum ,, dico, quia ſi præſcit aliquid, illud fu- ,, turum eſſe neceſſe eſt, idem eſt, ac ſi ,, dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit. ,,

Gau-

Gaudentius Brixianus ultro aſtipulatur, Tractatu 3. de Paſch. " Synagoga, *inquit*, " quippe Judæorum quod erat crudeliter " factura, prædictum eſt, non ut fieret " juſſum eſt: nec ideo factum eſt, quia " prædictum erat, ſed ideo prædictum " eſt, quia erat futurum: ut præſcien- " tiam ſuam Deus in his quæ per liber- " tatem arbitrii hominum futura erant, " oſtenderet. " Igitur nihil derogatur libero arbitrio per præſcientiam, quandoquidem præſcire nihil aliud eſt, quam præcognoſcere quæ ſunt in corde hominis, nulla facta violentia.

Boetius l. de Conſol. Philoſophiæ, Proſa 3. 4. 5. & 6. ſuccinit: " Deus ea fu- " tura quæ ex arbitrii libertate prove- " niunt, præſentia contuetur. Hæc igi- " tur ad intuitum relata divinum, neceſ- " ſaria fiunt per conditionem divinæ no- " tionis: per ſe vero conſiderata, & ab- " ſoluta naturæ ſuæ libertate non defi- " ciunt. "

D. Thom. 3. contra Gent. eandem veritatem ſuo munit calculo, c. 94. " Ad pri- " mum, *inquit*, quod effectus divinæ Pro- " videntiæ, non ſolum eſt aliquid eveni- " re quocumque modo, ſed aliquid eveni- " re vel contingenter vel neceſſario, & " ideo evenit infallibiliter & neceſſario " & evenit contingenter & libere: ſed " divinæ Providentiæ ratio habet, ut con- " tingenter & libere eveniat. " Quibus verbis docet præſcientiam non ſolum non tollere libertatem, ſed & Providentiam eſſe ſpecialem ut conſervetur.

Seneca ipſe licet Paganus refellit Philoſophos admittentes fatum; quinimmo lucuлентiſſime probat libertatem hominis intactam manere ſub dominio divini Numinis l. 2. naturalium quæſtionum c. 37. & 38. ſic eorum argumento ſatisfacit: " Quædam " a Diis immortalibus ita ſuſpenſa relicta " ſunt, ut ad bonum vertant ſi admotæ " preces fuerint, &c. " Supponit igitur poſtulata poſſe eſſe & non eſſe, adeoque eſſe libera.

Tertio, *Ex ratione multiplici*.

PRIMA ſic exponitur: eſt de fide hominem eſſe liberum; ergo præſcientia libertati non nocet: alias nullo modo foret verum dicere hominem liberum.

Secunda hæc eſt: Deus non ſemel per Prophetas revelavit futura, nec tamen ulla vis, ullaque impoſita eſt hominibus agendi neceſſitas: quinimmo eorum contra monita ſalutis pluries celebrat libertatem: ſic Salomon abiit poſt mulieres alienigenas, tametſi prædixiſſet Dominus quod averterent corda filiorum Iſrael ut illarum colerent deos conflatiles: ſic Achab accepit a Michæa funeſtum belli futurum exitum, & tamen non obſtante præſcientia, voluit committere cum Rege Syriæ prælium, ſed ſagitta ducta in incertum confoſſus obiit & periit. Igitur ſub præſcientia Dei ſtat ubique hominis libertas.

Tertia: cognitio rei præſentis, quæ omnium oculis ſubeſt, non tollit libertatem: etvero quis mentis ſuæ compos dicet Petrum videntem Jacobum evidenti vitæ periculo ſe committentem, vim aliquam iſti inferre ut ſe occidat, ex hoc ſolum quod illum manus violentas ſibi afferentem intueatur? Igitur præſcientia, qua Deus cuncta novit ab æterno, non lædit libertatem.

Quarta, eaque demonſtrativa eſt: datur in hac vita exhortationis & correptionis locus, quod, ſi quis negaret, quotidiana experientia cito vinceretur & damnaretur, cum non ſemel videamus permultos ad meliorem vitæ frugem, tum promiſſis, tum comminationibus, tum etiam pœnis quandoque pro peccato juſte inflictis provocari & redire: ſed ſi præſcientia tolleret libertatem, nullus daretur exhortationis & correptionis locus; ad quid enim tot repetitæ in Scripturis increpationes? ad quid repetita flagella ut ad cor redeat Jeruſalem? ſi abſque conſilio & omni ſecluſa deliberatione, homo aut vi, aut virtute quadam ſuperioris agentis compellatur, modo ad bonum, modo etiam ad malum: quæ cum ita ſint, dicendum eſt libertatem ſub dominio præſcientiæ divinæ integram permanere.

Quinta, ex Conciliis in ſuperiori articulo citatis: liberum arbitrium etiam a gratia divina motum, poteſt pro nutu ad unam vel alteram partem flecti: ſed ex eiſdem Conciliis Deus omnia prænoſcit, quia eſt, & in natura, & in cognitione incommutabilis; ſi quid vero novi in tempore cognoſceret, quod ab æterno ipſum latuiſſet, certe mutaretur: igitur præſcientia non nocet libertati; ſed iſta manet cum illa.

Sexta : præſcientia Dei ſecundum ſe eſt mere ſpeculativa, & practica ſolum per adjunctionem voluntatis, ut dictum eſt in præcedentibus : ſed ex neutro capite advenit libertati vis & violentia. Et probatur : Non advenit quidem ex parte ſcientiæ ſecundum ſe conſideratæ, quia cum ſit mere ſpeculativa ut ſic, ſolum attingit res ut ſunt, eaque ita intuetur Deus : neque vero advenit ex parte voluntatis divinæ, quandoquidem Deus vult homines libertate donari, immo omnis libertas a voluntate divina ut a primo libero promanat. Hanc rationem egregie explanat Boetius l. 5. de conſol. Philoſophiæ, Proſa 6. *Hæc enim ſcientiæ vis præſentaria notione cuncta complectens ; rebus modum omnibus ipſa conſtituit*. Igitur præſcientia non nocet libertati humanæ.

Fit ſatis objectionibus Proteſtantium.

OBJICIUNT. Joan. 12. habetur de Judæis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excæcavit oculos eorum*. Sed ideo Deus excæcavit, quia præſcivit peccata quæ voluit punire ; igitur præſcientia eſt cauſa excæcationis & ratio cur Judæi non poterant credere.

Reſpondeo 1. nullam ibi fieri mentionem de præſcientia : igitur nihil adverſum libertati debet in illam ut in cauſam, refundi : ſequitur ſolummodo Deum prænoviſſe ſcelera Judæorum, minime vero vim intuliſſe eorum voluntati, alias videretur eſſe auctor peccati, quod eſt dictum impium.

Reſpondeo 2. diſtinguendo : Judæi non poterant credere, ideſt hoc difficile erat propter duritiam cordis, concedo : hoc erat impoſſibile, nego. Dicitur autem quod excæcaverit eos Deus, non quidem poſitive, peccatum enim non habet cauſam efficientem, ſed permittendo magis ac magis illos ruere in peccata, quod quidem prævidit Dominus, ſed non præſciendo influxit. Etvero Propheta eodem ſenſu dicit Judæos obcæcatos quo Joan. 5. dicuntur non credere, ſcilicet propter malitiam & ſuperbiam. *Quomodo*, inquit Chriſtus eis, *vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?*

Opponunt 2. Aug. in Pſal. 106. n. 4. dide quibuſdam peccatoribus : " Si forte noſtri ſunt in occulta præſcientia „ Dei, neceſſe eſt ut redeant. „ Quibus verbis videtur innuere præſcita a Deo neceſſario evenire : idem Ench. c. 103. n. 27. " Et ideo ſit rogandus ut velit, „ quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit. „

Reſpondeo diſtinguendo : aliquid ſi eſt in præſcientia, neceſſe eſt fieri neceſſitate conſequentiæ & hypothetica, concedo : neceſſitate antecedenti & abſoluta, nego. Duplex diſtinguitur neceſſitas, una antecedens & intrinſeca rei, quæ dicitur naturalis, quæque competit alicui ex natura ſua, ſic competit ſoli lucere, & igni urere, namque ejuſmodi entia ſunt de ſe ad unum determinata : alia conſequentiæ & hypothetica, & convenit rei, facta aliqua ſuppoſitione, v. g. ſi Petrus ambulat, ſequitur quod ſe moveat. Talis eſt in facto neceſſitas, ſi enim Deus præſcit aliquid, ſequitur futurum eſſe & quidem propter duo. Primo quidem quia Deus prænoſcit cauſarum ſecundarum actus ab æterno, eo modo quo ſunt in tempore futuri : ſecundo, quia præſcientia falli non poteſt ; ſed hæc neceſſitas, ut patet, non lædit libertatem, immo ſupponit. Solutio eſt Divi Anſelmi qui in lib. de concordia libertatis cum præſcientia, ſic reſpondet ad difficultatem : " Cum dico quia ſi „ præſcit aliquid, neceſſe eſt illud eſſe „ futurum, idem eſſe ac ſi dicam, ſi erit, „ ex neceſſitate erit .... rei poſitionem „ non præcedit, & idem valet ac ſi pro„ nuntietur, quod erit, ex neceſſitate „ erit. Non enim aliud ſignificat hic ne„ ceſſitas, niſi quia quod erit, non pote„ rit ſimul non eſſe. „ Unde, &c.

Reſpondeo 2. ad illud & alia ſimilia argumenta, diſtinguendo : quod eſt præſcitum neceſſario evenit, & non poteſt non eſſe, in ſenſu compoſito, concedo : in ſenſu diviſo, nego. Senſus compoſitus ille eſt qui dicit ſimul actum, & non actum. Diviſus qui dicit alterutrum. Certum eſt idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe, ſed quod fit a creatura, poteſt non fieri ſeu potius potuit non fieri.

Ad ſecundum Auguſtini locum, dico nihil urgere contra nos. Primo quidem quia de præſcientia Dei non procedit, ſed potius de ejus voluntate. 2. Dicit ſanctus Doctor rogandum eſſe Deum ut velit. Igitur res poteſt ex ſancto Auguſtino, Deo volente, aliter atque aliter ſe habere. 3. Teſte S. Doctore Deus finit

crea-

creaturas agere juxta modum ſibi proprium. Ita l. de Civ. c. 30. " Sic Deus,
,, *inquit*, adminiſtrat omnia quæ creavit,
,, ut etiam proprios exercere & agere
,, motus ſinat, ideſt ut ſecundas cauſas
,, ab agendo non impediat, neque pro-
,, prium ac naturalem modum agendi ea-
,, rum tollat, ſed magis in eis ſecundum
,, ipſorum naturas quas eis attribuit, ope-
,, retur.

Jam in forma reſpondeo diſtiuguendo: ſi Deus aliquid velit, hoc ipſum neceſſe erit neceſſitate conſequentiæ, concedo: eatenus enim vult creaturam agere, ſi hoc ipſa expoſtulat, quatenus vult concurrere ad actionem cauſarum ſecundarum juxta earum exigentiam: hinc ſequitur, ſi Deus vult, neceſſe erit, quandoquidem vult, cum ipſa creatura pro innata libertate elegit agere. Si Deus voluerit, neceſſe erit neceſſitate abſoluta, nego. S. Doctor l. de dono perſ. c, 15. n. 38. hanc ſibi proponit difficultatem, & ſic reſpondet: " Numquid enim ſi hoc audito non-
,, nulli in torporem, ſegnitiemque ver-
,, tantur & a labore proclives ad libidi-
,, nem poſt concupiſcentias ſuas erunt,
,, propterea de præſcientia Dei falſum
,, putandum eſt eſſe, quod dictum eſt?
,, Nonne ſi Deus illos bonos futuros eſſe
,, præſcivit, boni erunt, in quantalibet
,, nunc malignitate verſantur: ſi autem
,, malos, mali erunt; in quantalibet nunc
,, bonitate cernantur? ,, Vult S. Præſul præſcientiam non lædere libertatem, quia Deus præſcit res eo prorſus modo quo ab hominibus libere agentibus ſunt faciendæ.

Objiciunt 3. Quod eſt æternum, immutabile eſt; æternitas quippe viciſſitudinem neſcit: ſed Deus ab æterno cuncta præſcit futura: igitur ſub præſcientia Dei omnia ſunt immutabilia, nulla vero libera.

Reſpondeo diſtinguendo: quod eſt æternum eſſentialiter immutabile eſt, concedo: quod eſt tale ſolummodo per participationem, nego. Deus ſolus, utpote ens a ſe, æternus eſt primo modo: cætera tantum per participationem, & ut diſerte ait Divus Thomas hic q. 14. Deus ab æterno voluit ut futurum promanaret libere & contingenter a cauſa libera; unde cum dicitur quod eſt ab æterno præſcitum, eſt utique æternum, ſic diſtinguitur; eſt æternum æternitate propoſitionis & enunciationis, concedo: æternitate ſibi naturali & intrinſeca, nego. Soli Deo convenit æternitas intrinſeca, qui quidem ideo ens neceſſarium vocatur. Porro æternitas participata quæ convenit rei ratione cauſæ primæ a qua dependet in eſſe, vocatur æternitas propoſitionis ſeu enuntiationis, quæ quidem dicitur de rebus dupliciter: primo quatenus participant eſſe a Deo, & ſub iſto reſpectu divinæ eſſentiæ participationes nominantur: in hoc ſenſu verum eſt dicere iſtam propoſitionem; homo eſt rationalis, eſſe æternæ veritatis, quia ab æterno verum eſt dicere eſſentiam divinam eſſe hoc modo participabilem: hæc igitur propoſitio eſt neceſſaria ſimpliciter, licet habeatur per participationem, neceſſitas enim appellat ſupra Dei eſſentiam, neceſſario & ex ſe participabilem: alio modo dicitur propoſitio æternæ veritatis, in quantum res enunciata habet exiſtentiam & eſt a parte rei per cauſam primam, eamque æternam. Hæc propoſitio utique eſt ab æterno vera, ſed ſolum hypothetice & ſuppoſita cauſæ ſecundæ liberæ determinatione: Deus iſtam, v. g. ſi Chriſtus reſpiciat Petrum, iſte flebit amare: præſcit: igitur æternitas præſcientiæ, de qua impræſentiarum agitur, nullam inducit in rebus neceſſitatem, quippe quæ ſupponat effectus libere a cauſis ſecundis prodeuntes: enimvero intuitus Dei æternus eo modo fertur in res quo faciendæ ſunt in tempore. Solutio eſt Auguſtini & Anſelmi.

Primus l. 3. de lib. arb. c. 3. ſic loquitur: " Quomodo non poteſt aliud fie-
,, ri quam præſcivit Deus, ſi voluntas
,, non erit, quam voluntatem futuram il-
,, le præſciverit? cum enim ſit præſcius
,, voluntatis noſtræ, cujus eſt præſcius,
,, ipſa erit; voluntas ergo erit, quia vo-
,, luntatis eſt præſcius, nec voluntas eſſe
,, poterit, ſi in poteſtate non erit. Ergo
,, & poteſtatis eſt præſcius; non igitur per
,, ejus præſcientiam mihi poteſtas adimi-
,, tur, quæ præterea mihi certior aderit,
,, quia ille, cujus præſcientia non falli-
,, tur, adfuturam mihi eſſe præſcivit. ,,
Ibi docet Auguſtinus ideo Deum præſcire aliquid futurum, quia præſcit noſtram voluntatem, quia præſcit actus noſtros in noſtra eſſe poteſtate, quia omnia videt & intuetur: igitur abſque libertatis detrimento

illud

illud contiugit ; ſiquidem præſcientia attingit res ut ſuturæ ſunt in ſua natura .

Secundus in l. de concordia libert. cum præſc. dicit ideo libertatem non offendi per præſcientiam , quia præſcientia res in æternitate intuetur , quæ quidem æternitas omnia repræſentat tempora ut præſentia ; ait enim : “ Vim illam æternita-
,, tis quæ claudit omne tempus , & quæ
,, ſunt in quolibet tempore , facere ut præ-
,, ſcientia Dei & liberum arbitrium ne-
,, quaquam invicem repugnent . ,,

Inſtant : præſcientia fundatur in decreto : ſed decretum eſt in ſe æternum & abſolute evenit ; eſt enim actus voluntatis Dei , actus autem Dei eſt neceſſarius eſſentialiter : igitur & futurum ad quod terminatur decretum , tale eſſe debet .

Reſpondet Eſtius diſt. 38. §. 7. decretum de contingentibus non eſſe æternum , niſi ſecundum quid , & ratione entitatis , non formaliter ; quia , inquit , dicit aliquid rationis , connotationem ſcilicet creaturæ immutandæ in tempore . Immo ſuppoſito quod mundus eſſet ab æterno , adhuc , inquit , non eſſet ex neceſſitate , quia potuiſſet Deus illum non condere.

Reſpondeo 2. diſtinguendo : decretum eſt ens neceſſarium entitative , concedo : eſt enim ipſa Dei entitas , cum quidquid eſt in Deo , Deus ſit : decretum eſt ens neceſſarium formaliter , nego . Sub iſta quippe conſideratione connotat creaturas in tempore producendas , & ideo eſt quid liberum . Cæterum Deus ſinit creaturam agere ſuæ conformiter naturæ : igitur homines manent ſemper ſub dominio præſcientiæ liberrimi .

Rurſus inſtant : quod Deus prævidit , certo evenit , alias falleretur præſcientia : igitur præſcientia cum libertate non conſociatur .

Reſpondeo diſtinguendo : certo evenit quod Deus prævidit certitudine abſoluta appellante ſupra præſcientiam , concedo : ſupra creaturam agentem , nego . Senſus eſt , quod præſcit Deus , neceſſario evenit , ſiquidem præſcit rem ut in tempore a cauſa ſecunda libere faciendam , quia vero præſcientia non poteſt falli , ideo evenit , ſed libere ex parte agentis creati . Etvero effectus non ſpecificatur a cauſa prima , ſed a cauſa ſecunda , quæ ſi ſit contingens , etiam eventus erit & contingens . Ita Div. Anſelmus in l. de concordia libertatis cum præſcientia ubi ſic ſolvit argumentum : “ Porro ſicut quam-
,, vis in æternitate non fuit , aut erit ali-
,, quid , ſed tantum eſt , & tamen in tem-
,, pore fuit , & erit aliquid ſine repugnan-
,, tia : ita quod in æternitate mutari ne-
,, quit , in tempore aliquando per liberam
,, voluntatem , antequam ſit , eſſe mutabi-
,, le probatur , abſque inconvenientia . ,,

Boetius l. 5. de conſol. Philoſoph. Proſa 3. 4. 5. & 6. eandem ſibi proponit difficultatem his verbis : “ Quod eventurum
,, Deus videt , id non evenire non po-
,, teſt ; quod autem non poteſt non eveni-
,, re , hoc ex neceſſitate contingit . Cui
,, argumento ſic reſpondet : “ Idem ſutu-
,, rum cum ad divinam notionem refer-
,, tur , neceſſarium ; cum vero in ſui na-
,, tura perpenditur , liberum prorſus , at-
,, que abſolutum videri . Duæ ſunt enim
,, neceſſitates : ſimplex una : veluti quod
,, neceſſe eſt omnes homines eſſe morta-
,, les : altera conditionis , ut ſi aliquem
,, ambulare ſcias , eum ambulare neceſſe
,, eſt ; quod enim quiſque novit , id eſſe
,, aliter , ac notum eſt , nequit . Sed hæc
,, conditio minime ſecum illam ſimpli-
,, cem trahit , hanc enim neceſſitatem non
,, propria facit natura , ſed conditionis ad-
,, jectio . Nulla enim neceſſitas cogit in-
,, cedere voluntarie gradientem ; quam-
,, vis eum tamen , cum graditur , ince-
,, dere neceſſarium ſit . Eodem igitur mo-
,, do ſi quid Providentiæ præſens eſſet ,
,, id eſſe neceſſe eſt , tametſi nullam ha-
,, beat naturæ neceſſitatem : atqui Deus
,, ea futura , quæ ex arbitrii libertate pro-
,, veniunt , præſentia contuetur . Hæc igi-
,, tur ad intuitum relata divinum neceſſa-
,, ria fiunt per conditionem divinæ notio-
,, nis : per ſe vero conſiderata , ab abſo-
,, luta naturæ ſuæ libertate non deſi-
,, ciunt . ,,

Inſiſtunt : poſſibili poſito in actu non ſequitur abſurdum : ſed ſi ſutura contingentia prævisa ut contingentia , aliter evenirent quam ſunt prævisa , ſequeretur abſurdum , quod ſcilicet , ut jam dictum eſt , ſcientia Dei ſalleretur : Igitur ſutura contingentia ſunt neceſſaria ſub intuitu præſcientiæ etiam ex parte ſui ; alias poſſent de facto aliter evenire , ſicut convenit & expedit rei contingenti .

Reſpondeo diſtinguendo : poſſibili poſito in actu non ſequitur abſurdum , ſi ponatur

eo

eo modo quo eſt poſſibile, concedo: alio modo, nego. Effectus contingens poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicet per ordinem ad cauſam ſecundam, & per ordinem ad cauſam primam. Primo modo poteſt non eſſe, quia cauſa ſecunda eſt libera ad agendum & non agendum; ſecundo modo, neceſſario quidem evenit, ſed neceſſitate ſolum conſequentiæ, quatenus cauſa prima illum prævidet & intuetur ut futurum eſt in cauſa ſecunda libere agente, unde hanc reddit propoſitionem ſub conditione veram, ſi Petrus, v. g. libere pœnitentiam agat, Deus ſcit & ab æterno videt, quod libere agendo flebit amare peccatum. Ita Auguſt. qui dicit Deum etiam præſcire & voluntates humanas, & ea quæ in eis ſunt. Ita Boetius qui loco mox laudato aſſerit neceſſitatem eſſe tantum conſequentiæ, & in ſenſu compoſito, poſſibile autem numqvam poni in actu implicante.

Rurſus inſtant: objectum nondum habet determinatam veritatem cum præſcitur, alias non eſſet contingens: ergo debet poſſe actu non evenire ut maneat libertas.

Reſpondeo diſtinguendo: objectum non habet determinatam in ſe veritatem, concedo: quia nondum eſt, & cauſa ſecunda non eſt utique determinata, & ideo eſt perfecte contingens. Non habet in cauſa ſuperiori, nego. Cum igitur omnia in tempore facienda, ſint in æternitate præſentia, ſequitur Deum ea intueri & ſcire; & hoc abſque libertatis offenſa, quia ut non ſemel dictum eſt præſcit quomodo cauſa ſecunda ſe determinabit, & ad quid. Unde eatenus præcognoſcit eventum, quatenus præſcit quomodo erit, & in ſe & in cauſa ſecunda.

Objiciunt 4. Ex cauſæ ſecundæ dependentia a cauſa prima ſequitur fatum: ſed fatum tollit libertatem: igitur & præſcientia. Probatur ſequela majoris. Fatum eſt ſeries quædam cauſarum inter ſe & ordinatio quam nullus tranſgredi poteſt, ita ut, poſita diſpoſitione cauſarum, ſequatur neceſſario effectus: ſed poſita per præſcientiam ordinatione cauſæ primæ ad cauſam ſecundam, cauſæ ſecundæ ad effectum, & utriuſque ad cauſam primam, ſequitur neceſſario effectus: ergo & fatum.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo: fatum eſt ſeries cauſarum inter ſe connexarum ab extrinſecis cauſis ad unum determinatis, concedo: connexarum a prima cauſa quæ attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter & diſponit ſuaviter, nego. Duplex eſt ſeries & ordo cauſarum, una a conſtellationibus effectum ex neceſſitate producentibus, quatenus ſidera ad unum ſunt determinata, & quoſdam producunt effectus ſublunares determinatos, v. g. in plantis: porro Ethnici putabant aſtra eodem modo influere in actus humanos, unde ex eis vitæ ſeriem aut fauſtam, aut infauſtam ſequi arbitrabantur; profecto ſeries iſta vocatur & fatum libertatem perimens. Alter eſt cauſarum ordo primæ ſcilicet cauſæ a qua omnis libertas emanat, quæque non ſolum cauſarum ſecundarum efficientiam non impedit, ſed prævenit & adjuvando & dando liberum exercitium; prævidens quidem omnia, ſed ut ſunt in ipſis hominum voluntatibus libere agentibus. Talis eſt mirabilis ordo Providentiæ: igitur præſcientia non inducit fatum.

" Abſit, *inquit Greg. hom.* 10. *in Evangelia*, a fidelium cordibus, ut aliquid
" eſſe fatum dicant. Vitam quippe ho-
" minum ſolus hanc conditor, qui crea-
" vit, adminiſtrat, neque enim propter
" ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homi-
" nem factæ ſunt, & ſi ſtella fatum ho-
" minis dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſu-
" beſſe homo perhibetur. " Ordo igitur & ſubordinatio cauſarum ſecundarum cum prima, non eſt fatum, ſed Providentiæ mirabilis effectus. " Si quis tamen, *inquit Aug. l.* 2. *contra duas Epiſt. Pelag.*
" *c.* 5. hoc modo intelligat fatum, ſen-
" tentiam teneat, linguam corrigat &
" non dicat fatum, ſed Providentiam
" Dei. " Cæterum ſi qua reperitur neceſſitas, eſt ſolummodo neceſſitas conſequentiæ & hypothetica.

Urgent: ideo fatum ethnicum perimit libertatem, quia eſt cauſarum ordinatio immobilis quam nullus poteſt impedire: ſed ordinatio cauſarum ſecundarum cum prima eſt utique immobilis, immo ita a prima cauſa dependens, ut nullus hominum eam poſſit impedire, unde Eſther 13. 9. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati ejus*. Ergo hæc ordinatio inducit fatum.

Reſpondeo diſtinguendo: quia eſt immobilis abſolute & ex omni parte, concedo: quia eſt immobilis tantummodo ſecun-

cundum quid & hypothetice, nego. Similiter & diſtingno minorem: ordinatio cauſarum ſecundarum cum prima eſt immobilis ſecundum quid & hypothetice, concedo: abſolute, nego. Fatum inducit neceſſitatem abſolutam quatenus a cauſis neceſſariis ad unum determinatis, videlicet a ſtellis promanare cenſetur. Verum Deus eſt cauſa quidem univerſalis, ſed infinite perfecta, hinc ab illo ſunt & naturæ rerum, & modus agendi cuilibet connaturalis. Igitur immobilitas Providentiæ quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, ex cognitionis univerſalitate procedit & ortum habet; præſcit enim Deus non ſolum actus liberos, verum etiam & modum quo ipſi actus a cauſa libera producuntur. Quia vero Deus vult cauſas ſecundas libere agere, ideo fit & ſemper adimpletur ejus voluntas, in bonis quidem poſitiva, in malis vero permiſſiva.

Divus Thomas, 1. p. q. 116. art. 3. hanc ſuavem Dei ordinationem egregie explanat, his verbis: " Dicendum, *inquit*, quod „ fatum ſecundum conſiderationem cauſa- „ rum ſecundarum mobile eſt, ſecun- „ dum quod ſubeſt divinæ Providentiæ, „ immobilitatem ſortitur, non quidem ab- „ ſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ, „ ſecundum quod dicimus hanc conditio- „ nem eſſe veram, ſi Deus præſcivit, „ hoc futurum erit. Unde cum Boetius „ dixiſſet fati ſeriem eſſe mobilem, poſt „ pauca ſubdit, quæ tamen ab immobilis „ Providentiæ proficiſcatur exordiis, ipſam- „ que immutabilem eſſe neceſſe eſt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Libertas humana optime cum præſcientia Dei conſociatur.

PRIMO, hoc ipſum paſſim divinæ teſtantur paginæ: cum hominem liberum eſſe ad bonum & malum faciendum aſſerunt, juxta illud de homine juſto pronuntiatum: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.*

Secundo, hoc idem incunctanter & docent & prædicant SS. Patres, Origenes l. 6. de principiis pag. 169. Hieronymus in cap. 2. Ezech. Auguſtinus l. de unitate Eccleſ. c. 9.

Tertio, hoc denique probat ratio Theologica. Et vero homo ex Scriptura &

ſanctis Doctoribus poteſt ad nutum & bonum & malum operari; ſicut præcepti ita & correptionis atque emendationis capax eſt. Igitur præſcientia Dei humanę non adverſatur libertati: tametſi enim Deus præſciat quid homo operaturus eſt, ipſius tamen non adimit liberum arbitrium, ut aliud velit.

SYNOPSIS OBIECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO quidem legitur de Judæis quod non poterant credere, ſed cito reſpondet S. Auguſtinus, quia nolebant.

Secundo, nec quidquam faceſſit quod ipſe S. Doctor ait, neceſſe eſſe peccatorem converti, ſi Deus hoc eventurum præſcivit, tunc enim ſermo eſt de neceſſitate ſolum hypothetica: ideſt, quod Deus in humana voluntate libere agente præſcivit, pro certo evenit, præſcientia quippe falli non poteſt.

Tertio, nec magis urget, cum dicitur decretum Dei de re aliqua aut facienda cum creatura, aut permittenda, eſſe & æternum & irrevocabile; quandoquidem Deus decrevit movere libere creaturam rationalem ad agendum, quocirca decretum non ſolum libero non adverſatur arbitrio, ſed potius illud ad agendum adjuvat.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Patres & Theologi a Chriſto nato ad noſtra uſque tempora conveniant de concordia libertatis humanæ cum divina præſcientia.

QUANQUAM hæc quæſtio ſufficienter ex iis quæ diximus in duobus præcedentibus articulis tum de libertate, tum de natura præſcientiæ, pateat; non abs re tamen erit oſtendere in particulari quomodo ſcholæ Patrum, SS. Doctorum & Theologorum, quamvis aliquando in varias diviſæ opiniones, ſemper tamen unanimes fuerint in hoc puncto, ut non remaneant in ore Proteſtantium redargutiones. Sit igitur

C O N C L U S I O.

A Chriſto nato fuit ſemper una fides & una tum Patrum, tum Theologorum orthodoxorum ſententia de concordia libertatis humanæ voluntatis cum præſcientia Dei.

ISTAM propoſitionem probamus multipliciter, texendo a Chriſto uſque ad nos traditionem fidelem de illo fidei dogmate: 1. ex Patribus omnium ſæculorum. 2. Ex Conciliis & SS. Doctoribus, qui contrariam opinionem ut hæreticam habuerunt, & uti talem proſcripſerunt. 3. Ex Thelogis omni exceptione majoribus, 4. Ex variis Academiis.

SECTIO PRIMA.

Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei ex SS. Patribus.

SANCTUM Evangelium paſſim introducit Chriſtum, vel ſecreta pandentem ut cum Matth. 9. 4. reſpondet ad cogitationes Judæorum, vel futura prædicit, ut cum Luc. 19. 41. devaſtationem Jeruſalem per Romanos futuram flendo & gemendo exponit, abſque eo quod ulla appareat libertatis læſio: quinimmo, Judæi agebant & vivebant quaſi nihil eis dixiſſet Chriſtus, ubique hortatur eos ad meliorem vitam, ubique conſilia ſalutis exhibet, hinc ſicut primus eſt in nova lege libertatis prædicator; ita & primus liberi arbitrii cum divina præſcientia conſiliator. Verum ad Traditionem Patrum ſententiis firmatam tranſeamus.

Dionyſius de Div. nom. pag. 218. & 219. ſic loquitur de divina Providentia quæ cuncta præordinat ſuaviter: " Itaque incon-
,, ſideratum vanumque multorum verbum
,, non probabimus, qui aiunt oportere
,, Providentiam invitos etiam nos ad vir-
,, tutem impellere. Neque enim Provi-
,, dentiæ eſt, naturam interimere & tol-
,, lere. Itaque ut Providentia uniuſcujuſ-
,, que naturæ conſervatrix, ea quæ ſuis
,, appetionibus utuntur, ut ejuſmodi gu-
,, bernat & univerſos & ſingulos, accom-
,, modate utriſque, quatenus eorum quæ
,, Providentia reguntur, natura capit uni-
,, verſæ Providentiæ beneficia, quæ cui-
,, que pro captu ſuo dantur.

Juſtinus Apol. 2. ait: " Nec fato homi-
,, nes facere aut pati quicquam eorum quæ
,, fiunt & veniunt, judicamus, ſed vo-
,, luntate ac judicio unumquemque bene
,, agere aut peccare.

Idem dialogo cum Tryphone: " Quod
,, ſi verbum Dei plane ſignificat de non-
,, nullis & Angelis & hominibus ſumptum
,, iri ſupplicium, ipſe quod improbos ob-
,, ſtinato animo futuros eos prænoverit,
,, hæc prædixit, non quod tales eos ef-
,, fecerit. Itaque ſi omnes qui miſeri-
,, cordiam a Deo conſequi volunt, ſupe-
,, rioris vitæ pœniteat, id præſtare poſ-
,, ſunt. ,,

Irenæus l. 4. adverſus hær. ejuſdem eſt labii c. 9. " Homo vero rationabilis & ſe-
,, cundum hoc ſimilis Deo, liber in ar-
,, bitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi
,, eſt cauſa, ut aliquando quidem frumen-
,, tum, aliquando autem palea fiat; qua-
,, propter & juſte condemnabitur. ,,

Tertullianus l. 2. adverſus Marcionem c. 4. expreſſius loquitur: " De præſcientia
,, vero quid dicam? quæ tantos habuit te-
,, ſtes, quantos fecit Prophetas? quam-
,, quam quis præſcientiæ titulus in om-
,, nium auctore qua univerſa utique diſpo-
,, nendo præſcit, & præſciendo diſpo-
,, ſuit? ... Igitur ſi & fuerunt in Deo
,, iſtæ facultates, præ quibus nihil mali
,, evenire homini aut potuiſſet, aut debuiſ-
,, ſet, & nihilominus evenit, videamus
,, & hominis conditionem, nec per illam
,, potius evenerit, quod pervenire non
,, potuit. Liberum & ſui arbitrii & ſuæ
,, poteſtatis invenio hominem a Deo in-
,, ſtitutum .... Tota ergo libertas arbi-
,, trii in utramque partem conceſſa eſt illi,
,, ne ſui dominus conſtanter occurreret, &
,, bono ſponte ſervando, & malo ſponte
,, vitando, quoniam & alias poſitum ho-
,, minem ſub judicio Dei, oportebat juſtum
,, illud efficere, de arbitrii ſui meritis,
,, liberi ſcilicet. Cæterum nec boni nec
,, mali merces jure penſaretur ei qui aut
,, bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inven-
,, tus, non voluntate. ,,

Clemens Alex. l. 1. Strom. pag. 341. " Quo-
,, niam autem libera electio & appetitio
,, peccata primum inchoat, falſa au-
,, tem nonnunquam dominatur opinio a
,, qua cum ſit ignorantia & inſcitia, re-

ce-

,, cedere negligimus, jure infliguntur
,, ſupplicia. Febrire enim eſt involunta-
,, rium, ſed cum per ſe & propter
,, ſuam intemperantiam febrierit, cum
,, eum reprehendimus, utpote quod vi-
,, tium ſit voluntarium, nemo enim ma-
,, lum eligit quatenus malum, ſed adu-
,, ctus ab ea quæ ineſt in ipſo voluptate,
,, id bonum ratus ſuſcipiendum exiſtimat,
,, quæ cum ita ſe habeant, liberari ab
,, ignoratione & a mala & delectabili
,, electione & ante omnia non aſſentiri
,, fallacibus illis phantaſiis & viſis, ſitum
,, eſt in noſtra poteſtate. ,,

Origenes in Philocalia c. 21. dicit in
noſtra eſſe poteſtate facere res laude vel
vituperatione dignas, & fuſe probat in
nobis eſſe liberum arbitrium c. 23. non
offendi per præſcientiam Dei variis com-
probat argumentis, & ſic loquitur:
,, Quemadmodum autem Prophetiæ de
,, Juda dictiones examinatæ non fuiſſe
,, Deum cauſam proditionis oſtendunt,
,, ſed ſolum præſignificaſſe, quæ ex ma-
,, lignitate ipſius futura præviderat: ſic
,, ſi quis altius voluerit præſcientiæ Dei
,, univerſaliter rationes ſcrutari, nec eum
,, qui præſcivit, nec eas res quibus præſ-
,, cita impreſſa ſunt, verum ante cogni-
,, tarum cauſam eſſe profecto intelligat,
,, Deum igitur omnia præſcire. ,,

Eleutherius Papa apud Damaſum l. 1.
Paral. c. 9. ſuum addit calculum: " Deus
,, hominem liberum ac ſuæ poteſtatis
,, condidit, ut quod ſibi ipſi per ſocor-
,, diam & inobedientiam fecit, hoc ipſi
,, nunc Deus per benignitatem ſuam &
,, miſericordiam donet. ,,

Athanaſius exhort. ad Monach. eidem
veritati ſubſcribit: " Ab illicitis cavere,
,, jugum neceſſitatis eſt: permiſſa vince-
,, re, munus arbitrii. ,,

Baſilius hom. 6. in Hexaem. " Ubi ne-
,, ceſſitas & fatum dominatur, ibi nul-
,, lum locum habet æſtimatio pro digni-
,, tate quod juſti judicii præcipuum exi-
,, vit. ,, Et hom. quod ſine divina vir-
tute Diabolo nullus reſiſtere poteſt. " Li-
,, berum illud quod in poteſtate hominis
,, eſt arbitrium in eo ſitum eſt, vel ve-
,, lis, vel nolis, reſiſtere Diabolo. ,,

Cyrillus Alexand. hom. 6. de Feſtis Paſ-
chalibus: " Nullum fatum, *inquit*, vi-
,, tam uniuſcujuſque pro arbitrio mode-
,, ratur, ſinguloſque aut pravi tenaces,
,, aut virtutis ſectatores facit, ſed ſponte
,, quiſque & volens fertur in utrumque. ,,

Cyrillus Hieroſ. Catech. 4. de ſtatu ho-
minis: " Liberum arbitrium habet ani-
,, ma, & poteſt quidem Diabolus incita-
,, re, cogere autem præter voluntatem
,, omnino non poteſt. ,,

Euſebius Emiſſenus hom. 4. de Epiph.
,, Nemo dicat, fato urgente, peccavi,
,, nemo caſum conditionis ſuæ ignarus ac-
,, cuſet, nemo dominari æſtimet fatum. ,,

Gregorius Naz. orat. 4. " Volentium
,, & non coactorum, ſalutis eſt myſte-
,, rium. ,,

Chryſoſtomus orat. 5. in principio col.
684. ,, Si fatum admittatur, fruſtra leges
,, & judices, fruſtra reprehenſiones & ad-
,, monitiones. ,,

Hieronymus l. 5. ſuper Jerem. ſic defi-
nit c. 26. " Non ex eo quod Deus ſcit
,, futurum aliquid, idcirco futurum eſt;
,, ſed quia futurum eſt, Deus novit, tan-
,, quam præſcius futurorum. ,, Et l. 1.
,, ſuper Ezech. c. 2. " Non quia ventu-
,, ra Deus cognoſcit, neceſſe eſt nos fa-
,, cere quod ille præſcivit, ſed quod nos
,, propria voluntate ſumus facturi, ille
,, novit. ,

Ambroſius l. 1. de Jacob. c. 3. " Non
,, eſt quod cuipiam noſtram attribuamus
,, culpam, niſi noſtræ voluntati: nemo
,, enim tenetur ad culpam, niſi volunta-
,, te propria deflexerit. ,,

Auguſtinus per omnia mirabilis accedit l.
1. de vocat. Gent. c. 3. " Deus vindicat
,, juſtos, quæ fieri non cogit præſcius. ,,

Idem l. 11. de Geneſ. ad litt. c. 9.
,, Deus malos creavit quos tales futuros
,, eſſe præſciebat: quia ſicut prævidit
,, quid mali eſſent facturi, ſic etiam præ-
,, vidit de malis factis eorum, quid boni
,, eſſet ipſe facturus. ,,

Idem l. 5. de Civ. Dei c. 9. " Abſit
,, a nobis Dei negare præſcientiam ut li-
,, beri eſſe velimus, quo adjuvante ſumus
,, liberi. ,,

S. Proſper Epiſt. ad Rufinum de lib.
,, arb. c. 2. Nihil quidquam fato geri,
,, ſed omnia Dei judicio novimus ordina-
,, ri. ,, Ibidem: " Homo qui in libero
,, arbitrio fuit malus, in ipſo libero ar-
,, bitrio factus eſt bonus, ſed per ſe ma-
,, lus, per Deum bonus. ,, Idem ait ſen-
,, tentia 6. poſt reſponſionem ad capita
,, Gallorum. ,,

Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 27.
,, Peccata hominum, cuncta quidem Deus
,, in peccatoribus præſcivit futura, &
,, quia ipſe non ea prædeſtinavit facien-
,, da, juſte prædeſtinavit in judicio pu-
,, nienda. ,,

Gregorius Magnus l. 33. moral. c. 20.
,, Reprobi cæleſtis patriæ præmia non
,, percipiunt, quia ea nunc cum prome-
,, reri poterant, ex libero arbitrio con-
,, tempſerunt. ,,

Caſſianus coll. 7. c. 8. " Sicut in Dæ-
,, monibus eſt inſtigationis copia, ita &
,, in nobis cum Dei adjutorio virtus reſ-
,, puendi ſive acquieſcendi, libertas eſt
,, attributa. ,,

Damaſcenus l. 2. de fide orthod. c. 3.
,, Id omne quod ratione utitur, arbitrii
,, quoque libertate præditum eſt. ,,

Hugo Vict. l. 4. de Arca Noe: " Gra-
,, tia Dei prævenit & excitat liberum
,, arbitrium, ut poſſit velle ſanari. ,,

Hugo Cardinalis ſuper Eccleſiaſt. c. 5.
,, Ne putes omnia caſu vel fato agi, &
,, nihil a Deo provideri, ne tradat te in
,, reprobum ſenſum. ,,

Gaudentius tract. 3. " Præſcientia Dei
,, non fallitur, nec homini conceſſa ſe-
,, mel voluntatis libertas aufertur, ne
,, nihil de eo judicare poſſit, qui liber
,, non fuerit in agendo. ,,

Anſelmus l. de concordia præſcientiæ &
prædeſtinationis & liberi arbitrii: " Si
,, aliquid eſt futurum ſine neceſſitate,
,, hoc ipſum præſcit Deus qui præſcit
,, omnia futura. Quod autem præſcit
,, Deus, neceſſitate futurum eſt, ſicut
,, præſcitur: neceſſe eſt itaque aliquid
,, eſſe futurum ſine neceſſitate. Nequa-
,, quam ergo recte intelligenti hæc repu-
,, gnare videntur, præſcientia quam ſe-
,, quitur neceſſitas, & libertas arbitrii a
,, quo removetur neceſſitas: quoniam &
,, neceſſe eſt, quod Deus præſcit, futu-
,, rum eſſe, & Deus præſcit aliud ali-
,, quid eſſe ſine omni neceſſitate.

Divus Bernardus Tract. de gr. & lib.
arb. ſic probat Deum non imponere per
gratiam ſuam neceſſitatem, " Cavendum
,, ergo, *inquit*, ne cum hæc inviſibiliter
,, intra nos & nobiſcum actitari ſenti-
,, mus, aut noſtræ voluntati attribua-
,, mus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſ-
,, ſitati quæ nulla eſt; ſed ſoli gratiæ qua
,, plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbi-
,, trium cum ſeminat cogitatum; ſanat,
,, cum immutat affectum; roborat, ut
,, perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat
,, defectum. Sic autem iſta cum libero ar-
,, bitrio operatur, ut tantum illud in pri-
,, mo præveniat, in cæteris comitetur.
,, Iſta tamen, quod a ſola gratia cœptum
,, eſt, pariter ab utroque proficiſcitur,
,, ut mixtim, non ſigillatim; ſimul, non
,, viciſſim, per ſingulos profectus operen-
,, tur. Non partim gratia, partim libe-
,, rum arbitrium; ſed totum ſingula ope-
,, re individuo peragunt.

Laurentius Juſtinianus de caſto connubio
c. 13. " Nobis in medio couſtitutus libe-
,, rum Deus præbuit arbitrium, ut quod
,, volumus, eligamus. ,,

Ludovicus Bloſius in can. vitæ ſpiritualis
c. 6. " Fata illa, fatorumve neceſſitas,
,, quas vel ethnici vel impii Chriſtiani con-
,, fingunt, pii Chriſtiani prorſus negant
,, & execrantur. ,, Ibidem: voluntatis
,, arbitrium, quod in te liberum, gratiæ
,, Dei adjunge, ſimulque cum ea labo-
,, ra. ,,

Omittam cæteros brevitatis cauſa; uno verbo dicam omnes & liberum agnoſcere arbitrium, & fatum rejicere: omnes præſcientiam cum libertate conſociare, quatenus Deus præſcit futura ut ſunt in cauſis ſecundis: conſociare cum prædeſtinatione, quia eligit Deus homines ad vitam æternam per bona opera, eaque liberrima aſſequendam: conſociare cum gratia, non enim perimit ſed adjuvat liberum arbitrium; unde hæretici graviter aberrant a veritate, dum putant præſcientiam Dei libertati adverſam eſſe, cum & Scriptura ſacra, & Patres hominem eſſe liberum ubique & per omnia commemorent. Sic igitur contra eos inſurgere fas eſt. Conſtat ex ſententia SS. Patrum & Doctorum qui a Chriſto nato floruerunt; præſcientiam Dei non nocere libertati, omnes aſſerunt hominem eſſe liberum, fatum vero & quidquid neceſſitatem inducit pronuntiant execrandum; Deum prædicant, cuncta quidem in æternitate intueri, ſed ut ſunt in cauſis ſecundis & ab eis ſicut a prima cauſa dependentia ſunt; illum præmiare bona, punire vero mala opera, quippe qui talia ut ab hominibus ſactura præſcit. Igitur a Chriſto nato SS.Patres & Doctores liberum hominis arbitrium præ-

ſcien-

ſcientia Dei non perimi, ſed aſtrui & conſervari agnovere, alias ſi Dei præcognitio neceſſitatem imponeret creaturis ſpiritualibus, non eſſet verum dicere hominem eſſe liberum, eſſe modo laude, modo etiam vituperio & pœna digniſſimum.

SECTIO SECUNDA.

Concordia libertatis humanæ cum gratia, cum præſcientia Dei, & cum prædeſtinatione Sanctorum ſpecialiter ex Divo Auguſtino oſtenditur.

S. AUGUSTINUM eximium eſſe gratiæ Doctorem ipſa non ſemel declaravit Eccleſia, quæ ejus de gratia Mediatoris doctrinam multis celebravit encomiis. Quia tamen aliqui Theologi tanti Doctoris mentem in varios, pravoſque detorquent ſenſus, ita ut libertatem indifferentiæ actus ſub dominio gratiæ efficaciſſimæ, qualis a ſancto Præſule paſſim aſtruitur, remanere aut dubitent, aut quod pejus eſt, abſolute negent; non abs re erit breviter hic texere quo fine, quove ſcopo S. Auguſtinus de gratia Mediatoris ſcripſerit, quibus mediis & armis eam adverſus impugnantes defendat; quo zelo & ſtudio eandem cum libertate humana conſociet, ut qui rectitudinis & veritatis ſemitam tenere gloriantur, in lumine S. Antiſtitis videant lumen, quod certe neſcit erroris occaſum.

Habent Congruiſtæ ex Auguſtini doctrina quo gratiam ita ſuavem defendant, ut cuncta cedant, ea operante, in bonum electorum: habent Thomiſtæ quo ita efficacem propugnent, ut de nolentibus ſalutem faciat volentes: habent cujuſcumque Academiæ Magiſtri quo ita potentem & neceſſariam prædicent, ut & præveniendo in nobis incipiat, & adjuvando, libero cooperante arbitrio, perficiat bonum: unde S. Auguſtinum & pro neceſſitate gratiæ, & pro ejuſdem efficacia audiendum eſſe jure merito contendimus.

Jam vero num gratia ſit per ſe efficax, vel non, diſceptatur in Scholis, immo & de ipſius S. Auguſtini mente circa illud momentum, tametſi affirmativa probabilior appareat. Unum indivulſe propugnat S. Doctor, videlicet libertatis cum gratia etiam efficaciſſima conſociationem, ut omni legenti & juſte judicanti patebit, maxime ex ſcopo & fine quo eximius ille Eccleſiæ Doctor de gratia Mediatoris ſcripſit, quod ex diſcuſſione operum ejus de hac materia facili negotio omnibus pateſcet.

Ex locis Divi Auguſtini in ultima Sectione adductis luce clarius apparet, S. Præſulem fortiter ſimul & ſuaviter defendere libertatis humanæ cum gratia, cum præſcientia Dei, & cum prædeſtinatione conſociationem: nunc vero fundatius enucleanda eſt mens S. Doctoris, ut omnes legentes intelligant quænam ſit altitudo, profunditas ſimul & ſuavitas D. Auguſtini de gratia Chriſti doctrina.

Non eſt animus impræſentiarum omnes libros, quos B. Auguſtinus ad refellendos varios tum Manichæorum, tum Pelagianorum errores conſcripſit, exponere; ſed illos ſolum in quibus ſpecialiter de libertate contra Manichæos, de neceſſitate gratiæ contra Pelagianos & Semipelagianos, de ejuſdem gratiæ efficacia cum libero arbitrio conſociata agit: quorum hæc eſt ſeries.

Libri tres de Libero arbitrio, Tom. I. Editionis Benedictinæ.

Unus de Spiritu & Littera contra Pelagianos, Tom. X.

Unus de Natura & Gratia adverſus eoſdem, ibidem.

Unus de Gratia Chriſti contra eoſdem Heterodoxos, ibidem.

Quatuor contra duas eorumdem Epiſtolas, ibidem.

Unus de Gratia & Libero arbitrio ad Valentinum Monaſterii Adrumetini Archimandritam & Monachos, ibidem.

Unus de Correptione & Gratia ad eoſdem, ibidem.

Unus de Prædeſtinatione Sanctorum adverſus Maſſilienſes, ibidem.

Unus de dono Perſeverantiæ contra eoſdem, ibidem.

Appendix Operum ſancti Auguſtini de neceſſitate & efficacia Gratiæ cum obſervationibus.

PUNCTUM PRIMUM.

De tribus Libris qui hunc præ ſe ferunt titulum, *de Libero arbitrio*.

HOC opus anno 388. inchoatum perfecit S. Auguſtinus anno 395. ad explodendum Manichæorum commentum, quo fatum quoddam in actiones humanas inducebant, ita ut hominem ex neceſſitate compelli ad bonum vel malum aſſerere non dubitarent.

In primo libro S. Præſul mali originem non a Deo ſane, ſed a ſola voluntate creata repetit, quippe quod non habeat cauſam efficientem ſed deficientem: porro tametſi paſſionibus ut plurimum eadem voluntas ſerviat, ad iis tamen famulandum a nullo aut cogi aut neceſſitari demonſtrat Auguſtinus.

In ſecundo quæcumque bona a Deo optimo ut a primigenio fonte, homine libere cooperante, promanare validiſſimis oſtendit rationibus.

In tertio peccatum a ſola creatura illud volente & eligente fluere docet: præſcientiam vero de malis libertati humanæ non adverſari clariſſime probat S. Aug. Epiſt. 32. & 34.

Idem S. Doctor l. 1. retract. cap. 11. de his momentis ſic loquitur: " propter eos „ quippe diſputatio illa ſuſcepta eſt, qui „ negant, ex libero voluntatis arbitrio „ mali originem duci, & Deum, ſi „ ita eſt, creatorem omnium malorum „ culpandum eſſe contendunt: eo modo „ volentes ſecundum impietatis errorem „ (Manichæi enim ſunt) immutabilem „ quandam & Deo coæternam introdu- „ cere mali naturam. De gratia vero „ Dei, qua ſuos Electos ſic prædeſtinavit, „ ut eorum, qui jam in eis utuntur libero „ arbitrio, ipſe etiam præparet volunta- „ tes, nihil in his libris diſputatum eſt „ propter hoc, propoſita quæſtione. Ubi „ autem incidit locus, ut hujus gratiæ „ fieret commemoratio, tranſeunter com- „ memorata eſt; non quaſi inde ageretur „ operoſa ratiocinatione defenſa. Aliud „ eſt enim quærere, unde ſit malum, & „ aliud eſt quærere, unde redeatus ad „ priſtinum, vel ad majus perveniatur bo- „ num. „

His verbis duplici occurrit difficultati S. Auguſtinus, uni Pelagianorum qui S. Doctorem liberi arbitrii partes ſuſcipientem intelligentes, credebant eum in ſua verſari ſententia, qua ſicut malum ita & bonum meritis malis & bonis naturæ tribui propugnabant: alteri vero eorum qui voluntatem ad peccatum vi concupiſcentiæ neceſſario compelli arbitrabantur. Priores refellit, cum dicit gratiam, qua præparatur voluntas a Domino, ſe non excludere dum liberi arbitrii jura defendit; de ea tamen ex profeſſo contra Manichæos ſermonem non inſtituit, quia caput controverſiæ non erat de gratia qua reſtituitur libertas filiorum Dei ad bonum, ſed de malo quod ſuam ducit originem non quidem a Deo, qui intentator malorum eſt, ſed a voluntate, tametſi vitio concupiſcentiæ ad illud patrandum neque neceſſitetur, neque cogatur. Audiamus loquentem ibidem l. 1. retr. c. 9. " Quapropter novi hæretici „ Pelagiani, qui liberum ſic aſſerunt vo- „ luntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non „ relinquant locum, quandoquidem eam „ ſecundum merita noſtra dari aſſerunt, „ non ſe extollant, quaſi eorum ege- „ rim cauſſam: quia multa in his libris „ (*de quibus nunc*) dixi de libero arbi- „ trio, quæ illius diſputationis cauſſa po- „ ſcebat. „

Aliorum quoque qui libertatem modo concupiſcentia, modo etiam gratiæ energia premi contendebant, debellat errorem: namque in primo libro c. 1. 12. 13. 14. 16. diſerte probat hominem ſuorum actuum ita dominum eſſe, ut ſicut malum, ita & bonum, iſtud ad laudem, illud ad vituperium poſſit & eligere & facere. In libro ſecundo idem propugnat. cap. 1. ſic loquitur: " Ho- „ mo enim ipſe, in quantum homo eſt, „ aliquod bonum eſt, quia recte vivere, „ CUM VULT, POTEST; „ & cap. 18. " Dixi, recte fieri non poſſe, niſi eo- „ dem voluntatis arbitrio. „ Idem probat l. 3. cap. 1. 3. 16. 17. & cap. 18. n. 50. QUIS PECCAT IN EO, QUOD NULLO MODO CAVERI POTEST? PECCATUR AUTEM: CAVERI IGITUR POTEST.

Incaſſum opponunt hæretici S. Augu-

ſtinum ignorantiam etiam involuntariam l. 3. c. 18. inter peccata annumerare, ſicut & motus concupiſcentiæ quibus adverſus rationem inſurgit. Hæc enim & ſimilia peccata vocat tantummodo radicaliter peccata, quatenus ſunt pœna peccati originalis, " Hæc omnia, inquit l. " 1. retr. c. 9. hominum ſunt ex illa " mortis damnatione venientium. Nam " ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed na- " tura; nulla iſta peccata ſunt," niſi cauſaliter, ſeu in cauſa, videlicet in peccato originali. Attende, benevole Lector, S. Aug. ſcopum eſſe eo loci probare adverſus Pelagianos peccatum originale, quod ad poſteros Adæ tranſmitti negabant, ita ut & ignorantiam, & concupiſcentiam, quibus ex origine in pœnam prævaricationis Protoparentum ſubjicimur, non effectum peccati, ſed quid naturale ad naturam hominis neceſſario conſequens, eſſe propugnarent: in ſenſu igitur oppoſito dicit S. Doctor eſſe peccata ex neceſſitate, hoc eſt in radice vitiata, non tamen formaliter, & immediate, utpote quid involuntarium. S. Præſul eſt ſui ipſius interpres: ibidem enim ait: " ap- " probare falſa pro veris ut erret invi- " tus, & reſiſtente atque torquente do- " lore carnalis vinculi, non poſſe a li- " bidinoſis operibus temperare, non eſt " natura inſtituti hominis, ſed pœna " damnati. Cum autem de libera volun- " tate recte faciendi loquimur, de illa " ſcilicet, in qua homo factus eſt, lo- " quimur." Eo loci duo ſtatuit S. Doctor; primum quidem, motus primos concupiſcentiæ eſſe involuntarios, quod iſta indigitant verba, *ut erret invitus*, adeoque peccata nonniſi materialiter & in radice nuncupari: alterum, ejuſmodi motus non eſſe de natura hominis, ſed pœnam damnati: ſicque & Pelagianos negantes peccatum originale, & Manichæos aliosque libertatem hominis lapſi abnegantes perſtringit: illos quidem quatenus ejuſmodi miſeriæ peccati originalis argumenta ſunt: iſtos veru dum eas ex origine, non ex voluntate noſtra prodiiſſe contendit; unde, ipſo teſte, in peccatum homini lapſo donec eis libere & prævia electione conſentiant, non imputantur, ut fuſe ſeſe explicando probat l. 1. retr. cap. 9.

PUNCTUM SECUNDUM

De Libro cujus titulus eſt, *de Spiritu & Littera*.

QUA ratione, quove ſcopo S. Auguſtinus ſcripſerit librum cujus titulus eſt, *de Spiritu & Littera*, ipſe dicit l. 2. retract. c. 27. ut ſcilicet gratiæ neceſſitatem adverſus Pelagianam perfidiam propugnaret, oſtendendo legem tametſi bonam, ſanctiſque refertam præceptis, ad cognitionem quidem boni, minime tamen ad ipſam juſtitiæ perfectionem comparandam ſufficere, quod explicat illa Apoſtoli ſententia 2. Cor. cap. v. 3. 6. *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Hoc eſt; lex ſola ad nihil perfecti ſine ſpiritu gratiæ præparantis & adjuvantis adducit, ex qua concludit adverſus Pelagianos qui legem ſolummodo pro gratia habebant, eatenus occidere & homines magis peccatores facere, quatenus per legem evacuabant gratiam Mediatoris, quoquidem ſenſu litteram occidere, ſpiritum vero gratiæ vivificare propugnat.

In id argumenti venit Sanctus Præſul occaſione cujuſdam quæſtionis ſibi a Marcellino propoſitæ, quomodo fieri poſſet illud quod ipſe dixerat, hominem, adjuvante Deo, a peccato immunem vivere poſſe; inde enim gratiæ neceſſitatem adverſus malignantes defendere S. Auguſtinus ſtatuerat: quia vero Pelagiani ex laudibus quibus lex ubique donatur, maxime a Propheta Regio Pſal. 118. eam ad ſancte feliciterque vivendum ſufficere credebant, eos fortiter refellit S. Doctor ea potiſſimum ratione, quod littera occidat, ſpiritus vero vivificet: hoc eſt, lex non in eo ſenſu bona dicenda eſt, quo tantum energiæ habeat ad faciendum bonum, ſicut perverſe inferebant Pelagiani, ut gratia non ſit neceſſaria, adeoque litteram occidere Pelagianos, vel potius Pelagianos ſeipſos occidere, & a regno Chriſti ſeſe excludere contendebat S. Aug. videlicet dum ad litteram, non ad ſpiritum legis ſeu gratiam non attendebant: qua de cauſa ſuum de hoc momento librum, de ſpiritu & littera inſcripſit S. Doctor.

Verum S. Præſul ibi non ita exaltat

gratiam, ut damnet & proſcribat legem, cum eam Deo optimo tanquam aliquid bonum & ſanctum promanaſſe oſtendat in omnibus operibus adverſus Manichæos, qui illam tanquam malam explodebant, ſed ut demonſtret contra Pelagianam pravitatem neque ad faciendum bonum, neque ad operandam ſalutem, ſecluſo gratiæ auxilio, legem ſufficere, ſuum ſcripſit de ſpiritu & littera librum.

Graviter igitur allucinatur Janſenius, dum l. 3. de g. Salv. c. 7. 8. & 9. adverſus legem debacchatur, & eam tantummodo feciſſe peccatores audet aſſererere. Hic enim eſt capitis octavi titulus, *Status veteris Teſtamenti figurativus & propheticus non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potius impedientem. Quanta fuerit in Judæis ſervitus & ignorantia gratiæ & auctoris ejus*. Ecce capitis noni inſcriptio. *Status veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitiæ & ſalutis, ſed potius peccati & mortis. Pauciſſimi juſti ſub illo Teſtamento & gratia ſufficiente muniti. Gratia illa ſub natura & lege continetur*. Sic enim legem Dei conviciari, ſapit Manichæiſmum: aliud quippe eſt legem ad juſtitiam operandam non ſufficere, aliud malam eſſe, & operari peccatum: primum affirmare catholicum eſt, alterum vero prorſus erroneum, quandoquidem lex illuminat hominem, ut, præveniente & adjuvante gratia, a malo declinet & faciat bonum: præcepta juſta, eaque ſancta & continet, & proponit: igitur ex ſe non eſt mala, ſed ex malitia peccatoris qui videt bona & deteriora, prævia mentis & voluntatis electione, ſequitur, fit inutilis.

S. Auguſtinus eſt ipſe ſui interpres, eo enim ſolum ſenſu nonnumquam dicit per legem vivificari peccatum, quatenus ignorantia, poſita & propoſita lege, non amplius excuſat a peccato; tum quia etiam homo ex innata pravitate & ad malum pronitate nititur in vetitum, & in id quod prohibetur magis inardeſcit appetitus depravatus, nuſquam vero defectu legis. Sic loquitur l. de ſpiritu & litt. c. 4. n. 6. pag. 6. 88. “ Ideo elegit Apo„ ſtolus generale quiddam, quo cuncta „ complexus eſt, tanquam hæc eſſet vox „ legis ab omni peccato prohibentis, „ quod ait, *non concupiſces*: neque enim „ ullum peccatum niſi concupiſcendo com„ mittitur: proinde quæ hoc præcipit, „ bona & laudabilis lex eſt. Sed ubi „ ſanctus non adjuvat ſpiritus, inſpirans „ pro concupiſcentia mala concupiſcen„ tiam bonam, hoc eſt, caritatem dif„ fundens in cordibus noſtris, profecto „ illa lex quamvis bona, auget prohi„ bendo deſiderium malum: ſicut aquæ „ impetus ſi eam partem non ceſſet in„ fluere, vehementior fit obice oppoſi„ to, cujus molem cum vicerit, majore „ cumulo præcipitatus vehementius per „ prona provolvitur. Neſcio quo enim mo„ do, hoc ipſum quod concupiſcitur, fit „ jucundius dum vetatur. „

„ *Rurſus* ibidem c. 6. n. 9. pag. 89. „ Demonſtranda enim fuerat homini fœ„ ditas languoris ejus, cui contra iniqui„ tatem ſuam nec præceptum ſanctum & „ bonum profuit, quo magis aucta eſt „ iniquitas, quam minuta, quandoqui„ dem lex ſubintravit, ut abundaret de„ lictum, ut eo modo convictus atque „ confuſus, videret non tantum Docto„ rem ſibi eſſe neceſſarium, verumetiam „ adjutorem Deum, a quo ejus itinera „ dirigantur, ne dominetur ei iniquitas, „ & confugiendo ad opem divinæ miſe„ ricordiæ ſanetur: atque ita ubi abun„ davit delictum, ſuperabundavit gratia, „ non peccantis merito, ſed ſubvenien„ tis auxilio. „ Igitur ex S. Auguſtino lex optima eſt, & ratione auctoris qui eſt Deus, & ratione mandatorum quæ bonum præcipiunt, malum vero prohibent, & ratione finis, dirigit ad vitam æternam; quinimmo neceſſaria erat, teſte S. Præſule, ut vias vitæ homines edoceret, ſed abſque gratia nec juſtificat, nec prodeſt. Quo ſenſu igitur peccatum per legem ſubintravit in mundum, in eo ſane, inquit Auguſtinus, quod oſtenderit malum, quod quidem homines, qui ſuam corruperant viam, non ſatis agnoſcebant, unde de illo convicti, gravius errant, cum non obſtante lege, quæ dicit, *non concupiſces*, Rom. 7. iterum tamen atque iterum prohibita concupiſcunt: & ideo jam ex malitia aperta peccant: verum lex non eſt cauſa peccati, e contra vero ab illo retrahit, quatenus illud & oſtendit in quo ſitum eſt, & prohibet.

Sed

Sed redeat ad librum de ſpiritu & littera oratio. De illo ſic loquitur B. Auguſtinus c. 2. retract. cap. 37. " ad quem
,, ſcripſeram tres libros , quorum titu-
,, lus eſt, *de peccatorum meritis & remiſ-*
,, *ſione* , ubi diligenter diſputatur etiam
,, de baptiſmo parvulorum, reſcripſit mi-
,, hi ſe fuiſſe permotum, quod dixerim ,
,, fieri poſſe ut ſit homo ſine peccato ,
,, ſi voluntas ejus non deſit , ope adju-
,, vante divina ; quamvis nemo tam per-
,, fectæ juſtitiæ in hac vita vel fuerit ,
,, vel ſit, vel futurus ſit . Quæſivit enim
,, quomodo dixerim poſſe fieri, cujus rei
,, deſit exemplum . Propter hanc ejus in-
,, quiſitionem ſcripſi librum , cujus eſt
,, titulus, *de Spiritu & Littera* , pertra-
,, ctans apoſtolicam ſententiam , ubi ait,
,, 2. Corr. 3. 6. *Littera occidit* , *ſpiritus*
,, *autem vivificat* , in quo libro , quan-
,, tum Deus adjuvet , acriter diſputavi
,, contra inimicos gratiæ Dei , qua juſti-
,, ficatur impius . ,,

S. Auguſtinus in hoc opere duo præcipue oſtendit , videlicet legis inſufficientiam, gratiæ vero neceſſitatem . Cap. 2. n. 4. ait Pelagium non aliam admiſiſſe gratiam, quam liberum hominis arbitrium & doctrinam . Cap. 3. n. 5. gratiam Chriſti eſſe delectationem interiorem , ſeu Spiritus Sancti motum quo lex placet & amatur . Cap. 4. 5. 6. Legem non ſufficere abſque gratia ad ſalutem , & ad litteram tantum attendentes occidere , quatenus allucinati in ſola lege , confidentes ſuperbiendo de lege accepta , Chriſti evacuant gratiam . Cap. 7. & 8. Cuncta bona a gratia profluere docet . Cap. 7. Compeſcit Judæorum ſocordiam qui in ſola gloriabantur lege eo quod ſoli illam acceperant . Cap. 10. n. 16. Exaltat Chriſti gratiam his verbis : " Per ip-
,, ſam quippe juſtificatur gratis , ideſt ,
,, nullis ſuorum operum præcedentibus
,, meritis , Rom. 11. 6. *Alioquin gratia*
,, *jam non eſt gratia* : quandoquidem ideo
,, datur, non quia bona opera facimus ,
,, ſed ut ea facere valeamus, ideſt , non
,, quia legem implevimus , ſed ut legem
,, implere poſſimus . Ille hinc dixit
,, Rom. 11. 6. *Non veni ſolvere legem* ,
,, *ſed implere* : de quo dictum eſt Joan. 1.
,, 13. *Vidimus gloriam ejus* , *gloriam tan-*
,, *quam unigeniti a Patre*, *plenum gratia &*
,, *veritate* . ,,

Pergit S. Doctor gratiam Chriſti commendare cap. 11. 12. 13. Capite 14. demonſtrat nequidem Decalogum , ſecluſo gratiæ auxilio , homini ad ſalutem ſufficere . Cap. 15. 16. 17. 18. inſtituit comparationem inter legem veterem & novam , iſtam vero alteri præeminere aſſerit , quatenus lex per Moiſen data , gratia & veritas per Chriſtum facta ſit . Eundem proſequitur ſermonem cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. cap. 26. illud Apoſtoli Rom. 2. 14. *Gentes quæ legem non habent* , *naturaliter* , *quæ legis ſunt* , *faciunt* , explicat de fidelibus novi Teſtamenti , ſubdit vero n. 44. non auditores , ſed factores legis juſtificari & ſalvari cap. 27. n. 47. propugnat legem fieri naturaliter , nihil aliud eſſe quam fieri per naturam gratia adjutam . n. 48. Fuſius explicat idem Apoſtoli oraculum , dicens quod & de infidelibus poſſit intelligi qui bona aliqua facere poſſunt . " Si autem hi qui naturaliter
,, quæ legis ſunt , faciunt , nondum ſunt
,, habendi in numero eorum quos Chriſti
,, juſtificat gratia ; ſed in eorum potius ,
,, quorum etiam impiorum , nec Deum
,, verum veraciter juſteque colentium ,
,, quædam tamen facta vel legimus , vel
,, novimus, vel audimus , quæ ſecundum
,, juſtitiæ regulam non ſolum vituperare
,, non poſſumus , verum etiam merito
,, recteque laudamus . Quanquam ſi di-
,, ſcutiantur quo fine fiant , vix inveniun-
,, tur quæ juſtitiæ debitam laudem defen-
,, ſionemve mereantur : verumtamen
,, quia non uſque adeo in anima humana
,, imago Dei terrenorum affectuum labe
,, detrita eſt , ut nulla in ea velut li-
,, neamenta extrema remanſerint , unde
,, merito dici poſſit etiam in ipſa impie-
,, tate vitæ ſuæ facere aliqua legis , vel
,, ſapere ; ſi hoc eſt quod dictum eſt, quia
,, *Gentes quæ legem non habent* , Rom. 2.
,, 14. hoc eſt , legem Dei , *naturaliter*
,, *quæ legis ſunt* , *faciunt* , & quia hujuſ-
,, modi homines *ipſi ſibi ſunt lex* , *& ſcri-*
,, *ptum opus legis habent in cordibus ſuis* ,
,, ideſt , non omnimodo deletum eſt , quod
,, ibi per imaginem Dei cum crearentur,
,, impreſſum eſt . ,,

S. Præſul cap. 29. oſtendit juſtitiam eſſe donum Dei . Sic incipit caput trigeſimum :
" Liberum ergo arbitrium vacuamus per
,, gratiam ? Abſit : ſed magis liberum
,, arbitrium ſtatuimus . ,, Cap. 31. explicat

quo

quo ſenſu fidem eſſe in noſtra poteſtate dicendum ſit . Cap. 32. quæ fides laudanda: cap. 33. fidem donum Dei eſſe . Sed inter omnia egregium & celeberrimum eſt teſtimonium quo docet Deum velle omnes & ſingulos ſalvos fieri , nulli liberum adimendo arbitrium : ſubdit enim " quo ,, vel bene vel male utentes juſtiſſime ju- ,, dicentur . ,, Eo loci n. 58. pag. 118. ſolvit illam difficultatem ab aliquibus pro gratia neceſſitante tam decantatam , ſcilicet voluntatem Dei invictam eſſe, ita ut nulli ei reſiſtere queat , dicendo hoc intelligi de voluntate Dei adæquate ſumpta, quam nequidem impius impedire poteſt , quatenus dum eam peccando fugit ut bonam & miſericordem, in eandem incidit , ut juſtam, quæ vult peccatores obduratos ultimis affici ſuppliciis . " Ille igitur reus ,, erit ad damnationem ſub poteſtate ejus ,, qui contempſerit ad credendum miſeri- ,, cordiam ejus . ,,

Denique cap. 34. n. 60. pag. 120. mirum in modum libertatem humanam non ſemel conſociat cum gratia. " His ergo ,, modis quando Deus agit cum anima ra- ,, tionali, ut ei credat : neque enim cre- ,, dere poteſt quodlibet libero arbitrio , ,, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui cre- ,, dat, profecto & ipſum velle credere ,, Deus operatur in homine, & in omnibus ,, miſericordia ejus prævenit nos : CONSENTIRE AUTEM VOCATIONI DEI , ,, VEL AB EA DISSENTIRE , SICUT DI- ,, XI, PROPRIÆ VOLUNTATIS EST . ,,

PUNCTUM TERTIUM.

De Libro cujus titulus , *De Natura & Gratia* .

D. AUGUSTINUS certior factus de erroribus quos & viva voce & ſcriptis ad evacuandam Chriſti gratiam ubique in perniciem animarum Pelagius ſpargebat , ſcripſit ad illum debellandum librum cujus eſt inſcriptio , *de Natura & Gratia* , in quo quidem demonſtrat naturam humanam , non qualis primitus condita eſt, exiſtere , & a primæva tum rectitudine , tum juſtitia , tum etiam integritate defeciſſe ; quippe quæ peccato admodum ſauciata , paſſionum ſerva , vitiis veluti tot vinculis conſtricta ſit ; quocirca indiget, inquit , gratia Chriſti ut in priſtinum reſtituatur ſtatum , videlicet ut ſanetur & liberetur . Sic loquitur cap. 3. n. 3. " Natura quippe hominis primitus ,, inculpata & ſine ullo vitio creata eſt : ,, natura vero iſta hominis , quo unuſ- ,, quiſque ex Adam naſcitur , jam medi- ,, co indiget, quia ſana non eſt . ,, Deinde reſpondet objectionibus Pelagii , oſtendens gratiam non eſſe gratiam , ſi non gratuita eſt, cum ideo dicatur gratia quia gratuita .

Subdit , nec Chriſti mortem quidquam prodeſſe, ſed illum gratis mortuum , ſi ut contendit Pelagius, natura innatis viribus poſſit & declinare a malo, & facere bonum : quod certe, inquit , ſecluſo gratiæ auxilio , nullus poteſt ; quinimmo , ait nullos juſtos , ſi Beatiſſima Virgo excipiatur, totum vitæ ſpatium ſine aliquo vel leviori ſaltem peccato pertranſiiſſe .

Sic loquitur . Cap. 36. n. 42. " Excepta itaque ſancta Virgine Maria , de ,, qua propter honorem Domini nullam ,, prorſus, cum de peccatis agitur , ha- ,, beri volo quæſtionem : unde enim ſci- ,, mus, quid ei plus gratiæ collatum fue- ,, rit ad vincendum omni ex parte pecca- ,, tum, quæ concupere ac parere meruit, ,, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum? ,, Hac ergo Virgine excepta , ſi omnes ,, illos Sanctos & Sanctas, cum hic vive- ,, rent , congregare poſſemus , & inter- ,, rogare utrum eſſent ſine peccato, quid ,, fuiſſe reſponſuros putamus, utrum hoc ,, quod iſte dicit, an quod Joannes Apo- ,, ſtolus ? Rogo vos quantalibet fuerint in ,, hoc corpore excellentia ſanctitatis , ſi ,, hoc interrogari potuiſſent , nonne una ,, voce clamaſſent, ſi dixerimus quia pec- ,, catum non habemus , nos ipſos decipi- ,, mus & veritas in nobis non eſt? ,,

S. Doctor occurrit propoſitis difficultatibus Pelagii orationis medio : & ſic urget adverſarium. Petimus auxilium Dei ut a tentationibus ſoluti , bonum a lege præceptum operemur : igitur nullus ſe ſolo illud poteſt ; fruſtra quippe aliquid expoſtularet homo, ſi illud ipſum in ejus foret poteſtate . Sic intonat cap. 18. n. 20. " Di- ,, vinitus tamen eſſe expianda peccata com- ,, miſſa, & pro eis Dominum exoran- ,, dum fatetur (*Pelagius*) propter veniam ,, ſcilicet promerendam : quia id quod ,, factum eſt , facere infectum , multum ,, ab iſta laudata potentia illa naturæ &

,, vo-

„ voluntas hominis, etiam ipſo fatente, „ non poteſt: quare hac neceſſitate re- „ ſtat, ut oret ignoſci. Ut autem adju- „ vetur, ne peccet, nuſquam dixit non „ hic legi, mirum de hac re omnino ſi- „ lentium: cum oratio Dominica utrum- „ que petendum eſſe commoneat, & ut „ dimittantur nobis debita noſtra, & ut „ non inferamur in tentationem, illud ut „ præterita expientur, hoc ut futura vi- „ tentur. Quod licet non fiat niſi volun- „ tas adſit, tamen ut fiat, voluntas ſola „ non ſufficit; ideo pro hac re nec ſuper- „ flua, nec impudens Domino immolatur „ oratio. Nam quid ſtultius, quam orare „ ut facias, quod in poteſtate habeas? „

Gradum poſtea facit S. Præſul ad palmare Pelagii argumentum, qui cuncta bona naturæ in ſe relictæ poſſibilia eſſe effutiebat, quia præcipiuntur: Deus enim ita juſtus, & miſericors eſt, ut jugum ejus ſit leve, & mandatum non ſit ſupra naturæ vires; ſin minus, impoſſibile foret; unde & tranſgrediendo nullus peccaret; nemo quippe peccat in eo quod vitare non poteſt. Cui difficultati facit ſatis S. Doctor, & quidem dupliciter; primo quidem dicendo Deum impoſſibilia non jubere, cum adjuvet nos ut quod jubet, adimplere valeamus: deinde oſtendendo, quomodo jugum Domini ſuave ſit, & qua ratione mandatum fiat poſſibile; nimirum gratia præveniente & adjuvante, ſicut & ſummo erga Deum affectu & amore. Cap. 43. num. 50. Iſta reſponſione ſolvit difficultatem: “ Non „ igitur Deus impoſſibilia jubet: ſed ju- „ bendo admonet, & facere quod poſſis, „ & petere quod non poſſis. Jam nunc „ videamus unde poſſit, unde non poſſit. „ Iſte dicit, voluntate non eſt, quod na- „ tura poteſt. Ego dico, voluntate qui- „ dem non eſt homo juſtus, ſi natura po- „ teſt: ſed medicina poterit, quod vitio „ non poteſt. „ Hoc eſt gratia præveniente & ſufficiente peccator habet poſſe bonum, gratia efficaci illud velle, oret ut uberiorem habeat qua non ſolum velit, ſed operetur bonum & convertatur.

Pergit c. 69. nu. 83. explicare modum quo præcepta Dei poſſibilia dicuntur, & ſunt: “ Valde autem bona ſunt præce- „ pta, ſi legitime his utamur. Eo quip- „ pe ipſo quo firmiſſime creditur, Deum „ juſtum & bonum impoſſibilia non po- „ tuiſſe præcipere; hinc admonemur, & „ in facilibus quid agamus, & in diffi- „ cilibus quid petamus. Omnia quippe „ fiunt facilia caritati; cui uni Chriſti „ ſarcina levis eſt, aut ea una eſt ſarci- „ na ipſa quæ levis eſt. Secundum hoc „ dictum eſt Matth. 11. 30. *Et præcepta* „ *ejus, gravia non ſunt*: ut cui gravia „ ſunt, conſideret non potuiſſe divini- „ tus dici 1. Joan. 5. 3. *gravia non ſunt*, „ niſi quia poteſt eſſe cordis affectus cui „ gravia non ſunt, & petat quo deſtitui- „ tur, ut impleat quod jubetur. Et quod „ dicitur ad Iſrael in Deuteronomio, ſi „ pie, ſi ſancte, ſi ſpiritaliter intelliga- „ tur, hoc idem ſignificat: quia utique „ cum hoc teſtimonium commemoraſſet „ Apoſtolus, *prope te eſt verbum in ore* „ *tuo, & in corde tuo*, Deuteron. 30. 14. „ quod hic jubet, *in manibus tuis*; in cor- „ de enim ſunt ſpiritales manus, Rom. „ 10. 8. *Hoc eſt*, inquit, *verbum fidei* „ *quod prædicamus*. Converſus ergo quiſ- „ que, ſicut ibi præcipitur ad Dominum „ Deum ſuum ex toto corde ſuo, & to- „ ta anima ſua, mandatum Dei non ha- „ bebit grave. Quomodo eſt enim grave, „ cum ſit dilectionis mandatum? Aut e- „ nim quiſque non diligit, & ideo grave „ eſt: aut diligit, & grave eſſe non po- „ teſt. Diligit autem, ſi quod illic ad- „ monetur Iſrael, converſus fuerit ad Do- „ minum Deum ſuum ex toto corde ſuo „ & ex tota ſua anima. „

S. Auguſtinus movet controverſiam de gratia Chriſti adæquate ſumpta, videlicet & de gratia habituali qua Filii Dei ſumus, & de gratia præveniente qua bonum poſſumus, & de gratia efficaci qua bonum operando juſtificamur, & mandata adimplemus.

De prima ſic loquitur cap. 4. nu. 4. “ „ Hæc autem Chriſti gratia, ſine qua nec „ infantes, nec ætate grandes ſalvi fieri „ poſſunt, non meritis redditur, ſed gra- „ tis datur, propter quod & gratia no- „ minatur. Juſtificati, inquit, gratis „ per ſanguinem ipſius. Unde ii qui non „ per illam liberantur, ſive quia audire „ nondum potuerunt, ſive quia obedire „ noluerunt, ſive etiam cum per æta- „ tem audire non poſſent, lavacrum re- „ generationis, quod accipere poſſent, „ per quod ſalvi fierent, non acceperunt, „ juſte utique damnantur: quia ſine pec-

„ cato

„ cato non ſunt, vel quod originaliter „ contraxerunt, vel quod malis moribus „ addiderunt. „

De ſecunda inſtituit ſermonem cap. 43. nu. 50. cum ait: " Non igitur Deus im- „ poſſibilia jubet: ſed jubendo admonet, „ & facere quod poſſis. „ Ecce gratia ſufficiens, qua poſſumus bonum, deſignata; nemo enim præter Pelagianos aut Semipelagianos hominem ſe ſolo aliquid pro ſalute poſſe, dixerit. Cum igitur S. Aug. dicat, *admonet facere quod poſſis*, ſupponit gratiam prævenientem ſufficientem qua proxime poſſumus bonum ſalutis.

De tertia potiſſimum eſt & controverſia, & ſermo: ubique enim loquitur S. Aug. ſaltem præcipue de gratia qua efficienter juſtificatur impius, nimirum per contritionem & amorem, ſeu caritatem ut ad gratiam ſanctificantem & juſtitiam perveniat. Cap. 18. n. 20. *Ut fiat bonum, voluntas ſola non ſufficit*. Cap. 42. n. 49. Homo adjuvante gratia poteſt eſſe ſine peccato. Cap. 53. nu. 62. Homo liberatur a malo culpæ ſolum efficacia gratiæ.

De gratia quæ actum cum potentia conjungit, puta de ea quæ producit amoris affectum in Deum, qua jugum fit ſuave; ubi namque amor, ibi non eſt labor. Sic effatur cap. 42. nu. 49. " Neque, *inquit* „ *Pelagio*, de ipſa poſſibilitate contendo, „ cum ſanata & adjuta hominis volunta- „ te poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in „ ſanctis proveniat, dum caritas Dei.... „ diffunditur in cordibus noſtris per Spi- „ ritum Sanctum. „ Eo loci loquitur de gratia efficaci, & de habituali; de gratia quæ actum cum potentia conjungit iterum loquitur cap. 69. n. 83.

Obſerves velim S. Doctorem ibi ſupponere gratiam ſufficientem, quam non ſemel paſſim indigitaverat l. de Spiritu & litt. & indigitat in cæteris libris, ubi de gratia pertractans ait, omnem bonam & inſpirationem & cogitationem eſſe a Deo, eam vero maxime in iſto opere ſupponit, tum quia tractat de gratia operis, de ea ſcilicet ſine qua nec impius juſtificatur, nec juſtus in juſtitia conſervatur, tum quia ait Deum impoſſibilia non jubere, quia adjuvat ut poſſis, ſubdit vero & petere quod non poſſis: profecto gratia præveniens prærequiritur ad orandum, porro non oramus ut poſſimus orare, ſed oramus ut gratiam qua præcepta adimpleantur habeamus: igitur ex S. Auguſtino gratia ſufficiens orationis, ſeu qua quis orare poſſit, datur omnibus, etiam obduratis, cum ſanctus Doctor conſilium det etiam impiis ut orent, ad hoc ut poſſint adimplere & de facto præcepta adimpleant: ita ſane Deus intuitu meritorum Chriſti confert omnibus & ſingulis, quatenus omnes, & ſingulos vult ſalvos fieri l. de ſpirit. & litt. cap. 33. num. 58. " „ VULT AUTEM DEUS OMNES HOMINES „ SALVOS FIERI, ET IN AGNITIONEM „ VERITATIS VENIRE; NON SIC TAMEN „ UT EIS ADIMAT LIBERUM ARBITRIUM „ QUO BENE VEL MALE UTENTES JU- „ STISSIME JUDICENTUR. Quod cum „ fit, infideles quidem contra voluntatem „ Dei faciunt, cum ejus Evangelio non „ credunt: nec ideo tamen eam vincunt, „ verum ſe ipſos fraudant magno & ſum- „ mo bono, maliſque pœnalibus impli- „ cant, experturi in ſuppliciis poteſtatem „ ejus, cujus in donis miſericordiam con- „ tempſerunt. „

Sed ut oratio finiat unde ſumpſit Exordium, videlicet a ſancto Doctore, non abs re erit hic ſubtexere quæ de opere, cujus titulus, *de natura & gratia*, ſcribit l. 2. retrac. c. 42. " Venit etiam tunc in „ manus meas quidam Pelagii liber, ubi „ hominis naturam contra Dei gratiam „ qua juſtificatur impius, & qua Chriſtiani „ ſumus quanta potuit argumentatione de- „ fendit. Librum ergo quo huic reſpon- „ di defendens gratiam, non contra na- „ turam, ſed per quam natura liberatur „ & regitur, *de natura, & gratia* nun- „ cupavi. „

PUNCTUM QUARTUM.

De Libro primo qui hunc præ ſe fert titulum, *de gratia Chriſti*.

SANCTUS Auguſtinus de iſto opere l. 2. Retr. cap. 50. mentionem facit " Poſtea „ quam Pelagiana hæreſis cum ſuis anctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, „ prius Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum „ litteris, convicta atque damnata eſt, „ ſcripſi duos libros adverſus eos, unum „ de gratia Chriſti, alterum de peccato „ originali. „

De primo impræſentiarum agimus. In iſto

iſto libro duo potiſſimum oſtendit S. Præſul: videlicet, Pelagium in rei veritate nuſquam admiſiſſe gratiam Chriſti actualem, ſive eam quæ gratia poſſibilitatis vocatur, quam Theologi vulgo ſufficientem appellant, ſive eam quæ ſimpliciter dicitur gratia operis, & juxta præſentem Scholæ uſum gratia efficax. Deinde utramque propugnat & defendit Auguſtinus, maxime vero gratiam operis, de qua erat principalis inter ipſum & Pelagium controverſia.

Pauca hic texere ad noſtrum inſtitutum habemus, cum non de mente Pelagii, ſed Auguſtini circa gratiam agere animus ſit. Unum duntaxat obſervandum venit, ſcilicet gratiam veram non eſſe quamcumque aut illuminationem, aut inſpirationem, ſed illuminationem & inſpirationem quæ intus agunt, & immutant cor, ut homines ex nolentibus bonum, fiant volentes, ad quod & legem & liberum hominis arbitrium non ſufficere contendit S. Doctor, qui ſic loquitur variis in locis de iſta gratia, eamque ſic definit & delineat. cap. 10. n. 21. pag. 235. “ Nos
,, eam gratiam volumus ... qua futuræ
,, gloriæ magnitudo non ſolum promitti-
,, tur, verum etiam creditur & ſpera-
,, tur; nec ſolum revelatur ſapientia,
,, verum & amatur; nec ſolum ſuadetur
,, omne quod bonum eſt, verum & per-
,, ſuadetur. ,,

Cap. 14. n. 15. pag. 237. “ Quando
,, Deus docet non per legis litteram,
,, ſed per ſpiritus gratiam; ita docet, ut
,, quod quiſque didicerit, non tantum co-
,, gnoſcendo videat, ſed etiam volendo
,, appetat, agendoque perficiat. ,,

Cap. 24. n. 25. pag. 241. “ Legant er-
,, go & intelligant, intueantur atque fa-
,, teantur *Pelagiani*, non lege atque do-
,, ctrina inſonante forinſecus, ſed inter-
,, na & occulta, mirabili ac ineffabili
,, poteſtate operari Deum in cordibus ho-
,, minum, non ſolum veras revelationes,
,, ſed bonas etiam voluntates. ,, His & ſimilibus ſententiis gratiam operis eam eſſe contendit Auguſtinus, qua cor ita immutatur ut ex nolentibus bonum, faciat volentes, quæ poſſibilitatem noſtram ita adjuvet, ut ipſa det & poſſe proxime bonum, & ipſum actu operari, ſeu poſſe cum actu conjunctum.

PUNCTUM QUINTUM.

De quatuor Libris adverſus duas Pelagianorum Epiſtolas conſcriptis.

UT PRIMUM S. Auguſtinus audivit Pelagianos duas ſcripſiſſe Epiſtolas in quibus gratiam, qualem ipſe propugnabat, adverſari & voluntati humanæ meritis, & ipſi innatæ homini libertati contendebant, has & quaſdam alias de bono conjugali contumelias propellere æquum duxit: qua de cauſa quatuor elucubravit libros, quos ad Bonifacium Summum Pontificem direxit, in quibus vanorum hominum commenta debellat & explodit. De hoc momento l. 2. Retr. cap. 61. ſic ſcribit. “ Sequun-
,, tur libri quatuor, quos contra duas
,, Epiſtolas Pelagianorum ad Epiſco-
,, pum Romanæ Eccleſiæ Bonifacium
,, ſcripſi, quia cum in manus ejus ve-
,, niſſent, ipſe mihi eas miſerat, in-
,, veniens in illis calumnioſe interpoſi-
,, tum nomen meum. Hoc opus ſic inci-
,, pit: *Noveram te quidem fama celeberri-*
,, *ma prædicante*. ,,

De Libro primo.

S. DOCTOR capite ſecundo, n. 5. pag. 413. ait liberum arbitrium non periiſſe Adæ peccato, ſed tantummodo extenuatum fuiſſe defendit, ita ut gratia ſanetur & adjuvetur, nuſquam vero deſtruatur. Contrarium illi tribuentes ſic perſtringit & calumniam explodit. “ Liberum au-
,, tem arbitrium defendendo præcipitant
,, (*Pelagiani*) ut de illo potius ad fa-
,, ciendam juſtitiam, quam de Domini ad-
,, jutorio confidatur, atque ut in ſe quiſ-
,, que, non in Domino glorietur. QUIS
,, AUTEM NOSTRUM DICAT, QUOD
,, PRIMI HOMINIS PECCATO PERIERIT
,, LIBERUM ARBITRIUM DE HUMANO
,, GENERE? Libertas quidem periit per
,, peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo
,, fuit, habendi plenam cum immortali-
,, tate juſtitiam; propter quod natura
,, humana divina indiget gratia, dicente
,, Domino, ſi vos Filius liberaverit,
,, tunc vere liberi eritis: Joan. 8. 36.
,, UTIQUE LIBERI AD BENE JUSTE-
,, QUE VIVENDUM. Nam liberum arbi-
,, trium

„ trium uſque adeo in peccatore non pe-
„ riit, ut per illud peccent, maxime
„ omnes qui cum delectatione peccant
„ & amore peccati, hoc eis placet quod
„ eos libet. Unde & Apoſtolus Rom.
„ 6. 20. cum eſſetis, inquit, ſervi pec-
„ cati, LIBERI FUISTIS JUSTITIÆ.
„ Ecce oſtenduntur etiam peccato mini-
„ me potuiſſe, niſi alia libertate, ſer-
„ vire: liberi ergo a juſtitia non ſunt
„ niſi arbitrio voluntatis: liberi autem
„ a peccato non fiunt, niſi gratia Salva-
„ toris. Propter quod admirabilis Do-
„ ctor etiam verba ipſa diſcrevit: cum
„ enim ſervi eſſetis, inquit, peccati,
„ liberi fuiſtis juſtitiæ. „

His peractis S. Præſul cap. 3. n. 6. pag. 414. explicat quid ſit trahi a patre per gratiam: deinde eam ſic cum libero arbitrio conſociat. “ Datur ergo pote-
„ ſtas ut filii Dei fiant, qui credunt in
„ eum, cum hoc ipſum datur ut credant,
„ in eum. Quæ poteſtas niſi detur a
„ Deo, nulla eſſe poteſt ex libero ar-
„ bitrio: quia nec liberum in bono erit,
„ quod liberator non liberaverit, ſed in
„ malo liberum habet arbitrium, cui de-
„ lectationem malitiæ vel occultus vel
„ manifeſtus deceptor inſevit, vel ſibi ip-
„ ſe perſuaſit. „

Ibidem S. Doctor partes liberi arbitrii ita propugnat, ut neminem vel a concupiſcentia, vel ab ignorantia neceſſitari contendat: ſubdit enim n. 7. pag. 414.
“ Non itaque, ſicut dicunt nos quidam
„ dicere, & iſte audet inſuper ſcribere,
„ omnes in peccatum, veluti inviti, car-
„ nis ſuæ neceſſitate coguntur: ſed ſi
„ jam in ea ætate ſunt, ut propriæ men-
„ tis utantur arbitrio, & in peccato ſua
„ voluntate retinentur, & a peccato in
„ peccatum ſua voluntate præcipitantur.
„ Neque enim agit in eis, etiam qui
„ ſuadet & decipit, niſi ut peccatum vo-
„ luntate committant, vel ignorantia ve-
„ ritatis, vel delectatione iniquitatis,
„ vel utroque malo & cæcitatis & in-
„ firmitatis. Sed hæc voluntas quæ libe-
„ ra eſt in malis, quia delectatur malis,
„ ideo libera in bonis non eſt, quia libe-
„ rata non eſt. „ Ex Aug. motus concupiſcentiæ & ignorantiæ in ſe peccata non ſunt, donec a voluntate & eligantur, & conſentiendo acceptentur, quocirca voluntatem liberam in malis eſſe prædicat: quo ſenſu vero non eſt libera in bonis, ipſe aperit & manifeſtat, quatenus ſcilicet ſe ſola bonum facere non poteſt, & ſanari prius & adjuvari Mediatoris gratia indiget, ut illud & proxime poſſit, & de facto operetur. Ex quo claret gratiam juxta S. Aug. mentem non adimere libertatem, ſed potius eam & reſtaurare & adjuvare, ut homo libere velit bonum ſalutis, & faciat.

Rurſus, & ex profeſſo explicans illam Apoſtoli ſententiam Rom. 7. 15. *Non enim quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio.* cap. 10. 11. 12. 13. dicit motus concupiſcentiæ primo primos non eſſe peccata niſi in radice, quatenus ad peccatum originale ſubſequuntur, nuſquam vero formaliter & in ſe, niſi accedat conſenſus, cujus rei argumentum eſt, quod in Apoſtolo non erant, quandoquidem & erat in gratia conſtitutus, & ejuſmodi motus ſeipſum operari neget, ſed a carne peccati, hoc eſt vitiata illos promanare aſſerat, namque legi Dei ſe condelectari ſecundum interiorem hominem teſtatur: qui autem concupiſcentiæ conſentit, eam ſe & nolle & operari dicere non valet. Jam audiamus Auguſtinum loquentem capite 10. n. 18. pag. 420. ait. “ An forte metuimus ex
„ quæ ſequuntur, Rom. 7. 15. *Quod*
„ *enim operor, ignoro: non enim quod vo-*
„ *lo hoc ago, ſed quod odi illud facio*:
„ ne forte ex his verbis quiſpiam con-
„ ſentire carnis concupiſcentiæ ad ope-
„ ra mala ſuſpicetur Apoſtolum? Sed
„ conſiderandum eſt quod adjungit: ſi
„ autem quod nolo hoc facio, conſen-
„ tio legi quoniam bona eſt. Magis enim
„ ſe dicit legi conſentire, quam car-
„ nis concupiſcentiæ. Hanc enim pec-
„ cati nomine appellat. Facere ergo ſe
„ dixit & operari, non affectu conſen-
„ tiendi & implendi, ſed ipſo motu con-
„ cupiſcendi. Hinc ergo, inquit, con-
„ ſentio legi quoniam bona eſt; conſen-
„ tio, quia nolo quod non vult. Deinde
„ dicit, nunc autem jam non ego operor
„ illud, ſed id quod habitat in me pecca-
„ tum. Quid eſt, nunc autem; niſi jam
„ nunc ſub gratia, quæ liberavit delecta-
„ tionem voluntatis a conſenſione cupi-
„ ditatis? Non enim melius intelligitur,
„ *non ego operor*, niſi quia non conſen-
„ tit exhibere membra ſua arma iniquita-

„ tis

„ tis peccato. Nam ſi & concupiſcit, &
„ conſentit, & agit; quomodo non ipſe
„ illud operatur, etiamſi ſe operari doleat,
„ & vinci graviter ingemiſcat? „

Eundem iterum atque iterum exhibet ſenſum, eandem explicationem nu. 19. 20. & n. 21. pag. 421. “ Nulla ergo conde-
„ mnatio eſt his qui ſunt in Chriſto Je-
„ ſu. Non enim damnatur; niſi qui con-
„ cupiſcentiæ carnis conſentit ad malum. „
Ex quibus patet delectationem malam quantumvis exuberantem, ad malum neminem neceſſario compellere, cum motus concupiſcentiæ malæ non ſit formaliter peccatum, donec accedat voluntatis conſenſus, qui nonniſi prævia electione & deliberatione fit.

S. Doctor rurſus dirimit quæſtionem cap. 11. 12. maxime cap. 13. ubi ex profeſſo propugnat neque concupiſcentiam, neque ignorantiam per peccatum Protoparentis inductam, eſſe in ſe peccata, niſi accedat delectatio, & complacentia voluntaria in eo quod vel concupiſcitur, vel ex culpa propria ignoratur: non incongrue tamen Fideles in Oratione Dominica poſtulant dimitti ſibi delicta, non ea vitia quæ naſcendo contraximus, utpote involuntaria, ſed quæ propria voluntate, modo levitate, & fragilitate, modo etiam malitia commiſimus, quæ duo momenta ad mentem ſancti Auguſtini diſcuſſa & intellecta premunt Proteſtantium, aliorumque Heterodoxorum molitiones & prorſus e plodunt; qui certe & concupiſcentiæ motus, & ignorantiam juris naturalis peccata eſſe incaſſum contendunt.

S. Auguſtinus nu. 27. pag. 423. de primo momento ſcilicet concupiſcentiam & ignorantiam invincibilem non eſſe in ſe, ſed ſolummodo in radice peccata, de ſecundo vero Fideles orare ut eis dimittantur peccata actualia propriæ voluntatis electione commiſſa, ſic loquitur. “ Sed de
„ iſta concupiſcentia carnis falli eos cre-
„ do, vel fallere; cum qua neceſſe eſt
„ ut etiam baptizatus, & hoc ſi dili-
„ gentiſſime proficit, & ſpiritu Dei agi-
„ tur, pia mente confligat. Sed hæc etiam
„ ſi vocatur peccatum, NON UTIQUE
„ QUIA PECCATUM EST, SED QUIA PEC-
„ CATO FACTA EST, SIC VOCATUR:
„ ſicut ſcriptura manus cujuſque dicitur,
„ quod manus eam fecerit. Peccata au-
„ tem ſunt, quæ ſecundum carnis con-
„ cupiſcentiam vel ignorantiam illicite
„ fiunt, dicuntur, cogitantur: quæ tranſ-
„ acta etiam reos tenent, ſi non remit-
„ tantur. Et iſta ipſa carnis concupiſcen-
„ tia in baptiſmo ſic dimittitur, ut quam-
„ vis tracta ſit a naſcentibus, nihil no-
„ ceat renaſcentibus. Ex quibus ta-
„ men, ſi filios carnaliter gignunt, rur-
„ ſus trahitur; rurſuſque eſt nocitura na-
„ ſcentibus, niſi eadem forma renaſcen-
„ tibus remittatur, & inſit nihil obſi-
„ tura vitæ futuræ, quoniam reatus ejus
„ generatione tractus regeneratione di-
„ miſſus eſt: & ideo JAM NON SIT PEC-
„ CATUM, SED HOC VOCATUR, SIVE
„ QUOD PECCATO FACTA SIT, SIVE
„ QUOD PECCANDI DELECTATIONE
„ MOVEATUR, ETSI EI VINCENTE DE-
„ LECTATIONE JUSTITIÆ NON CON-
„ SENTIATUR. Nec propter ipſam, cu-
„ jus jam reatus lavacro regenerationis
„ abſumptus eſt, dicunt in Oratione ba-
„ ptizati, dimitte nobis debita noſtra,
„ ſicut & nos dimittimus debitoribus no-
„ ſtris: ſed propter peccata quæ fiunt,
„ ſive in ejus conſenſionibus, cum ab eo
„ quodlibet vincitur quod placet, ſive
„ cum per ignorantiam malum quaſi bo-
„ num PLACET. Fiunt autem ſive ope-
„ rando, ſive loquendo, ſive quod fa-
„ cillimum atque celerrimum eſt, cogi-
„ tando. A quibus omnibus quis etiam
„ fidelium gloriabitur caſtum ſe habere
„ cor, aut quis gloriabitur mundum ſe
„ eſſe a peccato? Illud ſane quod in
„ Oratione ſequitur, propter ipſam dici-
„ tur Matth. 6. 13. *Ne nos inferas in*
„ *tentationem, ſed libera nos a malo. U-*
„ *nuſquiſque enim*, ſicut ſcriptum eſt,
„ Jac. 1. 14. *tentatur a concupiſcentia ſua*
„ *abſtractus & illectus; deinde concupiſcen-*
„ *tia cum conceperit, parit peccatum.* „

S. Præſul cap. 19. num. 37. pag. 428. conciliat efficaciam gratiæ Chriſti cum libertate humana]. “ Quis, *inquit*, tra-
„ hitur, ſi jam volebat? Et tamen ne-
„ mo venit, niſi velit. Trahitur ergo
„ miris modis ut velit, ab illo qui no-
„ vit intus in ipſis hominum cordibus
„ operari, NON UT HOMINES, QUOD
„ FIERI NON POTEST, NOLENTES CRE-
„ DANT, SED UT VOLEMTES EX NO-
„ LENTIBUS FIANT. „

Pergit ibidem. n. 38. Et exquiſitis ſcriptu-

Digitized by Google

pturæ locis probat gratiæ energiam, ita tamen ut voluntas ſub ejus dominio non ſolum maneat libera, ſed fiat per Dei adjutorium ad bonum operandum multo magis & libera & expedita. Sic loquitur ſanctus Doctor: " Hoc verum eſſe „ non conjectura ſuſpicamur humana, ſed „ evidentiſſima divinarum Scripturarum „ auctoritate dignoſcimus. Legitur in Pa- „ ralipomenon libris, 2. Paralipomen. „ 30. 12. Et quidem in Juda facta eſt „ manus Dei ut daret illis cor unum, ut „ facerent præceptum Regis & Princi- „ pum in verbo Domini. Item per E- „ zechielem Prophetam Dominus dicit: „ Ezech. 36. 26. 27. Dabo eis cor aliud, „ & ſpiritum novum dabo eis, & evel- „ lam cor eorum lapideum de carne eo- „ rum, & dabo eis cor carneum, ut in „ præceptis meis ambulent, & juſtifica- „ tiones meas obſervent, & faciant eas. „ (Eſther. 14. 13.) Quid eſt autem quod „ Eſther illa regina orat, & dicit, da „ ſermonem concinnum in os meum, & „ verba clarifica in conſpectu Leonis, „ & convertetur cor ejus in odium im- „ pugnantium nos? Ut quid iſta in ora- „ tione dicit Deo, ſi non operatur Deus „ in cordibus hominum voluntatem? Sed „ forte hoc mulier inſipienter oravit. „ Videamus ergo utrum inaniter præmiſ- „ ſus fuerit orantis affectus, & conſecu- „ tus non fuerit exaudiens effectus. Ec- „ ce ingreditur ad Regem. (Eſther „ 15. 5.) Ne multa dicamus: & quia „ non ordine ſuo ingrediebatur, magna „ neceſſitate compulſa, intuitus eſt eam, „ ſicut ſcriptum eſt, velut taurus in im- „ petu indignationis ſuæ. Et timuit re- „ gina, & converſus eſt color ejus per „ diſſolutionem, & inclinavit ſe ſuper „ caput delicatæ ſuæ, quæ præcedebat „ eam. Et convertit Deus & tranſtulit „ indignationem ejus in lenitatem. Jam „ ſequentia commemorare quid opus eſt, „ ubi Deum compleviſſe quod illa roga- „ verat, divina Scriptura teſtatur, (E- „ ſther. 16.) operando in cor Regis, „ quid aliud, quam voluntatem, qua juſ- „ ſit, & factum eſt, quod ab eo regina „ popoſcerat? Quam Deus jam, ut fie- „ ret, exaudierat, ut cor Regis, ante- „ quam mulieris ſermonem poſcentis au- „ diſſet, occultiſſima & efficaciſſima po- „ teſtate convertit, & tranſtulit ab indi- „ gnatione in lenitatem, hoceſt, a volun- „ tate lædendi ad voluntatem favendi: „ & ſecundum illud Apoſtoli, Phil. 2. „ 13. Deus operatur in vobis velle. Num- „ quid homines Dei qui hæc ſcripſerunt, „ immo ipſe ſpiritus Dei, quo auctore „ per eos iſta conſcripta ſunt, OPPU- „ GNAVIT LIBERUM HOMINIS ARBI- „ TRIUM? ABSIT. Sed omnipotentis in „ omnibus, & judicium juſtiſſimum, & „ auxilium miſericordiſſimum commenda- „ vit. Sufficit enim ſcire homini, quod „ non eſt iniquitas apud Deum. Jam quo- „ modo iſta diſpenſet, faciens alios ſe- „ cundum meritum vaſa iræ, alios ſecun- „ dum gratiam vaſa miſericordiæ, quis „ cognovit ſenſum Domini, aut quis con- „ ſiliarius ejus fuit? „

Eo loci B. Auguſtinus propugnat gratiam non ſolum efficacem, ſed & efficaciſſimam: & ſaltem ſecundum nos Thomiſtas, per ſe efficacem: attamen tametſi efficaciſſima & potentiſſima ſit, nihilominus ex D. Aug. manet ſub ea voluntas humana liberrima: ratio ejus eſt, quod gratia non detur ut adimat, ſed potius ut ſanet & adjuvet liberum hominis arbitrium. Ibidem liber Eſtheris prædicatur canonicus & a Deo inſpiratus.

De Libro ſecundo.

VARIOS quoque in hoc libro debellat Pelagianorum errores S. Auguſtinus, variaſque & inſulſas propulſat calumnias. cap. 3. num. 5. defendit inconcuſſam Romanæ Cathedræ fidem, maxime Innocentii primi, & Zoſimi qui Pelagianam pravitatem proſcripſerunt, & licet iſte primum benigne audiiſſet Cæleſtium, qui fidei confeſſionem in verbis ſanam, ſed revera animo hæretico conſcriptam, fraude poſtea detecta, eum anathemate perculſit. " Nunc vero, *inquit* „ num. 5. „ pag. 434. Cum primitus beatiſſimi Pa- „ pæ Innocentii Litteræ Epiſcoporum „ litteris reſpondentis Afrorum, pariter „ hunc errorem, quem conantur iſti per- „ ſuadere, damnaverint: ſucceſſor quo- „ que ejus ſanctus Papa Zoſimus hoc te- „ nendum eſſe, quod iſti de parvulis ſen- „ tiunt, numquam dixerit, numquam „ ſcripſerit; inſuper etiam Cæleſtium ſe „ purgare molientem ad conſentiendum „ ſupra dictis ſedis Apoſtolicæ litteris

„ cre-

,, crebra interlocutione conſtrinxerit :
,, profecto quidquid interea lenius actum
,, eſt cum Cæleſtio, ſervata dumtaxat an-
,, tiquiſſimæ & robuſtiſſimæ fidei firmi-
,, tate , correctionis fuit clementiſſima
,, ſuaſio, non approbatio exitioſiſſima pra-
,, vitatis . ,,

S. Præſul cap. 4. refert geſta in cauſa Cæleſtii coram Zoſimo Papa cap. 5. n. 9. pag. 436. iterum atque iterum propellit calumnias Pelagianorum , præſertim vero eam qua liberum arbitrium gratia ab ipſo ſupra modum efficaci prædicata primi effutiebant ; quod centies negat S. Doctor qui unum ſolummodo incunctanter defendit , videlicet hominem innatis viribus non poſſe bonum ſalutis , ſecluſo gratiæ ſanantis & adjuvantis auxilio , operari .

Obſerves velim , benevole Lector, Pelagianos objicere S. Auguſtino gratiam quæ tollit libertatem actus & potentiæ ad extrema oppoſita, ab eo defendi ; ipſe vero hoc firmiter negat , illamque ſe aſtruere teſtatur: igitur ut ſolvat argumentum adverſariorum , ex profeſſo libertatem indifferentiæ & docet & defendit . Sic ait "Jam
,, num illa videnda ſunt , quæ in Epiſto-
,, la ſua nobis objicientes , breviter poſue-
,, runt , quibus hæc eſt noſtra reſponſio .
,, Peccato Adæ arbitrium liberum de ho-
,, minum natura periiſſe non dicimus, ſed
,, ad peccandum valere in hominibus ſub-
,, ditis Diabolo ; ad bene autem pieque
,, vivendum non valere, niſi ipſa volun-
,, tas hominis Dei gratia fuerit liberata ,
,, & ad omne bonum actionis , ſermonis ,
,, cogitationis adjuta ,, & n. 10. pag. 437.
" Ex his eorum verbis intellexi , ob hoc
,, illos , vel putare vel putari velle fatum
,, nos aſſerere ſub nomine gratiæ , quia
,, gratiam Dei non ſecundum merita no-
,, ſtra dicimus dari , ſed ſecundum ipſius
,, miſericordiſſimam voluntatem , qui di-
,, xit , miſerebor , cui miſertus ero , &
,, miſericordiam præſtabo cui miſericors
,, fuero . Ubi conſequenter adiunctum eſt,
,, igitur non volentis , neque currentis ,
,, ſed miſerentis eſt Dei . ,,

S. Doctor cap. 6. n. 12. fati definitionem affert , ſubditque gratiæ non poſſe convenire ; quippe quæ ſit non ſolum ſupra ſtellas & ſidera , ſed & ſupra omnem creaturam etiam angelicam , & a Deo optimo promanare , unde nullam vim inferre cordibus, ſed ſuaviter ſimul & fortiter, pro ut humanæ competit naturæ , ad bonum movere . Cap. 7. n. 13. oſtendit non eſſe acceptionem perſonarum apud Deum , tametſi gratiam uni conferat , alteri vero neget , quod illuſtrat n. 15. Exemplo Jacob qui præ Eſau a Deo dilectus prædicatur antequam quidquam boni aut mali egiſſent : laudat quoque exemplum duorum filiorum quorum unus tametſi meretricis proles baptiſmum recipit , alter vero mulieris honeſtæ fœtus non recipit : deinde concludit , injuſtitiam non ideo reperiri in Deo , ſed judicium potius & miſericordiam : judicium in iis qui a regno excluduntur , quia nihil debet filiis iræ : miſericordiam vero in aliis qui ſalvantur & non propter naturæ merita , quatenus gratiam eis miſericorditer propter merita dilecti Filii ſui concedere complacuit .

Inſurgit ſpecialiter S. Auguſtinus contra illud Pelagianorum commentum , quo initium ſaltem boni operis a natura in ſe relicta promanare contendebant , immo & conſummationem , tametſi hoc ipſum gratiæ adiutorio facilius adimpleri non diffiterentur : eos autem ſuo perſtringit ſtylo cenſorio , eiſque auctoritate Scripturæ probat , & finem boni operis ſeu complementum , & initium , quinimmo ipſius boni cupiditatem : quid dico cupiditatem ? ipſam boni cogitationem a Deo eſſe . Cap. 8. n. 18. pag. 443. ait " Au-
,, diant & Apoſtolum . Dominus enim cum
,, Joan. 15. 5. ait , *Sine me nihil poteſtis fa-*
,, *cere* : Hoc uno verbo initium finem-
,, que comprehendit . Apoſtolus vero tan-
,, quam ſententiæ Dominicæ expoſitor a-
,, pertius utrumque diſtinxit , dicens ,
,, Phil. 1. 6. Quoniam qui in vobis opus
,, bonum cœpit , perficiet uſque in diem
,, Chriſti Jeſu , ſed in Scripturis ſanctis
,, apud eundem Apoſtolum , iſto unde lo-
,, quimur , amplius invenimus . Loquimur
,, enim nunc de boni cupiditate , quam ſi
,, volunt a nobis incipere , a Domino
,, perfici , videant quid reſpondeant di-
,, centi Apoſtolo , 2. Cor. 3. 5. ,, *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis , ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* .

S. Doctor eo loci aſtruit etiam gratiam ſufficientem , quam indigitat S. P. dum ait , cogitare bonum ex Deo, ut a primi-

genio omnium gratiarum fonte profluere, & ex ipſa noſtram eſſe ſufficientiam. Etvero nomine gratiæ ſufficientis intelligimus modo illuminationem quæ bonum operandum proponit, modo ſalutare boni deſiderium: porro ſancta cogitatio nonnumquam eſt abſque boni cupiditate, eo quod illuminationi obnitentes quandoque in ſola hæremus cogitatione: cogitatio ſancta & boni deſiderium quandoque abſque ulteriori effectu ſunt in nobis, quatenus gratiæ reliſtentes, ad effectum perſectum ſeu ad actum deliberatum & ad opus nos non accingimus; tunc enim gratia eſt mere ſufficiens, quæ licet actum bonum pro fine habeat, illo tamen culpa noſtra privatur: eam eſſe enim D. Auguſtini mentem non eſt relictus ambigendi locus; ſubdit enim ibidem " Co-
,, gitamus quippe quod cupimus, nec ta-
,, men cupimus omne quod cogitamus:
,, nonnumquam & quod non cupimus, co-
,, gitamus. ,,

Clarius circa iſtud momentum ſe explicat, dum diſtinguit duplicem cordis a Deo præparationem, alteram inchoatam, alteram perſectam: inchoata fit illuminationibus interioribus, piis inſpirationibus, bonis deſideriis, & hæc omnia gratiæ ſufficienti tribuuntur; verius dicam, ſunt ipſa gratia ſufficiens quæ eſt in nobis ſine nobis, infunduntur quippe in anima ejuſmodi & illuminationes & inſpirationes: perfecta vero præparatio eſt opus & fœtus gratiæ efficacis quæ applicat voluntatem ad bonum, quæque cum charitate agit & operatur. Præparationem quæ eſt per gratiam ſufficientem delineat S. Doctor, cum ait, " Nonnumquam & quod non cupi-
,, mus, cogitamus; ,, eam quoque quæ eſt cum bono cœpto deſiderio, ſed abſque effectu ex parte noſtri deſcribit in l. 8. Confeſſ. cap. 12. ſtimulatus quippe ad converſionem, diu inter deſideria hæſit. Præparationem vero quæ eſt a gratia efficaci hic cap. 9. n. 19. commemorat; explicans enim iſta Prov. 16. 1. verba, *Hominis eſt præparare cor, & a Domino reſponſio linguæ*, ſubdit: " Quis enim poteſt
,, ſine bona cogitatione ad bonum cor præ-
,, parare? Abſit ut ſic intelligant, niſi
,, ſuperbi ſui arbitrii defenſores & Fi-
,, dei catholicæ deſertores. Ideo quippe
,, ſcriptum eſt, *Hominis eſt præparare cor*,
,, *& a Domino reſponſio linguæ*: quia ho-
,, mo præparat cor, non tamen ſine
,, adjutorio Dei. ,, & n. 21. Quapro-
,, pter multa Deus facit in homine bo-
,, na, quæ non facit homo. ,, Nimirum illuminationes, pias motiones, ecce gratia præveniens & ſufficiens: " Nulla vero
,, facit homo, quæ non facit Deus ut
,, faciat homo. ,, Ecce gratia efficax ſimul & adjuvans. Deinde gradum facit ad deſideria perfecta quæ ſunt actus deliberati, quos, adjuvante gratia, elicit homo, quique cum & charitate & amore conjuncti ſunt, & hoc dupliciter; primo quidem eſt amor inchoatus: quis enim cupit & deſiderat Deo conjungi, niſi Deus per gratiam ei dulceſcere incipiat? deinde eſt amor & charitas perfecta & actualis qua diligitur Deus propter ſe, & habitualis quæ cum gratia ſanctificante infunditur in juſtificatione peccatoris.

De amore inchoato & ad juſtificationem præparatorio loquitur S. Auguſtinus c. 8. n. 18. pag. 443. " Cum igitur minus ſit cogi-
,, tare quam cupere; poteſt enim homo co-
,, gitare bonum, quod nondum cupit; &
,, proficiendo poſtea cupere, quod antea
,, non cupiendo cogitavit. ,, & cap. 9. n. 21. pag. 445. " Tunc enim bonum concu-
,, piſci incipit, quando dulceſcere cœpe-
,, rit. ,, De charitate vero perfecta ibi-
,, dem ait " Quid eſt enim boni cupidi-
,, tas, niſi charitas, de qua Joannes A-
,, poſtolus ſine ambiguitate loquitur, di-
,, cens, 1. Joan. 47. Charitas ex Deo
,, eſt? Nec initium ejus ex nobis, &
,, perfectio ejus ex Deo. ,, Denique cap. 10. n. 23. pag. 446. concludit librum ſententia omni acceptione digna, Deum nuſquam impoſſibilia jubere, quia dat ut adimpleatur quod jubet. " Quæ cum ita
,, ſint, nihil in Scripturis ſanctis homini
,, a Domino video juberi probandum libe-
,, rum arbitrium quod non inveniatur,
,, vel dari ab ejus bonitate, vel poſci
,, propter adjutorium gratiæ demonſtran-
,, dum. ,,

In his & ſimilibus ſententiis omnia diſtinguit S. Doctor: primo ait præparationem cordis ad bonum incipere opus bonum, & eſſe a pia & ſalutari cogitatione: ſecundo hanc præparationem quandoque ſine boni cupiditate reperiri teſtatur: tertio & cogitationem & bonum deſide-

rium

rium non ſemel eſſe abſque converſione aſſerit, cum ſcilicet peccator hæret inter boni cogitationem & deſiderium: adverſus enim gratiæ imbrem recrudeſcens ſuam quandoque procraſtinat converſionem: Quarto docet præparationem perfectam, quæ conjunctam habet impii juſtificationem, eſſe a gratia præveniente non ſolum ſufficienter & per bonas inſpirationes, ſed efficaciter, & hoc applicando & determinando voluntatem ad actum. Quæ cuncta ſi ponderentur, abſque magno negotio tum gratiæ, tum libertatis humanæ jura conſociabit. Sic ſancta & immaculata, eaque Apoſtolica & Romana ſemper tenuit & tenet Eccleſia.

De Li ro tertio.

PERGIT in hoc libro S. Auguſtinus propellere inſulſas ſibi a Pelagianis illatas calumnias, maxime circa legem Moſaicam, quam veluti malam illum propugnaſſe conviciabantur. Ait legem eſſe in ſe bonam, nec datam fuiſſe ut peccatores graviſſimos faceret. Abſit, inquit, hæc dicere, quandoquidem lex bona & optima eſt, ſi vero per ejus promulgationem reviviſcat peccatum, eſt per accidens, & defectu hominis, qui videns & cognoſcens bonum, ex innata malitia deteriora, prævia mentis electione, ſequitur. Jamjam dictum eſt ex S. Auguſtino in hoc tantummodo ſenſu eam peccatum exſuſcitare, quatenus homines carnales, qui ſuam ita corruperant viam, ut obſcœna quædam committentes, præ mentis hebetudine illa eſſe peccata non arbitrabantur; quocirca Deus dedit legem ut & bonum faciendum, & malum fugiendum oſtenderet, adeoque ut homines in poſterum eſſent in peccatis omnibus modis inexcuſabiles. In hoc prorſus ſenſu, ait Apoſtolus Rom. 7. *Peccatum non cognovi, niſi lex diceret: non concupiſces.... ſine enim lege peccatum mortuum erat*, quatenus ignorantia invincibilis excuſat a culpa. Subdit: *Ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum: peccatum revixit*, hoc eſt, per legem cognitum eſt: & ideo omnis ignorantiæ excuſatio evanuit. Pergit: *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit, ſed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem*: ideſt, qui ſciens voluntarie prævaricatur, iam culpæ reus eſt.

Ex his claret quam graviter allucinantur qui legem Moſaicam datam fuiſſe autumant, ut graviores peccatores, & reprobos faceret: & hanc Auguſtino affingere ſententiam ſeu potius contumeliam irrogare non erubuerunt: verum quidem eſt illud adagium, *nitimur in vetitum*, cum aliquid prohibetur, eo ipſo homo rebellis & corruptus in hoc magis exardeſcit, juxta illud Jerem. 2. 20. *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea: & dixiſti, non ſerviam.* Ergo lex peccatum inducit, & malos facit? abſit, ſed eſt culpa inobedientis hominis, unde Scriptura non ſemel dicit: *Ne dixeris per Deum abeſt: perditio ex te Iſrael.* Sed audiamus S. Auguſtinum a calumnia per Pelagianos ſibi illata ſeipſum purgantem: ſic loquitur cap. 2. n. 2. pag. 447. *Legem veteris Teſtamenti nos*, ajunt, *dicere, non ob hoc datam fuiſſe, ut juſtificaret obedientes, ſed ut gravioris fieret cauſſa peccati.* " Prorſus
" non intelligunt quid de lege dicamus,
" quia id quod dicit Apoſtolus, quem non
" intelligunt, dicimus. Quis enim non
" dicat, non juſtificari eos qui ſunt legi
" obedientes; quando niſi juſtificarentur,
" non poſſent eſſe obedientes? Sed dici-
" mus lege fieri, ut Deus quid fieri ve-
" lit, audiatur: gratia vero fieri, ut le-
" gi obediatur. Non enim auditores le-
" gis, ait Apoſtolus, juſti ſunt apud Deum,
" ſed factores legis juſtificabuntur. Lex
" ergo auditores juſtitiæ facit, gratia fa-
" ctores...... Nec littera malum eſt,
quia occidit; ſed MALOS PRÆVARICATORES CONVINCIT. "

In reliquo iſto libro multa de veteri lege, ejuſque præceptis & cæremoniis diſcutit relative ad legem Evangelicam, quam quidem altera perfectiorem eſſe prædicat, quatenus nedum bonum operandum demonſtrat, ſed gratiam qua fiat largitur, iuxta illud Joan. 1. *Lex per Moiſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Dominus Jeſus legem Moſaicam non damnavit, ſed laudavit, ſed adimplevit, ſic enim Matth. 5. effatur: *Non veni ſolvere, ſed implere.* Rurſus ibidem: *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

De Libro quarto.

QUÆ dicit S. Auguſtinus in hoc libro eſt veluti priorum librorum appendix & concluſio. Cap. 2. n. 2. refert vanas & inſulſas liberi arbitrii laudes quibus illud Pelagiani efferebant ut evacuarent gratiam Chriſti. Idem peragit cap. 4. n. 4. illos hæreticos perſtringit n. 6. aſſerens omnes miſerias eſſe peccati effectus, ſolumque Chriſtum mortem abſque reatu peccati pertuliſſe. Cap. 5. n. 11. Probat exiſtentiam & neceſſitatem gratiæ adverſus negantes: legem enim non gratiam qua bonum facimus, eſſe teſtatur. Cap. 6. Iterum in medium adducit futiles liberi arbitrii laudes ab hoſtibus gratiæ inductas. & n. 13. Oſtendit ſolum gratiam prævenientem ex reluctantibus facere volentes. n. 14. pag. 476. Variis exquiſitiſque Scripturæ textibus probat efficaciam gratiæ, qua ſecluſa, voluntas humana quantumvis libera, iners ad bonum operandum manet. & n. 16. Cur Deus alios, oves faciat; alios, non; refert ad inſcrutabilia Dei iudicia. Cap. 19. 10. 11. Probat auctoritate SS. Cypriani & Ambroſii peccatum originale: deinde gratiæ neceſſitatem tum ad initium, tum ad conſummationem bonorum operum, maxime vero ad perſeverantiam finalem in charitate.

PUNCTUM SEXTUM.

De Libro cuius hic eſt titulus, *de Gratia & Libero arbitrio.*

INCASSUM Heterodoxi in ſuas trahere partes S. Auguſtinum pro gratia neceſſitante tentant. Etvero num liberum ſtet arbitrium ſub dominio gratiæ operis, quæſtio delata eſt a Valentino Monaſterii Adrumetini Archimandrita ad S. Doctorem: diſceptatio quippe de hoc momento non levis erat inter Monachos. Namque quidam inter eos gratiam ita perimere liberum arbitrium & neceſſitare autumabant, ut de geſtis in vita nullam fore rationem in iudicio Dei tremendo reddendam, multorum eſſet opinio & ſententia.

Dic quæſo, benevole & amantiſſime Lector, num reſponſioni S. Doctoris pro iſto puncto ſtandum ſit? Garriant Proteſtantes pro more: ſi dicant S. Auguſtinum nihil quidquam definire pro controverſia, dum gratiæ inimicos Pelagianos inſectatur, profecto cauſa cadunt cum aliis hæreticis; ſicut & cum liberum arbitrium prædicant peccato Adæ extinctum, quandoquidem quæ dixit in eius gratiam adverſus Pelagium S. Auguſtinus, nuſquam retractavit: ſed in iſto maxime libro ex matutino S. Præſul, interficit omnes peccatores terræ, qui negant hominem in actibus ſuis non eſſe liberum libertate vera, eaque actus & indifferentiæ ad oppoſitum, de qua ſolummodo tunc temporis inter illos Monachos circumferebatur diſceptatio; quocirca S. Doctor ut faciat ſatis, & animos perturbatos ſedare ſatagat, exquiſitis tum veteris, tum novi Teſtamenti contextibus hanc propugnat in homine ſub dominio gratiæ etiam efficaciſſimæ libertatem.

Sanctus Auguſtinus l. 2. Retr. cap. 66. de motivo quo hunc ſcripſit librum ſic loquitur: " Propter eos, qui, cum defen„ditur Dei gratia, putantes negari libe„rum arbitrium, ſic ipſi defendunt li„berum arbitrium, ut negent Dei gra„tiam, aſſerentes eam ſecundum merita „noſtra dari, ſcripſi Librum, cuius ti„tulus eſt, *de Gratia & Libero arbitrio*, „ad eos autem ſcripſi Monachos Adru„metinos, in quorum Monaſterio de hac „re cœperat eſſe contentio, ita ut me „conſulere aliqui eorum cogerentur. „

Rurſus in Epiſt. ad Valentinum priore, quæ eſt 214. n. 1. ait: " Venerunt ad „nos duo iuvenes, Creſconius & Felix „de veſtra Congregatione ſe eſſe dicen„tes, qui nobis retulerunt, Monaſterium „veſtrum nonnulla diſſenſione turbatum, „eo quod quidam in vobis ſic gratiam „prædicent, ut negent hominis eſſe li„berum arbitrium, & quod gravius eſt, „dicant, quod in die iudicii non ſit red„diturus Deus unicuique ſecundum ope„ra eius: etiam hoc tamen iudicaverunt, quod plures veſtrum non ita „ſentiant, ſed liberum arbitrium adiu„vari fateantur per Dei gratiam. „

Rurſus ibidem n. 2. " Si igitur non eſt „Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? „Et ſi non eſt liberum arbitrium, quo„modo judicat mundum? Proinde Librum

&

Digitized by Google

,, & Epiſtolam meam quam ſolum ſu- ,, pra dicti ad nos attulerunt, ſecundum ,, hanc fidem intelligite, ut neque ne- ,, getis Dei gratiam, neque liberum ar- ,, bitrium ſic defendatis, ut a Dei gratia ,, ſeparetis. ,,

Rurſus ibidem n. 5. " Multa erant quæ ,, vobis mittere cupiebam; quibus lectis, ,, totam ipſam cauſſam, quæ Conciliis ,, Epiſcopalibus acta eſt adverſus eoſdem ,, Pelagianos hæreticos, diligentius & ,, plenius noſſe poſſetis: ſed feſtinaverunt ,, fratres, qui ex numero veſtro ad nos ve- ,, nerunt; per quos vobis non reſcripſimus ,, iſta, ſed ſcripſimus. Nullus enim ad nos ,, veſtræ charitatis litteras attulerunt: ta- ,, men ſuſcepimus quoniam ſimplicitas eo- ,, rum ſatis indicabat, nihil illos nobis ,, potuiſſe contingere. ,,

Rurſus Epiſt. 2. ad eundem quæ eſt inter Auguſtinianas 215. ait exponens quæſtionis ſtatum: " Soli enim parvuli, qui ,, nondum habent opera propria, vel bo- ,, na, vel mala, ſecundum ſolum origi- ,, nale peccatum damnabuntur, quibus per ,, lavacrum regenerationis non ſubvenit ,, gratia Salvatoris. Cæteri autem omnes, ,, qui jam utentes libero arbitrio, ſua pro- ,, pria peccata originali peccato inſuper ,, addiderunt, ſi de poteſtate tenebrarum ,, per gratiam Dei non eruuntur. ,,

Et ut multa paucis complectar, eo in libro S. Præſul duplicis generis hominum debellat erroneas circa gratiam opiniones. Quidam enim inter Monachos Adrumetinos ex efficacia gratiæ liberi arbitrii extinctionem inferebant: alii vero ut intactum ſervarent, gratiæ ad bonum incipiendum abnuebant neceſſitatem, hinc ad Pelagianiſmum declinabant. Omnes revincit S. Auguſt. priores quidem oſtendendo variis, exquiſitiſque utriuſque Teſtamenti auctoritatibus libertatem indifferentiæ ſub dominio gratiæ quantumvis efficacis, intactam permanere: poſteriores vero probando liberum arbitrium ſe ſolo ad eliciendos actus ſupernaturales, ſecluſo Dei auxilio, non valere. Ita colligitur ex Epiſtolis ſupra laudatis.

Juvat nunc percurrere Librum. Cap. 2. n. 2. Probat S. D. ex divinis præceptis liberum arbitrium in homine lapſo remanſiſſe, ita ut eligere vel bonum ad laudem, vel malum ad pœnam cuilibet fas ſit homini: ſic loquitur S. Præſul: " Re- ,, velavit autem nobis per Scripturas ſuas ,, ſanctas, *Deus*, eſſe in homine liberum ,, voluntatis arbitrium. Quomodo autem ,, revelaverit, commemoro .... Primum ,, quia ipſa divina præcepta homini non ,, prodeſſent, niſi haberet liberum volun- ,, tatis arbitrium, quo ea faciens ad pro- ,, miſſa præmia perveniret. Ideo enim da- ,, ta ſunt, ut homo excuſationem de igno- ,, rantia non haberet: ſicut Dominus di- ,, cit in Evangelio de Judæis, Jo. 15. 22. ,, *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem*, ,, *peccatum non haberent*. ,, Eo loci non ſolum liberum propugnat S. Auguſtinus arbitrium, ſed illam quoque ignorantiam, quæ vinci poteſt, adhibita ſufficienti diligentia, dicit peccatum.

Alio modo probat S. Præſul libertatem indifferentiæ actus, quatenus ſcilicet homo in peccando inexcuſabilis eſt, eo quod poſſit declinare a malo, & præ innata malitia non faciat, unde excuſatio fruſtra quæritur in culpa. Sic peccatores revincit S. Auguſtinus nu. 3. pag. 719. " ,, Sed ſunt homines qui etiam de ipſo ,, Deo ſe excuſare conantur, ,, quibus dicit Apoſtolus Jacobus, Jacob. 1. 3. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat* .... & liber Eccleſiaſticus dicit, Eccleſiaſt. 15. 11. *Ne dixeris quia propter Dominum receſſi; quæ enim odit, non facias. Ne dixeris quia ipſe me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non eſt amabile timentibus illum. Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Appoſuit tibi ignem & aquam ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei.* " Ecce apertiſſi- ,, me videmus expreſſum liberum huma- ,, næ voluntatis arbitrium. ,, Duo inconcuſſe propugnat S. Auguſtinus. Primum quidem hominem ex ſe poſſe eligere malum, & illud operari: alterum vero poſſe quoque bonum ſalutis, ſed modo gratia & præveniatur & adjuvetur, quæ certe non deficit, unde mandata ſemper poſſibilia ſunt; maxime vero cum urget præceptum. Sic propugnat S. Doctor multis in locis ut l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 10. n. 23. pag. 446. his verbis;

“ Nihil in Scripturis ſanctis homini a Do-
„ mino video juberi propter probandum
„ liberum arbitrium quod non inveniatur
„ VEL DARI AB EJUS BONITATE, VEL
„ POSCI PROPTER ADJUTORIUM GRA-
„ TIÆ DEMONISTRANDUM. „

Pergit S. Auguſtinus, & primum fuſiori calamo explanat argumentum, videlicet probando ineſſe homini libertatem indifferentiæ ex mandatis ipſi impoſitis ad laudem, cum hæc penes ſint voluntatis electionem. Hoc ipſum demonſtrat undecim ex veteri Teſtamento depromptis, ſeptemdecim vero ex novo deſumptis auctoritatibus.

Capite 3. n. 5. Commemorat eos, qui legem audierunt & mandata, eis tamen ex cæcitate voluntaria obedire noluerunt. Cæteros vero qui nec legem, nec mandata noverunt: illos perituros, iſtos judicandos, omnes e regno Dei exules prædicat; ita tamen quod mitius erit pro eis qui in infidelitate negativa mortui ſunt. “ Qui
„ ergo, *inquit*, noverunt divina manda-
„ ta, auſertur eis excuſatio, quam ſo-
„ lent homines habere de ignorantia. Sed
„ nec ipſi ſine pœna erunt, qui legem
„ Dei neſciunt. *Qui enim ſine lege pecca-*
„ *verunt, ſine lege peribunt: qui autem in*
„ *lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*
„ Rom. 2. 12. Quod mihi non videtur
„ Apoſtolus ita dixiſſe, tanquam pejus
„ aliquid ſignificaverit eſſe paſſuros, qui
„ legem neſciunt in peccatis ſuis quam
„ illos qui ſciunt. Pejus enim videtur
„ eſſe perire, quam judicari: ſed cum
„ hoc de Gentibus & de Judæis loquere-
„ tur, quia illi ſine lege ſunt, iſti autem
„ legem acceperunt, quis audeat dicere
„ Judæos qui in lege peccant, non eſſe
„ perituros, cum in Chriſtum non credi-
„ derint; quandoquidem de illis dictum eſt,
„ *per legem judicabuntur?* Sine fide enim
„ Chriſti nemo liberari poteſt; ac per
„ hoc ita judicabuntur ut pereant. Nam
„ ſi pejor eſt conditio neſcientium, quam
„ ſcientium legem Dei, quomodo ve-
„ rum erit quod Dominus in Evangelio
„ ait, Luc. 12. 47. & 48. *Servus qui*
„ *neſcit voluntatem Domini ſui, & facit*
„ *digna plagis, vapulabit pauca; ſervus*
„ *autem qui ſcit voluntatem Domini ſui*
„ *& facit digna plagis, vapulabit multa?*
„ Ecce ubi oſtendit gravius peccare ho-
„ minem ſcientem quam neſcientem.
„ Nec tamen ideo confugiendum eſt ad
„ ignoratiæ tenebras, ut in eis quiſque
„ requirat excuſationem. Aliud eſt enim
„ neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas
„ quippe in eo arguitur, de quo dicitur
„ Pſal. 35. 4. *Noluit intelligere ut bene age-*
„ *ret*. Sed & illa ignorantia quæ non
„ eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum
„ qui tanquam ſimpliciter neſciunt, ne-
„ minem ſic excuſat, ut ſempiterno igne
„ non ardeat, ſi propterea non credidit,
„ quia non audivit omnino quid crede-
„ ret; ſed fortaſſe ut mitius ardeat.
„ Non enim ſine cauſſa dictum eſt Pſal.
„ 78. 6. *Effunde iram tuam in Gentes quæ*
„ *te non noverunt*. Et illud quod ait Apo-
„ ſtolus 2. Theſſ. 18. *Cum venerit in flam-*
„ *ma ignis dare vindictam in eos, qui igno-*
„ *rant Deum*. Verumtamen ut habeamus
„ & ipſam ſcientiam, ne dicat unuſ-
„ quiſque neſcivi, non audivi, non in-
„ tellexi, voluntas convenitur huma-
„ na, ubi dicitur Pſal. 31. 9. *Nolite eſſe*
„ *ſicut equus & mulus, quibus non eſt in-*
„ *tellectus*, quamvis pejor appareat, de
„ quo dictum eſt Proverb. 29. & 19. *Ver-*
„ *bis non emendabitur ſervus durus: ſi enim*
„ *intellexerit, non obaudiet*. Quando autem
„ dicit homo, non poſſum facere quod
„ præcipitur, quoniam concupiſcentia
„ mea vincor: jam quidem de igno-
„ rantia non habet excuſationem, nec
„ Deum cauſatur in corde ſuo, ſed ma-
„ lum ſuum in ſe cognoſcit & dolet;
„ cui tamen dicit Apoſtolus Rom. 12.
„ 21. NOLI VINCI A MALO, SED VIN-
„ CE IN BONO MALUM. Et utique cui
„ dicitur: NOLI VINCI, ARBITRIUM
„ VOLUNTATIS EJUS SINE DUBIO CON-
„ VENITUR. VELLE ENIM ET
„ NOLLE PROPRIÆ VOLUNTATIS
EST. „

Eo loci duo pertractat momenta S. Doctor. Alterum de ignorantia, alterum de concupiſcentia. Quæſtionem primam movet de jure poſitivo, videlicet de cognitione Chriſti per legem Evangelicam: & aſſerit Judæos perituros, & gravius quam Gentes, eſſe puniendos, quippe qui audierint & credere noluerint: non ideo tamen per ignorantiam invincibilem ita mundantur ſeu excuſantur Gentiles, ut abſque fide in Chriſtum ſalvandi ſint, nam ſine fide nemo ſalvabitur: cum igitur & peccato originali, & infidelitate tean-

Digitized by Google

neantur, haud dubie a regno Dei propelluntur, ſed mitius ardebit Gentilis quam Judæus qui ſciens noluit credere. Ergone ignorantia invincibilis juris poſitivi & Evangelici peccatum eſt? abſit; nec ipſe refragatur Janſenius. S. Auguſtinus l. 1. contra duas Epiſtolas Pelag. n. 6. & 7. eam ſolam ignorantiam dicit eſſe peccatum, quæ eſt voluntaria. Juſte tamen damnabitur Gentilis & propter peccatum originale, & propter alia peccata, immo & quodammodo propter infidelitatem, quatenus poterat legem naturalem, adjuvante Deo, adimplere, & adimplendo attrahere vel illuminationem interiorem, vel prædicatorem ut de fide in Chriſtum inſtrueretur, & credendo ſalvaretur: ſic propugnat Divus Thomas fidelis S. Auguſtini interpres q. 14. de verit. art. 11. ad 1. hoc ipſum & prædicat & docet S. Aug. ut fuſius ſuo loco dicemus.

Quæſtionem alteram de concupiſcentia dirimit S. Præſul, & huic reſpondet objectioni, *concupiſcentia mea vincor*: ne igitur aliquis excuſationem in peccato quærat, aſſerit neminem concupiſcentia ad peccatum neceſſario compelli, nec concupiſcentiam eſſe peccatum donec accedat propriæ voluntatis conſenſus, quod probat S. Doctor ex præceptis & conſiliis quibus Deus adhortatur peccatorem ne cedat concupiſcentiæ titillanti, quæ quidem exhortatio ſicut inutilis, ſic & injuſta foret, ſi homo concupiſcentia neceſſitaretur ad peccandum: ubi enim adeſt neceſſitas, ibi conſilium fruſtra exhibetur, & tamen Deus, non aliquam & levem, ſed omnem quantumvis gravem, vult vinci ab homine tentationem; ne cedat, illum adhortatur, ita S. Auguſtinus: " *Noli vinci*, arbitrium voluntatis „ ejus ſine dubio convenitur. „ Idem docet l. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. n. 7. pag. 722.

Sanctus Auguſtinus cap. 4. n. 7. Probat Scripturarum teſtimoniis neceſſitatem gratiæ ad præcepta adimplenda. " Proinde „ cariſſimi, ſicut ſuperioribus teſtimoniis „ ſanctarum Scripturarum probavimus, „ ad bene vivendum & recte agendum „ eſſe in homine liberum voluntatis ar„ bitrium, ſic etiam de gratia Dei, ſi„ ne qua nihil boni agere poſſumus, quæ „ ſint divina teſtimonia, videamus. „ Idem proſequitur n. 8. 9. & n. 10. pag. 723. ſic liberum arbitrium conſociat. „ Cum dicit Deus Zach. 1. 3. *Converti„ mini ad me, & convertar ad vos*: unum „ horum videtur eſſe noſtræ voluntatis, „ ideſt, ut convertamur ad eum; alte„ rum vero ipſius gratiæ, ideſt, ut etiam „ ipſe convertatur ad nos. „ Unde cap. „ 6. n. 15. pag. 726. ait: " Dona ſua „ coronat Deus, non merita tua. „

Capite 7. n. 18. docet S. Doctor & fidem ſine operibus ad ſalutem & juſtificationem non ſufficere. Cap. 8. n. 19. hanc proponit quæſtionem, quomodo vita æterna dici poſſit ſimul & gratia & merces ſeu corona. Solvit n. 20. & 21. dicendo illam eſſe gratiam, quatenus bona opera quibus comparatur, ſecluſo Dei auxilio, non fiunt: eatenus vero coronam eſſe, quatenus bona opera a voluntate humana promanant.

Capite 13. n. 25. ait: " Si ex natura „ juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus „ eſt. „ & n. 26. Probat gratiam perutilem eſſe non ſolum ad remiſſionem peccatorum præteritorum, verum etiam ad futura præcavenda.

Capite 15. n. 31. p. 734. ait hominem poſſe adimplere mandata, quia Deus adjuvat ut poſſimus. " *Dabo vobis cor no„ vum, & ſpiritum novum dabo in vobis*, „ Ezech. 36. 26. Quomodo ergo qui di„ cit, *facite vobis*: hoc dicit, *dabo vobis?* „ Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Qua„ re dat ſi homo facturus eſt; niſi quia „ dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat „ cui jubet? Semper eſt autem in nobis „ voluntas libera, ſed non ſemper eſt bo„ na. Aut enim a juſtitia libera eſt, „ quando ſervit peccato, & tunc eſt ma„ la: aut a peccato libera eſt, quando „ ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gra„ tia vero Dei ſemper eſt bona, & per „ hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, „ qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc „ etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ „ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam ma„ gna fiat, ut poſſit implere divina man„ data quæ voluerit, cum valde perfecte„ que voluerit. Ad hoc enim valet quod „ ſcriptum eſt Eccli. 15. ſec. LXX. *Si „ volueris, conſervabis mandata*: ut homo „ qui voluerit, & non potuerit, nondum „ ſe plane velle cognoſcat, & oret ut ha„ beat tantam voluntatem, quanta ſufficit „ ad implenda mandata. Sic quippe adju-

Digitized by Google

,, vatur, ut faciat quod iubetur: tunc
,, enim utile eſt velle, cum poſſumus;
,, & tunc utile eſt poſſe, cum volumus:
,, nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus,
,, volumus, aut quod poſſumus, nolumus?,,

Quatuor eo loci oſtendit S. Auguſtinus: primo quidem noſtram ſufficientiam eſſe a Deo qui ſua nobis reddit mandata poſſibilia: ſecundo hoc fieri per gratiam prævenientem qua voluntas incipit eſſe bona, quæ quidem gratia vocatur ſufficiens: tertio idem perfecte fieri per gratiam operis & efficacem quæ jungit potentiam cum actu, & hoc vocat poſſe quod iubetur, ideſt facere. Denique voluntatem humanam ſub utriuſque gratiæ dominio manere liberam.

Capite 16. n. 32. idem fuſius pertractat, probatque & mandatorum poſſibilitatem, & liberum voluntatis arbitrium, præparatum quidem a gratia, ſed nuſquam neceſſitatum: denique efficaciam gratiæ adjuvantis quæ facit facere quod iubetur.
,, Contra luxuriam Deus quam multa
,, mandavit: faciat ea, quia SI VOLUE-
,, RIT CONSERVABIT MANDATA. Quid
,, eſt quod clamat ad Deum, Eccli. 23.
,, 6. *Ventris appetitio & concubitus ne ap-*
,, *prebendat me?* Si hæc ei præſenti dice-
,, mus, rectiſſime nobis reſponderet & di-
,, ceret, ex iſta oratione mea, qua hæc a
,, Deo peto, INTELLIGITE QUOMODO
,, DIXERIM, SI VOLUERIS CONSERVA-
,, BIS MANDATA. Certum eſt enim nos
,, mandata ſervare ſi volumus; ſed quia
,, præparatur voluntas a Domino, ab il-
,, lo petendum eſt ut tantum velimus,
,, quantum ſufficit ut volendo faciamus.
,, Certum eſt nos velle cum volumus, ſed
,, ille facit ut velimus bonum, de quo
,, dictum eſt Prov. 8. ſec. LXX. quod paulo
,, ante poſui: *Præparatur voluntas a Do-*
,, *mino*: de quo dictum eſt Pſ. 36. 23. *A*
,, *Domino greſſus hominis dirigentur, & viam*
,, *ejus volet*: de quo dictum eſt Phil. 2.
,, 13. *Deus eſt qui operatur in vobis ea vel-*
,, *le*. Certum eſt nos facere cum facimus:
,, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vi-
,, res efficaciſſimas voluntati, qui dixit
,, Ezech. 36. 27. *Faciam ut in juſtificatio-*
,, *nibus meis ambuletis, & judicia mea ob-*
,, *ſervetis & faciatis*. Cum dicit Ezech.
,, 11. 19. & 36. 26. *Faciam ut faciatis*:
,, quid aliud dicit: *Niſi auferam a vobis*
,, *cor lapideum*, unde non faciebatis: *Et*
,, *dabo vobis cor carneum*, unde facia-
,, tis? Et hoc quid eſt, niſi auferam cor
,, durum, unde non faciebatis; & dabo
,, cor obediens, unde faciatis? Ille facit
,, ut faciamus, cui dicit homo Pſal. 38.
,, 2. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo*.
,, Hoc eſt enim dicere, fac ut ponam
,, cuſtodiam ori meo: quod beneficium
,, Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit
,, Pſal. 140. 3. *Poſui ori meo cuſtodiam*.,,

Certe in iſto loco S. Auguſtinus prædicat gratiam efficaciſſimam, & ſecundum multorum graviſſimorum Theologorum interpretationem, ibi gratiam propugnat per ſe efficacem; eam tamen ita ſuavem commemorat, ut non lædat, ſed ſanet, ſed roboret, ſed adiuvet liberum arbitrium; hinc hominem adiutum, aſſerit ipſum facere bonum, quod elegit & vult, & adimplere mandata quia vult: & ne circa iſtud momentum aliquis maneat in legentibus ſcrupulus, S. Doctor hanc perpetuo repetit ſententiam, *ſi volueris, conſervabis mandata*: unum tantummodo exigit S. Doctor, ut liberum voluntatis arbitrium gratia præparetur & adiuvetur, & hoc ipſum, ſr inimici gratiæ fateantur, nulla manet inter eos & eum de gratia Mediatoris controverſia. Prædicat ibi liberum voluntatis arbitrium, iterum atque iterum aſſerit peccato Adæ infirmum, ſed nuſquam extinctum: illud cum gratia quantumvis efficaci conſociat: modo iura gratiæ ſerventur, nihil ultra expoſtulat. Quid ſuavius?

Capite 17. n. 33. pag. 735. Eandem proſequitur materiam de poſſibilitate mandatorum, adiuvante gratia, & ſic loquitur:
,, Qui ergo vult facere Dei mandatum &
,, non poteſt, iam quidem habet volunta-
,, tem bonam, ſed adhuc parvam & in-
,, validam: poterit autem, cum magnam
,, habuerit & robuſtam. Quando enim
,, Martyres magna illa mandata fecerunt,
,, magna utique voluntate, hoc eſt, ma-
,, gna caritate fecerunt: de qua caritate
,, ipſe Dominus ait Joan. 15. 13. *Majo-*
,, *rem hac caritatem nemo habet, quam ut*
,, *animam ſuam ponat pro amicis ſuis*.....
,, ipſam caritatem Apoſtolus Petrus non-
,, dum habuit, quando timore Dominum
,, ter negavit. 1. Joan. 4. 18. *Timor*,
,, enim, *non eſt in caritate*, ſicut ait
Joan-

Digitized by Google

„ Joannes Evangeliſta in Epiſtola ſua, *ſed*
„ *perfecta caritas foras mittit timorem*. Et
„ tamen quamvis parva & imperfecta,
„ non deerat, quando dicebat Domino
„ Joan. 13. 37. *Animam meam pono pro te*:
„ putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle
„ ſentiebat. Et quis iſtam etſi parvam
„ dare cœperat caritatem, niſi ille qui
„ præparat voluntatem, & cooperando
„ perficit, quod operando incipit? Quo-
„ niam ipſe ut velimus, operatur inci-
„ piens, qui volentibus cooperatur perfi-
„ ciens. Propter quod ait Apoſtolus Phil.
„ 1. 6. *Certus ſum, quoniam qui operatur in*
„ *vobis opus bonum, perficiet uſque in diem*
„ *Chriſti Jeſu*. Ut ergo velimus, ſine
„ nobis operatur, cum autem volumus,
„ & ſic volumus ut faciamus, nobi-
„ ſcum cooperatur: tamen ſine illo vel
„ operante ut velimus, vel cooperante
„ cum volumus, ad bona pietatis opera
„ nihil valemus. De operante illo ut
„ velimus, dictum eſt, *Deus eſt enim qui*
„ *operatur in vobis & velle*. De cooperan-
„ te autem cum jam volumus & volen-
„ do facimus: *Scimus*, inquit, *quoniam*
„ *diligentibus Deum omnia cooperantur in*
„ *bonum*. „

Miror Janſenium l. 3. de gr. Chriſti c. 13. hunc S. Auguſtini locum celebrare, ut probet quædam mandata etiam juſtis, etiam conantibus eſſe impoſſibilia, cum ex hac auctoritate contrarium manifeſte ſequatur: primo ex ſcopo S. Doctoris qui eo in libro unum maxime intendit probare, videlicet liberum voluntatis arbitrium integrum manere ſub dominio gratiæ quantumvis efficacis, & hoc adverſus multos Monaſterii Adrumetini Monachos qui aliter ſentiebant. Secundo hoc ipſum conſtat ex variis S. Auguſtini ſententiis qui eo loci omnem gratiæ œconomiam delineat, ne ſuperſit aliqua circa ejus de libertate humana ſub dominio gratiæ efficacis opinionem ſuſpicio: namque loquitur de duplici poſſe, altero ſe tenente ex parte actus primi, quod nomine auxilii ſufficientis a multis ſæculis celebratur in ſcholis: altero ſe tenente ex parte actus ſecundi quod jungit actum cum potentia, & quod gratiam vocamus efficacem, nos Thomiſtæ per ſe efficacem: primum actum eatenus S. Aug. vocat caritatem inchoatam, quatenus peccator gratia præventus incipit velle Deum & amare ut bonum ſibi ipſi utile & juxta Tridentinum ut totius juſtitiæ ſontem; caritatem imperfectam & invalidam, quatenus ſeminat in nobis quoddam bonum deſiderium: hoc poſſe a S. Auguſtino vocatur præparatio a Domino, ſed adhuc imperfecta, quandoque enim peccator hæret in deſideriis: alterum actum & poſſe appellat S. Præſul caritatem perfectam, ſive efficienter, quatenus gratia efficax facit ut faciamus, facit ut peccator eliciat contritionis actum quo perfecte convertitur ad Dominum: ſive formaliter, quando actus ab ipſa caritate habituali elicitur, ut in Martyribus, qui præ magno in Deum amore animam ſuam pro fide poſuerunt; porro illud poſſe habet teſte S. Aug. actum conjunctum, & gratiæ tribuitur efficaci, quippe quæ faciat facere. Ex eodem proximum & expeditum ad actum, operatur Deus in nobis ſine nobis; alterum vero habet actum conjunctum, & iſtum nobiſcum operatur idem Deus optimus: ex quo patet quomodo jus humanæ libertatis ſub dominio gratiæ ſervetur, cum exigat Deus noſtram cooperationem, quæ nonniſi prævia boni ptimum inſpirati electione, fit.

Beatus Petrus ex S. Auguſtino habebat parvam caritatem, bonum deſiderium, primum poſſe, primam præparationem quæ eſt a gratia præveniente & ſufficiente; namque illa imperfecta caritas erat a gratia, ſed certe non triumphanti, cum hærens in deſideriis Chriſtum timore perterritus negaverit: Martyres vero habuerunt perfectam & hoc per gratiam valde efficacem quæ facit facere. Quid ergo intendat S. Doctor cum ait:
“ Qui ergo vult facere Dei mandatum &
„ non poteſt, jam quiddem habet volun-
„ tatem bonam, ſed adhuc parvam & in-
„ validam. „ Certe hoc non eſt propugnare mandata eſſe impoſſibilia, cum loquatur S. Aug. de homine jam gratia prævento, de homine jam habente bonam voluntatem & caritatem imperfectam: hæc quippe contradictoria ſunt: ſed vult ſolummodo illum non habere poſſe conjunctum cum actu, videlicet gratiam operis & efficacem. “ Poterit autem, *inquit S.*
„ *Doctor*, cum magnam habuerit & ro-
„ buſtam. Quando enim Martyres magna
„ illa mandata fecerunt, magna utique
„ voluntate. Hoc eſt magna caritate fece-
„ runt.

Digitized by Google

runt. „ Ecce opus: ecce poſſe conjunctum cum actu, ecce S. Auguſtinus ſui ipſius interpres. Quod autem primum poſſe ſit a gratia ſufficiente & præparante, alterum vero a gratia efficaci, patet quod primum poſſe quandoque ſit abſque ſecundo, patet etiam in Petro qui illud, non iſtud habebat, quando Chriſtum negavit: hæc cuncta notat & inculcat S. Præſul qui de Petro ſic loquitur: *Putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat*: ex quo ſe velle ſentiebat? niſi per gratiam ſufficientem. Pergit & qualis ſit illa gratia, magis aperit: *Quis iſtam & parvam dare cœperat caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Parva caritas & invalida eſt pia motio qua præparatur voluntas a Domino, quæque eſt in nobis ſine nobis: ſi homo reſiſtat, ut Petrus, quando ipſe negavit Chriſtum; jam hæret in illo deſiderio: hinc tametſi habeat poſſe proximum & expeditum ad agendum, non tamen præ reſiſtentia habet actum perfectum & deliberatum, quem S. Auguſtinus vocat caritatem perfectam atque robuſtam, ſicut evenit Petro. Verum ſi illuminatus & motus, atque præparatus a Domino non obnitatur, Deus quod incepit ſeminando bona deſideria, perficit operando per gratiam efficacem quæ quidem uberius præparat voluntatem, illam ſcilicet fortiter excitando, immo & applicando, quocirca infert converſionis actum. Audiamus iterum S. Auguſtinum eo prorſus modo ſeſe explicantem: *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur*: ecce bonum deſiderium, ecce pia motio, eaque indeliberata quæ eſt in nobis ſine nobis gratia præveniens, gratia præparans & ſufficiens: ſubdit. *Cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur*. Ecce conſenſus & actus deliberatus atque perfectus, qui eſt a gratia efficaci: ita tamen ut initium & conſummatio operis ſit a Deo præveniente & adjuvante: *Tamen ſine illo*, inquit Aug. *vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*.

Vide, pie & cordate Lector, quam aberret ſententia Janſenii a vera & genuina S. Auguſtini de poſſibilitate mandatorum.

PUNCTUM SEPTIMUM.

De Libro qui inſcribitur, *de correptione & Gratia*.

QUOD pacem inter Monachos Adrumetinos de efficacia gratiæ diffidentes, componere poſſe putaverat S. Auguſtinus, qui mira de gratia & libero arbitrio ſcripſerat, novas movit in animis multorum tragœdias: quidam enim efficaciam gratiæ in ſenſu a ſancto Præſule intento, longe alieno iterum atque iterum intelligentes, ex ea nullum remanere correptionis locum propugnabant: unde & ecce nova de die in diem inter fratres conturbatio, novus quæſtus, nova in pejus de energia gratiæ diſceptatio.

De hoc momento Valentinus Archimandrita in Epiſtola quæ eſt inter Auguſtinianas 216. certum facit S. Doctorem. “ Cœperunt, *inquit*, memorari Fratres, „ qui omnia ſubverterunt, innocentum „ animas commovere, mea pravitate penitus ignorante, in tantum Conventus „ illorum murmurantis neſcii, ut niſi „ Frater Florus de Carthagine repedans, „ & eorum perturbationes agnoſcens mihi ſollicite nuntiaſſet, furtiva & tanquam ſervilis erat inter eos de non intelligenda veritate contentio ... Hoc „ credimus, doceute te, venerabilis Pater, quia Dominus interrogat juſtum „ & impium, quia a dexteris & a ſiniſtris „ poſitis bonis & malis imputat remuneranda opera pietatis, enumerat puniendam tenacitatem impietatis. Ubi erit „ gratia, quando pro ſui qualitate diſpungentur opera, ſive bona ſive mala? „

Pergit ibidem: “ Sed cur non directum „ non timet proferri mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non „ negamus; ſed per Chriſti quotidianam „ gratiam proficere credimus, & adjuvari confidimus. Quid homines dicunt, „ in mea eſt poteſtate, & ut faciam „ bonum? ſi tamen facerent homines „ bonum. O inanis gloriatio miſerorum! „ quotidie peccata arguunt, & ipſi ſibi „ aſſumunt nudum liberum jactantes arbitrium, non diſcutientes conſcientiam „ ſuam, quæ non poteſt curari niſi per „ gratiam. „

Ex his liquet omnes diſcreptantes, quorum

rum alii ex efficacia gratiæ & libertatem & correptionis locum adimi putabant, alii ut jura liberi arbitrii ſecundum ſuam phantaſiam ſervarent, gratiæ explodebant neceſſitatem, in ſua tunc temporis remanſiſſe ſenteutia, ad quos revincendos novum ſcripſit S. Auguſtinus librum cujus titulus eſt, *de Correptione & Gratia*: in quo quidem & gratiæ neceſſitatem atque efficaciam prædicat, & correptionem peccantibus, etiam impiis, etiam obduratis, etiam reprobis ad ultimum uſque vitæ terminum abſque intermiſſione fieri debere contendit.

Ipſe de motivo iſtud elucubrandi opus l. 2. Retr. cap. ult. ſic loquitur. " Rurſus ad eoſdem ſcripſi alterum librum quem de correptione & gratia prænotavi, cum mihi nunciatum eſſet dixiſſe ibi quemdam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum. Hic liber ſic incipit: *Lectis litteris veſtris, Valentine frater dilectiſſime.* "

Incipit S. Auguſtinus librum gratulando Valentinum quod inter ejus Monachos multi tenerent, *in Domino pacem, & in veritate conſenſionem*. Poſtea n. 2. diſtinguit id quod eſt a lege, id quod a libero arbitrio, id vero quod eſt a gratia: lex, teſte S. Doctore, bonum faciendum, malum vero fugiendum monſtrat, liberi arbitrii munus eſt eligere, ſed gratia & bonum inſpirat & adjuvat ut fiat. " Qui ergo legitime lege utitur, diſcit in ea malum & bonum, & non confidens in virtute ſua confugit ad gratiam, qua præſtante declinet a malo & faciat bonum .... Ac per hoc & deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt .... Liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum eſt nos habere: ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ, ſervuſque peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Joan. 8. 36. *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*: " Hoc eſt nullus hominum, ſecluſo gratiæ auxilio, poteſt operari bonum ſalutis: ibidem gaudet hanc inveniſſe fidem in Floro Monacho Adrumetino; " Unde, *inquit*, hi potius corrigendi ſunt, quos quidem propitio Deo correctos eſſe jam exiſtimo, qui eum non intelligebant. "

Capite 2. nu. 3. ſic delineat S. Doctor gratiam Mediatoris. " Intelligenda eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur a malo, & ſine qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum. " Probat vero multis, exquiſitiſque Apoſtoli auctoritatibus hanc gratiam a qua ipſa boni inſpiratio venit & promanat a Deo: hanc vero adverſus efficaciæ gratiæ objectionem proponit nu. 4. " Non ſe itaque fallant, qui dicunt, *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur ut declinemus a malo & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis?* " Solvit vero aſſerendo nos utique agere, ſed ad hoc gratia nos indigere contendit: " Sed potius intelligant, *inquit*, ſi Filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant; & cum egerint, illi a quo agunt gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant; .... Quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; orent, ut quod nondum habent, accipiant. "

Inſtantiam contra ejuſdem gratiæ energiam refert c. 3. n. 5. *Ergo*, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præſunt, & ut faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguant, ſi non fecerimus*: eam vero dirimit auctoritate Apoſtoli qui 1. Corint. 6. Corrigit inquietos, & orat pro eis ut charitate flagrent. " Præcipit, *inquit Aug.* ut habeatur charitas: corripit, quia non habetur charitas: orat, ut abundet charitas. O homo, in præceptione cognoſce quid debeas habere, in correptione cognoſce tuo te vitio non habere, in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere. "

Invaleſcit inimicus gratiæ & c. 4. n. 6. ſic loquitur: *Quomodo*, inquit, *meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, a quo niſi detur, non eſt omnino alius unde tale ac tantum munus habeatur?* " Ad hæc, *inquit S. Præſul n.* 7. reſpondemus: quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonſtrari: non vis ut feriantur, fiat-

" que

„ que tibi utilis dolor, quo medicum quæ- „ ras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, ut „ cum deformem te vides, reformatorem „ deſideres, eique ſupplices, ne in illa „ remaneas fœditate. „ Correptio ex S. Auguſtino perutilis eſt peccatori, & ut deterreatur a malo patrando, & ut de vitio erubeſcens, quærat medicum quo ſanetur.

Obſtrepunt iterum adverſus gratiæ auxiliantis neceſſitatem & efficaciam cap. 6. n. 9. *Apoſtolus*, inquiunt, ait 1. Cor. 4. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* " Cur „ ergo corripimur, arguimur, reprehen- „ dimur, accuſamur? Quid facimus, qui „ non accipimus? „

Reſpondet ibidem S. Aug. & nondum regeneratos, & jamjam regeneratos juſte corripi: non regeneratos quidem, nam etſi peccatum originale a protoparente traxerint, eſt tamen etiam ſuum, quatenus omnes in Adam peccaverunt, unde corripi debent, ut deſiderent regenerationem: cæteros quoque ut gratiam propria & ſola culpa amiſſam recuperent. " Pec- „ cata quidem iſta originalia ideo dicun- „ tur aliena, quod ea ſinguli de paren- „ tibus trahunt: ſed non ſine cauſſa di- „ cuntur & noſtra, quia in illo uno om- „ nes, ſicut dicit Apoſtolus, peccave- „ runt. Corripiatur ergo origo damnabi- „ lis, ut ex dolore correptionis voluntas „ regenerationis oriatur: ſi tamen qui „ corripitur filius eſt promiſſionis, ut ſtre- „ pitu correptionis forinſecus inſonante ac „ flagellante, Deus in illo intrinſecus „ occulta inſpiratione operetur & velle. „ Si autem jam regeneratus & juſtifica- „ tus in malam vitam ſua voluntate rela- „ bitur, certe iſte non poteſt dicere, „ non accepi: quia acceptam gratiam Dei „ ſuo in malum libero amiſit arbitrio. „ Qui ſi correptione compunctus ſalubri- „ ter ingemit, & ad ſimilia bona ope- „ ra vel etiam meliora revertitur: nem- „ pe hic apertiſſime utilitas correptionis „ apparet. „

Perſiſtit hoſtis gratiæ n. 10. " An adhuc „ & iſte nolens corripi, & poteſt dice- „ re, quid ego feci, qui non accepi? „ Quem conſtat accepiſſe, & ſua culpa „ quod acceperat amiſiſſe? " Poſſum, *in- „ quit*, poſſum omnino, quando me ar- „ guis, quod ex bona vita in malam mea voluntate relapſus ſum, dicere adhuc, „ quid ego feci, qui non accepi? Acce- „ pi enim fidem quæ per dilectionem ope- „ ratur: ſed in illa uſque in finem per- „ ſeverantiam non accepi. An quiſquam „ dicere audebit iſtam perſeverantiam non „ eſſe donum Dei, & hoc tam magnum „ bonum ita eſſe noſtrum, ut quiſquis id „ habuerit, non ei poſſit Apoſtolus dice- „ re, „ *Quid enim habes quod non accepi- „ ſti? quoniam hoc ſic habet, ut non accepe- „ rit*, 1. Cor. 4. 7.

Solvit iſtud argumentum B. Auguſtinus concedendo perſeverantiam finalem eſſe ſummum Dei donum, quod variis Scripturæ ſententiis probat. Deinde c. 7. n. 11. ſubjungit, multis denegari; quibuſdam quidem propter peccatum originale ut pueris, & etiam infidelibus qui nihil de fide in Chriſtum, ſine qua non eſt ſalus, audierunt: illis vero aliis, qui audierunt, propter peccatum actuale. " Quæ „ cum ita ſint, corripimus tamen eos, „ juſteque corripimus qui cum bene vi- „ verent, non in eo perſeveraverunt. „ Ex bona quippe in malam vitam ſua „ voluntate mutati ſunt: & ideo corre- „ ptione; etſi nihil eis correptio profue- „ rit, ſed in vita perdita uſque ad mor- „ tem perſeveraverint, etiam divina in „ æternum damnatione ſunt digni. „

S. Præſul loquitur, n. 13. de electis qui perſeverantiam finalem accipiunt, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, quatenus ſi exorbitant, humiliati per pœnitentiam ad majorem redeunt gratiam: eos ibidem vocat electos ſecundum propoſitum, hoc eſt per miſericordiam, & non ſecundum naturæ merita: " Sed „ quoniam ſecundum propoſitum vocati „ ſunt, profecto & electi ſunt per ele- „ ctionem, ut dictum eſt, gratiæ, non „ præcedentium meritorum ſuorum, quia „ gratia illis eſt omne meritum. „ Idem „ repetit n. 23. & 24.

Unum maximi momenti obſervat S. Doctor cap. 8. n. 17. videlicet gratiam perſeverantiæ tametſi fortiſſimam, & inſuperabilem, non ſolum humanam non auferre libertatem, verum potius augere, quinimmo, ex profeſſo hoc probat, ut inquietorum hominum ſedare valeat ſcrupulum, atque gratiam quantumvis efficacem non adimere libertatem indifferentiæ

actus,

Digitized by Google

actus , contrarium tamen illi Monachi Adrumetini tanquam pro Aris & Focis defendebant, & de hac gratia efficaciſſima erat potiſſimum controverſia, " Ecce, ,, *inquit* , quemadmodum ſecundum gra- ,, tiam Dei, non contra eam , libertas ,, defenditur voluntatis . Voluntas quippe ,, humana non libertate conſequitur gra- ,, tiam , SED GRATIA POTIUS LIBER- ,, TATEM , & ut perſeveret , delectabi- ,, lem perpetuitatem , & inſuperabilem ,, fortitudinem . ,,

Hanc ſtatuit S. Præſul diſcrepantiam inter largitionem gratiæ & libertatem , quod gratia ſit in nobis ſine nobis : libertas vero , gratia præparante & adjuvante, ſit in nobis, dum, relicto malo , eligimus bonum.

Rurſus cap. 11. n. 31. de gratia efficaci, plurimum inſtituit ſermonem , eamque gratia Adami ſi non lætiorem , fortiorem tamen & abundantiorem prædicat: ſed attendas velim, benevole Lector, iſtam gratiam per ſe efficacem , non ſolum juxta S. Auguſtinum non lædere libertatem, ſed potius reſtaurare . Audiamus S. Doctorem loquentem primum de gratia Adami, deinde de altera : " Nec illa quidem parva erat , qua demonſtrata ,, eſt etiam potentia liberi arbitrii , ,, quoniam ſic adjuvabatur , ut ſine hoc ,, adjutorio in bono non maneret , ſed ,, hoc adjutorium ſi vellet , deſereret . ,, Hæc autem tanto major eſt, ut parum ,, ſit homini per illam reparare perditam ,, libertatem , parum ſit denique non ,, poſſe ſine illa vel apprehendere bo- ,, num, vel permanere in bono ſi velit, ,, niſi etiam efficiatur ut velit. ,, Eo loci S. Auguſtinus egregie libertatem humanam cum gratia valde efficaci conſociat : quandoquidem & libertatem perditam per gratiam reſtaurari, & hominem in bono perſeverare ad nutum & ſi velit, poſſe prædicat.

Rurſus cap. 12. n. 35. aſſerit liberum arbitrium in hoc præſenti naturæ lapſæ ſtatu non ſolum manere intactum ſub dominio gratiæ efficaciſſimæ , ſed majorem quam in ſtatu innocentiæ , libertatem requiri & neceſſariam eſſe , ut , terrente vel alliciente mundo , voluntas eligat bonum & vincat tentationes : etvero in ſtatu innocentiæ Adam utpote in gratia & abſque defectu conditus de ſe & veluti ex impetu ad bonum operandum pronus & inclinatus erat , nunc e contra. " MAJOR QUIPPE LIBERTAS EST ,, NECESSARIA ADVERSUS TOT ET ,, TANTAS TENTATIONES , QUÆ IN ,, PARADISO NON FUERUNT , DONO ,, PERSEVERANTIÆ MUNITA ATQUE ,, FIRMATA , UT CUM OMNIBUS AMO- ,, RIBUS , TERRORIBUS , ERRORIBUS ,, SUIS VINCATUR HIC MUNDUS : ,, HOC SANCTORUM MARTYRIA DO- ,, CUERUNT . ,,

A capite octavo uſque ad decimum quartum perpetuus eſt ſermo de gratia Adæ & Chriſti : gratiam Mediatoris non quidem altera lætiorem ſed abundantiorem & efficaciorem eatenus prædicat , quatenus non ſolum poſſe perſeverare ut prima , ſed actu perſeverare conferat . Capite 11. num. 29. ait Adamum habuiſſe magnam ſed diſparem a nobis gratiam : quandoquidem ille , beneficio Creatoris , juſtus & abſque vitio creatus eſt : nos vero natura filii iræ gratiam ex meritis Chriſti & obtinemus , & theſaurum in vaſis fictilibus , quæ ſibi ad invicem faciunt anguſtias , portamus . Gratia habebat primus Homo poſſe perſeverare ſi vellet : gratia vero Chriſti dat & velle & operari: bonum . n. 31. ſic loquitur Auguſtinus. " Tale quippe erat adjutorium , *ſtatus* ,, *innocentiæ* , quod deſereret , *Adam* , ,, cum vellet , & in quo permaneret ,, ſi vellet ; non quo fieret ut vellet . ,, Hæc prima eſt gratia quæ data eſt ,, primo Adam : ſed hæc potentior eſt ,, in ſecundo Adam . Prima eſt enim qua ,, fit ut homo habeat juſtitiam ſi velit : ,, ſecunda ergo plus poteſt , qua etiam ,, fit ut velit ; & tantum velit , tantoque ardore diligat , ut carnis volunta- ,, tem contraria concupiſcentem volun- ,, tate ſpiritus vincat . ,,

Noſtri Thomiſtæ & alii permulti hac utuntur S. Auguſtini auctoritate , ut gratiam eſſe per ſe efficacem demonſtrent , quatenus hoc ſtatuit S. Doctor diſcrimen inter gratiam Adami & gratiam præſentis ſtatus, quod illa daret ſolum poſſe bonum ſi vellet homo, ita ut ejus veluti conſenſum ad ſuam efficaciam expectaret : iſta vero det & operari & ipſum velle operari.

S. Præſul cap. 12. ſuam roborat ſententiam.

tiam de efficacia gratiæ Chriſti quæ ſua energia ſuperat gratiam primi Hominis. n. 34. diſtinguit duo adjutoria, aliud ſine quo nullus poteſt operari bonum, aliud quo actu bonum operatur, & in eo uſque dum ultimum tandem clauſerit vitæ diem perdurat. Primum Adamo tribuit; ſecundum vero Sanctis in regnum Dei intrantibus. “ Ipſa adjutoria diſtin-
,, guenda ſunt. Aliud eſt adjutorium ſine
,, quo aliquid non fit, & aliud eſt adjuto-
,, rium quo aliquid fit .... Primo itaque
,, homo, qui in eo bono quo factus fuerat
,, rectus, acceperat poſſe non peccare,
,, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non
,, deſerere, datum eſt adjutorium perſe-
,, verantiæ, non quo fieret ut perſevera-
,, ret, ſed ſine quo per liberum arbitrium
,, perſeverare non poſſet. Nunc vero San-
,, ctis in regnum Dei per gratiam Dei
,, prædeſtinatis non tale adjutorium per-
,, ſeverantiæ datur, ſed tale ut eis per-
,, ſeverantia ipſa donetur; non ſolum ut
,, ſine iſto dono perſeverantes eſſe non
,, poſſint, verum etiam ut per hoc do-
,, num nonniſi perſeverantes ſint. ,,

Luce clarius apparet S. Auguſtinum de adjutorio ſine quo, & de adjutorio quo perſeverantiæ loqui, primum quidem habuit Adam innocens, ſed non ſecundum, utrumque vero habent impræſentiarum electi Dei: unde ex hac diviſione adjutorii perſeverantiæ Janſenius admittit auxilium ſine quo pro ſtatu primi Hominis, ſed incaſſum negat pro præſenti. Schola Angelica propugnat adjutorium & ſine quo & quo ad bonum operandum tum in ſtatu innocentiæ, tum in ſtatu naturæ lapſæ. Hoc unum ex diviſione allata ſequitur: videlicet Adamum habuiſſe quidem adjutorium ſine quo perſeverare non poſſet, minime vero illud quo de facto perſeveraret.

S. Auguſtinus n. 36. explodit commenta eorum qui prædeſtinationem ex prævisione meritorum naturæ in ſe relictæ fieri contendebant: ait enim Deum non ſolum præſcire quid ſancti facturi ſint pro ſua ſalute, ſed & facere ut ipſi bonum faciant & operentur.

S. Præſul n. 38. gratiam Chriſti efficaciſſimam, immo & inſuperabilem prædicat: ſed obſerves velim, cordate & amantiſſime Lector, eo loci S. Doctorem ſermonem habere de gratia perſeverantiæ finalis; quam eſſe indeclinabilem nemo non novit, cum figat juſtum immobiliter in bono: nuſquam vero de gratia efficaci ut ſic, & ſecundum ſe ſpectata. De prima ſolummodo loqui a Capite octavo uſque ad decimum quartum facile comperies, ſi attendas S. Doctorem perpetuo probare gratiam Chriſti eſſe gratia Adami ſi non lætiorem ſaltem efficaciorem, quatenus nedum poſſe perſeverare, ſed & actu atque finaliter perſeverare conferat. Inſtar omnium Auguſtini auctoritatum ex iſto libro deſumptarum ſit iſta. “ Subven-
,, tum eſt igitur infirmitati voluntatis hu-
,, manæ; ut divina gratia indeclinabili-
,, ter & inſuperabiliter ageretur; & ideo,
,, quamvis infirma, non tamen deficeret,
,, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita
,, factum eſt, ut voluntas hominis invali-
,, da & imbecilla in bono adhuc parvo
,, PERSEVERARET per virtutem Dei. ,,

Ex his liquet, Calvinum & alios quoſdam hac & ſimili alia auctoritate B. Aug. perperam uti, ut gratiam probent eſſe neceſſitantem, quia vocat eam inſuperabilem: præſertim vero cum ipſa perſeverantiæ gratia, eodem teſte Auguſtino jamjam laudato, nullam vim, neceſſitatemve libero imponat voluntatis arbitrio, cum potius det inquit cap. 8. n. 17. “ LIBER-
,, RIMAM, fortiſſimam, invictiſſimam,
,, perſeverantiſſimam voluntatem. “ Tum quia immobilitas in bono habetur ex providentia Dei extrinſeca, quæ ita diſponit in gratiam electorum cauſas ſecundas, ut mortem afferant eo præciſe momento, quo homo eſt in charitate; quid enim eſt perſeverantia finalis, niſi ipſa mortis cum gratia conjunctio? quocirca gratiæ conſummatæ nomine donatur & celebratur.

S. Auguſtinus cap. 14. n. 45. probat variis exquiſitiſque Scripturæ locis Deum magis habere in ſua poteſtate voluntates hominum quam ipſi ſuas. Exemplum Saulis in regem augurati, cui potentes, quorum Deus tetigerat cor, adhæſerunt, & Davidis quem ut Principem ſuum Iſrael & Juda agnoverunt, iſtud probant momentum: hac etiam percelebri auctoritate utuntur Theologi, alii quidem ut probent efficaciam gratiæ, alii vero ut eam eſſe per ſe efficacem, & probabilius, demonſtrare ſatagant.

Denique cap. 15. concludit rebelles & inquietos corripiendus eſſe. n. 49. ſic effatur.

,, Pro-

“ Proinde quantum ad nos pertinet, qui
„ prædeſtinatos a non prædeſtinatis diſcer-
„ nere non valemus, & ob hoc omnes
„ ſalvos fieri velle debemus; omnibus ne
„ pereant, vel ne alios perdant, adhi-
„ benda a nobis medicinaliter ſevera cor-
„ reptio: Dei eſt autem eam facere uti-
„ lem, quos ipſe præſcivit & Prædeſtina-
„ vit conformes Imaginis Filii ſui. „

Nihil impræſentiarum movemus de libris quorum alter inſcribitur de Prædeſtinatione Sanctorum, alter vero de Dono perſeverantiæ, cum animus ſit utrumque infra exponere. Primus ſcriptus eſt poſt retractationum Libros anno Chriſti circiter 428. contra Semipelagianos qui aliquod fidei initium eſſe naturæ effutiebant; quique merita quædam fictitia parvulorum cum gratia baptiſmi morientium, tanquam prædeſtinationis motivum celebrabant. Eos refellit S. Doctor oſtendendo prædeſtinationem ad gratiam eſſe mere gratuitam, & omne ſalutis bonum a gratia profluere, quæ quidem eſt & ad initium, & ad progreſſum, & ad conſummationem bonorum operum abſolute neceſſaria. Cæterum Deum non merita naturæ, ſed quod ipſe ſua gratia pro electorum ſalute facturus eſt, præſcire contendit.

Librum de Dono perſeverantiæ S. Aug. compoſuit eodem prorſus tempore, quo alterum, videlicet anno 428. vel 429. contra eorumdem Maſſilienſium errores. In eo potiſſimum demonſtrat perſeverantiam eſſe ſpecialiſſimum Dei donum: cur autem ex duobus parvulis unus poſt baptiſmum ſuſceptum, alter vero abſque regenerationis lavacro moriatur, juremerito cum Apoſtolo exclamat, O *altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* Prædeſtinationis gratiæ myſterium Dominicis verbis de Tyriis & Sidoniis explanat. Aſſerit prædeſtinationis definitionem utilitati exhortationis & correptionis non eſſe adverſam; tametſi enim dicatur *Præparatio mediorum quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur*, congrua tamen ratione prædicari jubet.

PUNCTUM OCTAVUM.

S. Auguſtinus cunctam gratiæ actualis materiam ad metam fidei pari facilitate, ſoliditate, & profunditate, immo & claritate pertractat.

CIRCA gratiam Mediatoris tria potiſſimum inquirere ſolent Theologi. Primo quid ſit? Secundo quænam ejus efficacia? Tertio quænam ejuſdem neceſſitas? Aliqua de quolibet momento dicere juvat, ne ſuperſit aliquis de mente D. Auguſtini in hac materia ambigendi locus.

Primo, de definitione gratiæ in multiplici loco loquitur S. Aug. gratiam actualem, de qua erat inter ipſum & Pelagianos controverſia, probat S. Doctor in omnibus operibus quæ adverſus eos conſcripſit, atque hanc gratiam non eſſe aut liberum hominis arbitrium, aut legem; maxime in libro de gratia Chriſti, ubi ex profeſſo a Capite primo uſque ad quadrageſimum ſeptimum reſpondet Pelagianorum objectionibus: ea enim ſolum gratia dicenda eſt c. 8. n. 9. quæ ſanat & adjuvat, quod certe lex non operatur.

S. Doctor gratiam, quæ præter liberum arbitrium & doctrinam ad operandum neceſſaria eſt, eam eſſe dicit quæ aperit quod latebat, & inardeſcere facit ut homo adhæreat Creatori. Sic loquitur l. de Spirit. & Litt. cap. 3. n. 5. “ Nos au-
„ tem dicimus humanam voluntatem ſic
„ divinitus adjuvari ad faciendam juſtitiam,
„ ut præter quod creatus eſt homo cum
„ libero arbitrio voluntatis, præterque
„ doctrinam qua ei præcipitur quemad-
„ modum vivere debeat, accipiat Spiri-
„ tum ſanctum, quo fiat in animo ejus
„ dilectio quæ ſummi illius atque incom-
„ mutabilis boni, quod Deus eſt, etiam
„ nunc cum adhuc per fidem ambulatur,
„ nondum per ſpeciem; ut hac ſibi velut
„ arrha data gratuiti muneris inardeſcat in-
„ hærere Creatori, atque inflammetur
„ accedere ad participationem illius ve-
„ ri luminis; ut ex illo ei bene ſit a quo
„ habet ut ſit. Nam neque liberum ar-
„ bitrium quidquam niſi ad peccandum
„ valet, ſi lateat veritatis via: & cum
„ id quod agendum, & quo nitendum eſt
„ cœperit non latere, niſi etiam dele-

„ ctet

„ ſtet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. „

Eandem gratiam S. Doctor l. 1. contra duas Epiſt. Pel. vocat virtutem qua peccator trahitur ad Patrem, ſic ait cap. 3. n. 6. " Ille quippe trahitur ad Chriſtum, „ cui datur ut credat in Chriſtum. Datur ergo poteſtas ut filii Dei fiant, qui „ credunt in eum. Quæ poteſtas niſi detur a Deo, nulla eſſe poteſt ex libero „ arbitrio: quia nec liberum in bono erit, „ quod liberator non liberaverit. „

Rurſus ibidem cap. 19. nu. 37. eandem gratiam ex nolentibus bonum facere volentes aſſerit. " Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in „ ipſis hominum cordibus operari non ut „ homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. „

S. Præſul l. de gratia & libero arbitrio docet gratiam eſſe donum cœleſte, quo peccatoris voluntas ad faciendum bonum præparatur a Domino & quæ facit ut faciamus; ita cap. 16. n. 32. " Certum eſt, „ *inquit*, nos velle cum volumus, ſed ille „ facit ut velimus bonum, de quo dictum „ eſt, quod paulo ante poſui, præparatur „ voluntas a Domino. „

S. Doctor hanc quoque de gratia notionem l. de Corr. & Gr. c. 2. n. 3. exhibet. " Intelligenda eſt enim gratia Dei „ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, „ qua ſola homines liberantur a malo, „ & ſine qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive „ agendo faciunt bonum: non ſolum, ut „ monſtrante ipſa, faciant cum dilectione quod ſciunt. Hanc quippe inſpirationem bonæ voluntatis atque operis „ poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat „ 2. Cor. 13. 7. *Oramus autem ad Deum, „ ne quid faciatis mali, non ut nos probati „ appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt, „ faciatis.*

Duo potiſſimum obſervanda veniunt; primum quidem S. Doctorem non ſemel loqui de gratia qua peccator illuminatur, movetur, & ad bonum compellitur, de gratia qua præparatur voluntas a Domino, quæque dat poſſe bonum proxime & expedite: alterum, ſecundam gratiam eamque uberiorem, quæ nomine gratiæ efficacis donatur, ab eodem S. Doctore celebrari. Iſta præparat etiam voluntatem, excitat & movet ad bonum, ſed faciendo facere, & applicando ad actum.

De gratia ſufficiente loquitur S. Præſul l. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 8. n. 18. " Minus eſt cogitare quam „ cupere. Cogitamus quippe omne quod „ cupimus, nec tamen cupimus omne quod „ cogitamus; quoniam nonnumquam & „ quod non cupimus, cogitamus. Cum „ igitur minus ſit cogitare quam cupere. „ poteſt enim homo cogitare bonum, quod „ nondum cupit; & proficiendo poſtea cupere, quod ante non cupiendo cogitavit: quomodo ad id quod minus eſt, „ ideſt, ad cogitandum aliquid boni non „ ſumus idonei tanquam ex nobiſmetipſis; „ ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & „ ad id quod eſt amplius, ideſt, ad cupiendum aliquid boni ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? „

Eo loci S. Doctor revincit Pelagianos qui divinæ gratiæ utilitatem & neceſſitatem exſufflare volebant; contendit enim eam eſſe neceſſariam ad cupiendum aliquod bonum, immo & ad illud cogitandum: ibi docet & cogitationem boni, & deſiderium eſſe a gratia: primum nonnumquam fieri abſque ſecundo; hoc eſt, nos quandoque aliquid boni cogitare, quod nondum cupimus, deinde vero proficiendo, illud ipſum cupere, poſtea & operari quod prius & cogitavimus, & deſideravimus. Attendas velim, benevole Lector, ibi S. Præſulem apprime delineare gratiam ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino ad opus. Etvero iſtius præparationis initium ducitur a bona cogitatione, quæ quidem nonnumquam eſt abſque boni deſiderio: igitur illa ſalubris cogitatio non a gratia efficaci, ſed ſufficienti promanat: ille vero qui cogitavit bonum, proficiendo, etiam illud cupit, iſtud boni deſiderium habet homo, ſentit & experitur, ſed incompletum, ſed nondum efficax; ſæpius enim hæret peccator in deſideriis, immo & ſæpiſſime reſiſtit, ſicut reſtitit Saulus perſequendo Eccleſiam Dei, unde Chriſtus ei apparens dixit Act. 9. *Saule, Saule quid me perſequeris?.. durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Hoc eſt, gratiæ, te vocanti ad vitam, reſiſtere: igitur & illa gratia quæ bonum in corde ſeminat deſiderium, eſt tantummodo gratia ſufficiens: quod ſi quis adverſus iſtam non recrudeſcit, efficacem oblatam recipit,

pit , & bonum quod cogitavit & cupivit , operatur .

Eandem gratiam ſufficientem non ſemel delineat Sanctus Auguſtinus in Confeſſionum libris . Etvero nomine gratiæ ſufficientis intelligimus Dei auxilium quo Deus paulatim & gradatim præparat peccatoris voluntatem ad converſionem , quæ bonum ſeminat in corde & cogitatum & deſiderium , cui ſæpe reſiſtit peccator hærendo in bonis tum cogitationibus , tum deſideriis , qua ſtimulatus deterretur a malo patrando , qua commotus anceps manet inter vitam & mortem , & converſionem , tametſi aliquod immiſſum a Deo experiatur bonum operandi deſiderium : atqui ejuſmodi gratiam ubique & paſſim prædicat S. Auguſtinus : igitur inter gratias actuales annumerat ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino . Probatur minor ex ipſa Confeſſione S. Aug. qui teſtatur illam gratiam non ſemel expertum fuiſſe , ei ſepius reſtitiſſe , tandem vero ceſſiſſe vocanti & majoris gratiæ auxilio ad Dominum ſeſe convertiſſe .

Sic loquitur l. 6. cap. 4. nu. 5. " Cum
,, ergo neſcirem quomodo hæc ſubſiſteret
,, Dei imago tua , pulſans proponerem
,, quomodo credendum eſſet , non inſul-
,, tans opponerem , quaſi ita credendum
,, eſſet : tanto igitur acrior cura rodebat
,, intima mea quid certi retinerem , quan-
,, to me magis pudebat tam diu illuſum . ,,
Ecce gratia ſtimulans , gratia deterrens S. Auguſtini animam ab erroribus , quos tamen cito citius non abjeciſſe conſtat : unde illam non fuiſſe primum efficacem nemo non novit .

Rurſus ibidem cap. 5. n. 7. loquitur de gratia qua adhuc renitens paulatim præparabatur ad fidem : " Ex hoc tamen quo-
,, que jam præponens doctrinam Catholi-
,, cam modeſtius ibi , minimeque fallaci-
,, ter ſentiebam juberi ut crederetur quod
,, non demonſtratur , ſive eſſet quid , ſed
,, cui forte non eſſet ; ſive ne quid eſſet ,
,, quam illic temeraria pollicitatione ſcien-
,, tiæ credulitatem irrideri ; & poſtea
,, tam multa fabuloſiſſima , & abſurdiſſi-
,, ma , quia demonſtrari non poterant ,
,, credenda imperari . Deinde paulatim
,, tu Domine manu mitiſſima & miſeri-
,, cordiſſima pertractans & componens cor
,, meum , conſideranti quam innumerabi-
,, lia crederem quæ non viderem , neque
,, cum generentur adfuiſſem , ſicut tam
,, multa in hiſtoria Gentium , tam multa
,, de locis atque urbibus . . . . quæ niſi cre-
,, derentur omnino in hac vita nihil age-
,, remus , &c. ,,

Rurſus cap. 6. n. 9. " Inhiabam honori-
,, bus , lucris , conjugio , & tu irridebas .
,, Patiebar in eis cupiditatibus amaridiſſi-
,, mas difficultates , te propitio tanto ma-
,, gis , quanto minus ſinebas mihi dulce-
,, ſcere quod non eras tu . ,, Quis non videat S. Auguſtinum ibi clariſſime loqui de gratia ſufficiente , de gratia videlicet excitante ad bonum & ſtimulante , quæ terroribus concutiens peccatorem , non ſinebat illi dulceſcere quod non erat Deus , & ſic , tametſi adhuc obnitens & contradicens eſſet , eum tamen ad converſionem diſponebat ? Ergo , &c.

Rurſus cap. 11. n. 18. S. Auguſtinus ſe prodit gratiæ vocanti reſiſtentem & cum ea colluctantem , ita tamen inter bonum & malum anceps manebat , ut cras ſperaret ſe converſurum : igitur tunc temporis ſola gratia ſufficiente , eaque præveniente & præparante , agebatur . Audiamus loquentem : " Et ego maxime mirabar ſa-
,, tagens & recolens quam longum tempus
,, eſſet ab undevigeſimo anno ætatis meæ ,
,, quo fervere cœperam ſtudio ſapientiæ ,
,, diſponens , ea inventa , relinquere om-
,, nes vanarum cupiditatum ſpes inanes ,
,, & inſanias mendaces : & ecce jam tri-
,, cenariam ætatem gerebam , in eodem
,, luto hæſitans aviditate fruendi præſen-
,, tibus , fugientibus & diſſipantibus me ,
,, dum dico , cras inveniam , ecce ma-
,, nifeſtum apparebit & tenebo , ecce fau-
,, ſtus veniet , & exponet omnia . ,, Hinc de ſuæ converſionis gradibus iterum loquens l. 7. cap. 8. n. 12. ait : " Reſi-
,, debat tumor meus ex occulta manu me-
,, dicinæ tuæ , acieſque conturbata &
,, contenebrata mentis meæ acri col-
,, lyrio ſalubrium dolorum de die in diem
,, ſanabatur . ,, Gratia ſua Deus pulſabat ad cor Auguſtini , ipſe vero conturbatus horrere vitium incipiebat , donec tandem uberiori & efficaci illuminatus , motus & roboratus cederet Deo vocanti & obediret .

De eadem gratia qua præparabatur gradatim ad converſionem loquitur cap. 17. n. 23. " Et mirabar , quod jam te amabam ,
,, non pro te phantaſma . Et non ſtabam
,, frui Deo meo , moxque diripiebar

,, abs te pondere meo, & ruebam in iſta ,, cum gemitu: & pondus hoc, conſuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui, neque ullo modo dubitabam ,, cui cohærerem, ſed nondum eſſe me ,, cui cohærerem. ,, Auguſtinus recalcitrabat contra gratiæ ſtimulum, ſed cum gemitu: igitur gratia movebatur, ſed nondum gratiæ obediebat; ex quo liquet gratiam hanc prævenientem tunc temporis fuiſſe ſolummodo ſufficientem, præſertim vero cum ab amore Dei Aug. proprio & vitioſo pondere diſtractus, ruebat cum gemitu & contra gratiæ ſtimulum in carnalia.

S. Auguſtinus l. 8. cap. 5. n. 10. rationem reddit cur motus ad pœnitentiam, eam tamen ſicut & converſionem reſiſtendo gratiæ pulſanti procraſtinaret: " Suſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed ,, mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam ,, fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ,, ex voluntate perverſa, facta eſt libido. ,, Et dum conſuetudini non reſiſtitur, ,, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova quæ mihi ,, eſſe cœperat ut te gratis colere, fruique te vellem, Deus ſola jucunditas, ,, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; ,, illa carnalis, illa ſpiritalis, confligebant ,, inter ſe atque diſcordando diſſipabant animam meam. ,,

Mul a obſervanda ſunt in hoc contextu. Primo quidem duarum voluntatum inter ſe lucta, ita ut nova quæ erat per gratiam, nondum victrix ſuper vetuſtam & carnalem evaderet, tametſi bona cœperint ineſſe Aug. deſideria, quæ quidem omnia gratiæ ſufficienti animam peccatoris paulatim ad converſionem præparanti conveniunt; nam & Aug. peccator, ea ſtimulante, a malo patrando deterrebatur; porro etſi, vincente libidine, adhuc tentationi cederet, non tamen ſine gemitu, & nonniſi anceps prius inter bonum & malum manendo, quandoquidem utriuſque propoſitione veluti anſulis ſibi annexis, in eligendo malum ſuſpenſus hærebat. Secundo nomine neceſſitatis per conſuetudinem malam ad peccandum inductæ nihil intelligit S. Doctor præter magnam ad peccandum facilitatem, ad bonum vero converſionis operandum, ſummam difficultatem,, cujus rei argumentum eſt, quod refragante mundo, reclamante carne, obmurmurante & recalcitrante paſſione, tandem victus, gratiæ ceſſerit & Deum vocantem, relictis creaturis, ſecutus ſit, ut infra ex ipſius patebit Confeſſione. Tertio illa gratia dicitur nondum potens & idonea, hoc eſt, nondum conjuncta cum actu converſionis. Sed ea ſolum dabat poſſe proximum converti.

Iterum cap. 7. ibidem n. 16. narrat gratiæ cum natura vitioſa congreſſum; illi tamen & non iſti quanquam magis ac magis pulſanti obediebat, ex quo gratiam illam qua præparabatur voluntas Auguſtini a Domino, fuiſſe tantummodo ſufficientem luce clarius apparet. " Narrabat, *inquit*, hæc Pontianus. Tu autem Domine verba ejus retorquebas me ad meipſum, auferens me a dorſo meo ubi ,, me poſueram, dum nollem me attendere, & conſtituebas me ante faciem ,, meam, ut viderem quam turpis eſſem, ,, quam diſtortus & ſordidus, maculoſus ,, & ulceroſus. Videbam & horrebam, ,, & quo a me fugerem non erat. Etſi ,, conabar a me avertere aſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi, & impingebas me ,, in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam & odiſſem. Noveram eam, ,, ſed diſſimulabam & connivebam & oblivíſcebar. " Ecce impreſſiones gratiæ præparantis & diſponentis ad converſionem, ſed nondum efficacis & triumphantis.

Iterum atque iterum lucta gratiæ cum voluntate peccatrici deſcribitur, quæ quidem emollitur, ſed nondum ſuperatur & ideo gratiæ ſolummodo ſufficientis motu tunc agebatur Auguſtinus peccator. Ibidem cap. 11. n. 25. " Sic, *ait*, ægrotabam & excruciabar accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac volvens & verſans me in vinculo meo, ,, donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen. Et ,, inſtabas tu in occultis meis Domine, ,, ſevera miſericordia flagella ingeminans ,, timoris & pudoris, ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur idipſum ,, exiguum & tenue quod remanſerat, & ,, revaleſceret iterum & me robuſtius alligaret.

,, ligaret. Dicebam enim apud me in- ,, tus: ecce modo fiat: modo fiat & cum ,, verbo jam ibam in placitum. Jam pæ- ,, ne faciebam..... retinebant nugæ nu- ,, garum, & vanitas vanitatum antiquæ ,, amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem ,, meam carneam, & ſubmurmurabant.,,

Rurſus idem ſpiritus cum carne conflictus in Auguſtino, ab eodem delineatur. Cap. 12. n. 28. Ego, *inquit*, ſub quadam ,, fici arbore ſtravi me neſcio quomodo, ,, & dimiſi habenas lacrymis, & prorū- ,, perunt flumina oculorum meorum; ac- ,, ceptabile ſacrificium tuum. Et non qui- ,, dem his verbis, ſed in hac ſententia ,, multa dixi tibi: & tu Domine! Uſ- ,, quequo Domine iraſceris in finem? Ne ,, memor fueris iniquitatum noſtrarum an- ,, tiquarum. Sentiebam enim eis me te- ,, neri: jactabam voces miſerabiles. Quam- ,, diu? Quamdiu? Cras & cras? Quare ,, non modo? Quare non hac hora finis ,, turpitudinis meæ? ,, Non poteſt gratiæ prævenientis, pulſantis & ſufficientis, quæ dat poſſe proximum & expeditum, clarius explicari quam illo cum naturæ vitiatæ & colluctantis congreſſu: jam cor Auguſtini emollitum, jam peccator conſcientiæ ſeu potius gratiæ ſtimulis preſſus nondum quidem convertitur, ſed in brevi hoc ipſum faciet: jam conturbata horrore turpitudinis mens, vitium vix approbat, & ſi peccatum committitur, nonniſi cum gemitu & pudore committitur. Quid plura? adeo verum eſt hanc primam gratiam alternatis vicibus proxime præparaſſe cor Auguſtini ad converſionem, ut luceſcente in anima uberiore lumine, & gratia robuſtiore efficaciter movente victus, tandem converſus ſit ad Dominum.

His gratiæ vocantis operationibus quas ipſe S. Auguſtinus adhuc in errore Manichæiſmi & paſſionum detentus, ſubiit, exſufflantur varia circa gratiam Janſenii commenta. 1. l. 3. de gratia Chriſti cap. 2. gratiam ſufficientem qualem hodie omnium Nationum & Univerſitatum Doctores propugnant, non eſſe Mediatoris gratiam aſſerit, nec aliam pro præſenti ſtatu quam per ſe efficacem, eamque victricem & neceſſitantem agnoſcit. 2. Ibidem cap. 15. poſſibilitatem remotam boni faciendi in libero arbitrio nude ſumpto reponit, proximiorem in fide, adhuc proximiorem in charitate, ſed nuſquam ſufficientem & proximam niſi per gratiam efficacem, quæ ſi deſit, præcepta quædam ſunt impoſſibilia, etiam juſtis, immo & conantibus. 3. Ibidem cap. 21. gratias interiores quibus quandoque reſiſtitur, quæque ſuum non ſortiuntur effectum, gratias tantummodo temporales & non præciſe Chriſti gratias eſſe aſſerit. 4. Ibidem cap. 11. docet infideles omni carere gratia: idem dicit de obduratis cap. 10.

Sed hæc fucata doctrina funditus convellitur ex ipſa narratione, quam S. Auguſtinus facit de gratiis, quibus ante ſuam converſionem donatus eſt; gradatim ejus anima a Domino ad perfectam pœnitentiam & fidem ita præparata eſt, ut omnibus abjectis erroribus, ad Deum ſeſe converterit. Cujus quidem gratiæ vocantis hæc fuit œconomia.

Primo quidem gratia ſtimulabat Auguſtinum peccatorem & vocabat: namque iſtam vocationem fuiſſe non naturæ, non mundi, qui, ipſo teſtante, ad libidinem & terrenas delicias perpetuo delibandum provocabat, ſed gratiæ excitantis fœtum fuiſſe conſtat. Jam vero hanc fuiſſe ſolummodo gratiam ſufficientem cui reſiſtitur, ſi quis negat, ipſi contradicit Auguſtino dicenti Deo vocanti, *erat*, *erat*. 3. Certe iſta gratia erat gratia Mediatoris & non mere temporalis, cum fuerit gratia electi & ad Deum in æternitate poſſidendum vocans peccatorem, unde non temporalis in ſenſu Janſenii fuit. 4. Iſta eadem gratia dabat poſſe bonum proxime, cum immediate reſpiceret operationem, proxime quidem poſſe orare, remote vero ſeſe convertere. De illa orationis gratia, quæ quidem uberior requiritur pro converſione, multus eſt ſermo apud S. Doctorem qui hominibus in peccato habitudinis detentis orare ſine fine præcipit, tum ut ferventius operentur bonum, tum ut perfecto corde ad Deum ſeſe convertant. Certe illud poſſe proximum, quod ipſe Auguſtinus habebat per gratiam excitantem & prævenientem, non a natura promanabat, ut dictum eſt, ſed non a fide & charitate, cum his careret S. Doctor, qui tunc temporis nequidem baptizatus erat, & tamen habebat gratiam vocantem ad bonum compellentem, tametſi & obduratus & adhuc infidelis: igitur gratia ipſis & obduratis & infidelibus non

deficit in neceſſariis, ut perperam contendit Jauſenius.

Quid plura adjiciam? incaſſum abhorret Yprenſis gratiam ſufficientem, & negat poſſe proxime bonum ab ea profluere, eo quod ulterior ad actu operandum requiratur gratia; cum enim efficaci actu operemur, non ea certe poſſe operari dicimur, ſed potius actu operari: de eo qui actu operatur non dicimus, poteſt operari, ſed actu agit; & certe prius eſt poſſe agere, quam actu agere. Igitur datur ex principiis S. Auguſtini gratia præveniens qua præparatur voluntas a Domino, & quæ dat poſſe proximum & expeditum: datur & alia quæ præparat applicando ad actum, & dat actu operari: prima ſufficientis, altera efficacis nomine celebratur.

De gratia efficaci nunc ſuo ordine occurrit ſermo, de ea potiſſimum pertractat S. Aug. in operibus quæ adverſus Pelagianam conſcripſit pravitatem, quandoquidem diſceptatio palmaris erat inter Pelagium & S. Doctorem, ut non ſemel obſervavimus, de gratia operis.

Hanc gratiam plurimum pro ſua converſione celebrat S. Auguſtinus, eamque ab energia & effectu conſecuto ſecernit a prima, cujus iteratis motibus paulatim ſed non magna & longa abſque reſiſtentia præparata fuerat ejus anima ad converſionem. Audiamus peccatorem mirabiliter pœnitentem. Sic effatur ibidem n. 29.
„ Dicebam hæc & flebam amariſſima con-
„ tritione cordis mei. Et ecce audio vo-
„ cem de vicina domo cum cantu dicen-
„ tis & crebro repetentis, quaſi pueri,
„ an puellæ, neſcio: *Tolle*, *lege*, *tolle*,
„ *lege*. Statimque, mutato vultu, inten-
„ tiſſimus cogitare cœpi, utrumnam ſole-
„ rent pueri in aliquo genere ludendi
„ cantitare tale aliquid: nec occurrebat
„ omnino audiviſſe me quippiam .... ita-
„ que concitus redii ad eum locum ubi
„ ſedebat Alypius: ibi enim poſueram
„ codicem Apoſtoli cum inde ſurrexeram.
„ Arripui, aperui, & legi in ſilentio ca-
„ pitulum, quo primum conjecti ſunt oculi
„ mei: *Non in comeſſationibus & ebrieta-*
„ *tibus*, *non in cubilibus & impudicitiis*,
„ *non in contentione & æmulatione: ſed in-*
„ *duite Dominum Jeſum Chriſtum*, *& car-*
„ *nis providentiam ne feceritis in concupiſ-*
„ *centiis*, Rom. 13. 13. Nec ulla volui
„ legere, nec opus erat. Statim quippe
„ cum fine hujuſce ſententiæ, quaſi luce
„ ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes du-
„ bitationis tenebræ diffugerunt. „

Ecce gratia admodum efficax, gratia tenebras diſſipans, gratia auferens cor lapideum, gratia convertens animas: hanc expertus eſt Auguſtinus ſanctificatus ibidem n. 30. “ Couvertiſti enim me, ad
„ te, *ait ad Dominum Deum ſuum*, ut nec
„ uxorem quærerem, nec aliquam ſpem
„ ſæculi huius, ſtans in ea regula fidei
„ in qua me ante tot annos ei revelave-
„ ras. Et convertiſti luctum eius in gau-
„ dium multo uberius quam voluerat, &
„ multo carius atque caſtius quam de ne-
„ potibus carnis meæ requirebat. „

Eandem gratiæ efficaciam fuſo explanat calamo l. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 20. n. 38. ubi refert Deum inclinaſſe cor Regis Aſſueri in lenitatem ut ſalvarentur Judæi de quorum ſalute molitionibus Aman actum erat: “ Ecce ingreditur ad
„ Regem, *ſcilicet Eſther*, ne multa dica-
„ mus: & quia non ordine ſuo ingre-
„ diebatur, magna neceſſitate compulſa,
„ intuitus eſt eam, ſicut ſcriptum eſt Eſther
„ 15. 5. & ſeq. *Velut taurus in impetu*
„ *indignationis ſuæ*. *Et timuit Regina*, *&*
„ *converſus eſt color ejus per diſſolutionem &*
„ *inclinavit ſe ſuper caput delicatæ ſuæ quæ*
„ *præcedebat eam*. *Et convertit Deus*, *&*
„ *tranſtulit indignationem ejus in lenitatem*.
„ Jam ſequentia commemorare quid opus
„ eſt, ubi Deum complevifſe quod illa
„ rogaverat, divina Scriptura teſtatur,
„ operando in corde Regis, quid aliud
„ quam voluntatem qua juſſit & factum
„ eſt, quod ab eo Regina popoſcerat?
„ Quam Deus jam, ut fieret, exaudie-
„ rat, qui cor Regis, antequam mulie-
„ ris ſermonem poſcentis audiſſet, oc-
„ cultiſſima & efficaciſſima poteſtate con-
„ vertit, & tranſtulit ab indignatione ad
„ lenitatem, hoc eſt a voluntate læden-
„ di, ad voluutatem favendi: ſecundum
„ illud Apoſtoli Philip. 2. 13. *Deus ope-*
„ *ratur in vobis & velle*. „

Gratia energiam non abſimilibus delineat coloribus l. de gratia & libero arbitrio cap. 16. n. 32. quam variis exquiſitiſque Scripturæ ſententiis probat; ibi enim Deus ait peccatoribus: faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, auferam a vobis cor lapideum & dabo novum. Quod certe

ſummam ineſſe gratiæ Mediatoris efficaciam arguit. Hoc ipſum demonſtrat ſanctus Auguſtinus l. de corr. & grat. cap. 14. n. 43. exemplo Iſraelitarum in quorum cordibus operatus eſt & ut Saulem agnoſcerent Regem, &, illo mortuo, Davidi adhærerent. Ex his & ſimilibus exemplis infert S. Doctor Deum magis habere in ſua poteſtate hominum voluntates, quam ipſos ſuas, adeoque gratiam eſſe admodum efficacem.

Num gratia ſit per ſe efficax, vel per conſenſum voluntatis humanæ gratia aliqua jam præventa diſputant Theologi, etiam de mente S. Auguſtini circa illud momentum. Nos vero Thomiſtæ cum multis aliis omni exceptione majoribus contendimus eam eſſe S. Doctoris opinionem, videlicet gratiam Chriſti eſſe per ſe efficacem. Jam vero in quo ſita ſit illa efficacia non una eſt Academiarum ſententia. Quidam enim gratiam per ſe efficacem in quadam congruitate & circumſtantiarum attemperatione conſiſtere, ut Hambertus & Grandinus autumant: quidam illam reponunt in delectatione victrici, ſalva tamen indifferentia actus. Ita propugnant Habertus Vabrenſis Epiſcopus in ſua Patrum Græcorum de gratia Mediatoris Theologia: Gaſto Chamiliar Profeſſor Regius Sorbonicus in ſuis Manuſcriptis. Angelica D. Thomæ Schola hujus gratiæ energiam in præmotione morali ſimul & Phyſica ſitam eſſe contendit. Quidquid ſit, omnes in petra fidei adunati à S. Auguſtino, ſalva liberi arbitrii cum gratia quantumvis efficaci conſociatione, defendi ultro fatentur.

Tertium, quod S. Præſul de gratia explanat momentum, illudque præcipuum & palmare, eſt neceſſitas gratiæ. Eam in omnibus quos expoſuimus libros ex profeſſo defendit contra Pelagianos, præſertim vero in l. de gratia & libero arbitrio: namque in toto quarto capite eam multiplici divinarum Scripturarum auctoritate probat. Eandem ſpeciali quoque modo defendit adverſus Semipelagianos l. de Præd. SS. cap. 3. & hoc auctoritate S. Cypriani quam fuſo pertractat calamo: ſimiliter & cap. 4. Divi Ambroſii ſuffragio. Pergit cap. 5. & pro tali momento iterum atque iterum laudat & commemorat Apoſtoli ſententias, quibus luce clarius oſtendit gratiam non ſolum ad conſummationem actus ſupernaturalis, ſed & ad initium eſſe neceſſariam. In libro de dono perſeverantiæ eam ſupra modum requiri ad perſeverandum finaliter pronuntiat, hinc & perſeverantiam finalem in bono donum Dei ſpecialiſſimum eſſe omni auctoritatum & rationum genere probat.

PUNCTUM NONUM.

S. Auguſtinus circa palmares de gratia actuali difficultates fidelis ſui ipſius interpres eſt.

HANC quoque pro defenſione doctrinæ Divi Auguſtini Provinciam læto & alacri animo ea qua par eſt erga tantum Doctorem reverentia impræſentiarum ſuſcipimus defendendam, ne in variis tum de ſcientia Dei, tum de Prædeſtinatione Sanctorum, tum de liberi arbitrii concordia cum efficacia gratiæ, & potentiſſime voluntatis Dei maneat circa mentem tanti Doctoris ambigendi locus.

Hoc ipſum jam claret ex ſolutione objectionum quæ ſolent adverſus S. Præſulis doctrinam fieri quas ſupra ſicut retulimus, ita & ad mentem S. Auguſtini ſolvimus. Quaſdam ulteriores ad majorem elucidationem proponere & dirimere juvat.

Primo Proteſtantes aliique non pauci Heterodoxi liberum hominis arbitrium peccato Adæ periiſſe contendunt, iis innixi S. Auguſtini verbis Ench. c. 30. " Libero arbitrio utens homo, ſe perdidit " & ipſum. " Inferuntque hominem neceſſario compelli, ad malum quidem per concupiſcentiam, ad bonum vero per gratiam. Verum Auguſtinus l. 2. contra duas Epiſt. Pel. c. 5. n. 9. eſt ſui ipſius interpres ut jam ſuo loco diximus. Unum impræſentiarnm addere non injucundum erit; propoſitionem Calvini & aliorum non ſolum non eſſe S. Doctoris opinionem, ſed inſulſam a Pelagianis ſibi irrogatam calumniam, quam pro virili propellit his verbis: " Jam nunc illa videnda " ſunt, quæ in Epiſtola ſua nobis objicien- " tes, breviter poſuerunt, quibus hæc eſt " noſtra reſponſio. PECCATO ADÆ AR- " BITRIUM LIBERUM DE HOMINUM " NATURA PERIISSE NON DICI- " MUS: ſed ad pecandum valere in homi- " nibus

Digitized by Google

„ nibus ſubditis diabolo; ad bene autem „ pieque vivendum non valere, niſi ipſa „ voluntas hominis Dei gratia fuerit li„ berata, & ad omne bonum actionis, „ ſermonis, cogitationis adjuta. „ Quid plura? liberum arbitrium etiam pro præſenti ſtatu l. de ſpir. & litt. cap. 33. n. 5. ſic definit: “ Media vis quæ vel intendi „ ad finem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. „ Igitur ex S. Aug. manet potentia ad oppoſitum ſub dominio gratiæ.

Secundo quædam præcepta eſſe impoſſibilia etiam juſtis conantibus, deeſſe quoque homini gratiam qua poſſibilia fiant, propugnat Janſenius, innixus quoque, ut putat, S. Aug. auctoritate: incaſſum ſane pro hoc momento appellat ad Auguſtinum, cum contrarium a S. Doctore paſſim in ſuis operibus, ut dictum eſt, demonſtretur. Quomodo vero poſſibilia ſint mandata, apprime explicat S. Præſul triplicem diſtinguens poſſibilitatem, unam ſcilicet quæ Sanctis competit, quæque eſt ſimul cum effectu conjuncta: unam quæ ineſt peccatoribus, eaque proxima & expedita ad bene vivendum, ſed quam ipſi rejiciunt gratiæ invitanti ad bonum reſiſtendo: tertiam, quæ quidem remota dicitur ad converſionem, ſed proxima ad orandum, ut oratione & deprecatione uberiorem & robuſtiorem habeant peccatores, qua de facto convertantur & ſalvi fiant: ex quibus liquet mandata eſſe omnibus poſſibilia; juſtis quidem dum ſancte & pie vivunt, juſtis conantibus & ipſis peccatoribus, dum omnes invitantur, & adjuvantur ad opus bonum; etiam obduratis, dum orare poſſunt & ſupplici oratione gratiam converſionis obtinere queunt. Namque præcipit & eos adhortatur perpetuo S. Auguſtinus ut pro hoc momento orent; ſupponit igitur eos & poſſe orare, & gratiam ad orationem eos invitantem & excitantem illis concedi: alteram vero uberiorem eiſdem offerri, qua de facto orent & deprecentur Dominum, quatenus gratiam converſionis eis elargiri dignetur.

De prima poſſibilitate loquitur Auguſtinus l. de natura & gratia contra Pelagium cap. 42. n. 49. “ Neque, *inquit*, de ipſa poſ„ ſibilitate contendo, cum ſanata & ad„ juta hominis voluntate poſſibilitas ipſa „ ſimul cum effectu in ſanctis proveniat, „ dum charitas Dei, quantum pleniſſi„ me natura noſtra ſana atque purgata ca„ pere poteſt, diffunditur in cordibus no„ ſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt „ nobis.

De ſecunda poſſibilitate aſtruenda ſermonem habet ibidem cap. 43. n. 50. Ibi enim de homine lapſo ſpecialiter agens, ait nihil quidquam impoſſibile ei juberi. “ De il„ lo agitur quem ſemivivum latrones in via „ reliquerunt, qui gravibus ſaucius con„ foſſuſque vulneribus non ita poteſt ad „ juſtitiæ culmen adſcendere, ſicut po„ tuit inde deſcendere: qui etiamſi jam „ in ſtabulo eſt, adhuc curatur. Non igi„ tur Deus impoſſibilia jubet: ſed juben„ do admonet & facere quod poſſis & „ petere quod non poſſis. „ Jubet facere quod poſſis: ſupponit igitur S. Aug. peccatorem cui præcipitur adimplere mandata, & a fortiori juſtum conantem adimplere, hoc ipſum omnes poſſe, omnes habere gratiam qua mandata proxime fiant poſſibilia: quod enim illa poſſibilitas penes naturam non intelligatur, ut volebat Pelagius, quem ibi S. Doctor inſectatur, patet; namque ibidem Heterodoxi objectionem proponit & ſic ſolvit. “ Iſte dicit, *Voluntate non eſt*, *quod natu„ ra poteſt*. Ego dico, voluntate qui„ dem non eſt homo juſtus, ſi natura po„ teſt: ſed medicina poterit, quod vi„ tio non poteſt. „ Quibus verbis non ſolum Pelagii ſed & Janſenii de impoſſibilitate mandatorum commenta prorſus exploduntur. Ea iterum atque iterum exſufflat S. Doctor. Ibidem cap. 89. n. 83. “ Valde autem *bona ſunt præcepta*, ſi le„ gitime his utamur. Eo quippe ipſo quo „ firmiſſime creditur, Deum juſtum & bo„ num impoſſibilia non potuiſſe præcipe„ re; hinc admonemur, & in facilibus „ quid agamus, & in difficilibus quid pe„ tamus. „ Ecce iterum gratia commendata omnibus data ut in facilibus operemur bonum: & alia uberior petenda pro difficilibus: igitur ex S. Auguſtino de fide eſt Deum impoſſibilia non præcipere, adeoque prima Janſenii Yprenſis propoſitio non ſolum Auguſtini doctrinæ, ſed & fidei juxta S. Doctoris effatum & principium, adverſa eſt.

De tertia poſſibilitate aperta quoque S. Auguſtini mens eſt, cum ipſe jubeat orare & petere auxilium quod pecca-

tor

tor nondum quidem pro converſione habet, ſed obtinere proxime poteſt. Habet igitur gratiam qua proxime oratio fit illi poſſibilis, ut oratione & deprecatione uberiorem pro converſione obtineat. Et ſic mandata nulli ſunt, etiam peccatoribus, etiam obduratis impoſſibilia. Quod ſane non in uno aut altero ſed multiplici loco propugnat S. Doctor, præſertim vero l. de grat. & lib. arb. cap. 15. n. 31. „ Ad hoc enim, *inquit*, valet quod ſcrip-„ tum eſt, Eccli. 15. ſec. LXX. *Si vo-„ lueris, conſervabis mandata*, ut homo „ qui voluerit, & non potuerit, non-„ dum ſe plene velle cognoſcat, & oret „ ut habeat tantam voluntatem, quanta „ ſufficit ad implenda mandata. „

Jam vero ſi orare debet peccator ut habeat quo actu mandata adimpleat, luce clarius apparet, juxta Auguſtinum poſſe mandata obſervare, quatenus poſſe proximum orationis habet, qua mediante, gratiam operis & actus obtineat. Obſerves igitur velim, cordate & benevole Lector, quod quotieſcumque apud Auguſtinum legitur peccatorem non poſſe bonum operari, S. Præſulem hoc intelligere vel de natura in ſe relicta, vel de poſſibilitate conjuncta quæ habetur per gratiam efficacem & charitatem, nuſquam vero de poſſibilitate proxima in ſe conſiderata, cum adſit omnibus, etiam magnis peccatoribus gratia orationis qua juxta inconcuſſa S. Præſulis principia, poterunt obtinere gratiam efficacem pro ſalute operanda. Uno verbo dum S. Doctor ait hominem quandoque non poſſe, ſed orare debere ut poſſit, loquitur de potentia conjuncta cum actu quæ eſt orationis motivum, ut liquet ex verbis modo laudatis “ Oret ut habeat tantam voluntatem, „ quanta ſufficit ad implenda mandata „ non dicit ad poſſe mandata implere, ſed *ad implenda mandata*. Hac genuina Auguſtinianæ mentis explanatione evaneſcunt cuncta Heterodoxorum pro impoſſibilitate mandatorum commenta.

Incaſſum igitur hæc & ſimilia S. Auguſtini loca Janſenius in alienum prorſus ab auctore intentum detorquet ſenſum: maxime iſtud ex libro tertio de libero arbitrio cap. 18. n. 51. excerptum, quod l. 3. de gratia Chriſti cap. 13. aſſert, ut probet quædam præcepta eſſe impoſſibilia. Quæ apud Aug. ſic habetur. “ Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut „ amittat quiſque quo bene uti noluit, „ cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi „ vellet. Id eſt autem ut qui ſciens re-„ cte non facit, amittat ſcire quid re-„ ctum ſit: & qui recte facere cum poſ-„ ſet, noluit, amittat poſſe cum velit. „ Quis non videt S. Doctorem loqui vel de charitatis habitu, quo juſtus uti poteſt ad benefaciendum, amittit vero peccando, adeoque & illud poſſe, & hoc in peccati pœnam? vel etiam de gratia efficaci quæ offertur, & quæ dat poſſe cum actu conjunctum, quod tamen poſſe amittit homo & abjiciendo gratiam oblatam, & prævaricando: quod enim non loquatur de poſſe proximo ut ſic ad bene operandum, nemo non videt: quandoquidem S. Doctor ait, illum peccatorem amittere poſſe cum velit: ſi vult, profecto habet poſſe, cum illa voluntas tametſi debilis, attamen a gratia præveniente, adeoque & ſufficienti promanet: cæterum amittit poſſe, igitur habebat: & ſervare mandata poterat.

Jam audiamus quid ex omnibus dictis pro poſſibilitate mandatorum concludat S. Auguſtinus l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 10. n. 23. “ Quæ cum ita ſint, *in-„ quit*, nihil in Scripturis ſanctis homi-„ ni a Domino video juberi propter pro-„ bandum liberum arbitrium quod non „ inveniatur vel dari ab ejus bonitate, „ vel poſſe propter adjutorium gratiæ de-„ monſtrandum. „ Quia vero Janſenius Propoſitionem de impoſſibilitate mandatorum l. 3. 3. de Grat. Ch. cap. 13. pag. 135. edit. Rothomag. in primis auctoritate ex libro 3. de lib. ar. cap. 18. probare conatur, operæ pretium eſt hic texere textus Beati Auguſtini ſubſequentes, & cito citius clarebit, conſequentias, quas Yprenſis vult ex ejus auctoritate deducere, prorſus alienas eſſe Sancti Doctoris menti.

Obſervandum eſt, S. Auguſtinum libros tres de libero arbitrio ſcripſiſſe adverſus Manichæos, qui hominem eſſe in actionibus liberum abnegabant propter naturæ corruptionem, quam quidem corruptionem in Deum quemdam malum, malamolientem & operantem refundebant. Eos autem revincit in his libris S. Doctor

ctor tria probando : primo quidem malum non eſſe a Deo, quandoquidem peccatum non habet cauſam efficientem ſed deficientem, adeoque a natura per culpam Adami corrupta profluere. Secundo ignorantiam, concupiſcentiam, difficultatem ad bonum, alioſque defectus ex hoc impuro fonte promanare, cujus rei argumentum eſt, quod hæc mala non ſint ex natura inſtituti hominis, ſed pœna peccatoris : quos etiam defectus nonnumquam appellat peccata in radice, videlicet in Adamo qui libere inobediendo peccavit. Tertio liberum arbitrium tametſi ad bonum operandum debilitatum, attamen vere & formaliter eatenus ineſſe domini lapſo, quatenus in eo remanſit indifferentia actus ad oppoſitum, ita ut omnis neceſſitas & ſimpliciter ſimplex, qualem propugnat Calvinus; & relativa, quæ tranſit in abſolutam, qualem defendit Janſenius, a voluntate hominis juxta inconcuſſa S. Auguſtini principia eliminanda ſit.

In libro 3. de libero arbitrio pergit S. Præſul inſectari Manichæorum errores circa naturam primi principii & liberum arbitrium, oſtendendo neque præſcientiam Dei, neque ejuſdem cum hominibus operantibus concurſum humanæ adverſari libertati, cui ſi adjungeret, ut incaſſum propugnat Janſenius peccandi neceſſitatem & præcepta adimplendi impoſſibilitatem, certe nihil omnino adverſus Manichæos probaret. Igitur jam luce clarius apparet Yprenſem contra ſcopum ab Auguſtino intentum ex ejus auctoritate concludere quædam præcepta etiam juſtis, etiam conantibus eſſe impoſſibilia : ſed ne verba & voces tantum contra Janſenii doctrinam opponi aliquis credat, in medium adducere juvat textum S. Aug. capitis 18. libri tertii de libero arbitrio.

S. Doctor n. 52. ſic loquitur. “ Nec
„ mirandum eſt quod vel ignorando non
„ habeat *homo* arbitrium liberum volunta-
„ tis ad eligendum quid recte feciat : vel
„ reſiſtente carnali conſuetudine quæ vio-
„ lentiæ mortalis ſucceſſionis quodammo-
„ do naturaliter inolevit, videat quid re-
„ cte faciendum ſit, & velit, nec poſſit
„ adimplere. Illa eſt enim pœna peccati
„ juſtiſſima, ut amittat quiſque quo bene
„ uti noluit, cum ſine ulla poſſet diffi-
„ cultate, ſi vellet. Id eſt autem ut qui
„ ſciens recte non facit, amittat ſcire
„ quid rectum ſit : & qui recte facere
„ cum poſſet noluit, amittat poſſe cum
„ velit. Nam ſunt revera omni peccanti
„ animæ duo iſta pœnalia, ignorantia &
„ difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat
„ error, ex difficultate cruciatus affligit.
„ Sed approbare falſa pro veris, ut erret
„ invitus, & reſiſtente atque torquente
„ dolore carnalis vinculi, non poſſe a li-
„ bidinoſis operibus temperare, non eſt
„ natura inſtituti hominis, ſed pœna
„ damnati. Cum autem de libera volun-
„ tate recte faciendi loquimur, de illa
„ ſcilicet, in qua homo factus eſt, lo-
„ quimur.

Eo loci, ut patet, hanc inſtituit S. Auguſtinus comparationem inter hominem innocentem & hominem lapſum; quod primus & gratiam & charitatem ſibi congenitam haberet, idcirco & perfectam recte faciendi libertatem, facilitatem & magnum poſſe bonum, quam quidem libertatem, non quoad ſubſtantiam, ſed ſolummodo quoad perfectionem & recte faciendi facilitatem, in pœnam peccati amiſit; ſubdit S. Aug. iſtud poſſe a gratia innocentiæ & charitate in homine innocente profluxiſſe, cujus hanc optimam reddit rationem : “ illa eſt enim pœna pec-
„ cati juſtiſſima, ut amittat quiſque quo
„ bene uti noluit. „ Cum ergo illud poſſe bene faciendi primo homini innatum, amiſſum ſit, homo lapſus nonniſi, mediante gratia ſalvatoris, illud recuperat & habet. Poſſe igitur bonum adeſſe homini lapſo facienti quod in ſe, & oranti, centies aſſerit S. Auguſtinus, qui ſenſum hunc tanquam ſuum approbat, cum hæc ſubjungit verba, “ cum autem de libera voluntate
„ recte faciendi loquimur, de illa ſcili-
„ cet, in qua homo factus eſt, loquimur. „

Ecce concluſio Janſenii ex auctoritate S. Auguſtini deducta : ergo homini lapſo etiam juſto, etiam conanti quædam præcepta ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia qua poſſibilia fiant : & ecce conſequentia S. Aug. homo lapſus ſine gratia Chriſti non poteſt adimplere præcepta : nemini ſunt impoſſibilia; ſic enim ait l. de nat. & g. cap. 43. n. 50. “ *Non igi-*
„ *tur Deus impoſſibilia jubet*, quinimmo ne-
„ mini deeſt gratia ut adimpleat, pec-
„ cator enim & poteſt orare, & effi-
„ cacia

„ eacia orationis habere charitatem qua „ perfecte obediat legi: *Sed jubendo admo*„ *net*, inquit S. Doctor, *& facere quod* „ *poſſis, & petere quod non poſſis.* “

Yprenſis aliam deducit ex auctoritate S. Aug. conſequentiam: *Illa eſt peccati pœna juſtiſſima*, &c. videlicet hominem lapſum quandoque neceſſario compelli ad peccatum: hoc enim ſequitur ex impoſſibilitate mandatorum. Quidam quoque tempore B. Auguſtini eandem ex neceſſitate gratiæ deducebant. Verum S. Doctor toto mentis affectu hanc abhorret illationem, & ne quiſquam talem ex auctoritate ſua his verbis expreſſa, *Illa eſt*, &c. deducat, ſolvit argumentum.

Sic reſpondet ibidem cap. 18. n. 53. immediate poſt iſta verba: „ Cum autem de „ libera voluntate recte faciendi loqui„ mur, de illa ſcilicet, in qua homo fa„ ctus eſt, loquimur. “ Ne enim dimittat adverſarios, & aliqui impoſſibilitatem recte faciendi homini lapſo affingant, ſubdit: „ Hic occurrit illa quæſtio, quam „ inter ſe murmurantes homines vomere „ conſueverunt, qui quodlibet aliud in „ peccando quam ſe accuſare parati ſunt. „ Dicunt enim, ſi Adam & Eva pecca„ verunt, quid nos miſeri facimus, ut „ cum ignorantiæ cæcitate & difficulta„ tis cruciatibus naſceremur, & primo „ erraremus neſcientes quid nobis eſſet fa„ ciendum, deinde ut nobis inciperent „ aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea „ facere, & renitentis carnis concupi„ ſcentiæ neſcio qua neceſſitate non vale„ remus? “ Ecce clara, ſed perverſa conſequentia quam Janſenius deducit ex illa S. Aug. auctoritate, *Illa eſt peccati pœna juſtiſſima*, &c. Quam quidem conſequentiam deteſtatur S. Doctor, eamque pro virili, & toto mentis affectu impugnat. Ergo pergit, & ſic revincit excuſantes ſe fictitiæ neceſſitatis prætextu in peccatis. „ Quibus, *inquit*, breviter re„ ſpondetur ut quieſcant, & adverſus „ Deum murmurare deſiſtant. Recte e„ nim fortaſſe quererentur, ſi erroris & „ libidinis nullus hominum victor exiſte„ ret, cum vero ubique ſit præſens, qui „ multis modis per creaturam ſibi Domi„ no ſervientem averſum vocet, doceat „ credentem, conſoletur ſperantem, di„ ligentem adhortetur, conantem adju„ vet, exaudiat deprecantem; non tibi „ deputatur ad culpam, quod invitus igno„ ras, ſed quod negligis quærere quod „ ignoras; neque illud quod vulnerata „ membra non colligis, ſed quod volen„ tem ſanare contemnis: iſta tua pro„ pria peccata ſunt. Nulli enim homi„ ni oblatum eſt ſcire utiliter quæri, „ quod inutiliter ignoratur, & humili„ ter confitendam eſſe imbecillitatem, „ ut quærenti & confitenti ille ſubve„ niat, qui nec errat dum ſubvenit, nec „ laborat. “

Certe aureis iſtis verbis & ſententiis B. Auguſtinus quaſi hæreſeos Janſenianæ præſcius, totum fucatum, erroneumque Yprenſis ſubvertit ſyſtema. Primo quidem Janſenius exorbitante concupiſcentia, propugnat hominem non poſſe libidini reſiſtere; contrarium aſſerit S. Auguſt., cujus rei argumentum hoc affert, peccatorem conſentiendo carni titillanti, reum eſſe, quatenus poteſt obniti & vincere tentationem, cum multos de facto reſtitiſſe compertum ſit, *Recte enim*, inquit, *fortaſſe quererentur peccatores, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor extitiſſet*. Secundo contendit Janſenius gratiam quæ præcepta poſſibilia fiunt, ut ad malum neceſſario non compellantur, non ſolum peccatoribus, ſed & juſtis etiam conantibus nonnumquam deeſſe: e contra Sanctus Auguſtinus docet omnibus adeſſe, etiam magnis peccatoribus, qui ſi eam humiliter a Deo expoſtulent, profecto habebunt & adimplebunt mandata „ cum „ vero *Deus* ubique ſit præſens, qui „ multis modis per creaturam ſibi Do„ mino ſervientem averſum vocet, do„ ceat credentem, conſoletur ſperan„ tem, diligentem adhortetur, conan„ tem adjuvet, exaudiat deprecantem. “ Tertio Janſenius ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis ex peccato originali promanantem vult eſſe peccatum: ſed hoc contra erroneum dogma acriter inſurgit S. Præſul, docendo illam eſſe peccatum ſolummodo in Adamo, qui inobediendo cauſa ejus fuit, nuſquam vero in hominibus, niſi ei libere conſentiant, debitam non adhibendo diligentiam, ut ſi fieri poteſt, eam devincant. Sic pronuntiat Sanctus Auguſtinus, „ non tibi deputatur ad culpam, quod „ invitus ignoras; neque illud quod „ vulnerata membra non colligis, ſed

„ quod

,, quod volentem ſanare contemnis : iſta
,, tua propria peccata ſunt . ,, Quid expreſſius pro Janſenii dogmatibus proſcribendis?

Yprenſis alteram laudat S. Auguſt. auctoritatem pro impoſſibilitate præceptorum l. 3. de g. Chriſti cap. 13. pag. 138. col. 2. quam ex l. 3. de lib. arb. cap. 18. Sancti Auguſtini excerpſit. " Qui cogenti
,, cupiditati bona voluntate reſiſtere non
,, poteſt , & ideo facit contra præcepta
,, Juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut
,, ſit etiam pœna peccati ,, ex hoc concludit Janſenius etiam volentes non poſſe adimplere mandata. Hæc ſunt enim ejus verba immediate antecedentia, *de volentibus loquebatur*, S. Auguſtinus, *quando dicebat, qui cogenti*, &c.

Reſpondeo hanc auctoritatem non reperiri in editione nova, eo ſaltem loco ab Yprenſi citato. Quidquid ſit, huic difficultati occurrit S. Auguſt. & hanc contrariam omnino deducit conſequentiam; neminem ſcilicet concupiſcentia neceſſario ad malum compelli, nec libidinis motum eſſe peccatum niſi libere ei aſſentiatur homo. Sic inchoat cap. 18. nu. 50. libri tertii de libero arbitrio. " An forte violenta eſt, & cogit invitum? " Num
,, eadem toties replicaturi ſumus? Remi-
,, niſcere ſuperiorum , quæ a nobis tam
,, multa de peccato , & voluntate libera
,, dicta ſunt . Sed ſi laborioſum eſt om-
,, nia mandare memoriæ , hoc breviſſi-
,, mum tene . Quæcumque iſta cauſſa eſt
,, voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, SI-
,, NE PECCATO EI CEDITUR : ſi autem
,, poteſt, non ei cedatur, & non pecca-
,, bitur. An forte fallit incautum? Ergo
,, caveat ne fallatur . An tanta fallacia
,, eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita
,, eſt , nulla peccata ſunt : QUIS ENIM
,, PECCAT IN EO , QUOD NULLO MO-
,, DO CAVERI POTEST? PECCATUR AU-
,, TEM, CAVERI IGITUR POTEST.

Obſtrepit iterum Heterodoxus , propugnatque ineſſe homini juxta B. Auguſtini ſententiam ad peccandum modo ex ignorantia, modo ex concupiſcentia ortam neceſſitatem ; deinde a ſimili concludit , ſed perverſe , nonnumquam ineſſe homini & præcepta adimplendi impoſſibilitatem : quo innixus fundamento? Si quæras, reſpondet ſic docere S. Auguſtinum, qui quandoque peccatorem ſic loquentem introducit lib. de grat. & liber. arbitrio cap. 3. num. 5. non poſſum facere quod præcipitur , quoniam concupiſcentia mea vincor ; quandoque etiam illum Apoſtoli laudat locum Roman. 7. 15. *Non enim quod volo, hoc ago : ſed quod odi , illud facio.*

S. Auguſtinus hanc ſibi a Pelagianis factam propellit calumniam : unde neſcio quo auſu hoc ipſum immaculatæ tanti Doctoris ſententiæ tribuant & Proteſtantes & Janſenius veluti in eorum collimans opinionem . Sic objectioni reſpondet S. Doctor l. 1. contra duas Epiſt. Pel. cap. 5. num. 7. " Non itaque, ſicut dicunt nos
,, quidam dicere , & iſte audet inſuper
,, ſcribere, *omnes in peccatum*, veluti in-
,, viti , *carnis ſuæ neceſſitate coguntur*. Sed
,, ſi jam in ea ætate ſunt ut propriæ
,, mentis utantur arbitrio , & in pecca-
,, to ſua voluntate retinentur , & a pec-
,, cato in peccatum ſua voluntate præci-
,, pitantur . Neque enim agit in eis et-
,, iam qui ſuadet & decipit, niſi ut pec-
,, catum voluntate committant, vel igno-
,, rantia veritatis vel delectatione iniqui-
,, tatis, vel utroque modo & cæcitatis &
,, infirmitatis. ,,

Quibus verbis docet ſanctus Doctor neque ignorantiam , neque concupiſcentiam eſſe peccatum formaliter & in ſe , niſi accedat voluntatis conſenſus . Quod ex profeſſo probat cap. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & cap. 13. num. 27. ait de concupiſcentia tractans : " Jam non ſit pec-
,, catum , ſed hoc vocetur , ſive quod
,, peccato facta ſit , ſive quod peccandi
,, delectatione movetur , etſi ei vincen-
,, te delectatione juſtitiæ non conſentia-
,, tur . ,,

Cæterum falſum eſt S. Auguſtinum admittere peccandi neceſſitatem , ait quidem ineſſe homini lapſo in genere quandam neceſſitatem , nuſquam vero neceſſitatem ſimplicem ſive phyſicam ſive relativam . Sic ſeipſum explicat l. de natura & gratia cap. 66. n. 79. ubi ſic alloquitur Pelagium : " Redi ergo ad apoſtolicam
,, ſententiam : Rom. 5. *Charitas Dei dif-*
,, *fuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum San-*
,, *ctum qui datus eſt nobis* . A quo niſi ab
,, illo qui aſcendit in altum , Pſal. 4. 8.
,, *Captivavit captivitatem , dedit dona homi-*
,, *nibus?* Quod autem ex vitiis naturæ ,
,, non ex conditione naturæ , ſit QUÆ-

,, DAM

,, DAM PECCANDI NECESSITAS, audiat
,, homo, atque ut eadem neceſſitas non
,, ſit, diſcat Deo dicere, de neceſſitati-
,, bus educ me.

Gratiam neceſſitantem propugnat Yprenſis, quam falſo auctoritate S. Auguſtini innixam putat, duplicemque pro hoc momento laudat S. Præſulis locum. S. Doctor, inquit, dicit voluntatem Dei modo invictam, modo etiam inſuperabilem eſſe: ſi invicta eſt, numquam ei reſiſtitur, ſi vero inſuperabilis, ne quidem ei reſiſti poteſt. Ex quo concludit gratiam neceſſitare ad bonum: S. Aug. l. de Spir. & Litt. cap. 33. n. 58. ſic loquitur: *Voluntas Dei ſemper invicta eſt*. Libro vero de Corr. & Grat. c. 12. n. 58. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*.

Reſpondeo nihil magis eſſe a genuina Divi Auguſtini ſententia alienum quam gratiam neceſſitantem. S. Doctor eſt ſui ipſius interpres. In primo loco tantum abeſt, ut quidquam pronuntiet adverſus liberum arbitrium, illud ipſum & aſtruit, dum ait eſſe mediam vim ad oppoſitum, & defendit, cum docet Deum ita velle omnes homines ſalvos fieri, ut eis non adimat liberum arbitrium quo poſſunt bene vel male uti, ita tamen quod ſi male, punientur, ex quo jure merito concludit voluntatem Dei eſſe invictam, quatenus qui ab illa ut bona eſt & remunerativa peccando aberrant, in eandem ut ſcelera punit prolabuntur. Duplex igitur diſtinguitur Dei voluntas: una quidem generalis qua ſuam in omnibus quærit gloriam, altera ad homines terminata qua vult eos omnes ſalvos fieri. Primam impedire nequidem peccator impius poteſt, quia etiam damnatio peccatoris cedit in gloriam juſti vindicis, & de illa loquitur S. Aug. cum ait voluntatem Dei eſſe invictam. Alteri vero aut reſiſtere aut ejus impedire effectum perfectum poſſe, nemo non experitur: eſto quod voluntas hominis gratia efficaci ad bonum mota non reſiſtat, poteſt tamen reſiſtere.

Jam audiamus S. Auguſtinum qui libro citato de Spir. & Litt. cap. 33. n. 58. ait
" Liberum arbitrium naturaliter attribu-
,, tum a Creatore animæ rationali, il-
,, la media vis eſt, quæ vel intendi ad
,, fidem, vel inclinari ad infidelitatem
,, poteſt...... Vult autem Deus omnes
,, homines ſalvos fieri, & in agnitionem
,, veritatis venire; non ſic tamen ut eis
,, adimat liberum arbitrium quo bene vel
,, male utentes juſtiſſime judicantur. Quod
,, cum ſit, infideles quidem contra vo-
,, luntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio
,, non credunt: ,, ecce reſiſtentia: ſubdit
,, vero. Nec ideo tamen eam vincunt,
,, verum ſe ipſos fraudant magno & ſum-
,, mo bono, maliſque pœnalibus impli-
,, cant, experturi in ſuppliciis poteſtatem
,, ejus, cujus in donis miſericordiam con-
,, tempſerunt. ,, Quid ex hoc concludit S. Doctor, voluntatem Dei qua in omnibus ſuam quærit gloriam, vinci non poſſe? " Ita, *inquit*, voluntas Dei ſemper
,, invicta eſt: vinceretur autem, ſi non
,, inveniret quid de contemptoribus face-
,, ret, aut ullo modo poſſent evadere quod
,, de talibus ille conſtituit.

Quod autem homo voluntati Dei eum per gratiam ad vitam vocanti poſſit reſiſtere, audi eundem Auguſtinum ibidem de hoc momento ſeſe clare explicantem cap. 34. n. 60. " Agit Deus, ut velimus
,, & credamus, ſive extrinſecus per evan-
,, gelicas exhortationes.... ſive intrin-
,, ſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid
,, ei veniat in mentem, ſed conſentire,
,, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. ,,

Reſpondeo ad ſecundam ex libro de Correptione & gratia depromptam auctoritatem, illam apprime intelligi poſſe de voluntate Dei qua Deus in omnibus ſuam curat & quærit gloriam, quæ quidem voluntas inſuperabilis eſt, ut ex dictis modo liquet. Verum alia occurrit clara ad mentem S. Doctoris ſolutio; eum enim de gratia perſeverantiæ finalis, quæ figit juſtum immobiliter in bono, dum mortem cum charitate conjungit, loqui certiſſimum eſt, quam tamen gratiam libero hominis arbitrio non eſſe adverſam ipſe docet, ipſe incunctanter prædicat. Cap. 8. n. 17. ſic efflatur de Chriſto qui hanc pro Petro expoſtulavit gratiam. " Quando er-
,, go ne fides ejus deficeret, quid aliud
,, rogavit, niſi ut haberet in fide LI-
,, BERRIMAM, fortiſſimam, invictiſſi-
,, mam, PERSEVERANTISSIMAM volun-
,, tatem? ,,

Rurſus ibidem cap. 11. n. 31. de gratia Mediatoris, ait gratia primi Hominis multo

Digitized by Google

multo robuſtiorem eſſe . " Hæc autem ,, tanto major eſt , ut parum ſit homini ,, per illam REPARARE PERDITAM LI- ,, BERTATEM , parum ſit denique non poſ- ,, ſe ſine illa vel apprehendere bonum , ,, vel permanere in bono ſi velit , niſi ,, etiam efficiatur ut velit . ,, Igitur homo manet liber ſub dominio gratiæ quantumvis efficaciſſimæ , cum eo detur ſcopo , non ut extinguat libertatem , ſed ut perditam , quæ ſane non diffitentibus etiam Proteſtantibus in indifferentia actus ſita erat , reſtauret & reddat . Quinimmo gratiæ perſeverantiæ , ſi ſpectetur ſecundum ſeriem gratiarum interiorum quibus pervenitur ad finem , homo juſtus poteſt reſiſtere , cum electos nonnumquam a gratia excidiſſe , poſtea ad eam pœnitentia ductos reſurrexiſſe conſtet . Et certe immobilitas & inſuperabilitas finalis in bono non eſt , donec accedat providentia ſpecialis extrinſeca , quæ jungat mortem cum gratia habituali & charitate : unde perſeverantia finalis nonniſi adæquate ſumpta , hoc eſt , & pro ſerie gratiarum qua perdurat juſtus in bono cœpto , & pro pretioſa morte , gratia inſuperabilis dicenda eſt .

Veniamus nunc ad alteram pro objectione propoſitam auctoritatem quæ quidem cap. 12. n. 38. refertur , ut appareat non de alia quam de perſeverantiæ gratia S. Auguſtinum loqui : hæc enim ſubjungit poſt iſta verba de voluntate hominis per gratiam mota , *inſuperabiliter ageretur ;* " ,, Et ideo quamvis infirma , non tamen ,, deficeret , neque adverſitate aliqua vin- ,, ceretur . Ita factum eſt , ut voluntas ,, hominis invalida & imbecilla in bono ,, adhuc parvo PERSEVERARET per vir- ,, tutem Dei .

Et hæc impræſentiarum ſufficiant pro genuina mente D. Auguſtini circa gratiæ difficultates , quas iterum atque iterum ſub diverſa & multiplici tum facie tum methodo exhibuimus , ut clare videamus in lumine tanti Doctoris quid recte ſentiendum , quidve docendum & prædicandum de gratia Mediatoris ad metam fidei ſanctæ matris Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ quæ ſola ejuſdem fidei depoſitum , ut vera & amantiſſima Chriſti ſponſa incorruptibiliter & ſervavit , & ſervat & ſervabit in ſæcula .

Synopſis eorum omnium quæ de libris eximii gratiæ Doctoris dicta ſunt pro conſociatione liberi hominis arbitrii cum Chriſti adjutorio .

PRIMO : in tribus libris de libero arbitrio S. Auguſtinus explodit commenta Manichæorum qui ſatum quoddam & ad malum patrandum neceſſitatem hominibus ineſſe effutiebant . Probat adverſus eos in primo quidem libro originem mali a ſola voluntate humana libere admodum agente promanare : in ſecundo omnium bonorum Deum eſſe primam cauſam , ita tamen ut moveat homines ad ſalutem libere , & eorum conformiter naturæ : in tertio nec præſcientiam mali libero adverſari arbitrio ; nec concupiſcentiam & iguorantiam eſſe peccatum , niſi accedat voluntatis conſenſus .

Secundo : in libro de Spiritu & Littera S. Doctor oſtendit legem ad ſalutem non ſufficere , gratiam ad hoc neceſſariam eſſe iterum atque iterum demonſtrat , ita tamen ſuaviter , ut & libertas indifferentiæ & actus ſub ejus dominio integra permaneat , & hoc potiſſimum cap. 29. & 34. docet .

Tertio : in libro de Natura & Gratia Beatus Præſul oſtendit adverſus Pelagium gratiæ Mediatoris neceſſitatem & miram ejus cum libero arbitrio concordiam : Heterodoxi ſolvit objectiones , & mandata Dei eſſe poſſibilia iterum atque iterum , maxime vero Cap. 69. oſtendit .

Quarto : neceſſitatem gratiæ iterum propugnat S. Aug. in libro de Gratia Chriſti contra Pelagium : agit ibi maxime de gratia operis , quam non eſſe aut liberum arbitrium , aut legis illuminationem aſſerit .

Quinto : eandem propugnat gratiæ neceſſitatem S. Præſul in libris quatuor conrra duas Epiſtolas Pelagianorum : libro 1. cap. 2. propellit hanc ſibi irrogatam contumeliam a Pelagianis de extinctione liberi arbitrii , aſſeritque illud peccato Adæ infirmatum quidem , ſed nuſquam fuiſſe deſtructum : gratia quoque adjuvari ſed non neceſſitari docet . Idem probat cap. 10. 11. 12. 13. & 19. In iſto multa dicit de efficacia gratiæ & de ejuſdem cum libertate concordia . l. 2. cap. 5. multa quoque diſſerit de libertate indifferentiæ . Cap. 8.

Digitized by Google

ſuſo calamo gratiæ neceſſitatem pertractat. Ibidem loquitur de præparatione voluntatis a Domino, tum ex parte actus primi per gratiam ſufficientem, tum ex parte actus ſecundi per gratiam efficacem. Cap. 10. ait nihil juberi a Deo quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratiæ demonſtrandum. In l. 3. defendit legem Moſaicam contra impugnantes. Cap. 2. eam eſſe bonam, tametſi non omnibus numeris abſolutam, ſicut eſt nova, propugnat. lib. 4. cap. 5. pluribus auctoritatibus efficaciam gratiæ demonſtrat.

Sexto: S. Auguſtinus iterum atque iterum celebrat gratiæ cum libero arbitrio conſociationem in libro qui inſcribitur de gratia & libero arbitrio contra Monachos Adrumetinos illam inficiantes, maxime cap. 2. ubi variis Scripturæ contextibus oſtendit ineſſe homini liberum arbitrium: eandem proſequitur materiam cap. 5. nec illud a concupiſcentia neceſſario ad malum compelli: cap. 15. aſſerit hominem poſſe Dei ſervare mandata: cap. 16. fuſiori calamo probat mandata Dei eſſe homini poſſibilia. Eandem proſequitur materiam cap. 17.

Septimo: Partes liberi arbitrii adverſus Monachos Adrumetinos ſuſcipit defendendas in libro de correptione & gratia: ibi S. Doctor oſtendit gratiam tametſi ad bonum opus neceſſariam, attamen neque nocere libero arbitrio, neque correctionis locum præripere. Cap. 1. diſtinguit id quod eſt a voluntate humana libere & ex prævia electione operante, id vero quod eſt a gratia ad bonum, & applicante & adjuvante. Cap. 2. 3. 4. probat gratiæ neceſſitatem ſalvo liberi hominis arbitrii jure, & reſpondet objectionibus quæ ex correptionis inutilitate proponunt Monachi. Cap. 8. propugnat gratiam Chriſti ſicut fortiſſimam & perſeverantiſſimam in bono voluntatem, ita & liberrimam dare. Cap. 11. dicit gratiam non ſolum libertati hominis adverſam non eſſe, ſed deperditam reſtituere & reparare. Cap. 12. ait gratiam Chriſti gratia Adami eatenus efficaciorem eſſe, quatenus non ſolum poſſe perſeverare ſed & actu perſeverare conferat.

Concluſio quæ connaturaliter ad dicta, & prædicata in iſtis Libris ſequitur, eſt, hominem ſub dominio gratiæ quantumvis efficacis liberum manere.

1. S. AUGUSTINUS in tribus de libero arbitrio libris impugnat Manichæos qui hominem fato quodam ad malum neceſſario compelli dicebant, ita ut non remaneret in homine indifferentia actus ad bonum & malum: profecto ſi aut concupiſcentia ad malum, ad bonum vero per gratiam neceſſario induci doceret, non vincerentur Manichæi, nec quidquam adverſus eos pro libero hominis arbitrio probaret S. Doctor, cum fatum & ad malum per concupiſcentiam, & ad bonum per gratiam remaneret. Quæ cum a mente S. Auguſtini & ejus concluſionibus prorſus aliena ſint, ſi quis verus evadit tanti Doctoris Diſcipulus & auditor, eum, indifferentiam actus in ſtatu naturæ lapſæ ex profeſſo propugnare fatebitur.

2. *S. Doctor* in Libris de Spiritu & Littera, de Natura & Gratia, de gratia Chriſti, in aliis quatuor contra duas Epiſtolas Pelagianorum revincit iſtos Heterodoxos, qui ut gratiam, qualem prædicabat S. Auguſtinus evacuarent, libertatem humanam a tali gratia deſtrui aſſerebant, ipſi autem libertatem indifferentiæ & actus fortiter defendebant, nec in eo certe errabant, verum potius quia illam ut ſervarent, non aliam liberi arbitrii inflatores gratiam præter legem, quæ dicit, declina a malo & fac bonum, agnoſcebant. Eos cenſorio perſtringit ſtylo S. Doctor & debellat: profecto non negando libertatem indifferentiæ & actus; quinimmo ſtupidam, inſulſamque eorum propellit calumniam, dum illi talem negare libertatem improperabant: iterum atque iterum eam & prædicat & omni auctoritatis genere probat, unum tantummodo ab adverſariis expoſtulat, ut liberum hominis arbitrium gratia Mediatoris ita ſanari & adjuvari fateantur, ut nihil boni ad ſalutem conducentis, aut incipere, aut continuare, ſecluſo Dei auxilio, queant: hoc unum perpetuo adverſus malignantes concludit: ex quibus liquet S. Præſulem cauſa cadere ſi libertatem indifferentiæ actus per gratiæ efficaciam adimi

adimi contendat: quod certe toto cælo diſtat a tanti & tam amabilis Doctoris ſententia.

3. *S. Præſul* in libris de Gratia & libero Arbitrio, & de Correptione & Gratia, iterum gratiæ & liberi hominis arbitrii hoſtes impugnat, Monachos ſcilicet Adrumetinos, quorum alii Pelagianis affines, libertatem humanam efficacia gratiæ tolli effutiebant, hinc & gratiæ neceſſitatem ad initium fidei abnegabant: quidam vero gratiæ neceſſitatem per omnia admittentes, liberum hominis arbitrium ſub dominio tanti auxilii adimi arbitrabantur. Quocirca & correptionem inutilem eſſe inferebant: eos omnes revincit S. Auguſtinus libertatem indifferentiæ actus cum gratia etiam efficaciſſima conſociando & propugnando; namque de tali libertate humana erat controverſiæ caput; & ideo ſuum inſcripſit tractatum, *de gratia & libero arbitrio*. Adverſus vero pertinaciores non adimi correptionis locum ſub gratia quantumvis robuſta contendit, quare? quia, ipſo teſte, remanet ſemper in homine libertas ad malum vel bonum eligendum, ita tamen ut homo ex ſe poſſit operari malum, bonum vero nonniſi adjutus a gratia. Idem probat contra Semipelagianos in libris de Prædeſt. SS. & de dono perſ. Dicas velim, cordate Lector, ſi S. Præſul neceſſitatem ad malum ſtimulante & exæſtuante concupiſcentia, neceſſitatem vero ad bonum, movente & adjuvante gratia propugnaſſet, numquid in tanto diſceptationis conflictu & congreſſu, aliquid adverſus impugnantes probaſſet? Pudeat igitur Proteſtantes hanc irrogare S. Præſuli contumeliam, videlicet eum defendere, ſicut ipſi ad ſpiritum erroris attendentes faciunt, hominem ad malum per concupiſcentiam, ad bonum vero per gratiæ efficaciam neceſſario compelli.

4. *Eximius gratiæ Doctor*, nihil quidquam eorum quæ dixit, docuitque pro liberi arbitrii cum gratia efficaci conſortio retractavit, quocirca inoffenſo pede amantiſſimus Doctor & pro neceſſitate & pro efficacia gratiæ audiri poteſt, & nos ſicut eum audire, ita & ipſi adhærere gloriamur: etvero pari ſoliditate, profunditate, immo & claritate probat atque defendit libertatem indifferentiæ actus ſub dominio gratiæ, Liberum hominis arbitrium per gratiam vult ſanari, moveri & adjuvari, quid juſtius dicam, & quid ſuavius?

Conſequentiæ quas Janſenius ex S. Auguſtini locis deducit ſunt omnino verbis, ſenſui, & ſcopo Sancti Doctoris oppoſitæ.

Prima conſequentia: Janſenius l. 3. de gratia Chriſti cap. 13. pag. 138. col. 2. ex Auguſtino dicente concupiſcentia cogi voluntatem ad malum, concludit abſolute & ſimpliciter nonnumquam compelli ad peccatum, ipſe vero S. Aug. hanc ex profeſſo debellat conſequentiam l. 3. de lib. arb. cap. 18. n. 50. aſſerens actionem humanam numquam evadere peccatum ubi adeſt neceſſitas: ad peccatum exigit libertatem indifferentiæ actus, eo quippe loci impugnat Manichæos qui talem abnegabant: unde S. Præſul cum verbo *cogere* utitur, loquitur tantum de motibus primo primis & indeliberatis concupiſcentiæ, cujus rei argumentum eſt quod in probationem afferat illa Rom. 7. 19. verba: *Non enim quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago.* Qui quidem motus non erant niſi in radice mali, namque inerant Apoſtolo ſub gratia & charitate conſtituto: ita ſeſe explicat S. Aug. ibidem n. 51. & 54. l. 1. retr. c. 9. & paſſim in aliis operibus polemicis; ex quo liquet vocem *cogere*, nonniſi in ſenſu lato ſumi a S. Doctore, & eatenus tantum ignorantiam & concupiſcentiam innatam cogere ad malum perpetrandum, quatenus ad peccatum inducunt & inclinant.

Secunda: Yprenſis l. 3. de gratia Salvatoris cap. 7. 8. & 9. ex variis S. Aug. auctoritatibus, maxime ex libro de Spiritu & Littera deprompris infert & concludit ſtatum veteris Teſtamenti non gratiam ſufficientem attuliſſe Judæis, ſed potius peccati ſtatum, immo & legem Moſaicam occidiſſe. Sanctus vero Auguſtinus ubique hanc etiam, ut legentibus patebit, impugnat illationem; unum tantummodo contra Pelagianos probare intendit, legem, ſecluſa Chriſti gratia, ad ſalutem non ſufficere, eam tamen dicit bonam, immo & ad docendum vias juſtitiæ perutilem: hæc expreſſe ſcribit & docet l. de Spiritu & litt. cap. 4. n. 6. & c. 7. & 8, cap. 12, 13. 14.

Ter-

Tertia : Janſenius variis in locis, ſed in primis l. 3. de gratia Salvatoris cap. 11. & 12. multiplici S. Doctoris auctoritate excerpta tum ex libro de ſpiritu & littera, tum ex capite 3. libri quarti contra Julianum probare conatur omnia infidelium opera eſſe peccata : ſed contrarium concludit abſolute S. Auguſtinus , contendens ea ſolummodò eſſe mala , quæ perverſo fiunt motivo ; quinimmo l. de ſpiritu & litt. c. 27. n. 48. expreſſe ait : quædam infidelium opera eſſe bona & laudabilia , cujus effati hanc reddit rationem, quod imago Creatoris non ita ſit attrita in eis, quin aliquæ ejus impreſſiones in eis remaneant , quibus incitati aliquod ordinis naturalis bonum & facere queant,& de facto faciant, atque operentur .

Quarta : Neminem poſſe reſiſtere gratiæ interiori iterum atque iterum ex locis Divi Auguſtini concludere enititur Janſenius l. 2. de gratia ſal. cap. 4. pag.41. cap. 24. pag. 81. hoc ipſum infert maxime ex libro de corr. & grat. in quo quidem S. Auguſtinus prædicat gratiam admodum efficacem . Hanc conſequentiam deducebant quoque Monachi Adrumetini ex efficacia gratiæ , hanc vero totis viribus negat Aug. immo pro defenſione liberi arbitrii ſub dominio gratiæ , hinc de corr. & grat. ſcripſit librum . Unde cap. 1. n. 2. ait liberum arbitrium remanere in homine lapſo : & cap. 8. n. 17. ſubdit , gratiam dare quidem invictam in bono voluntatem , ſed ſimul & liberrimam . Libro vero de ſpiritu & litt. cap. 34. n. 60. ſic pronuntiat : *Conſentire autem vocationi Dei , vel ab ea diſſentire , propriæ voluntatis eſt* .

Quarta : legitur in toto capite decimo tertio libri tertii de gratia Chriſti : nimirum quædam præcepta Dei impoſſibilia , non ſolùm peccatoribus , verum etiam quandoque juſtis , etiam conantibus : quam conſequentiam ex innumeris prope locis D. A. Janſenius deducere & credit , & gloriatur , maxime vero ex duobus e capite 18. libri tertii de libero arbitrio , ubi S. Doctor ait illam eſſe peccati pœnam juſtiſſimam , ut qui bene facere cum poſſet noluit , amittat poſſe cum velit : ubi etiam S. Præſul videtur innuere hominem a cupiditate neceſſario compelli ad peccatum : quam conſequentiam ipſe S. Auguſtinus ita impugnat , ut illam adverſus Deum obmurmurantibus tribuat , eandem deinde explodit ibidem n. 53. aſſerendo neminem peccare in eo quod vitare non poteſt. Acrius inſurgit ſanctus Præſul ibidem n. 50. adverſus eandem conſequentiam dum ex violentia cupiditatis quidam ſui etiam temporis illam eruere volebant; & ſic pronuntiat : *Si non ei poteſt reſiſti , ſine peccato ei ceditur* . Cæterùm non in uno loco docet S. Doctor omnia præcepta eſſe omnibus hominibus poſſibilia : ſic propugnat l. de natura & gratia cap. 43. n. 50. ibidem cap. 69. n. 83. &c.

Quinta : Yprenſis l. 3. de gr. Criſti cap. 20. ait Deum nolle vera & ſincera voluntate omnes & ſingulos homines ſalvos fieri ; quam conſequentiam probare putat auctoritate S. Auguſtini : ſed iſtam illationem impugnat S. Præſul l. de ſpirit. & litt. cap. 33. n. 58. immo penitus explodit : hinc non eſt circa mentem ſancti Doctoris relictus ambigendi locus : ait enim Deum ita velle omnes ſalvos fieri , ut eis liberum non adimat arbitrium , ita ut male illo utentes reprobentur, eos vero qui bene utuntur , gloria donentur æterna ; unde antecedenter ad merita & demerita eadem , ut patet , voluntate generali vult Deus omnes & ſingulos homines ſalvos fieri .

Sexta hæc eſt : Liberum arbitrium granditate peccati amiſimus : homo ad bonum efficacia gratiæ neceſſariò compellitur , ad malum vero vi concupiſcentiæ . Iſtas conſequentias paſſim eruit Janſenius , ut credit , ex auctoritate S. Aug. & hoc , tomo 3. pag. 5. 12. 39. 40. in primis c. 4. de gratia Chriſti cap. 10. in iſto libro pag. 183. col. 2. ſic loquitur : " Nam quemadmodum hic an-
„ te gratiam iſtius cæleſtis delectatio-
„ nis , non poterat quicquam agere boni ,
„ dominante ei ſola delectatione creatu-
„ ræ ; ita poſt eam abſorptam , extin-
„ ctamque penitus , nihil poteſt agere ma-
„ li , dominante ei ſola delectatione Crea-
„ toris . Inter quæ duo extrema quamdiu
„ in hac vita poſt acceptam gratiam militat
„ Deo , alternante creaturæ & creatoris
„ delectatione , nunc recte , nunc perpe-
„ ram facit , prout cæli aut terræ dele-
„ ctatio conſenſum ejus abripuerit . " Eo loci manifeſte propugnat Yprenſis hominem in hoc preſenti ſtatu bonum & malum,prout

erit

erit aut gratiæ, aut concupiſcentiæ impetus, neceſſario facere, ita ut ſub dominio alternantis delectationis ei non remaneat libertas indifferentiæ actus ad oppoſitum.

Pergit ibidem pag. 184. col. 1. & ait: " Hinc ſecundo patet, qua ratione verum " ſit, quod in homine lapſo ante gratiam " (cui, & multo potentiori ratione dæmones addi poſſunt;) non ſit amplius " illa primæva flexibilitas, qua bene velle poſſit & male, hoc eſt, cur non " poſſit alteram libertatis partem promere, quæ bene agendo exercetur. Boni " agendi quippe libertatem ante gratiam " eſſe perditam, & peccandi inductam " eſſe ſervitutem. Auguſtinus, ut ante " declaratum fuit, exprofeſſo ſententias " docet. " Ibi, ut patet adaperte, concludit ex auctoritate B. Aug. in pravum prorſus detorta ſenſum, nullam ineſſe homini lapſo libertatem indifferentiæ actus.

Proſequitur ibidem Heterodoxus & ſic pronuntiat: " Hæc libido ad ſingulas occaſiones, per omnia peccatorum genera concitata motibus delectationum ſuarum, voluntatem premit, nec eam " ſinit ad redamandum bonum ſurgere " quod amiſit. Hinc ergo ſit, quod liberum arbitrium ante gratiam, ex Auguſtini doctrina non ſit amplius liberum " ad agendum bonum, ſed tantummodo " ad malum, nam illa primæva integræ " libertatis gratia non eſt ullo modo accommodata ad liberandam a tam immani delectationum pondere voluntatem, " quæ ſolummodo prona eſt ad ſequendum nutum, atque impulſum ejus. " Non poteſt autem ea ſe facilitate ſurſum erigere, qua deorſum cecidit. Ita " quippe delectabiliter captiva detinetur, " ut neque libeat, neque velit, neque " poſſit, neque ſciat ſurgere. Nam hæc " omnia per aliud gratiæ genus ægrotæ " & mortuæ dari debent. " Obſerves velim, benevole Lector, Yprenſem eo loci multa propugnare. Primo quidem liberum arbitrium in præſenti ſtatu abſque gratia nullum poſſe bonum, etiam ordinis naturalis, nihil quippe excipit: ſecundo nequidem poſſe bonum habere virtute gratiæ ſufficientis, dum gratiam primævæ integritatis quam ipſe non in uno loco mere ſufficientem reputat, inſufficientem tamen impræſentiarum ad hoc ponat & prædicet, ita ut cum illa ſola homo lapſus non habeat potentiam proximam & expeditam ad agendum.

Porro prior conſequentia ita eſt adverſa doctrinæ S. Doctoris, ut dicat eſſe calumniam ſibi a Pelagianis irrogatam, unde totis viribus illam debellat, aſſerendo nuſquam ſe dixiſſe liberum hominis arbitrium Adæ peccato periiſſe, ſed tantummodo debilitatum fuiſſe: ita exprofeſſo docet l. 1. adverſus duas Epiſt. Pelag. cap. 2. n. 5. Ibidem alteram debellat illationem, namque partes libertatis humanæ defendendas ſuſcipit n. 7. & illam propugnat libertatem quam Pelagiani illi improperando volebant neceſſitate gratiæ deſtrui, eam ſcilicet quæ indifferentiam actus ad oppoſitum importat. Quid plura? ibidem n. 38. liberum arbitrium cum gratia efficaciſſima conſociari docet. Illudque a concupiſcentia nuſquam perimi prædicat l. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. n. 7. & l. de gratia & lib. arb. c. 3. n. 5.

Fuſior eſſem, ſi alia ſyſtematis Janſenii capita vellem percurrere. Unum ſufficit & claret, doctrinam S. Aug. Eccleſiæ Doctoris eximii, ita eſſe alienam a nævis qui Janſenianæ tribuuntur, ſi ut amabili & benevolo Lectori cuncta ad regulas juſtitiæ fideliter diſcutienti apparebit, ideam gratiæ actualis ab Yprenſi propugnatam, non Auguſtinianam eſſe, ſed potius Anti-auguſtinianam.

Ne mireris, benevole Lector, ſi iterum atque iterum S. Auguſtini mentem, ſicut verum decet Thomiſtam tanti Doctoris diſcipulum, expoſuerim; & primo quidem in objectionum ſolutione; ut non noſter, ſed Auguſtini ſenſus affulgeat: deinde in explanatione librorum S. Præſ. nequis putet locum avulſum in alienum ab Auguſtino ſeoſum a nobis trahi: tertio in difficultatibus quas S. Doctor exprofeſſo ſolvit. Denique in illationibus quæ connaturaliter ad ejus conſequuntur principia, ut quiſquis unico velut oculi ictu & intuitu genuinam ſancti Præſulis ſententiam a fucata ſecernere queat.

Abſit alias, quam veritatis, quam fidei & S. Auguſtini ac Divi Thomæ doctrinæ ſuſcipere partes. Omnes Academiarum orthodoxarum ea qua par eſt reverentia, ſalvo fidei dogmate, veneror opiniones: ſicut non meum eſt judicare de variis quæ circumferuntur, ita nec juxta Clemen-

mentis VIII. præceptum aliquam ex eis reprehendere: utinam omnes Eccleſiæ Sanctæ & Apoſtolicæ Romanæ Theologi, ſicut in fide adunantur, ita ſint & caritate conjuncti, ut adverſus fidei hoſtes debellandos egrediantur ſicut vir unus: tunc in mirabili illa Fortium cohorte adimplebitur illud Jeremiæ 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna: ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices & plantes...... Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt: quia ego tecum ſum.*

Juvat totam hanc, ad laudem & exaltationem doctrinæ veri & ſancti Aug. explanationem claudere aureis tanti Doctoris ſententiis & verbis ex libro de ſpiritu & littera excerptis cap. 30. n. 52. ubi ſic loquitur: " Liberum ergo arbitrium eva-
„ cuamus per gratiam? Abſit: ſed ma-
„ gis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut
„ enim lex per fidem, ſic liberum ar-
„ bitrium per gratiam non evacuatur, ſed
„ ſtatuitur. Neque enim lex impletur niſi
„ libero arbitrio: ſed per legem cognitio
„ peccati, per fidem impetratio gratiæ
„ contra peccatum, per gratiam ſanatio
„ animæ a vitio peccati, per animæ ſa-
„ nitatem libertas arbitrii, per liberum
„ arbitrium juſtitiæ dilectio, per juſtitiæ
„ dilectionem legis operatio. Ac per hoc,
„ ſicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur
„ per fidem, quia fides impetrat gratiam,
„ qua lex impleatur: ita liberum arbitrium
„ non evacuatur per gratiam, ſed ſtatui-
„ tur, quia gratia ſanat voluntatem, qua
„ juſtitia libere diligatur. Omnia hæc
„ quæ velut catenatim connexi, habent
„ voces ſuas in Scripturis ſanctis. Lex di-
„ cit Exod. 20. 17. *Non concupiſces*. Fi-
„ des dicit Pſalm. 40. 5. *Sana animam*
„ *meam quoniam peccavi tibi*. Gratia dicit
„ Joan. 5. 14. *Ecce ſanus factus es, jam*
„ *noli peccare, ne quid tibi deterius contin-*
„ *gat*. Sanitas dicit Pſal. 29. 3. *Domine*
„ *Deus meus exclamavi ad te, & ſanaſti me*.
„ Liberum arbitrium dicit Pſal. 53. 8. *Vo-*
„ *luntarie ſacrificabo tibi*. Dilectio juſtitiæ
„ dicit Pſal. 118. 85. *Narraverunt mihi in-*
„ *juſti delectationes, ſed non ſicut lex tua,*
„ *Domine*. „

SECTIO TERTIA.

Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei iterum explanatur ex libris Patrum expreſſo pro hoc momento conſcriptis & ex definitione Conciliorum, quæ quidem contrarium docentes perſtrinxerunt.

GRATIANUS in Decreto p. 2. cauſa 26. quæſt. 6. Can. Non obſervetis: " fato qui credit, mortaliter peccat. „ & Gloſſ. ord. ſuper Epiſt. ad Rom. c. 9. col. 129. litt. E. tom. 6. " Præſcientia
„ Dei habet definitum qualis uniuſcujuſ-
„ que futura ſit voluntas, ex qua damne-
„ tur vel coronetur. „ Igitur non datur fatum, hinc laus aut ſupplicium non oritur præciſe ex præſcientia, ſed ex voluntate humana, cujus Deus præſcit bona aut mala. Unde eadem Gloſſ. ſuper Joſue c. 24. dicit: " Si nulla eſſet in hominibus arbi-
„ trii libertas, nulli eſſent laudaodi, nec
„ vituperandi. „ Igitur ex definitione juris conſtat præſcientiam non tollere libertatem.

Sed hanc veritatem ex refutatione hæreſum contra liberum arbitrium per ſingula ſæcula oſtendere præſtat.

1. *Fatum* non ſolum admiſere Cicero & alii Philoſophi; ſed multi etiam ex antiquis contra negantes probarunt Providentiam rerum omnium non minori quam admirabili ſapientia modum agendi connaturalem conſervare.

Seneca l. 2. naturalium quæſtionum c. 37. & 38. luculentiſſimis rationibus fatum impugnat.

Nemeſius Philoſophus Chriſtianus etiam partes libertatis propugnat & fatum ſuo perſtringit ſtylo cenſorio.

Auguſtinus l. 1. de Civit. c. 1. l. 10. c. 14. & ſequent. eruditiſſime ſcribit contra fatum Gentilium & probat præſcientiam Dei in nullo humanam offendere libertatem.

2. *Manichæis* 2. 3. 4. & 5. ſæculo Ethnicorum errorum plagiariis, fatum defendentibus & hominis liberum arbitrium negantibus, illorum hæreſim, multi Patres & dictis & ſcriptis, certatim impugnaverunt.

Juſtinus citatus, Irenæus, Athanaſius & alii fatum ſemper ut quid impium abhorrentes, ſcripſerunt hominem manere ubi-

que ſub dominio tum ſcientiæ Dei, tum prædeſtinationis & gratiæ liberum.

3. *S. Auguſtinus* pugnavit adverſus Monachos Adrumentinos, qui ex efficacia gratiæ & præſcientia Dei, inferebant neceſſitatem in actiones humanas induci, ita ut nequidem ullum correctionis locum remanere effutirent; de quibus certior factus S. Præſul, ſcripſit librum de correptione & gratia: in quo quidem diſertiſſime probat hominem ſub dominio & præſcientiæ & gratiæ manere liberum, ſubditque inquietos, alioſve craſſa ac ſupina pro ſalute negligentia laborantes ſedula correptione excitandos, & ſeria commonitione ad bonum faciendum adjuvandos, immo & pœnis compellendos eſſe contendit, ut ſupra oſtenſum eſt.

4. *Quinto ſæculo* quidam Lucidus Preſbyter prædeſtinationem neceſſitantem propugnabat: verum Eccleſia, impiam hanc execrans doctrinam, eam in Concilio Arelatenſi proſcripſit.

5. *Nono ſæculo* Goteſcalcus renovavit de prædeſtinatione neceſſitante errorem: contra ipſum inſurrexere Rabanus, Hincmarus. Ille damnavit novatorem in Concilio Moguntino: iſte proſcripſit in Cariſiaco.

6. *Decimo quinto ſæculo* Lutherus & Calvinus antiquorum Hæreticorum de prædeſtinatione neceſſitante opinionem defendentes, ſtatim a Tridentino can. 4. 5. & 6. anathemate percuſſi ſunt. Unde ex his

Sic argumentor: eadem fuit ſemper Eccleſiæ ſententia de concordia libertatis cum præſcientia Dei, ſi aut in Conciliis, aut per ſuos Doctores Eccleſia ſemper inſurrexerit contra impugnantes liberum arbitrium: atqui quoties apparuit aliquis error, hæreſiſve contra liberum arbitrium, toties habuit Eccleſia libertatis defenſores: quinimmo impugnantes de libro viventium ſeu Catholicorum deleri voluit, eorumque proſcripſit errores; igitur una & eadem ſemper fuit Eccleſiæ ſententia & fides circa concordiam liberi arbitrii cum præſcientia Dei.

SECTIO QUARTA.

Traditio pro concordia libertatis cum præſcientia Dei ex ſententia unanimi Theologorum orthodoxorum propugnatur.

MAGISTER Sententiarum diſt. 39. q. 5. docet contingentia & libera manere ſemper talia ſub dominio & certitudine ſcientiæ Dei. Scotus vero l. 1. ſent. explicans Magiſtrum ita docet.

Alexander de Ales q. 24. de præſcientia Dei membro 4. pronuntiat præſcientiam Dei non nocere libertati: " Dei præſcien„ tia, *inquit*, infallibilis eſt.... nec im„ ponit rebus neceſſitatem. „ Membro 5. fuſius explicat quomodo præſcientia Dei conſociatur cum libero arbitrio.

Albertus Magnus 1. p. Summæ Theologiæ tract. 15. membro 8. inſtituit quæſtionem, cujus titulus eſt, *quomodo præſcientia Dei concordet cum libero arbitrio*, & ex profeſſo docet bene concordari, ita ut ſi qua reperiatur neceſſitas, ſit ſolum illationis & conſequentiæ, nuſquam vero abſoluta. Et ſic ſolvit argumentum in contrarium: " Ad primum ergo di„ cendum quod non eſt inconveniens, „ quod idem non ſecundum idem ſubja„ ceat neceſſitati poſitionis, & contin„ gentiæ liberi arbitrii; neceſſitati poſi„ tionis in quantum eſt præſcitum, con„ tingentiæ ſecundum quod abſolute & „ ſecundum ſe acceptum eſt .... quia „ ſicut Dionyſius mutabilia ſcit Deus im„ mutabiliter, &c. „

D. Bonaventura ſubſcribit in Sent. & ſuper Pſal. 114. ubi ſic loquitur. " In ho„ mine nihil melius & ſubtilius libero ar„ bitrio, & in 1. diſt. 47. art. 1. q. 1. " Deus, *inquit*, præſcit hoc, ergo hoc „ erit, ſed tantum non neceſſario præſ„ cit, quia in actu præſciendi frequenter „ notatur effectus contingens. „

Henricus Gandavenſis tom. 2. q. 18. quo lib. 1. ultro aſtipulatur. Enimvero docet liberum arbitrium remanere poſt peccatum in homine, & conſiſtere in indifferentia ad actum vel non actum.

Richardus de media Villa 2. quodlib. q. 6. dicit libertatem cum prædeſtinatione cohærere, & conatus hominis prædeſtinati eſſe contingentes, ideſt liberos.

Ægidius Columna Romanus præceptor Philip-

Philippi Pulchri & Archiepiſcopus Bituricenſis in l. 2. Sent. diſt. 25. demonſtrat liberum arbitrium a Deo non neceſſitari. „ Etſi, *inquit*, non poteſt cogi a Deo, „ poteſt immutari a Deo: „ in ſequentibus Capitulis fuſe probat libertatem hominis pro præſenti ſtatu.

Durandus in Sent. l. 1. diſt. 39. q. 3. Libertatis humanæ exiſtentiam & ejus cum præſcientia concordiam diſertiſſime defendit.

Joannes major l. 2. Sent. q. 2. diſt. 36. oſtendit præſcientiam Dei non nocere libero voluntatis arbitrio. Fuſior eſſem ſi ſingulos referre vellem. Unum impræſentiarum dicimus, univerſitates omnes tum Galliæ, tum Germaniæ, tum Hiſpaniæ, tum Italiæ in hoc ſemper convenire & conveniſſe, liberum arbitrium eſſe in homine, nec præſcientiam illi officere, ita inter omnes alios Eſtius Univerſitatis Duacenſis Doctor & Profeſſor percelebris.

Hic autem l. 1. diſt. 39. 5. 6. *Quærit utrum præſcientia divina libertati creaturæ noceat*, ſic reſpondet. " Dici non poteſt „ præſcientiam Dei imponere rebus præviſis neceſſitatem, quia præſcientia „ prout eſt nuda futurorum notitia, non „ eſt rerum cauſa, ut veriſſime ab Origene & Hieronymo, locis ſupra citatis dictum ſit, non ideo aliquid eſſe „ futurum, quia præſcitum eſt. Non ergo præſcientia facit aliquid evenire neceſſario. A quo enim res habet eſſe, „ ab eodem habet modum eſſendi, ut ſit „ vel neceſſario vel contingenter. 2. „ Præſcientia Dei non eſt neceſſaria.... „ 3. Deus eodem intuitu aſpicit futura „ quo præſentia & præterita.... Sequetur Deum ipſum neceſſario & non libere agere. „

Quia vero Schola poſſunt reduci ad triplex Academiarum genus, ſcilicet Sacræ Facultatis Pariſienſis, Thomiſtarum & Societatis Jeſu; operæpretium eſt, ut in iis ſpecialiter immoremur, oſtendendo iſtas omnes Academias eſſe unius labii, pro tuenda concordia libertatis humanæ cum divina præſcientia.

SECTIO QUINTA.

Concordia Libertatis cum præſcientia Dei ex Sententia Sacræ Facultatis Pariſienſis.

JAM OSTENDIMUS unam, eandemque fuiſſe ſemper Sorbonæ ſententiam circa concordiam libertatis cum præſcientia; cum ipſius Doctores D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Albertus Magnus, quorum retulimus ſententias, id totis viribus aſſerant. His accedunt ſapientiſſimi & ſupra modum eruditi Profeſſores, quorum ſcripta, non ſine magna animi & conſolatione & admiratione perlegimus, qui pari eruditione & profunditate demonſtrant libertatis cum præſcientia divina œconomiam: aliquos tamen inter alios qui codices ſuos juris fecerunt publici, elegimus; Iſaacum ſcilicet Habertum Vabrenſem Epiſcopum, Gamachæum, & percelebrem Iſambertum ut ex his quiſque cordatus intelligat, quænam ſit, & ſemper fuerit in univerſo mundo Sacræ Facultatis Pariſienſis pro præſenti momento mens & ſententia.

Ante omnia Decretum Sacræ iſtius Facultatis contra hæreſes Lutheri & Calvini qui præſcientiam libertati adverſam & prædeſtinationem neceſſitantem defenderant, in medium proferre animo eſt.

" *Anno* Domini 1560. die Jovis 27. „ menſis Julii, Sacratiſſima Thologiæ Facultas Pariſienſis, poſt Miſſam apud „ Collegium Sorbonæ ex more celebratam in eodem Collegio per juramentum congregata eſt in materia Fidei, „ ſuper Propoſitionibus infra ſcriptis, per „ eandem Facultatem cum matura deliberatione Magiſtrorum noſtrorum cenſura notatis, quas Frater Petrus de „ Quercu Guardianus Conventus Nivelenſis, & Frater Ægidius de Quercetо Guardianus Athienſis, prædictæ Facultati Theologiæ miſerunt, ſigillis „ prædictorum Conventuum ſignatas; rogantes obnixe, ut ſuper iis dicta Facultas cenſuram ferret. Quarum Propoſitionum tenor ſequitur, cum cenſura ad eaſdem.

I. PROPOSITIO.

„ *Liberum* arbitrium hominis, non habet poteſtatem ad oppoſita, nec illi convenit ea poteſtas ex ipſius naturali & intrinſeca ratione.

CENSURA.

„ *Prima* pars hujus Propoſitionis eſt hæretica: ſecunda eſt falſa & erronea, & morali Philoſophiæ adverſa.

SECUNDA.

„ *Libertas* & neceſſitas eidem conveniunt reſpectu ejuſdem, & ſola violentia repugnat libertati naturali hominis.

CENSURA.

„ *Hujus* Propoſitionis prima pars includit contradictionem, & eſt hæretica: ſecunda eſt falſa. „

Numerantur adhuc ſexdecim Propoſitiones tum circa liberum arbitrium, tum circa gratiam in iiſdem Sorbonæ comitiis proſcriptæ; ſed duæ priores ad quæſtionem propoſitam ſufficiunt; hinc ad cæteras remittimus curioſum Lectorem.

Jam venio ad teſtimonium Theologorum.

Primas tenet ſedes Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Iſaacus Habertus Epiſcopus & Comes Vabrenſis Vniverſitatis Pariſienſis Doctor Sorbonicus, non ſolum eloquentia ſed & ſententiarum tenacitate adverſus hæreſes alter Chryſoſtomus. Hic libro ſecnndo de gratia omnibus mediis ſed maxime auctoritate Patrum Græcorum partes liberi arbitrii ſtrenue propugnat adverſus Proteſtantes. In capite primo ſeptem adducit rationes: primo quidem oſtendit liberi arbitrii cum gratia neceſſitudinem: deinde liberi arbitrii nomenclaturam ſecundum Patrum Græcorum ſententiam delineat: tertio eadem Patrum & etiam S. Aug. auctoritate libertatem poſt Adami peccatum ſuperſtitem demonſtrat. Poſtea dicit eſſe facultatem innatam & naturalem in ſententia iſtorum Patrum. Quinto loco libertatem in indifferentia activa prorſus ſitam eſſe clariſſime docet, Sexto liberum eſſe homini, non Deo peccare: denique, non tantum coactionem, verum etiam & neceſſitatem libero adverſari arbitrio auctoritate tum D. Aug. tum D. Thomæ irrefragabiliter probat: quibus quidem argumentis perfectam libertatis cum gratia concordiam, & conſequenter cum præſcientia & voluntate Dei, gratiæ actualis virtute & efficacia reperiri, luce clarius oſtendit. Juvat nunc ipſius audire ſententias.

„ Divelli, *inquit*, non poteſt liberi arbitrii conſideratio ab integra, plenaque gratiæ divinæ contemplatione, cujus omne punctum & operæpretium in utriuſque cognoſcenda, ſanciendaque concordia collocatum eſt. „

Rurſus " liberum igitur arbitrium quantum ad nomen ipſum attinet, non minus honorifico vocabulo a Græcis Philoſophis primum, dein iſtis Eccleſiæ Patribus *αὐτεξούσιον* dictum eſt....... Homo ſuæ voluntatis Dominus eſt per dominium voluntatis, ſui ipſius Dominus, quod tantum abeſt ut divinæ potentiæ jus ac dominium ſupremum vel gratiæ auxilium ab eo abroget, quin potius oſtendit ac firmat, ut poſtea clarum erit. Interim ex Græcis ſufficiat B. Irenæi dictum l. 4. c. 4. (Homo liber in arbitrio factus & ſuæ poteſtatis.) „

Pergit ibidem: " a nomine ad rem veniamus: & primo quidem ad rei ipſius exiſtentiam qua quid credere debeant omnes orthodoxi doceat nos Tridentina Synodus (Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.) „

Subdit " dicimus continuo cum ratione conjunctam eſſe arbitrii libertatem. Omnis natura rationalis libera eſt. Eadem more ſuo excerpſit ac ſcripſit S. Joannes Damaſcenus. Ex eo factum ut liberum arbitrium etiam poſt peccatum in Angelis & hominibus ſuperfuerit. l. 2. de fide c. 27. „

Expreſſius & definitive poſtea loquitur, eſſentiam libertatis aperit, ſtatuitque longa Patrum Latinorum & Græcorum ſerie formaliter in indifferentia activa eſſe poſitam. " Aſſerunt

„ etiam,

Digitized by Google

,, etiam, *inquit*, Latinorum Theologi li-
,, berum arbitrium creaturæ cujuſcumque
,, rationalis eſſe verſatile & flexibile ad
,, bonum & malum, quam libertatem con-
,, trarietatis appellant: & ad agendum
,, vel non agendum, quam vocant liberta-
,, tem contradictionis, adduntque poſi-
,, tam eſſe libertatis rationem in indiſ-
,, ferentia quadam, ſed activa, qua ho-
,, mo poteſt ab intrinſeco & ex propria
,, virtute ſeſe determinare ad bene vel
,, male agendum, vel non agendum ...
,, ut ad verum igitur veniamus, libertas
,, creaturæ conſiſtit in potentia ad utrum-
,, libet, bene vel male agendum, qua ra-
,, tione definit explicatque liberum arbi-
,, trium etiam S. Aug. variis in locis li-
,, brorum trium de libero arbitrio quos ip-
,, ſe etiam ſenior recenſuit & probavit l.
,, 1. Retr. c. 9. clariſſime libro de Spiri-
,, tu & Litt. c. 3. (Hoc quiſque in ſua po-
,, teſtate habet, quod ſi vult facit, ſi non
,, vult, non facit. ,,

Poſtea ad Patrum Græcorum auctorita-
tem appellat & ſic proſequitur: " Diluci-
,, da & pertinax in hac veritate Græco-
,, rum Patrum unanimiſque mens eſt,
,, Clementem Alexandrinum, Euſebium,
,, Origenem prætereo, Clem. 1. Strom.
,, Orig. 1. de pr. Euſeb. l. 16. præp.
,, Sanctos audiamus. Athanaſius Oratio-
,, ne ad Gentes (Anima cognoſcens libe-
,, rum ſui arbitrium, videt ſe poſſe uti
,, corporis partibus ad utraque, & ad ea
,, quæ ſunt & ad ea quæ non ſunt, ea
,, quæ ſunt, bona ſunt; quæ non ſunt ma-
,, la ſunt) ... Epiphanius contra hæreſim
,, Phariſæorum l. 1. (Citra dubium eſt li-
,, bertatem homini a Deo conceſſam cum
,, ita dixerit: ſi volueritis & ſi nolue-
,, ritis adeo ut bene agere, vel mala ap-
,, petere illius arbitrio ſit relictum.) Ba-
,, ſilius l. de Spir. 5. 10. 2. (Affirmat in-
,, viſibiles poteſtates eſſe liberi arbitrii &
,, æque ad virtutem & vitium verti poſ-
,, ſe, ideoque gratia ſpiritus indige-
,, re.) ,,

"*Confirmat* præcedentia concludedendo ex
,, indifferentia activa peccatum a creatu-
,, ra ſola, nuſquam vero a Deo proce-
,, dere (Conſectaneum eſt, inquit, ex
,, hac indifferentiæ ad bene vel male agen-
,, dum aut non agendum doctrina, ut ap-
,, prime diſtinguamus inter actum pec-
,, candi & potentiam ipſam peccatricem.
,, Actus peccandi a Deo nec eſt, nec eſſe
,, poteſt, &c. ,,

Denique ſic concludit explodendo Janſe-
nii perverſam ſententiam quæ in actus hu-
manos neceſſitatem ſub fucato libertatis
nomine inducit; & ſic loquitur: " Quod
,, autem ſpectat ad ea quæ liberum ho-
,, minis arbitrium violant aut extinguunt,
,, nullum equidem durius telum adver-
,, ſus illam, aut letalius eſt neceſſitate,
,, &c. ,,

Jam vero libertatem indifferentiæ actus,
omni prorſus eliminata neceſſitate, cum
gratia efficaci non minus ſuaviter quam
fortiter demonſtrat c. 17. " Veritas hæc
,, quæ omnem ab efficacia gratiæ neceſ-
,, ſitatem proprie dictam expungit, cæ-
,, teris Græcorum Patrum mirum in mo-
,, dum ſemperque approbata eſt, quod pro-
,, bat ex Dionyſio de Div. nomin. c. 4.
,, n. 11. ex Greg. Nyſ. hom. 5. incant.
,, Chryſ. hom. 13. Cyrillo Alex. Gla-
,, phyr. l. 4. denique ex D. Aug. de
,, Spir. & Litt. c. 34. ſic loquente (Mi-
,, ſericordia Dei prævenit nos: con-
,, ſentire autem vocationi Dei, vel
,, ab ea diſſentire, propriæ voluntatis
,, eſt.)

Gamachæus in primam partem fuſe pro-
bat hominem in præſenti ſtatu habere li-
berum arbitrium; præcipue a fol. 124. uſ-
que ad 130. adeoque præſcientiam non no-
cere libertati: etvero ſi noceret, cum Deus
præſciat omnia, profecto nulla foret in
homine libertas.

Iſambertus idem probat fuſiori calamo in
tractatu ſpeciali de arb. in ſeptem diſpu-
tationibus: in primis diſp. 7. art. 6. pri-
mo quidem iſtud ſibi objicit argumen-
tum. " Omnia eveniunt prout Deus de-
,, crevit: at ejus decreto nemo poteſt
,, reſiſtere: igitur non poteſt homo hanc
,, & illam rem non agere. ,,

Reſpondet diſtinguendo duplex decretum,
alterum generale, antecedens omnes
actiones, quo Deus ſtatuit ſuum dare
concurſum cuilibet creaturæ ad agendum
conformiter naturæ ſibi propriæ; par-
ticulare alterum, quo vult adjuvare crea-
turam ad hanc vel illam actionem ad quam
prius creatura concipitur ſe ſe determi-
naſſe. " Jam, *inquit*, ex vi prioris
,, decreti nulla ponitur in nobis actio,
,, ſed tantum datur paratum auxilium ge-
,, nerale, quod eſt neceſſarium nobis

„ agere volentibus, neque etiam ex vi po-„ ſterioris decreti nobis eripitur libertas „ ad agendum, quia noſtro modo conſi-„ derandi, voluntas noſtra prius ſeſe de-„ terminat ad agendum & exercendum „ hanc & illam actionem civilem & ex-„ ternam, quam tale decretum ſecundum „ ponatur a Deo, quia cauſa ſecunda de-„ terminat concurſum cauſæ primæ, ut „ docent Theologi agendo de concurſu „ Dei, & proinde, quia Deus per „ altiſſimam ſuam ſcientiam, qua om-„ nia cognoſcit, prævidit hominem in „ tempore ſeſe determinare ad hanc & „ illam, hoc & illo modo, exercendam „ actionem; ſeſe etiam ex vi prioris de-„ creti, quo ex pacto cum tota natura ini-„ to, promiſit illis ſuum concurſum, de-„ cernit talem actionem in particulari fu-„ turam, unde cum prius intelligamus „ hominem ſeſe determinare ſaltem obje-„ ctive, quam ipſum Deum; non poteſt „ per ejuſmodi Dei terminationem tolli, „ vel impediri libertas quoad ejuſmodi „ actiones. „

Alteram ſibi proponit objectionem circa iſtud momentum “ Illud non eſt liberum, „ quod non poteſt fieri a ſua cauſa: ſed „ actiones etiam civiles non poſſunt non „ fieri ab homine, quia quod Deus ab æ-„ terno præſcivit futurum in tempore, „ non poteſt non eſſe in tempore, alias „ præſcientia Dei falli poſſet, &c. „

Reſpondet ibidem ad hanc difficultatem his verbis dicendo: “ Scientiam Dei nullo „ pacto impedire aut eripere libertatem „ voluntatis, quia ſemper ſupponit vo-„ luntatem ſe ad hanc & illam partem „ determinaſſe, nec ab ea deflexuram... „ Ex eo quod Deus videat determinatio-„ nem voluntatis creatæ ad hanc & il-„ lam actionem, & penetret voluntatem „ nunquam ſeſe revocaturam, nullam im-„ ponit ei neceſſitatem ad ſic vel ſic agen-„ dum. „ Et ita conciliat Iſamb. volun-tatis libertatem cum præſcientia dicendo Deum prævidere ipſius liberi arbitrii de-terminationem, & illud movere ad quod ipſa creatura vult. Quid clarius, tutiuſ-ye?

SECTIO SEXTA.

Concordia libertatis cum præſcientia Dei ex ſententia Scholæ Societatis Jeſu.

OMNES piæ iſtius Societatis Theologi unanimi omnium conſenſu docent præſcientiam divinam nullo modo eſſe libertati creatæ inſenſam; utrumque vero conciliant dicentes Deum per ſcientiam mediam prius prævidere voluntates hominum, & quid acturi ſint poſiti in tali vel tali circumſtantia, antequam eas aut per concurſum ſimultaneum aut per gratiam congruam applicet ad opus. Aliquos inter celebriores citare non abs re erit.

Suarez l. de ſcientia conditionatorum c. 8. docet Deum in priori rationis ſigno, antequam ſe ad aliquid determinet, præcognoſcere ſuum decretum veluti futurum, & in illo prævidere futurum liberum, ita ut nihil decernat niſi conformiter ad cauſam ſecundam cujus prænoſcit voluntatem, ſicque omnia abſque libertatis læſione componit.

Molina in prima p. diſp. 15. dicit Deum omnia comprehendere, & in illa ſupercomprehenſione tum ſuæ eſſentiæ, tum cauſæ ſecundæ præcognoſcere quid acturus ſit cum creatura in tempore, & quid ipſa creatura operatura ſit: diſp. 16. modum conciliandi libertatem cum Dei præſcientia peculiarem ſed ſuavem explanat. “ Quamvis enim, *inquit*, omnes conve-„ niamus, etiam poſita libera deter-„ minatione voluntatis divinæ qua Deus „ creare decrevit hunc ordinem rerum, „ quas creare conſtituit, non ideo libe-„ rum arbitrium creatum facturum eſſe hoc „ potius quam oppoſitum, quia Deus id „ præſcivit, ſed e contrario, ideo Deum „ id præſciviſſe, quia liberum arbitrium „ pro ſua innata libertate, id erat factu-„ rum, cum ſi vellet, poſſet re ipſa fa-„ cere oppoſitum, diſſidemus tamen, „ quia, ut duabus præcedentibus diſpu-„ tationibus explicatum eſt, aſſerimus „ Deum ex altitudine & perfectione ſui „ intellectus atque ſuæ eſſentiæ tanquam „ objecti primarii certiſſime cognoſcere in „ ſe ipſo, & in cauſis ſecundis, quid „ pro libertate earum contingenter ſit fu-„ turum, ita tamen quod poſſit contin-

„ gere

Digitized by Google

„ gere oppoſitum, etſi futurum eſſet, ut „ revera poteſt, Deus ex æternitate id „ certiſſime ſciviſſet, & non id quod actu „ ſit. Quare ſervato integro jure libertatis arbitrii creati, illæſaque omnino „ perſiſtente contingentia rerum .... Deus „ certiſſime cognoſcit futura contingentia, non quidem certitudine quæ proveniat ex objecto, quod in ſe eſt contingens, poteſtque aliter evenire, ſed „ certitudine quæ proficiſcitur ex altitudine atque infinita, illimitataque perfectione cognoſcentis, qui certo ex ſe „ ipſo cognoſcit objectum, quod ſecundum ſe eſt incertum & fallax.

Doctiſſimus Petavius l. 4. de Deo uno hanc ex profeſſo pertractat materiam, & probat libertatis creatæ cum præſcientia divina cohærentiam variis auctoritatibus & luculentiſſimis rationibus: numero primo aſſerit neceſſitatem quæ ineſt Deo cuncta ſciendi, non nocere libertati, quia reſpectu noſtri non eſt niſi neceſſitas conſequentiæ. n. 2. probat S. Auguſtini teſtimonio præſcientiam Dei nullo modo humanæ libertati adverſam eſſe, quandoquidem Deus præſciendo actionem, præſcit, inquit S. Doctor & voluntatem noſtram. N. 3. ejuſdem innixus S. Auguſtini auctoritate ait, nos eſſe liberos ſub dominio præſcientiæ, quatenus Deus noſtram præſciendo voluntatem, præſcit ubique modum agendi liberum nobis connaturalem: ſubdit Deum ideo prænoſcere peccatum, quia futurum eſt, nuſquam vero futurum eſſe quia prænoſcitur. N. 4. eandem confirmat veritatem Boetii auctoritate: Deus, inquit, præſcit futura ut ſunt in æternitate præſentia, ſicut igitur Petrus non tollit libertatem Paulo quem videt orantem, ita nec Deus qui hominum opera in ſua intuetur æternitate, illis imponit agendi neceſſitatem, maxime vero quia æternitas omnes complectitur durationes, omnia tempora; ex quo ſequitur Deum futura contingentia eo prorſus modo quo evenienda ſunt & facienda in tempore præſcire & præcognoſcere. Eandem probat veritatem Petavius variis tum Origenis, tum Gaudentii ſententiis & oraculis. N. 6. Commendat pro eodem momento D. Anſelmi auctoritatem. 7. Profert utique in medium verba Guillelmi Pariſienſis. N. 8. Laudat ipſorum Philoſophorum opinionem ut Plotini Enn. 4. l. 4. c. 12. Ammonii in Commentariis ad librum Ariſtotelis de interpretatione.

Gregorius de Valentia ſuum addit pro noſtra catholica ſententia calculum diſp. 3. q. 23. de prædeſt. puncto 4. ibi enim fuſe probat præſcientiam divinam humanæ non adverſari libertati.

Subſcribit Vaſquez in 1. p. diſp. 65. n. 12. eo loci docet ille Theologus Deum futura non præcognoſcere, niſi prænoſcendo determinationem cauſæ ſecundæ, & quum aliquid a Deo præſcitum eſt, id neceſſario quidem futurum eſſe, ſed ſolum in ſenſu compoſito, quatenus dicit præſcientiam ſimul & actionem ut libere a determinatione cauſæ ſecundæ egredientem: diſp. 68. num. 5. & 6. fuſius & ex profeſſo libertatem cum præſcientia componit, docendo Deum nihil præſcire niſi quod eſt in libero arbitrio.

Moratius diſp. 39. in 1. part. ſect. 1. num. 8. aſſerit præſcientiam nullo modo rebus humanis inferre neceſſitatem, immo ne ullum quidem futuræ neceſſitatis ſuboriri ſignum. Idem probat Ariaga tractatu de ſcientia Dei diſp. 21. ſect. 4. num. 12. ſed inter omnes eminet R. P. Dechamps ejuſdem Societatis Doctor Theologus qui l. de hær. Jan. diſp. 2. in viginti quinque capitibus liberum arbitrium manere ſub dominio gratiæ propugnat. Concedit quidem peccatum minuiſſe primævam ad faciendum bonum facilitatem, ſed non ex integro deleviſſe luce clarius demonſtrat. Ita & alii Societatis Doctores, qui omnes una voce conclamant præſcientiam non nocere libertati.

SECTIO SEPTIMA.

Concordia libertatis cum præſcientia Dei ex ſententia Schola Angelica Divi Thomæ Aquinatis.

HÆC SCHOLA quam ex præcepto repetito noſtrorum Capitulorum Generalium ſequimur, ſicut in defenſione fidei in variis Conciliis Generalibus nulli fuit ſecunda, ita nec in concordanda libertate cum præſcientia fuit & erit poſterior: exoſos ſiquidem ſemper habuit omnes hæreticos & totis viribus, voce, ſcriptis, re & profeſſione inſectata eſt, in primis

Lutherum & Calvinum, qui præſcientiam more antiquorum hæreticorum, neceſſitantem ac neceſſario prædeſtinantem, non ſine magno ſcandalo & manifeſta animarum perditione prædicaverunt. Hos impugnarunt Doctores Angelicæ Scholæ, præſertim in Tridentino cum cæteris Patribus: hos in Cathechiſmo eruditiſſimo juſſu Pii quarti edito: eoſdem iterum atque iterum in ſuis tractatibus Theologicis perſtrinxit, debellavit, devicit; ita ſapientiſſimus & eruditiſſimus R. P. Gouetus in Apologia Thomiſtarum tom. 1. clypei Theologiæ Thomiſticæ, ubi luce clarius oſtendit toto cælo differre ſententiam Thomiſtarum de decretis Dei efficacibus a ſententia Proteſtantium quam toto mentis affectu abhorrent. Pari animi alacritate inſectantur Thomiſtæ quinque Jauſenii Yprenſis Propoſitiones a Summis Pontificibus non ſemel juſte proſcriptas. Populus igitur Scholæ D. Thomæ, populus eſt & ſemper fuit unius labii cum cæteris ſanctæ Matris Eccleſiæ Doctoribus in omnibus fidei dogmatibus; ſed maxime in cohærentia libertatis creatæ cum præſcientia Dei. Hoc momentum jam fuſe expandimus art. 2. hujuſce diſputationis, ſed quibus modis & peculiaribus Thomiſtæ veritatem explicent & demonſtrent, operæpretium eſt impræſentiarum, duce D. Thoma, explanare. Bannes, Capreolus, Alvarez, Ledeſma & omnes tam antiqui, quam recentiores Thomiſtæ, ubique in ſcriptis ſuis partes liberi arbitrii ſub dominio gratiæ, præſcientiæ, & prædeſtinationis ſuſcipiunt; aliquos ſolum, brevitatis cauſa, referam.

Primas tenet ſedes Th. in quo omnes alii videntur, quippe qui hauriant cum gaudio de eodem & ſuaviſſimo iſto fonte, quidquid aut de Deo, aut de gratia, aut de libertate, aut de præſcientia cæteriſque myſteriis dicunt atque pertractant.

Primus modus conciliandi libertatem hic eſt: Deus prænovit quidquid eſt in potentia ſuæ creaturæ; eſt autem in ejus potentia quod ſit libera & libere agat: igitur præſcientia attingit libertatem & non deſtruit; Deus enim cognoſcit & intuetur res ſicut ſunt in ſe: iſte modus traditur a D. Thoma hic 1. p. q. 14. art. 13. his verbis: " Dicendum, quod ,, cum ſupra oſtenſum ſit quod Deus om- ,, nia ſciat, non ſolum quæ actu ſunt, ,, ſed etiam quæ ſunt in potentia ſua, ,, vel creaturæ: horum autem quædam ,, ſunt contingentia nobis futura; ſequi- ,, tur quod Deus futura contingentia co- ,, gnoſcat. ,,

Secundus modus libertatem cum præſcientia conciliandi ille eſt: Deus futura præſcit contingentia, nihil de eorum natura immutando; cum igitur cauſa ſecunda ſub dominio præſcientiæ ſervet modum agendi ſibi connaturalem qui in eo potiſſimum conſiſtit ut libere & per indifferentiam agat, profecto electione prævia operatur, cujus rei teſtimonium cuilibet ineſt homini. Hoc ſanæ doctrinæ caput colligitur ex D. Thoma. Sibi quippe objiciens præſcientiam eſſe cauſam neceſſariam, adeoque nullum eſſe ſub præſcientia futurum contingens, ſic reſpondet hic art. 13. ad 1. " Di- ,, cendum quod licet cauſa ſuprema ſit ,, neceſſaria: tamen effectus poteſt eſſe ,, contingens propter cauſam proximam ,, contingentem. Sicut germinatio plan- ,, tæ eſt contingens propter cauſam pro- ,, ximam contingentem; licet motus ſo- ,, lis, qui eſt cauſa prima ſit neceſſa- ,, rius. Et ſimiliter ſcita a Deo ſunt ,, contingentia propter cauſas proximas, ,, licet ſcientia Dei quæ eſt cauſa prima ,, ſit neceſſaria. ,,

Tertius modus & quidem ſuaviſſimus ille eſt: Deus movet cauſas ſecundas conformiter earum naturæ, neceſſarias neceſſario, ſic ſolem movet ad lucendum: liberas vero libere, ut hominem: & hoc habet Deus ex potentiſſima virtute quæ cum ſit rerum omnium cauſa prima & cujuslibet creaturæ naturam conſervet & perficiat nihil ab ea detrahens, quin potius ſuo adjuvans concurſu ut modo connaturali exeant in ſuas operationes, prævidet quidem omnia, ſed non ut offendat aut lædat libertatem, verum potius ut illam foveat & tueatur; juxta illud Sap. 8. 1. *Attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter & diſponit ſuaviter*: hic modus traditur a D. Thoma 3. contra Gentes c. 94. his verbis: " Ad primum dicen- ,, dum, quod effectus divinæ providentiæ ,, non ſolum eſt aliquid evenire quocum- ,, que modo, ſed aliquid evenire vel con- ,, tingenter vel neceſſario, & ideo eve-

,, nit

,, nit infallibillter & neceſſario, & eve- ,, nit contingenter & libere, quod divinę ,, providentiæ ratio habet, ut contingen- ,, ter & lbere eveniat. ,,

Quartus modus: Deus movet cauſas ſecundas ſolum ut cauſa univerſalis, adeoque ſolum adjuvans nibil de eorum cauſalitate naturali detrahens, quin potius, inquit Gonetus in Apologia Thomiſtarum, movet eas ſecundum earum exigentiam & inclinationem; ipſæ vero pro innata libertate flectunt motionem Dei ad quod volunt: quamobrem Deus conqueritur apud Iſaiam 43. 24. de peccatore dicens: *Servire me feciſti in peccatis tuis*, quomodo? Niſi quia detorquet concurſum Dei prævium ad actionem malam, quæ certe non eſt a Deo, tum quia intentator malorum eſt, tum quia peccatum non habet cauſam efficientem, ſed ſolum deficientem: Deus igitur ut prima cauſa movet creaturam ad univerſale bonum, illam applicando de potentia ad actum, quatenus omne quod movetur, ab alio movetur, ipſa vero ſic mota ſe applicat ad actum in individuo. Et ſic præſcientia fundata in decreto præſcfiniente non lædit libertatem, quia, ut non ſemel annotavimus ex Iſamberto, decretum eſt ſolummodo generale ad concurrendum & adjuvandum creaturas, illud exigit D. Th. ſolum ut reducantur de potentia ad actum: particulare vero decretum, ſeu particularis Dei influxus fit particularis, ut ita dicam, a cauſa ſecunda quæ illum modificat & determinat ad actum talem & in individuo. Determinatur igitur, homo quatenus per concurſum prævium reducitur de potentia ad actum, ſe etiam determinat, quia in alio genere cauſæ utitur influxu Dei ad quod vult.

Ita colligitur ex D. Th. 3. contra Gentes c. 149. " Motio moventis præcedit ,, motum mobilis cauſalitate & natura " in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. " Non poſſet ,, vitari quin voluntas humana eſſet pri- ,, mum agens, ſi ejus actio in aliquod ,, prius agens non reduceretur ſicut in ,, cauſam. Eſt igitur prima cauſa, ſed ,, movens ad bonum univerſale; ,, audite iterum D. Th. qui 1. 2. q. 9. art. 6. ſic loquitur: " Ad tertium dicen- ,, dum quod Deus movet voluntatem ho- ,, minis, ſicut univerſalis motor ad uni- ,, verſale objectum voluntatis, quod eſt ,, bonum: & ſine hac univerſali motio- ,, ne, homo non poteſt aliquid velle. ,, Sed homo per rationem determinat ſe ,, ad volendum hoc vel illud; quod eſt ,, vere bonum, vel apparens bonum. Sed ,, tamen interdum ſpecialiter Deus mo- ,, vet aliquos ad aliquid determinate vo- ,, lendum, quod eſt bonum: ſicut in his ,, quos movet per gratiam, ut infra di- ,, cetur. ,, Igitur ex D. Th. Deus movet voluntatem humanam ſolum ut cauſa univerſalis motione univerſali, in ordine quidem naturali, & voluntas mota ſe ipſam movet ad actum in individuo. De ordine vero ſupernaturali dicetur infra.

Quintus modus, voluntas etiam conjuncta cum decreto, ſe ipſam determinat ad ſpeciem & exercitium actus: actus enim a cauſa ſecunda ſpecificatur, nam ſpeciem non deſumit a cauſa prima, alias actio non diceretur humana, ſed divina: ſi humana, igitur ſemper libera & contingens ſub dominio Dei, tum in ordine naturali, quia poteſt detorquere motionem etiam ad malum faciendum, tum in ordine ſupernaturali, quia poteſt reſiſtere gratiæ, & reſiſtendo ejus impedire effectum, ita ut ubique appareat ipſius libertas. Ita Div. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. " liberum arbitrium, *inquit*, ſe ipſum movet ad agendum... " Deus eſt igitur prima cauſa movens & ,, naturales & cauſas voluntarias... Non ,, aufert quin actiones ſint liberæ. ,, Rurſus in 2. Sent. diſt. 39. q. 1. ait: " Sed ,, quod determinatio exeat in hunc vel il- ,, lum actum, non eſt ab alio determinan- ,, te, ſed ab ipſa voluntate: determinatio ,, actus relinquitur in poteſtate rationis & ,, voluntatis. ,, Quid clarius? Duo hic docet S. Doctor; primum quidem quod Deus determinet voluntatem ut motor univerſalis ad univerſale bonum: alterum vero quod voluntas ſic mota, non ab alio, ſed a ſe ipſa determinetur ad actum in individuo. Hæc prævidet Deus, hæc prævidendo vult ſic fieri, & ſic manet libertas ex integro ſub dominio & præſcientiæ & decreti divini.

Sed ut mens D. Thomæ adhuc clarius pateat, obſervandum eſt S. Doctorem in prima ſecundæ quæſtionem nonam inſtituere ſpecialiter de motione voluntatis creatæ: in art. 3. quærit an voluntas huma-

Digitized by Google

humana ſe ipſam moveat? Et reſpondet affirmative in argumento ſed contra; " Quia, *inquit*, voluntas domina eſt ſui „ actus, & in ipſa eſt velle & non vel„ le: quod non eſſet ſi non haberet in „ poteſtate movere ſe ipſam ad volen„ dum. „ In Corp. " Manifeſtum eſt „ autem quod intellectus per hoc quod „ cognoſcit principium, reducit ſe ip„ ſum de potentia in actum, quantum „ ad cognitionem concluſionum, & hoc „ modo movet ſe ipſum: & ſimiliter „ voluntas per hoc quod vult finem, mo„ vet ſe ipſam ad volendum ea quæ ſunt „ ad finem. „ Et ad 3. " Non eodem „ modo voluntas movetur ab intellectu „ & a ſe ipſa: ſed ab intellectu quidem „ movetur ſecundum rationem objecti: „ a ſe ipſa vero quantum ad exercitium „ actus ſecundum rationem finis. " Sed ut tollatur omnis æquivocatio, art. 6. quærit S. Doctor utrum voluntas moveatur a Deo ut a principio exteriori? Reſpondet moveri a Deo, ut a cauſa univerſali circa bonum univerſale finis, ſed ſe ipſam determinare ad volendum hoc vel illud bonum; & ſic manet ubique ſemper libera voluntas humana, & hoc ex ipſa Dei ordinatione qui præceptum poſuit & non præteribit, ut homo ſe moveret libere & pro nutu ad bonum verum vel apparens.

Sextus modus, præſcientia innixa eſt decreto libero quod eſt actus voluntatis Dei; voluntas autem Dei eſt ſons & origo totius libertatis creatæ, ſiquidem voluntas divina eſt primum liberum, adeoque tantum abeſt ut divina præſcientia adjuncta voluntate lædat libertatem, quin potius illam fovet & perficit juxta illud tritum axioma, quod eſt per ſe primo tale, cætera non ſunt talia niſi per ordinem ad illud.

Iſta ratio colligitur ex D. Th. qui ubique & indeſinenter repetit Deum movere cauſas ſecundas conformiter earum naturæ & diſpoſitioni. Sic enim loquitur in 2. Sent. diſt. 25. q. 1. art. 1. " Deus „ operatur in omnibus, ita tamen quod „ in unoquoque ſecundum ejus conditio„ nem. „ Sed ſpecialiter 1. 2. q. 10. art. 4. ubi probat ex profeſſo voluntatem non moveri ex neceſſitate ab exteriori principio, quod eſt Deus. " Dicendum, „ *inquit*, quod ſicut Dionyſius dicit 4. „ cap. de Div. Nom. ad providentiam „ divinam non pertinet naturam rerum „ corrumpere, ſed ſervare: unde omnia „ movet ſecundum eorum conditionem, „ ita quod ex cauſis neceſſariis, per mo„ tionem divinam conſequuntur effectus „ ex neceſſitate; ex cauſis autem con„ tingentibus, ſequuntur effectus contin„ genter. Quia igitur voluntas eſt prin„ cipium activum non determinatum ad „ unum, ſed indifferenter ſe habens ad „ multa, ſic Deus ipſam movet quod „ non ex neceſſitate ad unum determi„ nat, ſed remanet motus ejus contin„ gens, & non neceſſarius, niſi in his „ ad quæ naturaliter movetur. „

Septimus modus, conſociandi libertatem cum præſcientia, ille eſt: Deus omnia videt præſentia in æternitate quæ univerſa complectitur tempora, in illa nihil eſt præteritum & futurum, ſed perpetuum præſens; porro cognitio actualis alicujus facti, non tollit ejus contingentiam, ſic inquiunt Patres, qui videt proximum aliquid facientem, ab ipſo non adimit in operando libertatem. Hic modus traditur a D. Thoma qui 1. p. q. 14. art. 13. ait: " Æternitas autem, *inquit*, tota „ ſimul exiſtens ambit totum tempus, „ ut ſupra dictum eſt. Unde omnia quæ „ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno „ præſentia. Non ſolum ea ratione qua „ habet rationes rerum apud ſe præſen„ tes, ut quidam dicunt, ſed quia ejus „ intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, „ prout ſunt in ſua præſentialitate. Un„ de manifeſtum eſt quod contingentia „ & infallibiliter a Deo cognoſcuntur, „ in quantum ſubduntur divino conſpe„ ctui ſecundum ſuam præſentialitatem: „ & tamen ſunt futura contingentia ſuis „ cauſis proximis comparata. „

Omnes Thomiſtæ ſic edocti a D. Thoma his modis conciliant libertatem creatam cum præſcientia Dei. Ita Gouetus tract. attrib. diſp. 4. art. 5. §. 7. art. 6. §. 1. 2. 3. & diſp. 5. art. 4. 5. 1. 2. 3. art. 6. 5. 1. 2. Ita Contenſon de attrib. diſſert. 10. c. 2. de concordia voluntatis creatæ cum præſcientia. Quod quidem variis poteſt illuſtrari exemplis: primum eſt Chriſti, in quo Verbum phyſice movebat & applicabat humanitatem ad opera, & tamen iſta opera erant liberrima, utpote meritoria, ſecundum eſt

ejuſ-

ejuſdem Chriſti qui præcepta Patris tum de morte ſubeunda propter noſtram ſalutem, tum de amore erga Patrem libere adimplevit. Tertium eſt objecti ſupra modum delectabilis allicientis potentiam, cui poſſet reſiſtere voluntas, ſed non vult; hinc amat libere licet infallibiliter. Quartum eſt amoris, cui nihil difficile juxta illud S. Auguſt. " Amor meus pon„ dus meum: eo feror quocumque fe„ tor. „ Si amor ita efficax eſt ut operetur magna, & tamen libere, a fortiori Deus poterit operari in creatura, eamque efficaciter movere, & tamen libere. Quintum eſt eloquentiæ: ſi enim verborum pompa & majeſtas leporibus allicit Auditures, ſi ſententiarum congruitate ſuſpenditur animus: ſi concionis impetus & ſuavitas, ad quodcumque vult orator, flectit voluntates, quid Deus unctione gratiæ non faciet, ſiquidem teſte Apoſtolo, operatur in nobis velle & perficere bonum? Igitur efficaciter & tamen libere. Etvero quis famelicus oblatum panem rejicere potens, pro innata libertate de facto rejiciet? Immo toto cordis hiatu ſumet & manducabit. Peccator poteſt reſiſtere gratiæ efficaci, ſed moraliter loquendo non reſiſtet, quia experientia felici ſcit, quoniam ſuavis eſt Dominus. Immo dolet ſuam procraſtinaſſe converſionem. " Sero te amavi, *inquit Aug. pœnitens*, pulchritudo tam antiqua & „ tam nova, ſero te amavi. „ Mitto alios innumeros ejuſdem Scholæ qui una voce, unaque alacritate & ſinceritate toto corde docent, ſcribunt, prædicant voluntatem creatam liberam eſſe libertate actus ſub dominio Dei ejuſque præſcientiæ; & hoc tanquam dogma fidei.

Solvuntur objectiones ex præſcientia decretis præmoventibus directa.

OBJECTIONES quas hæretici adverſus Congruiſtarum ſententiam aut proponere, aut etiam urgere poſſunt, ſolutæ manent ex reſponſionibus ad argumenta generalia adverſus concordiam præſcientiæ cum libertate humana: ſupereſt impræſentiarum diluere difficultates quæ tum ab Hæreticis, tum a Catholicis Theologis contra Thomiſtarum opinionem proponuntur.

Objicies 1. Præſcientia divina ſecundum Thomiſtas fundatur in decreto prædefiniente: ſed ejuſmodi decretum humanam tollit de medio libertatem: igitur & præſcientia. Probatur minor: voluntas creata tali reſiſtere decreto non valet. 1. Quia decretum eſt effectus voluntatis omnipotentiſſimæ, quæque eſt per ſe efficax. 2. Tale decretum cauſa ſecunda fortius eſt, & ei dominatur. 3. Operatur ut prima omnium cauſa, cui creatura obedire tenetur. 4. Poſito ejuſmodi decreto ſequitur & deſperationis, & correptionis inutilitas; immo & virtutis contemptus; quandoquidem ſi Deus aliquid decrevit, velit nolit homo, ita fiet.

Reſpondeo 1. Iſta omnia jamjam a Maſſilienſibus objecta fuiſſe S. Auguſtino: eadem quippe ex doctrina S. Doctoris de efficacia gratiæ conſequi abſurda autumabant. Sic refert S. Proſper in ſua ad B. Auguſtinum Epiſtola. Idem ſcribit in Epiſtola ad Rufinum directa. Quinimmo ipſe Fauſtus Regienſis Præſul l. 1. de libero arbitrio c. 4. ait contra Auguſtinum: " Sub „ pietatis fronte Gentilitatis malum, & „ inter gratiæ vocabula, abſconditum erit „ fatale decretum. „ Item teſte S. Proſpero in eadem ad B. Auguſtinum Epiſtola. Ex efficacia gratiæ, qualem admittebat S. Auguſtinus, ſegnitiem & in virtute proſequenda torporem, immo & ipſius ſalutis deſperationem conſequi nedum credebant, ſed & prædicare & aſſerere non ceſſabant iidem Semipelagiani.

Non ideo tamen S. Doctor aliquid de ſententia circa efficaciam gratiæ retractavit, ſed perpetuo & incunctanter propugnavit fatum, deſperationem, aliaque inconvenientia minime ſequi aut ex gratia efficaci, quia non eſt talis naturæ, quin illi reſiſtere poſſit voluntas humana; aut ex præſcientia, quia Deus præſcit & voluntates & quomodo homines ſint acturi in tempore pro innata libertate, ita l. 11. de Gen. c. 9. & alibi. Unde l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 5. ad objectionem capitalem quæ procedit de fato, ſic reſpondet: " Nec ſub nomine gratiæ fatum aſ„ ſerimus, quia nullis hominum meritis „ Dei gratiam dicimus antecedi: ſi au„ tem quibuſdam omnipotentiſſimam Dei „ voluntatem placeat fati nomine nuncu„ pare, profanas quidem verborum novi„ tates devitamus, ſed verbis contendere

„ non

„ non amamus. „ Et hæc eſt prima noſtra ad argumenta reſponſio.

Reſpondet alio modo B. Auguſtinus ad objectiones Gallorum l. de bono perſ. c. 15. ut præveniat cætera quæ poſſunt dici, tum de præſcientia quæ habet adjunctam voluntatem, tum de prædeſtinatione Sanctorum, tum etiam de gratia efficaci: " Iſta cum dicuntur, ita nos a confitenda Dei gratia vera, ideſt quæ non ſecundum merita noſtra datur, & a confitenda præſcientia Dei; ſi quis de illa populo ſic loquatur & dicat, ſive nunc recte vivatis, ſive non recte, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos. Nam quidem ſi hoc audiet, nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur. „ Subdit ibidem quemdam Monachum hæc profunda myſteriorum, nimis ſcrupuloſe ſcrutantem, fugiſſe e Monaſterio & vitam abnegaſſe monaſticam. Unde c. 16. ſic pergit ut a curioſitate deterreat homines circa conſilia Dei quæ ſane ſunt abyſſus multa: " Cavendum eſt igitur, ne dum timemus, tepeſcat hortatio & extinguatur oratio, accendatur elatio. „ Jam venio ad argumentum.

Reſpondeo diſtinguendo: præſcientia fundatur in decreto prædefiniente exemplariter, concedo: prædefiniente quoad exiſtentiam & rerum futuritionem, ſubdiſtinguo, prædefiniente in genere, concedo: in ſpeciali, in individuo, in particulari, adhuc ſubdiſtinguo: ſuppoſita & præviſa voluntatis determinatione, concedo: non præviſa, nego. Igitur prædefinitiones in Deo multæ diſtinguuntur. Quædam exemplares, & ſunt ideæ quas habet Deus de quolibet bono. Dionyſ. de div. nom. c. 5. eas vocat exemplaria & bonas voluntates exiſtentium prædeterminativas; quomodo vero prædeterminativæ & prædefinitivæ ſunt? niſi quia Deus ad extra operatur conformiter ad ideam rei, quam ab æterno habuit, quæ quidem idea dicitur cauſa præexiſtens in mente, ad quam reſpiciens artifex operatur, inquit Div. Thomas hic 1. p. q. 15. art. 1. 2. & 3. prædefinitio alia eſt quæ reſpicit exiſtentiam rei in tempore futuram, & hæc eſt duplex; una particularis qua Deus ſe determinat ad talem vel talem creaturam producendam: alia generalis qua ex pacto quodam miſericorditer inito cum natura humana, ſtatuit adjuvare quamlibet creaturam, eamque ad actum & præmovere & applicare; nam cum creatura ſit in potentia, non poteſt reduci ad actum, niſi per eum qui eſt ſemper in actu, qualis eſt Deus; jamvero cum non detur proceſſus in infinitum, deveniendum eſt ad primam cauſam, quæ cæteras immota moveat, ſed voluntas mota ſeipſam determinat & movet ad actum in particulari, in quo quidem adjuvatur adhuc a Deo, ſed per concurſum ſimultaneum, qui dicitur decretum ſpeciale, quia attingit effectum in individuo.

Solutio colligitur ex Divo Thoma qui 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. ſic loquitur: " Homo eſt Dominus ſuorum actuum & volendi & non volendi propter deliberationem rationis quæ poteſt flecti ad unam partem vel ad aliam: ſed quod deliberet vel non deliberet, & ſi hujuſmodi ſit Dominus, oportet quod hoc ſit per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio quod eſt ſupra mentem humanam, quod eſt Deus. „ & in 2. ſent. diſt. 39. q. 11. " Sed quod determinatio exeat in hunc vel illum actum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. „ Igitur eſt prædefinitio exemplaris ſecundum ideam: eſt prædefinitio ad exiſtentiam, ut talis creatura producatur, eſt prædefinitio ad operationem, ut creatura reducatur de potentia ad actum: eſt prædefinitio ad producendum cum creatura effectum. Prima eſt ante creaturam; ſiquidem eſt ipſa eſſentia divina ut diverſimode participabilis. Secunda utique eſt independens ab omni creatura, Deus quippe libere egit, & eas quas voluit produxit creaturas. Tertia dicit quidem reſpectum ad creaturam, aſt voluntarie & gratuito datur, quatenus ipſe Dominus ſuas vult movere creaturas ad pulchritudinem univerſi; ipſum quidem antecedit voluntatis humanæ motum, ſed ea utitur præmotione creatura ad libitum, & mota ſeipſam movet ad actum in individuo; unde etſi præmotio antecedat, non tamen libertati nocet. Quarta eſt præ-

prædefinitio concomitans; Deus agit ſimul cum creatura, & ideo adjuvat libertatem ſicut tertia; & ſic nulla fit læſio, nullaque injuria libero arbitrio. His prælibatis, omnia evaneſcunt argumenta contra decreta præmoventia.

Jam ad primum diſtinguo, voluntas non poteſt reſiſtere decreto prædefinienti exiſtentiam & productionem creaturæ, quia Deus eas producit creaturas quas vult & ad nutum ſuum, concedo: prædefinienti operationem & ad illam præmoventi, nego. Licet enim concurſus Dei a creatura non pendeat, creatura tamen, ſic ordinante Providentia, illo utitur concurſu, quando vult, & ad quod vult: quinimmo flectit motionem Dei modo ab bonum, modo etiam ad malum. De quo plurimum conqueritur Deus dicens Iſa. 43. *Servire me feciſti in peccatis tuis*. Et ſic apparet quanta ſit ſub dominio Dei prædefiniente hominis libertas, cum Deus ſinat hominem ſuo uti concurſu prævio ad nutum. Unde Div. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. iſtud ſibi proponens argumentum, voluntas ex neceſſitate movetur a Deo, quia nihil poteſt illi reſiſtere, juxta illud Rom. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Sic reſ„ pondet: " Ad primum dicendum quod „ voluntas divina, non ſolum ſe ex„ tendit, ut aliquid fiat per rem quam „ movet, ſed ut etiam eo modo fiat, „ quo congruit naturæ ipſius: & ideo „ magis repugnaret divinæ motioni, ſi „ voluntas ex neceſſitate moveretur, „ quod ſuæ non competit naturæ, quam „ ſi moveretur libere prout competit ſuæ naturæ. „ Igitur efficacia voluntatis divinæ non opponitur libertati noſtræ, immo quia eſt potentiſſima, facit ut quodlibet agens creatum ſuę conformiter naturæ operetur.

Ad ſecundum diſtinguo pariter; decretum prædefiniens eſt cauſa prima & fortior cauſa ſecunda, immo & ab illa independens quoad ſe, concedo: quoad uſum, nego. Concurſus prævius entitative eſt a creatura independens, & ipſa fortior, ſiquidem eſt aut ipſa Dei operatio immediate creaturam tangens, aut vis ab ea profluens; ſed Creator vult ut creatura tali utatur concurſu ad libitum, immo ut ipſa motionem illam generalem determinet ſeu flectat ad actum in individuo; in quo quidem ſenſu reliquit hominem in manu conſilii ſui. Quia vero hoc fit ex ſapientia infinita, Eccli. 15. 14. cuncta ſuaviter ordinante, nullum profecto inde ſequitur inconveniens: igitur decretum prædefiniens non lædit, ſed potius fovet, verius dicam, dat libertatem, ſaltem confert exercitium; quandoquidem creatura abſque auxilio Dei non poſſet ad actum reduci.

Ad tertium diſtinguo, voluntas divina prædefiniens agit ut prima cauſa univerſalis quæ non excludit conſortium cauſæ ſecundæ, concedo: & excludit, nego. Cauſa prima movet ad bonum univerſale, immo ad bonum particulare. " Sed quod„ determinatio, *inquit Div. Thomas*, ex„ eat in hunc vel illum actum, non eſt „ ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. „ Igitur voluntas humana ſe determinat ad actum in individuo.

Ad quartum, quintum & ſextum, nego ex decreto prædefiniente modo explicato ſequi deſperationem, correctionis inutilitatem, virtutis torporem atque contemptum: tum quia voluntas determinat ſe ad actum in individuo, & in hoc homo eſt laude vel vituperio dignus; tum quia Deus præordinans finem, præordinat in ſuis decretis & media, volendo ut gratia efficax ſuum ſortiatur effectum completum, per conſenſum, ſeu cooperationem voluntatis humanæ, ut ipſa prædeſtinatio executioni mandetur per bona opera libera & vitæ æternæ meritoria. Enimvero actus converſionis, utpote vitalis, eſt & a gratia & a voluntate hominis ut a cauſa adæquata.

Ita S. Proſper qui l. 2. de Vocat. Gent. c. 36. ait: " Quamvis, quod ſta„ tuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, „ ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec „ per electionis propoſitum, liberi arbi„ trii dilectio relaxatur, cum implendæ „ voluntatis Dei ita ſit prædeſtinatus ef„ fectus, ut per laborem operum, per „ inſtantiam ſupplicationum, per exerci„ tia virtutum, fiant incrementa merito„ rum, & qui bona egerint non ſolum ſe„ cundum propoſitum Dei, ſed etiam ſe„ cundum ſua merita coronentur. Ob hoc „ enim in remotiſſimo ab humana cogni„ tione ſecreto prædefinitio hujus electio„ nis abſcondita eſt. „

Idem docet Div. Thom. locis ſupra citatis, & etiam 1. p. q. 23. art. 8. ubi ſic „ loquitur: " Sicut ſic providentur natura„ les

„ les effectus, ut etiam cauſæ naturales „ ad illos naturaliter effectus ordinentur, „ ſine quibus illi effectus non provenirent, quanta prædeſtinatur ſalus alieni, ut etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quidquid hominem præmovet „ in ſalutem, vel orationes propriæ vel „ aliorum, vel alia bona, vel quidquid „ hujuſmodi ſine quibus aliquis ſalutem „ non conſequitur. „

Denique ad id quod additur, ſi Deus aliquid decreverit, neceſſario eveniet, jam iterum atque iterum factum eſt ſatis: adhuc tamen diſtinguo, neceſſario evenit, neceſſitate hypothetica & in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Sic reſpondet Divus Anſelmus ſupra laudatus, ſic Divus Thomas, ſic omnes orthodoxi Theologi loquuntur. In primis Gonetus hic diſp. 4. art. 5. 6. & 7. ubi docet & concludit præſcientiam in decreto fundatam, non eſſe humanæ adverſam libertati. Sic Contenſonius diſſert. 10. de concordia libertatis c. 2. Nec mirum, divinæ infallibilitas præſcientiæ non oritur ex limitatione cauſæ univerſalis ad unum determinatæ, ſed ex ſumma omnium omnino perfectionum plenitudine cauſæ ſuperioris, quæ quidem omnia attingit a fine ad finem uſque fortiter, & diſponit ſuaviter. Cæterum S. Auguſtinus non ſemel pro hoc momento citatus cuncta ſolvit, dicendo Deum etiam humanas præſcire voluntates, & cuncta ſuavi dirigere & ordinare Providentia.

Inſtabis, admiſſo & poſito decreto prædefiniente, adeſt ſemper ſenſus cum præſcientia compoſitus. Igitur nuſquam erit cum decreto præmovente libertas. Probatur antecedens: omnis creatura, adeoque & omnis actus dicit ſemper ordinem ad decretum; ab eo quippe habet & eſſe & exiſtere ſecundum Thomiſtas qui hac ratione ducti ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum etiam Phyſicam & effectivam aſſerunt. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguendo: eſt ſemper ſenſus compoſitus pro rerum productione, concedo: a Deo quippe ſolo pendet producere vel non producere aliquid: pro productione operationis cauſæ ſecundæ, ſubdiſtinguo: eſt ſenſus compoſitus cum decreto generaliter præmovente, ſed determinabili per cauſam ſecundam ad actum in individuo, concedo: non determinabili, nego. Duo ſunt potiſſimum conſideranda & ponderanda; primum quidem creaturam quatenus dicit ordinem ad Creatorem, alterum vero ipſum Creatorem ut ſuam ſpectat creaturam. Mundus primo modo conſideratus a ſolo Deo dependet & in eſſe & in conſervari. Igitur Deus liberrimus fuit in condenda creatura, ſuppoſito tamen quod illam condere decreverit, mundus ſub tali decreto de ſua exiſtentia formatus, neceſſario quidem, ſed neceſſitate tantum hypothetica creatus eſt: hinc nulla eſt ex parte Dei abſoluta neceſſitas; neque ex parte creaturæ rationalis in ſuis viciſſim humanis operationibus.

Poteſt igitur ſpectari cauſa ſecunda ut producta & habens ex Creatoris munere innatam agendi & ſeſe movendi virtutem: quia vero & creatura & ipſa creaturæ virtus ſunt in potentia ad agendum, neutra quippe eſt actus purus, inde ſequitur voluntatem divina indigere præmotione quæ illam applicet ad actum quem vult & deſiderat producere. Cæterum præmotio eſt influxus cauſæ ſolum generalis & univerſalis, adeoque ad talem actum in individuo per cauſam ſecundam determinandus, unde etiam ſub dominio concurſus prævii creatura eatenus manet libera, quatenus illo utitur, prævia ſua & deliberatione & electione, ad quod vult.

Reſpondeo 2. negando abſolute loquendo, ſenſum adeſſe ſemper compoſitum. Aliud quippe eſt dicere ordinem ad decretum præparans auxilium: aliud vero creatum habere auxilium & agere cum illo & per illud. Primum importat ſolummodo auxilii præparationem; alterum dicit auxilii cum potentia conjunctionem; quinimmo & ipſum actum ſeu potentiam in actu: certo certius eſt creaturam recipientem auxilium, poſſe agere vel non agere, quatenus ei reſiſtere valet: poſſe bonum vel malum operari, quia concurſum ordinis naturalis poteſt flectere ad alterutram partem, illum vero qui eſt ſuperioris ordinis prorſus abjicere, ſed, poſita præmotione applicante ad actum, ipſa vero creatura agente & cooperante, profecto voluntas in iſto ſenſu compoſito non poteſt non agere, alias jungeret actum cum non actu, quod eſt impoſſibile.

Reſ-

Reſpondeo 3. iterum diſtinguendo, poſito decreto ſeu prævio concurſu, eſt ſemper ſenſus compoſitus, & in iſto ſenſu voluntas non poteſt agere potentia futuritionis, concedo: potentia poſſibilitatis, nego. Prima dicit actum cum potentia conjunctum; altera poteſtatem ab actu ceſſandi ſi voluntati placet; quam quidem vim & facultatem habere in ipſo ſenſu compoſito nemo eſt qui non videat & experiatur.

Verum ut veritas in perfecto elucefcat die, obſervandum eſt voluntatem humanam teſte D. Thoma 1. 2. q. 9. art. 4. ſe movere ad actum per deliberationem rationis: unde prius illi proponitur objectum; quod quidem ſub duplici apparet facie, v. g. eleemoſyna, videlicet ſub ratione boni ut miſericordiæ conſonum, deinde ſub quadam mali ſpecie, quatenus eſt quoddam crumenæ incommodum, quum penſatis ex utraque parte rationibus voluntas agere deſiderat: tunc Deus qui ut præmotor univerſalis non deficit in neceſſariis, illam & phyſice movet, & applicat ad actum; illa vero ſic præmota flectit motionem Dei ad actum in individuo: & ſic eatenus manet libertas, quatenus voluntas, v. g. prius mota moraliter a gratia quæ teſte Auguſtino movet modo illuminando, modo ſuadendo & ſemper excitando, poteſt reſiſtere vel conſentire. Quia vero præmotio Phyſica eſt ſolummodo ad conjungendum actum cum potentia, ſupponit ſemper voluntatis deliberationem; unde manet ex integro immune ab omni neceſſitate liberum arbitrium. Divus Auguſtinus l. 3. de libero arbitrio c. 3. totum explicat his omni conſolatione refertis verbis n. 8. " Ita fit, *inquit*, ut Deum præſcium „ omnium futurorum, & nos tamen ve„ limus quod voluntas, cum enim ſit „ præſcius voluntatis noſtræ, cujus eſt præſcius, ipſa erit. Voluntas ergo erit, „ quia voluntatis eſt præſcius. Nec vo„ luntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non „ erit. Ergo eſt poteſtatis & præſcius. „ Non igitur per ejus præſcientiam mihi „ poteſtas adimitur, quæ propterea mihi „ certior aderit, quia ille cujus præſcien„ tia non fallitur, adſuturam mihi eſſe „ præſcivit. „

Rurſus inſtabis: omnis ſuppoſitio antecedens tollit libertatem. Et probatur: prævenit conſenſum: igitur non manet indifferentia.

Reſpondeo diſtinguendo, ſuppoſitio antecedens particularis, abſoluta & ad unum determinata, ut influxus ſiderum reſpectu plantarum, concedo: generalis & determinabilis per voluntatem ad actum in individuo, nego. Præmotio eſt influxus cauſæ univerſalis, adeoque ſolum generalis: phyſice quidem recipitur in potentia, & ipſa per deliberationem rationis agens utitur libere & ad nutum iſta motione, eamque flectit ad quod vult: igitur manet ſui actus domina & perfecte libera; enimvero intellectus per deliberationem rationis, determinat voluntatem quoad ſpecificationem; ideſt, ad tale vel tale bonum eligendum & amandum; ipſa vero ſe determinat ad actum in individuo, ſic docet D. Th. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3. " Non eodem modo, *inquit*, voluntas „ movetur ab intellectu & a ſeipſa, ſed „ ab intellectu quidem movetur ſecundum „ rationem objecti: a ſeipſa vero quan„ tum ad exercitium actus. „

Adhuc inſtabis: Ex hoc duo ſequuntur abſurda, primum quidem præmotionem quæ voluntatem determinat, ab ipſa voluntate viciſſim determinari. Alterum vero abſurdum eſt, concurſum decreti prædefinientis a quo voluntas humana dependet, ab ipſa voluntate humana alternata vice pendere; quæ omnia manifeſtam implicant contradictionem. Namque erit determinatio & non determinatio: dependentia & non dependentia.

Reſpondeo negando utramque ſequelam. Ad probationem, diſtinguo: erit determinatio & non determinatio ſub diverſo reſpectu, concedo: ſub eodem, nego. Voluntas quidem phyſice movetur a Deo & reducitur de potentia ad actum: mota vero & excitata determinat influxum Dei ad actum in individuo, ſeu potius flectit; unde ad ſummum influxus primæ cauſæ pendet a creatura ſolum determinative: verius dicam non eſt dependentia; quis enim ſanæ mentis dicet Deum a ſua dependere creatura, eo quod cum illa agat? quinimmo tota dependentia ſolum eſt ex parte cauſæ ſecundæ, quippe quæ eatenus ſolum operetur, quatenus a prima & movetur & adjuvatur.

Inſiſtes: Deus humanam movet voluntatem immediate quoad omnia, ſiquidem non

non ſolum rationes genericas & ſpecificas, ſed & individuales attingit; eſt enim prima omnium cauſa, eaque efficaciſſima: jam vero ſi decretum eſt præmovens, omnes profecto antecedit iſtas rationes, adeoque non relinquetur ſub præſcientia prædefiniente ullus libertati humanæ locus.

Reſpondeo diſtinguendo, decretum ad omnia uſque pertingit tanquam cauſa univerſalis determinabilis a cauſa ſecunda ad actum in individuo, concedo: ut cauſa particularis & non ulterius determinabilis, nego. Ultro fatemur cauſam primam omnes actus rationes attingere, ſed ſolum ut cauſa univerſalis Phyſica, quæ non excludit cauſæ ſecundæ determinationem. In omni ratione actus tum generica, tum ſpecifica, tum etiam individuali duo potiſſimum ſunt diſtinguenda, videlicet id quod eſt ens, & id quod eſt ens tale atque determinatum; primum eſt immediate a Deo, ſecundum vero a Deo & a creatura ſimul. Quod autem præmotio Phyſica ſit ſolum ad actum moralem ut ſic, ad actum vero in individuo nonniſi mediante voluntate, patet ex D. Thoma, qui ubique duo ſtatuit inconcuſſa, primum quidem motionem divinam eatenus ſolum eſſe neceſſariam, quatenus debet & reducere cauſam ſecundam de potentia ad actum, & ejus virtutem veluti ſopitam excitare ut ipſa operetur. Alterum vero voluntatem humanam ſeipſam determinare ad actum in individuo, immo & pro iſto momento motionem Dei flectere ad quod vult & elegit. Nec mirum, niſi voluntas ſeſe determinando ad producendum aliquem effectum agat, nihil ſane fiet. Igitur determinatio ad actum in individuo eſt quidem a prima cauſa ſed mediante ſecunda, & ſic illæſa manet ſub decreto prædefiniente libertas.

Inſurges iterum: decretum præmovens de omnibus diſponit rationibus, etiam de individualibus; namque cuncta a fine ad finem attingit, ad medullas uſque compagum pertingit ejus occultiſſima vis: & quis reſiſtet? igitur poſito decreto de aliquo effectu, rem fieri neceſſe eſt; voluntas ut pediſſequa præmotionis, neceſſario ejus ſequetur efficaciam & operabitur.

Confirmatur. Nihil eſt determinate futurum in hypotheſi, niſi per decretum prædefiniens: igitur cum ſit præmovens, velit, nolit cauſa ſecunda, ſequitur effectus: maxime in ordine ſupernaturali gratiæ in quo Deus teſte Apoſtolo operatur ſecundum propoſitum, ſeu ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Quia vero decretum a voluntate divina admodum ſuavi quæ eſt ſumma & ſuprema bonitas, promanat; ideo actus humanus ad ſummum voluntarius & ſpontaneus erit, ſed non liber.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare: ſequeretur enim actionem fore divinam, quatenus ſpecificatio actus a ſolo promanaret decreto, unde creatura neque odio, nec laude digna evaderet, quod nullus certe admittit Catholicus.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: decretum de omnibus diſponit ut cauſa generalis determinabilis per cauſam ſecundam ad actum in individuo, concedo: ut cauſa particularis & a creatura ulterius non determinabilis, nego. Obſervat D. Thomas in 2. diſt. 39. q. 1. voluntatem ſe determinare moraliter per deliberationem rationis ad actum talem vel talem, & ab alio non determinari; unde decretum de creatione mundi, eſt quidem ab omni creatura independens, ſed ſuppoſito quod primus homo ſit productus, Deus vult eum libere & per deliberationem rationis agere.

Ad confirmationem, diſtinguo: nihil eſt futurum niſi per decretum determinans phyſice voluntatem creatam, ut ſic mota ſeipſam determinet ad actum in individuo, concedo: nihil eſt futurum niſi per decretum ſine creaturæ cooperatione, nego. Etvero Deus & creatura ſunt cauſa adæquata & totalis effectus producendi: igitur decretum non dat exiſtentiam effectui producendo abſque cauſa ſecunda, quia ſic vult Deus, ut ſervetur libertas. Hic eſt igitur ordo: 1. Deus decrevit ab æterno præmovere creaturas liberas ad operationem, illas reducendo de potentia ad actum quando volunt agere. 2. Decrevit ut creatura pro privilegio libertatis, uteretur motione primæ cauſæ ad libitum, illam determinando moraliter ad actum in individuo. 3. Poſita electione voluntatis creatæ de aliquo amando, eam ad id applicat phyſice Deus, illa vero ſic mota ſeipſam applicat

ſimul

ſimul phyſice & moraliter utendo præmotione ad effectum producendum. Igitur decretum prædefiniens dat futuritionem determinatam primo movendo phyſice voluntatem in genere, ſecundo phyſice influendo in actum individualem ut eſt a voluntate determinatum ad individuum: tertio ſimul concurrendo ut actus producatur & habeat eſſe ſeu exiſtere.

Sic ſervantur omnia jura Dei. Eſt prima cauſa præmovens & non poteſt creatura ſe determinare niſi prius non a Deo. Actus eſt a prima cauſa etiam ſecundum rationes ſpecificas & individuales, quia creatura illas attingit ut mota, & utendo motione divina ad illas; rurſus concurſus Dei a voluntate humana moraliter determinatus, influit in omnia: & ſic Deus eſt præmovens & ſimul agens. Item ſervantur jura voluntatis creatæ, quatenus ſeipſam determinat ad ſpeciem & individuationem actus, quandoquidem flectit motionem primæ cauſæ ad quod vult; unde eſt ſui actus domina. Jam vero Deus videt omnia futura in decreto ſuo prædefiniente ut movente creaturam ad actum; futuritio rei eſt ab ipſo: voluntas enim hominis nihil prorſus poteſt abſque prime cauſæ concurſu, eoque utitur ut ſuum eliciat actum: nihil utique eſt determinate futurum ante motionem Dei, quia creatura non poteſt ſeſe ad actum determinare niſi prius a prima cauſa moveatur, quibus omnibus ponderatis, cuncta libertatis jura cum præſcientia in decretis prædefinientibus fundata, facile conciliantur. Etvero nullus inter Thomiſtas etiam rigidiſſimus negabit præmotionem phyſicam ſe tenere ex parte actus ſecundi; *eſt id*, inquit Alvarez de aux. diſp. 19. *quo voluntas agit*: ſupponitur igitur deliberatione tranſacta antequam præmotio Phyſica detur, & voluntatem ad actum applicet. Hæc doctrina fundatur in D. Auguſtino qui l. 3. de lib. arb. c. 3. n. 6. ſic loquitur: " Res ergo univerſas ,, quarum Deus eſt præſcius, non volun- ,, tate ſed neceſſitate fieri putas. Omnia ,, ita puto. Expergiſcere tandem teque ,, ipſum paululum intuere, & dic mihi, ,, ſi potes, qualem ſis habiturus cras vo- ,, luntatem, utrum peccandi, an recte ,, faciendi neſcio. Quid Deum ibidem, ,, neſcire hoc putas? nullo modo id pu- ,, taverim. Si ergo voluntatem tuam craſtinam novit, & omnium hominum, ,, ſive qui ſunt, ſive qui futuri ſunt, fu- ,, turas prævidet voluntates, multo ma- ,, gis prævidet, quid de juſtis, impiiſque ,, facturus eſt. Prorſus ſi meorum operum ,, præſcium Deum dico, multo fidentius ,, eum dixerim præſcire opera ſua. ,,

Idem colligitur ex D. Thoma qui in 2. ſent. diſt. 39. q. 1. ſic loquitur: " Sed ,, quod determinatio exeat in hunc vel ,, illum actum, non eſt ab alio determi- ,, nante, ſed ab ipſa voluntate. Deter- ,, minatio actus relinquitur in poteſtate ra- ,, tionis & voluntatis. Quibus verbis docet ſanctus Doctor Deum licet præmoventem, non tamen prædefinire actus creaturæ in ſpecie & in individuo antecedenter ad ipſam voluntatis determinationem & ſecluſa ejus cooperatione; alias actus omnes eſſent a ſolo Deo complete, ſiquidem eſſent a Deo & quoad ſpeciem & quoad individuationem ſine ope creaturæ, quod eſt abſurdum.

Oppones 2. Aug. l. 26. contra Fauſtum c. 3. dicit unicuique rei eſſe naturale quod a Deo moveatur: ſed moveri naturaliter a Deo, eſt moveri neceſſario: igitur decretum prædefiniens nocet libertati.

Reſpondeo diſtinguendo: eſt naturale cuilibet rei a Deo moveri, ideſt, ſubjici primo motori, qui quidem non movet niſi conformiter naturæ rerum, concedo: unde naturale ſumitur ab Auguſtino ut opponitur violento: eſt naturale ita ut cauſæ liberæ moveantur neceſſario, nego. Sic explicant S. Aug. & D. Thomas 1. 2. q. 10. art. 4. ad 2. " Dicen- ,, dum, *inquit*, quod naturale eſt unicui- ,, que quod Deus operatur in ipſo, ut ,, ſit ei naturale: ſic enim unicuique con- ,, venit aliquid, quod Deus vult quod ei ,, conveniat. ,,

Objicies 3. Calvinus admittebat præmotionem Phyſicam & decreta prædefinientia: ſed propter hoc damnatus eſt a Concilio Tridentino: igitur præſcientia fundata in decreto prædefiniente non eſt admittenda.

Reſpondeo diſtinguendo: Calvinus admittebat præmotionem & decreta prædefinientia neceſſitantia, concedo: libere moventia, nego. Dicebat voluntatem non eſſe liberam, ſed trahi ut inanime quod-

quoddam a gratia: unde ſi aliquam admiſit cooperationem liberi arbitrii, admiſit ſolum vocetenus & ad ſummam ſpontaneam. Sic enim explicat locum Rom. 9. *Non eſt volentis neque currentis* l. 9. Inſtit. c. 29. apud Stapletonium in Antidoto: " Non dubitemus Apoſtolum omnia miſericordiæ Domini donare " Et in Antidoto ad Can. 5. Seſſ. 6. Trid. " Quid " ergo, *inquit*, ſibi vult Aug. cum de libertate voluntatis loquitur, nempe quod toties repetit, non cogi homines invi- " cta Dei gratia, ſed voluntarios regi, " ut ſponte pareant, ac ſequantur? "

Dices 4. vel effectus producendus dirigitur per ſcientiam, vel per decretum; ſi primum, igitur datur ſcientia media: ſi ſecundum, jam non relinquitur libertati humanæ locus: tum quia decretum antecedit omnem creaturæ conatum ſicut & præmotio quæ eſt ejus efficacia, tum quia decretum eſt infallibile, nec ſuo poteſt fruſtrari effectu.

Reſpondeo dato & non conceſſo effectum producendum dirigi per ſcientiam, non inde ſequeretur ſcientiam mediam peruti- lem eſſe, cum effectus conditionate futurus per ſcientiam viſionis optime dirigatur; maxime vero quia habet conditionem purificandam, unde ad ſcientiam futurorum reducitur.

Reſpondeo 2. effectum dirigi per ſcientiam quæ habet voluntatem adjunctam, nec ullam ex decreto ſequi pro libertate offenſam & læſionem, cum potius omnis libertas ſit a voluntate Dei ut a primo totius libertatis fonte: hinc, inquit Div. Thomas non ſemel citatus, Deus facit agere creaturas libere ſicut earum congruit naturæ; habet quidem decretum infallibilem connexionem, ſed duntaxat moralem, quæ libertati humanæ profecto non adverſatur: antecedit utique præmotio actum, ſed prioritate tantummodo naturæ & non temporis: antecedit, non quidem ut perimat liberum arbitrium, ſed ut applicando voluntatem ad bonum, det ipſam libertatem actualem, quatenus eam adjuvat; unde & actus liberi eſt prima cauſa.

Inſtabis: decretum ſuo non poteſt fruſtrari effectu, alias non foret efficax. Ergo, &c.

Reſpondeo diſtinguo: decretum ſuo non poteſt fruſtrari effectu in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Obſervandum itaque duplex eſſe Dei decretum, alterum pro præmotione generali quo ſtatuit Deus generaliter concurrere ad actum creaturæ: alterum particulare pro præmotione ſpeciali quæ eſt per gratiam, quo ſtatuit Deus, in ordine ſupernaturali ſpecialiter præmovere & quidem efficaciter ad bonum ſalutis, ſed præſcit voluntates hominum, inquit Auguſtinus; præſcit num creatura operatura ſit vel non, præſcit quid eligendo homo faciet: hinc præſcientia in decreto fundata nullo modo humanam offendit libertatem.

Dices: ex his infertur primo dari ſcientiam mediam qua ſuum Deus dirigit decretum. Secundo decretum nec præmovere, nec determinare cauſam ſecundam, ſed ejus expectare conſenſum. Tertio ante decretum effectum producendum objectivam habere veritatem, in qua quidem cognoſci poteſt. Ergo, &c.

Reſpondeo negando primam ſequelam; ſiquidem ſcientia viſionis dirigitur effectus conditionate futurus qui conditionem purificandam habet.

Ad ſecundum nego primam partem ſequelæ; ad ſecundam autem, diſtinguo: Deus expectat conſenſum voluntatis humanæ cujus eſt prima cauſa, concedo: expectat conſenſum a gratia independentem, nego. Magna eſt apud auctores hanc impugnantes opinionem allucinatio, quæ quidem in hoc potiſſimum conſiſtit, quod credant Deum ſe ſolo & facere, & determinare actum, ita ut nihil creaturæ operandum ſuperſit. Dico igitur, propugno duplicem requiri ad effectum aliquem producendum determinationem: alteram ex parte primæ cauſæ, alteram ex parte ſecundæ: utraque enim cauſa unicum conſtituit totale & adæquatum agendi principium, ſed ut Ariſtoteles dicit, primum movens movet ſecundum, non autem iſtud primum: nihil igitur eſt determinate futurum ante primæ cauſæ decretum, ſed neque ante cauſæ ſecundæ determinationem, quandoquidem eſt utique & cauſa effectus: igitur Deus ſcit & quid facturus eſt, & quid ipſa creatura cum ipſo libere cooperante operabitur: & ideo nulla libertatis læſio: hoc utitur inconcuſſo principio Auguſtinus; nam cum per gratiam libertatem offendi autu-

ma-

marent Pelagiani, præſcit, inquit eis S. Doctor, Deus voluntates hominum.

Ad tertium, nego pariter ſequelam: namque ante cauſæ primæ determinationem nihil eſt futurum, quia ipſa cauſa ſecunda nequidem eſt determinata: enimvero movetur a Deo ut ſeſe determinet prævia electione ad actum. Quare vero poſita Dei voluntate, poſitoque ejus decreto, cuncta ſunt determinata? ratio in promptu adeſt, quia decretum ſeu ejus præmotio movet voluntatem; quæ mota & adjuta ſe ipſam movet & applicat ad actum; hinc merito dicimus Deum in decreto præmovente omnia præſcire, immo in eo præſcit ipſas hominum voluntates, non in eo ſane Calvini ſenſu quod Deus determinet effectum per excluſionem a libera creaturæ determinatione; verum potius in iſto, quod creatura a primæ cauſæ motu dependens ſe ipſam ad actum determinet & accingat. Quid plura? nullus eſt inter Thomiſtas rigidiſſimus qui neget præmotionem phyſicam ſe tenere ex parte actus ſecundi; eſt quid incompletum, inquit Alvarez de auxil. diſp. 19. quo actu agit voluntas: ſupponit ergo tempus deliberationis tranſactum, cum advenit præmotio Phyſica; namque dum actus elicitur, ex electione & deliberatione facta elicitur, nec tunc adeſt deliberationis locus, alias actus poſſet ſimul eſſe & non eſſe in eodem prorſus inſtanti, quod ſane implicat. Igitur præmotio non adverſatur libertati, ſed potius eſt ipſius libertatis exercitium: igitur nec ſe habet formaliter ad actum moralem qui ex deliberatione profluit, ſed tantummodo materialiter.

Solvitur argumentum ex gratia per ſe efficaci depromptum.

OBJICIES: præſcientia innixa decreto prædefiniente infert gratiam per ſe efficacem ad actiones in ordine ſupernaturali eliciendas; ſed libertas humana cohærere non poteſt cum ejuſmodi decreto: igitur decretum prædefiniens tollit libertatem, adeoque non eſt admittendum. Probatur minor in qua eſt difficultas. Deus ſpecialiter movet voluntatem humanam per gratiam ex ſe efficacem, ita ut totum ab ipſa procedat. Igitur non manet libertas.

Reſpondeo non ſufficienter demonſtraſſe in ſuperioribus contra Proteſtantes, hominem eſſe liberum etiam in actionibus ſupernaturalibus eliciendis; unde nego minorem: ad probationem diſtinguo, Deus ſpecialiter movet per gratiam, quia movet etiam ad velle, etiam dat boni ſupernaturalis cogitationem, concedo: quia movet excludendo liberi arbitrii cooperationem, nego. Apoſtolus enim dicit ſe gratiæ cooperari, 1. Cor. 15. 10. *Non ego*, inquit, *ſed gratia Dei mecum*. Quia igitur non ſumus ſufficientes ex nobis aut cogitare, aut operari aliquid pro vita æterna conſequenda, ſiquidem ſupereminet & rationi & virtuti noſtræ, indigemus moveri a Deo per gratiam & circa finem, & circa media: in ordine vero naturali virtute innata poſſumus velle, immo & facere aliquod bonum; & ideo concurſus generalis primæ cauſæ præmovens ad hoc ſufficit. Igitur initium & conſummatio operis boni ad vitam æternam conducentis eſt a gratia, & ideo Deus movet ſpecialiter & ſpecialiſſime voluntatem in ordine ſupernaturali: actus tamen eſt ita a Deo, ut ſit etiam a nobis; juxta illud Concilii Arauſicani ſecundi Can. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur*. Unde liberum arbitrium manet ſub dominio gratiæ.

Inſtabis: atqui liberum arbitrium non manet ſub gratia efficaci: ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens; totum eſt a Deo per gratiam, etiam velle, etiam perficere, ipſo teſtante Apoſtolo Phil. 2. 13. *Deus eſt enim*, inquit, *qui operatur in vobis velle & perficere*. Igitur voluntas non eſt libera. Sic prævidit Deus, ſic ſtatuit, ſic voluit: igitur non cohæret libertas cum decreto prædefiniente.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem diſtinguo antecedens; totum eſt a Deo ut a cauſa prima non excludente cooperationem cauſæ ſecundæ, concedo; ſecus, nego. Gratia ſufficiens dat bonas cogitationes & voluntates inchoative, quæ dicuntur ſemina virtutum: voluntas movetur moraliter ad bonum quod illi proponitur, verbi gratia, ad faciendam eleemoſynam propter Deum: ſi non reſiſtit, augetur & inſpiratio & gratiæ impreſſio; ſic a Domino præparatæ voluntati, modo non ponat obicem, conceditur gratia effi-

tax quæ fortius movet & pulſat, quæ determinat & applicat ad bonum. Jam vero per gratiam ſufficientem, pulſat ad cor Deus, per efficacem aperit: & utrique poteſt reſiſtere voluntas; impreſſioni quidem gratiæ ſufficientis, & hoc probat infelix & quotidiana experientia, juxta illud Actuum. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: impreſſioni vero gratiæ efficacis: ſicut enim Petrus fortiter pulſus poteſt, adhibita omni fortitudinis virtute, reſiſtere, ita & voluntas contra gratiam efficacem recrudeſcere, maxime ſi exardeſcat plurimum concupiſcentia, & hoc declarat ſacra Synodus Tridentina his verbis, ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum... neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Igitur motum, ſub dominio gratiæ moventis & efficacis poteſt reſpuere ſi velit; quod autem hoc ſit poſſibile, ſcriptura declarat, adhortando hominem ut non recrudeſcat contra gratiam efficacem quam fluminis impetui comparat dicens, Eccli. 4. 32. *Ne coneris contra ictum fluvii*, & Pſal. 94. 6. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et illud Chriſti ad Saulum perſecutorem, Act. 9. 6. *Durum eſt tibi contra ſtimulum recalcitrare.* Quid eſt contra ſtimulum recalcitrare, niſi adaperto & deliberato voluntatis pravæ impetu, ipſum gratiæ frangere impetum? non tamen facit quia vult obedire. Igitur Deus non prædefinivit movere hominum voluntates, quin poſſint pro innata libertate reſiſtere. Ideoque libertas non deſtruitur.

Urgebis iterum: atqui totum ita eſt a Deo per gratiam ut non maneat indifferentia & vis electiva in voluntate, ergo &c. Probatur antecedens, Deus per decretum ſtatuit præmovere per gratiam hominem ad bonum; vult enim quod gratia ex ſe determinet voluntatem, non ſolum ad bonum, immo & ad actum in individuo: nam per gratiam ſufficientem inſpiratur v. g. eleemoſyna facienda; per efficacem per ſe determinatur ad talebonum, & ad talem actum: igitur tota determinatio eſt a Deo & nihil eſt a voluntate. Confirmatur: prædefinit Deus dare gratiam efficacem per ſe: igitur & decrevit dare gratiam prædeterminativam: poſita vero & data ejuſmodi gratia, jam eſt actus: igitur non poteſt voluntas reſiſtere; adeoque non eſt libera ſub dominio decreti præmoventis.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare, ſequeretur enim voluntatem trahi ut inanime quoddam per gratiam efficacem, quæcumque illa ſit, & excogitetur in Scholis; quia gratia efficax determinaret cauſam ſecundam ſecluſo ipſius conſortio: iſta gratia ſive congrua, ſive phyſica ſemel poſita, homo non poſſet ei reſiſtere: certum eſt tamen voluntatem ab objecto allectam, gratia ſufficienti præparatam, adiutam efficaci, eligere bonum, & per deliberationem rationis ſe ipſam determinare, ut repetit perpetuo Div. Thomas. Igitur gratia elevat, gratia ſanat, gratia determinat & applicat voluntatem ad bonum abſque libertatis diſpendio.

Reſpondeo 2. negando ſubſumptum. Ad probationem diſtinguo. Deus prædefinit voluntatem a gratia præmoveri ad tale bonum; & ſimul prædefinit voluntatem ſe ipſam ad illud determinare libere, concedo; ita prædefinit voluntatem a gratia præmoveri ad tale bonum ut non ſimul prædefiniat illam ſe determinare libere, nego. Ultro fatentur omnes Theologi orthodoxi voluntatem præveniri gratia ſufficienti, ut incipiat velle bonum; addunt Thomiſtæ per gratiam efficacem moveri ad ipſum actum, ut ſic mota eligat & operetur bonum quod nec ſine prima gratia homo incipit velle, nec ſine altera ſe movet ad illud volendum efficaciter, & operandum. Gratia igitur efficax movet ad actum bonum moraliter ſecundum Congruiſtas, moraliter & phyſice ſecundum Thomiſtas, ſecundum omnes liberrime: unde enim meritum, niſi quia voluntas mota ad bonum poteſt facere malum? juxta illud Eccli. 31. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.*

Ad confirmationem diſtinguo: poſita gratia efficaci voluntas non poteſt non agere in ſenſu compoſito, concedo: in ſenſu diviſo, nego. Senſus compoſitus ille eſt qui jungit actum cum potentia: certe

te in omnium opinione; qui agit non poteſt non agere, hoc implicat: ſenſus diviſus concipitur, cum gratia datur: certum eſt enim prius eſſe, gratiam dari, & voluntatem determinare ſe ſeu propulſare ad bonum, quam voluntatem eligere, quam velle efficaciter, & agere; nam ad hoc datur gratia, ut voluntas mota ſe ipſam determinet, ut eligat, ut velit efficaciter bonum, ut illud operetur: quæ quatuor momenta ſi recte ponderentur, facile, in quantum fieri poteſt, conciliabitur libertas cum præſcientia & decreto prædefiniente. Itaque obſervandum eſt 1. Gratiam efficacem dari ut moveat & determinet voluntatem ad bonum 2. Voluntatem jam inclinatam & præparatam per gratiam ſufficientem, & ultimate atque fortiter determinatam per efficacem, eligere bonum. 3. Se ipſam determinare ad bonum hic & nunc faciendum. 4. Illud actu facere & operari. Qui quidem omnes gradus quaſi in inſtanti currunt: quando igitur voluntas concipitur recipiens gratiam ad agendum, quis ſanæ mentis dubitat, quin poſſit non facere, cum prius ſecundum noſtrum concipiendi modum debeat eligere, deinde facere?

Quid ergo præſcit Deus in gratia efficaci? Omnia humanæ fauſta libertati; præſcit quod voluntas intrinſece excitata ad bonum per gratiam ſufficientem, extrinſece vero per objecti propoſitionem, quod inclinata & præparata ad virtutem exercendam, quod mota iterum per auxilium efficax ſe ipſam movebit per deliberationem rationis ad bonum, quod præmota tandem & phyſice adjuta illud operabitur.

Adhuc inſtabis: atqui voluntas humana ſub dominio gratiæ efficacis præmoventis non ſe determinat ad actum, immo non poteſt: igitur nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum; primo quidem jam eſt determinata per gratiam efficacem; ſed quod eſt determinatum, non indiget ulteriori determinatione; ergo &c. Secundo gratia efficax, alio prorſus modo eoque fortiori gratiæ ſufficientis determinatione, movet, adeoque, poſita per efficacem determinatione, ulterior non expectatur; maxime vero cum gratia præmovens efficaciter ſe teneat ex parte actus ſecundi. Tertio ſi alia rurſus neceſſaria eſt determinatio, gratia non eſt per ſe efficax: denique gratia per ſe efficax qualis eſt præmovens, movet infallibiliter: igitur & neceſſario.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad primam probationem diſtinguo: voluntas jam jam eſt determinata per gratiam efficacem exigentem conſortium cauſæ ſecundæ, concedo: non exigentem, nego. Voluntas determinatur & actuatur a gratia ut ſe ipſam determinet & moveat ad bonum ſalutis, quod ſibi relicta operari non valet, unde elevatur, ſanatur & movetur a cauſa prima ad bonum ſupernaturalis ordinis ut ſeipſam ad illud hic & nunc faciendum determinet, & exeat in actum. Sicut igitur diſcipulus præmotus ad ſcribendum, ſe ipſum applicat & movet ad hoc; ita & voluntas præmota ex ſe & libere operatur. Sicut diſcipulus præmotus ad ſcribendum actu poteſt reſiſtere motioni actuali, & quandoque de facto reſiſtit ceſſando operari; ita & voluntas præmota a gratia poteſt reſiſtere. Duplex igitur diſtinguitur determinatio, altera primi moventis, altera vero ſecundi, & cum determinatio cauſæ ſecundæ ſubordinetur determinationi cauſæ primæ a qua procedit, nullum ſequitur inconveniens.

Ad ſecundum diſtinguo: non expectatur ulterior determinatio ex parte cauſæ primæ, concedo: ex parte cauſæ ſecundæ, nego: immo gratia efficax ideo datur ut voluntas de ſe iners ad bonum ſupernaturale moveatur & exeat in actum.

Ad tertium: dico dari gratiam efficacem, & talis eſſe naturæ ut moveat ad actum; ſic autem nominatur & quia eſt uberior gratia ſufficiente, conſiſtit enim in præmotione morali ſimul & phyſica: & quia dat velle completum, gratia vero ſufficiens, incompletum: & quia etiam ſe tenet ex parte actus ſecundi; infert enim ipſum actum, ſed libere, ſiquidem voluntas agit per deliberationem rationis.

Ad quartum diſtinguo: gratia per ſe efficax movet infallibiliter ſecundum quid, concedo: ſimpliciter, nego. Eſto quod moveat infallibiliter, ſed ſecundum quid: hæc enim infallibilitas a ſola gratia non procedit, ſed etiam ab ipſa voluntate quæ ſe determinavit & voluit bonum: in-

infallibilitas autem abſoluta eſt a voluntate humana omnino independens & immutabilis, ſicut ea quæ profluit a gratia finali perſeverantiæ ut dicit providentiam diſponentem cauſas ad hoc ut mors eveniat quando peccator dolet vehementer de peccatis. Quod autem infallibilitas gratiæ efficacis non ſit abſoluta, patet, quia in ſenſu diviſo & dum datur, poteſt voluntas ei reſiſtere.

Inſtabis de novo: atqui infallibilitas gratiæ per ſe efficacis eſt abſoluta: igitur non relinquitur voluntati humanæ locus, ut ſe ipſam determinet, adeoque non eſt libera. Probatur antecedens. Concilium Arauſicanum ſecundum Can. 4. dicit: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit: non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto dicenti Proverb. 19. Præparatur voluntas a Domino*. Ergo poſt determinationem quæ eſt a gratia per ſe efficaci, non datur locus voluntatis humanæ determinationi, alias expectaret Deus, ut a peccato nos purgaret, noſtræ voluntatis determinationem.

Reſpondeo negando antecedens. Soli quippe hæretici hoc docent, ſoli hoc contendunt & affirmant, nempe gratiam eſſe ita efficacem, ut ſit abſolute iuſuperabilis & in eo ſenſu quod rapiat, aut ſaltem neceſſitet voluntatem. Et vero, variæ circumferuntur de gratia per ſe efficaci ſententiæ, quædam ſcilicet hæreticæ, quædam vero orthodoxæ. Calviniſtæ & Lutherani tenent decreta prædefinientia neceſſitare, adeoque gratiam ita eſſe per ſe efficacem, ut rapiat neceſſario voluntatem ut inanime quoddam: Janſenius contendit gratiam in eo ſenſu eſſe per ſe efficacem quod ſuaviter quidem moveat, & ſpontanee, attamen neceſſario, ita ut uon ſuperſit indifferentia in voluntate & vis electiva ad bonum aut malum, ad actum & non actum; quæ quidem opiniones proſcriptæ manent & ex definitione Conciliorum, & ex Decretis Summorum Pontificum. Aliæ ſunt ſaniores in Eccleſiæ Scholis circa iſtud nomen opiniones. Prima eſt Iſamberti in Academia Pariſienſi quondam celebris Regiique Profeſſoris qui propugnat gratiam eſſe per ſe efficacem in actu primo, quia gratia præveniens eſt in nobis ſine nobis, & nos ad bonum movet, in actu vero ſecundo eſſe efficacem concurrente voluutatis conſenſu, & dependenter ab ipſo. Secunda eſt quorumdam Theologorum qui gratiam per ſe efficacem in ſuavitate conſtitui volunt, in quantum delectatione gratiæ ita emolliatur cor peccatoris, ut ab ipſa habeat vim ſeſe determinandi libere ad bonum: dico libere, quia, inquiunt, eodem prope modo ratiocinandum eſt de delectatione ſpiritali gratiæ, ſicut de terrena: licet autem aliquod bonum ſenſibile maxime delectet, quandoque tamen eligimus contrarium quod non ita delectare videtur, quia ſic judicat intellectus propter rationes oppoſitas quibus convictus ſuadet voluntati eligere, quandoque etiam & ut plurimum, intellectus judicat pro eo quod magis ſenſibiliter delectat: ita tamen ut electio maneat libera, etiam exardeſcente quacumque concupiſcentia. A fortiori in ſupernaturalibus; ſiquidem homo a gratia adjutus magis liber eſt, quippe qui a paſſionum vinculis ejus adjutorio ſolvitur, uude de bono propoſito facilius judicat; hinc & liberrime deliberat de actu eliciendo: quæ quidem doctrina conſormis videtur etiam D. Thomæ qui ubique contendit voluntatem ſe ipſam ad actum in individuo determinare, minimam gratiam poſſe cuilibet coucupiſcentiæ reſiſtere. Sic enim loquitur 3. p. q. 62. art. 6. " Miuima gratia poteſt reſiſtere „ cuilibet concupiſcentiæ. Quod ſane non intelligit de gratia habituali ſolum, ſed de gratia habituali connotante gratiam actualem ad quam ſpectat, reſiſtere concupiſcentiæ, quia eſt per ſe activa, non gratia habitualis: tum quia loquitur de effectu Circumciſionis quæ erat quoddam ſacramentum; unde producebat ex opere operantis gratism ſacramenti, habitualem ſcilicet connotantem gratias actuales ad quas habendas conferebat & dabat quoddam jus in inſtitutioue & ordinatiotione Dei ſundatum.

Denique eſt ſententia Thomiſtarum qui propugnant gratiam eſſe per ſe efficacem, non quidem excludendo liberi arbitrii & determinationem & cooperationem, ſed quia dat ut nos determinemus ad bonum, ſed quia præmovet ad faciendum: voluntas vero mota ſe deter-

mi-

minat ad agendum per deliberationem rationis; mota ſe ipſam ultimate movet & producit actum: quid tutius pro libertate dici poteſt, cum ab ipſa gratia habeat voluntas ſolvi a vinculo ſuſpenſionis & inertiæ, a vinculo paſſionum alligantium, & fiat expedita ad agendum actu?

Jam reſpondeo ad probationem inſtantiæ. Deus ex Concilio Arauſicano non expectat determinationem voluntatis creatæ ex viribus naturæ procedentem, ut a peccato purgemur, concedo: determinationem a viribus gratiæ profluentem, nego. Deus ut prima cauſa movet quidem voluntatem ad bonum, ſed vult etiam ut voluntas humana ſeſe determinet & moveat ad actum, cum actus ſpecificetur & procedat vitaliter a cauſa ſecunda: excludit igitur Concilium determinationem voluntatis creatæ a viribus naturæ promanantem, & a qua dependeat gratia, ut nos purget a peccato. Quod autem hic ſit genuinus ſenſus Concilii patet ex duobus. Primo quia agit contra Semipelagianos, qui volebant, & initium fidei, & bonas cogitationes & bona deſideria ſalutis eſſe a nobis, ita ut natura determinaret gratiam, & non ab ipſa determinaretur ad opus. Secundo quia agit de gratia qua præparatur voluntas a Domino, prius enim eſt voluntatem excitari per gratiam ſufficientem & prævenientem, deinde moveri per efficacem, quam ſe ipſam determinare ad actam bonum, & illum elicere. Unde Deus non expectat ut purgari velimus, ſed ipſa voluntas expectat ut det Deus velle purgari ſaltem inchoative, expectat ut moveatur & determinetur per gratiam, ad hoc ut velit efficaciter, & per actus pœnitentiæ de facto purgetnr a peccatis: quæ quidem omnia ut non ſemel dictum & probatum eſt, ſunt maxime libertati conſona.

Inſurges: atqui Deus non expectat determinationem voluntatis etiam adjutæ, ut purget hominem a peccatis, ſed independenter a determinatione ulteriori dat homini ut velit purgari a peccatis, & de facto purgetur: ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens ex D. Thoma qui 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. ſic loquitur: " Dicendum quod Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis..... ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud; quod eſt vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum: ſicut in his quos movet per gratiam." Duo potiſſimum dicit in hoc textu D. Thomas, primum voluntatem motam ad univerſale bonum, ſeipſam poſſe movere ad actum in individuo, ad hoc vel illud bonum in particulari: alterum vero voluntatem humanam in ordine ſupernaturali etiam moveri, ſed ſpecialiter per gratiam ad actum: igitur excludit voluntatis determinationem in illo ordine. Confirmatur: poſita determinatione ad actum per gratiam, inutilis eſt determinatio voluntatis, quia ipſa eſt jam determinata; ſiquidem determinatio per gratiam eſt in voluntate, & in ipſa verſatur ac ſubjectatur: ergo &c.

Reſpondeo negando ſubſumptum: ad probationem diſtinguo. In ordine ſupernaturali voluntas movetur etiam ſpecialiter, adeoque non ſolum ad bonum univerſale ſed etiam ad actum bonum in particulari, hoc eſt, ad ipſum actum, & ſimul voluntas mota per gratiam ſe determinat, concedo: & ita ſpecialiter determinatur a gratia, ut mere paſſive ſe habeat & rapiatur aut neceſſitetur, nego. D. Thomas non dicit voluntatem non ſe determinare ad actum ſupernaturalem, ſed ſpecialiter moveri per gratiam, quod veriſſimum eſt. Statuit ergo hoc diſcrimen inter ordinem naturalem & ſupernaturalem quod in illo voluntas mota ad univerſale bonum per concurſum generalem prævium, ſeipſam moveat, poſtea per virtutem innatam quoad ſpecificationem, ideſt, ad hoc vel illud bonum, ad verum vel apparens: in iſto vero indigent gratia & ut elevetur, & ut ſanetur: indiget, & ut cognoſcat bonum, & ut illud velit, & ut etiam illud operetur: igitur indiget ſpecialiter moveri ad tale bonum, quia niſi inſpiretur, de illo non cogitabit anima, ſed inſpirata, ſed excitata, ſed mota per gratiam, etiam ſe movet per deliberationem rationis, etiam eligit, reclamantibus paſſionibus, quia intellectus practicus judicat bonum virtutis ſolum eſſe vere bonum, etiam ſe determinat

conſentiendo determinationi & motioni gratiæ : igitur manet libera & ſub decreto prædefiniente & ſub gratiæ per ſe efficacis dominio .

Ad confirmationem nego determinationem voluntatis eſſe inutilem, poſita gratiæ moventis determinatione ; ſiquidem ad hoc datur gratia ut agat voluntas ſuæ conformiter naturæ , ideſt per electionem : præſertim vero, quia actus deſumit ſpeciem a cauſa ſecunda , & cum ipſa commenſuratur . In catholicorum omnium ſententia datur prima & ſecunda cauſa , primum & ſecundum movens : utrumque , inquit D. Thomas cum Philoſopho , dicimus moveri , ſed magis primum , quippe quod moveat ſecundum , non autem iſtud primum.

Perſiſtes : atqui determinatio voluntatis humanæ eſt inutilis . Et probatur : Si ulterior voluntatis creatæ determinatio requiritur , jam gratia non erit per ſe efficax : idem dicendum de decreto prædefiniente : quandoquidem ſine voluntatis humanæ determinatione nihil eſt futurum .

Reſpondeo negando ſequelam : ad probationem dico non eſſe hic determinandi locum an gratia ſit per ſe efficax , vel non : ſed ſuppoſito quod ſit , ut deſendimus ; negamus ſequi eam non eſſe per ſe efficacem , ex eo quod requiratur voluntatis humanæ determinatio ad actum; ſiquidem gratia non dicitur per ſe efficax in eo ſenſu quod rapiat aut neceſſitet voluntatem , hoc enim eſt hæreticum ; ſed in eo quod applicet & præmoveat voluntatem ad bonum , quod det illi agere, quod ipſa voluntas non operetur bonum niſi prius ſanata , & mota per gratiam .

Ad ultimam probationem diſtinguo : ſi requiratur voluntatis determinatio , nihil erit futurum & determinatum ex parte cauſæ ſecundæ, concedo : ex parte cauſæ primæ, nego. Cauſa prima movendo ſuas agit partes : deinde cauſa ſecunda , ſuas utique adimplet ; cum ideo gratia detur ut cordis duritia penitus auferatur , inquit Auguſtinus . Quia vero influxus primæ cauſæ in ſecundam eſt cauſa determinationis ipſius creaturæ , quæ non ſe determinat niſi mota ; recte dicitur quod , poſita primæ cauſæ determinatione, effectus eſt certe futurus : ſiquidem motio primæ cauſæ connotat cauſam ſecundam motam , & præſcit Deus quod operabitur , ſiquidem ex Aug. præſcit ipſas hominum voluntates .

Inſtabis adhuc : ex his omnibus ſequitur nullam gratiam eſſe efficacem ſed ſolummodo ſufficientem : abſurdum conſequens ergo & antecedens . Probatur ſequela : eo ipſo tempore quo requiritur voluntatis determinatio ſubſequens ad cauſæ primæ motionem , voluntas poteſt impedire effectum gratiæ ; ab ipſa ſiquidem dependebit eligere vel non eligere; ſi bonum apparens , urgente concupiſcentia , judicet intellectus verum bonum , certe voluntas ei adhærebit . Item cum prius ſit voluntatem eligere bonum quam ponere actum ad quem gratia efficax compellit , ſi deliberatio , flante paſſione , perverſa eſt, ut non ſemel evenit, etiam ſequetur gratiam ſuo carere effectu , adeoque nulla erit gratia efficax , ſed pure indifferens & determinabilis ad actum per voluntatem humanam , quod profecto ſapit Semipelagianiſmum .

Reſpondeo 1. Theologos admittentes gratiam efficacem congruam , etiam defendere eam non eſſe in actu ſecundo efficacem niſi per conſenſum voluntatis humanæ, & tamen toto cœlo diſcrepant a Semipelagianis ; ſiquidem gratiam prævenientem , qua præparatur voluntas a Domino , omni mentis affectu propugnant : illi vero e contra voluntatem incipere contendunt , ita ut non gratia voluntatem, ſed voluntas potius gratiam etiam in actu primo moveat & determinet ad hunc vel iſtum actum bonum : quod manifeſte pugnat adverſus Apoſtolum dicentem , non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis .

Reſpondeo 2. negando ſequelam . Ad probationem dico gratiam efficacem eatenus ſuum habere effectum , quatenus voluntas humana per eam mota , ordinarie loquendo , vult ſemper agere , licet poſſit non agere : ſicut famelicus , præſente menſa cibis referta, vult manducare, quamvis ex phantaſia poſſet cibos paratos abnuere : vult ſic etiam operari voluntas, modo ſanetur , modo adjuvetur , modo illuminetur ut cognoſcat veritatem : hinc Auguſtinus pœnitens recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ſuſpirans , Deo dicebat l. 10. Confeſſ.

c. 17.

Digitized by Google

c. 17. *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua*. & alibi : *Noverim te, noverim me*. Gratia autem efficax applicat potentiam ad agendum : fortius movet ipſa gratia ſufficiente, quia movet moraliter ſimul & phyſice : movet humanam immutando voluntatem : quid mirum ſi ſic mota voluntas bonum operetur ? maxime vero cum illud ſolum pro ſuo habeat objecto : igitur ſi fortiter & ſuaviter mota & excitata fuerit, illi ſane toto niſu adhærebit ; ex quo manifeſte ſequitur decretum prædefiniens optime cum libertate creata conſociari. Cæterum non una ſolum determinatio cauſæ primæ neceſſaria eſt, ſed & cauſæ ſecundæ ; quandoquidem utraque unicum & adæquatum conſtituitur effectus principium. Ergone gratia verſatilis & indifferens erit ? minime ; quippe quæ determinet creaturam, non autem iſta, gratiam.

Divus Bernardus hanc libertatis cum decreto & gratia efficaci præmovente concordiam egregie admodum explicat & explanat tractatu de gratia & libero arbitrio, his verbis : " Cavendum eſt, *inquit*, ne cum hec inviſibiliter intra nos ac nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntatis attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt ; ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium cum ſeminat cogitatum ; ſanat, cum immutat affectum ; ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ita tamen quod a ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque proficiſcitur ; ut mixtim non ſigillatim, ſimul non viciſſim. "

Solvitur argumentum quod ex gratia prædeſtinationis Sanctorum eruitur.

OBJICIES : præſcientia fundata in decreto præmovente dicit prædeſtinationem neceſſitantem : igitur ex hac parte cohærere non poteſt libertas cum decreto prædefiniente. Probatur antecedens dupliciter. Primo quidem quia decretum prædeſtinans præmovendo, etiam antecedenter ad actus voluntatis præviſos, eligit ; unde electio dicitur prædilectio, & ſecundum propoſitum. Secundo quia ille qui ſemel eſt prædeſtinatus, non poteſt reprobari, alias prædeſtinatio falli poſſet, quæ tamen infallibilis eſt.

Reſpondeo negando antecedens : jam oſtenſum eſt ſupra libertatem non lædi per prædeſtinationem ; Deus enim omnipotens ita eligit ut ſervet liberi arbitrii jura. Ad primam probationem diſtinguo, & Deus prædeſtinando vult voluntatem per innatam libertatem ſeipſam determinare ad actum in individuo, concedo ; & non vult, nego. Duo ſtatuit inconcuſſa principia D. Thomas, ut jam jam dictum eſt, primum quidem voluntatem humanam determinari neceſſario ad bonum generale, ſeu ad beatitudinem in genere ; nam cum bonum ſit ipſius objectum, nequit appetere malum quo malum : alterum vero eandem voluntatem ſemper eſſe liberam circa beatitudinem in particulari ; quidam enim illam ponit in divitiis, quidam in terrenis voluptatibus, quidam & ſapientiores, in Deo. Igitur homo eſt ſemper liber libertate actus, ſemper poteſt vel bonum vel malum eligere : poteſt agere vel non agere : Deus autem, inquit Auguſtinus, eſt præſcius voluntatis humanæ : igitur ita ſtatuit & ordinat omnia, ut maneat ſemper voluntas libera in actibus tum naturalibus, tum etiam ſupernaturalibus.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo ; qui ſemel eſt prædeſtinatus reprobari non poteſt in ſenſu compoſito, concedo : in ſenſu diviſo, nego. Prædeſtinatus poteſt conſiderari ſecundum ſe, poteſt etiam conſiderari ut perſeverat finaliter. Primo modo eſt ſenſus diviſus, & poteſt reprobari, quia poteſt peccare : juſtus v. g. qui a juſtitia excidit, deletur ad tempus de libro vitæ ; nam peccatum mortale occidit animam : iterum vero inſcribitur, quando reſurgit per pœnitentiam. Si vero prædeſtinatus conſideretur ut perſeverat finaliter in gratia, non poteſt ut ſic reprobari ; alias jungeret ſimul prædeſtinationem & reprobationem. Sed hoc neutiquam dicit neceſſitatem abſolutam & conſequentis, ſed ſolum neceſſitatem hypotheticam & conſequentiæ : ita ut ſenſus ſit, ſi prædeſtinatus in gratia perſeveret, reprobari non poteſt : ſolutio colligitur ex illa Sententia 1. Joan. 3. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare*. Quæ ver-

verba explicans D. Thomas in Comment. ,, ait : " Peccatum non facit , ſcilicet ,, mortale , quod eſt contrarium generationi ſpirituali . Et intelligendum eſt ,, cum reduplicatione , in quantum ſcilicet ex Deo natus eſt ; vel intelligendum eſt conjunctim quandiu natus , id ,, eſt nativitatis gratiam cuſtodit ..... ,, Et non poteſt peccare , quaſi dicat , ,, non ſolum non peccat , ſed non poteſt ,, peccare . Gloſ. Quandiu Verbum retinet , & intelligitur de potentia diſpoſita & propinqua , non remota . ,,

D. Bonaventura in 1. diſt. 47. art. 1. q. 1. egregie etiam iſtud ſolvit argumentum : quærens enim utrum voluntas beneplaciti Dei poſſit impediri ? Reſpondet : " Voluntatem abſolutam neceſſe eſſe impleri , conditionalem vero minime .... ſed attendendum quod eſt neceſſitas conſequentię , ſicut ſupra dictum ,, eſt de præſcientia ; ipſa enim non habet neceſſitatem conſequentis , ſed conſequentiæ , quia neceſſario infertur , ,, & ſequitur . Deus præſcit , ergo hoc ,, erit , ſed tantum non neceſſario præſcit , quia in actu præſciendi , frequenter notatur effectus contingens : ſic in ,, voluntate intelligendum eſt , quod voluntas Dei abſoluta connotat eventum ,, rei , & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ , ſed non conſequentis . ,,

Inſtabis : atqui videtur quod libertas humana non ſubſiſtat ſub dominio præſcientiæ , quæ innititur decreto prædeſtinante & præmovente : ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens . Prædeſtinatio eſt omnium gratiarum maxima , nempe præparatio mediorum quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur ex D. Auguſtino : ſed qui certiſſime liberantur , non poſſunt non liberari : igitur prædeſtinatus , poſita præſcientia innixa decreto præmovente , non poteſt in ullo ſenſu damnari .

Reſpondeo , negando ſequelam : ad probationem diſtinguo : prædeſtinatio eſt præparatio mediorum & a Deo & partim etiam a voluntate humana libere cooperante promanantium , concedo : eſt præparatio mediorum independenter a bonis operibus , nego . Verum quidem eſt eos liberari , quicumque liberantur : ſed unde iſta certitudo ? Profecto non a ſola gratia , ſed utique & a bonis operibus , juxta illud 2. Petr. 3. *Satagite ut per bona opera veſtra , certam veſtram vocationem & electionem faciatis* . Igitur nulla irrogatur injuria libertati humanæ per præſcientiam prædeſtinantem , & præmoventem ad bonum.

Iterum inſtabis : atqui voluntas humana non apparet libera ſub prædeſtinatione involvente certiſſimum exitus eventum ; ergo nulla ſolutio . Probatur antecedens . Prædeſtinatio innixa decreto præmovente antecedit omnem virtutis propriæ conatum , immo attingit omnia a fine uſque ad finem fortiter : igitur nulla ineſt homini libertas ſub præſcientia innixa decreto ; nec mirum , cum & ipſum antecedat voluntatis actum . Quid plura ? Antecedit ipſum cogitatum , ipſum velle , hæc quippe omnia ſunt a Deo qui , ut ait Apoſtolus , Philipp. 2. 13. *Operatur in vobis velle & perficere* : ergo , &c.

Reſpondeo negando antecedens ; certitudo enim exitus tria dicit : primum , ſeriem gratiarum quibus prædeſtinatus poſſit omnem propellere tentationem , concupiſcentiam compeſcere , & adimplere præcepta . Secundum , liberam prædeſtinati cooperationem ; tertium , præſcientiam qua Deus ſcit quid faciet , quid ipſa creatura operabitur , quæ quidem omnia recte cohærent cum libertate humana . Ad probationem diſtinguo : prædeſtinatio antecedit in æternitate voluntatis propriæ conatum , concedo , ſiquidem Deus præſcit ab æterno quæ eventura ſunt in tempore . Prædeſtinatio innixa decreto præmovente antecedit in executione , ſubdiſtinguo , antecedit per primam gratiam quæ eſt in nobis ſine nobis & quæ ſeminat in anima bonum cogitatum , bonumque velle , concedo : per gratiam efficacem , nego . Iſta enim gratia non antecedit prioritate temporis voluntatis actum , ſed ad ſummum prioritate naturæ , in quantum propter dependentiam creaturæ a gratia , prius concipimus Deum , ut primam cauſam , movere & applicare voluntatem creatam , quam ipſum liberum arbitrium agere . Sed & prima & ſecunda cauſa , ut dicit S. Bernardus ſupra laudatus , ſimul & eodem tempore agunt. Magiſter movet Diſcipuli manum ad ſcribendum , & Diſcipulus motus ſimul cum magiſtro & ad placitum ſcribit : non ergo aut cogitur aut neceſſita-

ceſſitatur : ita pariter nec creatura quæ per gratiam mota operatur bonum : ſicut igitur gratia præmovens non tollit ſed dat & adjuvat libertatem, tollendo potentialitatem, ita pariter nec prædeſtinatio innixa decreto præmovente, cum gratia ſit ipſius & virtus & efficacia.

Perſiſtes : atqui prædeſtinatio innixa decreto præmovente ita antecedit in executione voluntatis creatæ motum, ut ipſi non remaneat ulla indifferentia activa : ergo nec libertas. Probatur antecedens. Prædeſtinatio eſt independens a cooperatione voluntatis humanæ, primo quia eſt gratuita & ante præviſa merita. Secundo quia eſt magna & ſpecialiſſima gratia ; & unde ſpecialiſſima ? Niſi quia totum eſt a Deo per gratiam ; qua de cauſa prædeſtinati dicuntur prælecti & prædilecti.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo : prædeſtinatio eſt gratuita adæquate ſumpta, concedo : inadæquate conſiderata, negant multi, nec refragari videtur Divus Thomas. Prædeſtinatio adæquate ſumpta dicit Deum ex miſericordia vocantem & prædeſtinantem hominem, quem nec elevare ad finem ſupernaturalem, nec reparare, & conſequenter ad gloriam prædeſtinare tenebatur : dicit media infallibilia quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur, videlicet primam gratiam & ipſam perſeverantiam finalem ; quæ quidem omnia nec dependent a nobis, nec cadunt ſub meritum : inadæquate vero ſpectata dicit bona opera juxta illud 2. Petr. 2. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* : bona autem opera procedunt ab homine libere operante ; igitur præſcientia prædeſtinans nullo modo libertati nocet.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo. Prædeſtinatio eſt gratia ſpecialiſſima & ex parte Dei qui non tenetur dare ſua bona, quia nihil debet homini ; & ratione gratiæ tum prævenientis ſine qua homo nequidem cogitare bonum ſalutis haberet, tum finalis, cujus ſecluſo auxilio potentiſſimo, nullus unquam ſuam conſequeretur ſalutem, concedo : eſt gratia ſpecialiſſima ita ut tollat liberum arbitrium, nego. Prædeſtinatio radicaliter a Deo dependet, quatenus ad ipſum ſolum pertinet eligere ; immo eſt omnium gratiarum maxima, cur enim unus trahatur & alter relinquatur : *O altitudo divitiarum*, inquit Apoſtolus, *quis novit ſenſum Domini* ? Prima gratia, a qua inchoatur prædeſtinatio, eſt in nobis ſine nobis : perſeverantia finalis excedit omne meritum. Sed hæc omnia non nocent, immo potius adjuvant voluntatem ad agendum libere. Omnibus datur gratia ſufficiens ad ſalutem, omnibus licitum eſt non reſiſtere, qui vero non obnititur, habet gratiam efficacem qua bonum operatur ; ſcriptum eſt enim, regnum cœlorum iis, qui in bonis exercentur operibus, donari juxta illud Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*.

Adhuc inſtabis : atqui prædeſtinatio ita eſt independens, ut tollat libertatem. Ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens: qui non eſt prædeſtinatus, ſalvari non poteſt : igitur prædeſtinatio tollit libertatem. Probatur antecedens : ſi poſſet prædeſtinatus non ſalvari, jam prædeſtinatio non eſſet gratia ſpecialis, quippe quæ foret omnibus communis : rurſus prædeſtinatus reprobari nequit ; alias ſi poteſt, cum poſſibili poſito in actu non ſequatur abſurdum, ſuppoſito quod de facto prædeſtinatus non ſalvaretur, jam ex hac parte prædeſtinatio non eſſet gratia ſpecialiſſima.

Reſpondeo, negando ſubſumptum : ad primam probationem diſtinguo : qui non eſt prædeſtinatus, ſalvari non poteſt, eo quod male vivat, concedo : præciſe quia non eſt prædeſtinatus, ſubdiſtinguo : non poteſt ſalvari potentia conſequentiæ & hypothetica, concedo : potentia conſequentis & abſoluta, nego. Non eſt de fide prædeſtinationem eſſe ante præviſa merita, bene vero eum qui bene vivit & perſeveravit in bono, ſalvari. Igitur duplex potentia diſtinguenda eſt, altera conditionata & conſequentiæ, quæque reducitur ad actum, poſita conditione ; altera abſoluta & conſequentis, & eſt ea quæ conjungitur cum actu independenter a quocumque. Verum eſt omnem hominem ſalvari poſſe ; ſed ſuppoſito quod præcepta tranſgrediatur, nec velit aliter facere, ſequitur & eſt conſequentia, non præciſe quod non poſſit ſalvari, ſed quod hæc faciens, non ſalvabitur. Et in hoc tantum ſenſu dicitur, qui non eſt præ-

Digitized by Google

prædeſtinatus ſalvari haud valet, ſeu potius non ſalvabitur, immo ideo non eſt prædeſtinatus, quia renuit intelligere ut bene ageret. Potentia conſequentis abſoluta nuncupatur, eo quod procedat a cauſa ſuperiori omnem antecedente voluntatis conatum, atque virtutem, a cauſa impellente ad quod vult & quidem neceſſario. Certe hujuſmodi potentia non admittitur in prædeſtinatione niſi ab hæreticis blaſphemantibus.

Quod autem non inducatur neceſſitas voluntati creatæ a praſcientia prædeſtinante, dicit & propugnat Divus Thomas hic 1. p. q. 19. art. 8. ubi ſibi objiciens illud Auguſtini: " Nullus fit ſalvus niſi quem Deus voluerit ſalvari, & ideo rogandus eſt ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit. „ Reſpondet, per illud verbum Auguſtini: " Intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis a Deo, non abſoluta, ſed conditionalis; neceſſe eſt enim hanc conditionem veram eſſe, ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe. „ Et ad 3. " Ea quæ fiunt a voluntate divina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam, vel conditionalem tantum, & ſic non omnia ſunt neceſſaria abſolute. „ Et iterum in 1. ſent. diſt. 47. q. 1. art. 1. ad 2. " Quamvis voluntas Dei ſit immutabilis & invincibilis, tamen ſequitur quod omnis effectus ejus ſit neceſſarius, non neceſſitate abſoluta, ſed ſolum conditionata. „

Ad ſecundam probationem diximus in quo ſenſu prædeſtinatio eſt gratia ſpecialis, immo ſpecialiſſima, nempe propter tria: quia procedit 1. a Deo miſerente qui hominem e maſſa perditionis miſericorditer educit: 2. a gratiarum longa ſerie quæ ſunt neceſſariæ, tum ad propellendas tentationes, tum ad præcepta adimplenda uſque ad finem: 3. a perſeverantia finali quæ jungit mortem cum gratia. Denique dictum eſt etiam prædeſtinatum poſſe non ſalvari in ſenſu diviſo, minime vero in ſenſu compoſito. Ad id quod ſubditur, poſſibili poſito in actu non ſequitur abſurdum, diſtinguo: poſito in actu eo modo quo eſt poſſibile, concedo: alio, nego. In ſenſu diviſo prædeſtinatus poteſt non ſalvari, ideſt, homo ſecundum ſe poteſt peccare, & reprobari: ſed non in ſenſu compoſito, hoc eſt, ſi ad finem uſque bene vivat, ſi ſervet mandata, ſi perſeveret finaliter in bono, certe reprobari ut ſic non poteſt, hoc enim implicare nemo non videt. D. Thomas hanc ſibi proponit difficultatem l. 2. q. 10. art. 4. & illam ſic ſolvit: " Ad tertium dicendum quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt, τὸ poni, quod voluntas ad illud non moveatur: non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter; unde non ſequitur, quod voluntas a Deo ex neceſſitate moveatur. „

SECTIO OCTAVA.

Fuſius explicatur concordia libertatis creaturæ rationalis cum decretis præmoventibus.

MULTA prius ad intelligentiam & reſolutionem difficultatum obſervanda ſunt, quibus debite ponderatis, cito apparebit perfecta libertatis concordia cum decretis præmoventibus, quæ propugnant Thomiſtæ.

Primo concurſus in genere definitur adjutorium primæ cauſæ reſpectu ſecundæ. Alius eſt moralis, alius phyſicus. Moralis ille eſt qui movet excitando, ſuadendo, alliciendo vel per ſimplicem objecti propoſitionem, & præſentiam unde vulgo dicitur objectum movet potentiam; vel per verba & rationes quæ mentem flectunt ad aliquid proſequendum & amandum, vel per interiorem illuminationem, puta quando Deus aliquid animæ aperit & revelat quod erat antea penitus abſconditum. Phyſicus vero concurſus ille cenſetur qui applicat phyſice animam ad actum vitalem ſeu phyſicum, verius dicam ad id quod eſt phyſicum in actu. Et vero duo ſunt diſtinguenda in actu morali, nempe materiale & formale: materiale eſt id quod eſt ens in actu, quod eſt reale, quod vitale & phyſicum: formale vero eſt idem actus, quatenus eſt tendentia in objectum conſonum vel diſſonum regulis morum.

Secundo: concurſus duplex iterum diſtinguitur; unus ſcilicet mediatus, alter vero immediatus. Mediatus eſt ille quo prima cauſa adjuvat cauſam ſecundam ad agendum, puta mediante virtute, quam cui-

Digitized by Google

cuilibet conceſſit creaturæ in ipſo creationis exordio, juxta illud Evang. Luc. 21. 29. *Videte ficulneam & omnes arbores cum jam producunt ex ſe fructum*; vel etiam mediante objecto, ſi ſit ſermo de motione dumtaxat morali. Immediatus vero dicitur ille quo Deus immediate agit in creaturis; qui quidem concurſus ſe tenet & ex parte cauſę ſecundæ quę adjuvatur ad operandum, & ex parte effectus qui producitur: reſpectu creaturæ agentis eſt intrinſecus, at vero ſolum extrinſecus reſpectu effectus producendi.

Tertio: concurſus immediatus etiam duplex eſt, alter ſcilicet prævius, alter vero ſimultaneus: prævius, qui prius prioritate naturæ applicat cauſam ſecundam ad agendum; ſimultaneus, qui ſimul cum cauſa ſecunda producit effectum. Primus dicitur prævius non prioritate quidem temporis, ſed tantum naturæ, & merito; licet enim, v. g. Magiſter ſimul cum Tyrone ſcribat, prius tamen propter dependentiam iſtius a ſe dicitur prius ſcribere. Nec mirum, prius eſt enim manum Tyronis moveri & dirigi, quam ſeipſam movere & ſcribere. Eo prope modo prius concipitur primum movens agere quam ſecundum; primum quippe movet ſecundum, non autem iſtud primum. Jam vero concurſus prævius moralis ille appellatur qui movet moraliter, ſuadendo nimirum & excitando: phyſicus vero qui applicat potentiam ad actum. Idem proportionaliter dicendum de ſimultaneo. Unum tantum advertendum eſt, concurſum ſcilicet ſimultaneum ſe tenere ex parte effectus, extrinſecum vero eſſe reſpectu cauſæ ſecundæ operantis; ut videre eſt in duobus, v. g. equis rhedam eandem trahentibus: unuſquiſque trahit, nullus vero alteri addit vires ut trahat, hinc ſi unus deficit, hæret alter nec amplius trahit.

Quarto: ſemper eſt præmotio moralis, ſemper & phyſica pro actu morali: quia in actu morali, puta in actu amoris Dei, duæ reperiuntur rationes, nempe ratio moralitatis, quæ conſiſtit in conformitate cum regulis morum, deinde ratio phyſica; nam actus eſt ens & quid vitale. Actus igitur ſecundum rationem puri entis conſiderati eſt quid materiale & indifferens ad bonum vel malum; amor enim, v. g. poteſt terminari ad bonum, vel malum finem; ſi fiat propter Deum & ea intentione ut glorificetur Deus, eſt bonus, ſi vero terminetur ad objectum diſſonum regulis morum, eſt malus. Igitur antequam aliquis eliciat actum bonum, prius proponitur illi objectum & finis ſub duplici facie, v. g. actus amoris proponitur ſub ratione boni pro ſalute: quia vero amor ille exigit obſervationem legis cruciantis naturam, ſub hoc reſpectu apparet ut quoddam malum; hinc ſequitur libera electio & meritum vel demeritum; hinc utique infertur præmotionem phyſicam ſubſequi determinationem voluntatis moralem, quæ ratione ducta, eligit bonum: infertur, in quam: prius enim eſt voluntatem eligere bonum quam illud facere. Sequitur denique premotionem phyſicam attingere actum moralem ſolummodo ſecundum materiale & ut eſt ens; præmotionem vero moralem attingere actum formaliter ſumptum; nec mirum, effectus & cauſa debent eſſe ejuſdem ordinis: agitur hic actu formaliter morali; ergo cauſa ejus formaliter ſumpta eſt motio moralis, ſiquidem ſuam ab ea ſortitur effectus naturam.

Dices: moralitas actus boni eſt quid poſitivum: igitur eſt a præmotione phyſica Dei; namque ſolum peccatum eatenus attingitur ſecundum materiale a præmotione, quatenus malum habet tantummodo cauſam deficientem.

Reſpondeo moralitatem actus boni eſſe etiam a præmotione phyſica, ſed tantum ſecundario, & quia imbibitur in actu phyſico in quo ſubjectatur: moralitas illa eſt quid poſitivum, ſed relativum & non phyſicum ſeu abſolutum; unde motio moralis per ſe primo influit in eum. In malum vero Deus neque moraliter neque phyſice influit, nequidem ſecundario & indirecte.

Quinto: cum nihil fiat in tempore, niſi Deus velit, & ab æterno voluerit atque ordinaverit, eſt enim prima omnium cauſa, ideo ſecundum varios effectus diſtinguimus multas in Deo voluntates ſeu volitionis actus, quos & decreta vocant Theologi, ſeu propoſita, aut etiam beneplacita, de quibus meminit S. Paulus in ſuis Epiſtolis; non quod plures ſint in Deo voluntatis actus, cum unico actu, Deus velit omnia; ſed ille actus dicitur virtualiter multiplex, eo quod ęquivaleat pluribus actibus voluntatis creatæ: cum igitur divina ad modum rerum creatarum pro modulo noſtro concipiamus, ideo

ideo ſicut alio voluntatis actu volumus bonum amici, alio punitionem inimici: ita pariter varios diſtinguimus in Deo voluntatis actus, ſeu decreta. Tria impræſentiarum diſtinguimus decreta, unum generaliſſimum, alterum ſpeciale, tertium ſpecialiſſimum, quæque vocantur præmoventia, quatenus procedunt a prima cauſa a qua ſecunda præmoveri debet ad agendum & moraliter & phyſice: ſiquidem eſt in potentia, adeoque debet reduci ad actum per id quod eſt ſemper in actu; ſolus autem Deus eſt ſemper in actu moraliter & phyſice ad agendum: igitur creatura debet ab ipſo præmoveri tum moraliter, tum phyſice ad actum. Jam vero decretum generaliſſimum illud eſt, quo Deus ab æterno ſtatuit præmovere cauſas ſecundas ad hoc ut tranſeant de potentia ad actum, ſeu ad excitandam earum virtutem, ut motæ ſeipſas poſtea moveant ad actum per deliberationem rationis & conformiter ſuæ naturæ. Decretum ſpeciale illud cenſetur quo Deus vult ſpecialiter movere creaturam ad actus ſupernaturales, quæ virtutis naturalis conatum excedunt, ut ſic motæ ad bonum ſupernaturale ſeipſas deinque moveant ad actum in individuo. Decretum denique præmovens ſpecialiſſimum illud vocatur, quo anima ultra modum ordinarium movetur a Deo ut in raptu & inſtinctu prophetico, a decretis autem promanant diverſæ præmotiones quæ ſunt omnipotentiſſimæ Dei voluntatis effectus.

Sexto duplex eſt ordo; alter naturalis, alter vero ſupernaturalis: in primo conſiderantur actiones quæ connaturaliter fluunt a natura; in ſecundo, aliæ quæ excedunt naturæ virtutem, quæque a gratia adjuvante procedunt: diximus autem creaturam rationalem moveri moraliter & phyſice ad actum moralem atque deliberatum; de illo quippe ſolum hic agimus. Quamobrem quæſtio præſens non movetur de actibus primo primis & indeliberatis: in his enim voluntas movetur & non ſe movet ſaltem libere; neque de raptu & inſtinctu prophetico, hoc enim eſt myſterium altiſſimum, quod quidem nemo ſcit, niſi qui accipit.

In ordine igitur naturali, Deus præmovet cauſam ſecundam ut excitet ipſius virtutem ad agendum. Etiam creatura præmovetur moraliter ab objecto, immo ſeipſam ultimate applicat ad actum, illumque elicit. Igitur pro ordine naturali hæc eſt ordinatio cauſarum: 1. creatura præmovetur phyſice ut virtus ejus motrix excitetur & ipſa tollatur potentialitas. 2. Præmovetur ab objecto alliciente. 3. Seipſam determinat moraliter videlicet per deliberationem rationis ad actum & quoad ſpecificationem & quoad individuationem ſeu in individuo: quoad ſpecificationem quidem, quia bonum morale ordinis naturalis eſt ipſi proportionatum, unde virtute propria atque innata illud reſpicit: quoad individuationem vero in quantum ratione libertatis poteſt ponere actum vel non ponere: agere, vel non agere. 4. Denique voluntas determinata ad agendum præmovetur phyſice ad actum quem ipſa prius elegit, adeoque ſuę conformiter naturę a Deo: ipſa vero phyſice pręmota ſeipſam utique phyſice applicat ad actum & illum elicit. Cæterum præmotio phyſica prima, eaque generalis quæ creaturæ inertem excitat virtutem, abſolute loquendo ſufficit in iſto ordine, nec ulterior requiritur ad actum hic & nunc eliciendum, ſiquidem voluntas ſemel mota & excitata ſe ſola eum poteſt elicere; quia actus nec ejus vires excedit, nec extra naturæ ordinem eſt.

In ordine ſupernaturali movetur voluntas ſpecialiter a Deo, nimirum quoad ſpecificationem: cum enim non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quod ſalutem ſpectet, tanquam ex nobis; Deus intuitu meritorum Chriſti, omnibus dat gratiam prævenientem, quæ movet voluntatem moraliter & phyſice ad bonum ſalutis; ab ipſa ſiquidem oriuntur illuminationes, ab eadem fluunt inſpirationes & inclinationes ad bonum: ipſa inchoat actum converſionis in peccatore, eadem movet & inclinat, modo ad eleemoſynam pro ſatisfactione peccatorum elargiendam, modo ad actum contritionis eliciendum; unde illuminationes & piæ motiones ab ipſa fluentes dicuntur a ſanctis Patribus ſemina virtutum.

Dixi Deum præmovere per gratiam excitantem voluntates ad bonum, quia nos prævenit ut cogitemus de bono ſalutis & ad illud nos inclinat. Dixi præmovere moraliter, quia hęc gratia tota eſt ad actus morales & ſalutis. Dixi præmovere phyſice, quia vere & realiter ſtimulat poten-

tentiam ad actum vitalem, & phyſicum eliciendum & dat potentiam agendi proximam. Voluntas vero humana ſic mota videt & contemplatur bonum ſalutis propoſitum, & quidem ſub duplici facie, nempe ut bonum pro ſpiritu, deinde ut quoddam malum reſpectu carnis quæ mortificationem odit & abhorret. Quod explicat Apoſtolus Rom. 7. 22. his verbis: *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Deinde intellectus pronuntiat judicium, ſi non reſiſtit gratiæ prævenienti, voluntas gratiam uberiorem obtinet & ſic adjuta eligit bonum per deliberationem rationis & ad illud ſe determinat in individuo: ut primum ſeipſam determinavit, præmovetur phyſice a Deo ad actum phyſice eliciendum, ipſa vero ſic præmota, prævia ſua propria electione, elicit actum phyſice. Eſt igitur in ordine ſupernaturali hæc motionum tum Dei, tum creaturæ ſeries. 1. Voluntas prævenitur a gratia ſufficiente qua movetur phyſice & moraliter, ſed inchoative ad bonum, & quidem ſpecialiter, tum quia movetur ad bonum ſalutis proprias excedens vires, tum quia movetur ad tale bonum, puta ad contritionem, ad amandum Deum, &c. 2. Illuminata per gratiam & mota ſeu inclinata ad bonum, ſi fidelis & non reſiſtat primæ gratiæ, novam, eamque uberiorem oblatam recipit, qua mediante, ſeipſam determinat per deliberationem rationis ad bonum faciendum. 3. Poſtquam ſeipſam determinavit, præmovetur phyſice & applicatur ad actum ad quem præmota ſeipſam ſimul applicat, & elicit illum.

Hæc doctrina eſt D. Thomæ & cito apparebit quanta ſit ſecundum tanti Doctoris mentem decretorum præmoventium ſuavitas; quanta ſit inter ea & libertatem atque ſanctitatem concordia, 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. ſic loquitur: "Dicendum quod Deus movet voluntatem hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud; quod eſt vere bonum vel apparens bonum: ſed tamen interdum Deus ſpecialiter movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum: ſicut in his quos movet per gratiam." Multa paucis explicat. Deus movet ad univerſale bonum objectum voluntatis; ecce præmotio phyſica pro ordine naturali: homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud bonum; ecce determinatio quoad ſpecificationem ab ipſa voluntate creata promanans. Nec alia, ut dictum eſt, abſolute requiritur præmotio ad actum ponendum; cum voluntas mota poſſit ſeipſam applicare ad actum; quod quidem innuit Divus Thomas tum loco mox citato, tum in 2. ſent. diſt. 39. q. 1. his verbis: "Sed quod determinatio exeat in hunc vel iſtum actum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate." Si vero admittatur præmotio nova phyſica ad actum phyſicum in individuo, ſequitur ſolum ad determinationem moralem voluntatis quæ prius ſe determinavit moraliter per deliberationem rationis, unde nihil officit libertati, quod utique fundamentum habet in D. Thoma qui ubique dicit & præcipue 1. 2. q. 10. art. 4. Deum movere creaturas conformiter earum naturæ; neceſſarias quidem neceſſario; liberas vero libere. Denique 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. dicit: "Sed tamen interdum dum Deus ſpecialiter movet aliquos ad aliquid determinate volendum, ſicut in his qnos movet per gratiam." Ecce præmotio ſpecialis qua voluntas movetur ad bonum ſalutis.

Jam ſalvatur libertas indifferentiæ ſub dominio præmotionis phyſicæ tam in ordine naturali quam ſupernaturali; in ordine quidem naturali, quia voluntas præmota ad bonum univerſale, ſeipſam poſtea determinat ad tale bonum verum, vel apparens, & de ſe exit in actum: in ordine vero ſupernaturali, quia præventa & adjuta a gratia ſeipſam determinat ad actum in individuo ad agendum vel non agendum: nec applicatur ad actum niſi prius ad eum per deliberationem rationis ſe determiuaverit, unde & gratiæ prævenienti poteſt reſiſtere: & mota per gratiam efficacem poteſt utique reſiſtere; quamvis enim efficaciter mota, non tamen elicit actum niſi etiam phyſice ſeipſam moveat & determinet ad illum.

Jam ſalvatur libertas cum gratia etiam per ſe efficaci, quatenus voluntas non applicatur ad actum, niſi prius ſeipſam determinaverit per deliberationem rationis ele-

elevatæ, niſi elegerit actum in individuo ponendum; præmotio quippe phyſica ad hanc ſequitur deliberationem, illamque ſupponit, unde proprie & in rigore vel etiam ſincere loquendo, non eſt prædeterminatio ſed ſolum præmotio; & in hoc profecto ſenſu non perimit, ſed potius adjuvat libertatem. Etvero eatenus ex D. Thoma Deus creaturam rationalem movet conformiter ejus naturæ & exigentiæ, quatenus illam non applicat ad actum niſi prævia rationis deliberatione, ita ut voluntas creata poſſit ipſi reſiſtere præmotioni: ſic pronuntiavit, ſic docuit, ſic definivit Concilium Tridentinum dicens ſeſſ. 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum excitatum ... neque poſſe diſſentire, ſi velit ... anathema ſit.*

Jam ſalvatur libertas cum praeſcientia Dei, quia Deus præſcit quomodo voluntas præventa per gratiam ſe determinatura ſit moraliter ad hunc vel illum actum, & præmovet illam phyſice, ſeu applicat ad actum quem ipſa prius elegit per deliberationem rationis.

Jam ſalvatur libertas cum decretis præmoventibus. Et certe, licet Deus ſtatuat præmovere voluntatem ad bonum univerſale, quod eſt ejus objectum, ipſa tamen ſeipſam determinat per deliberationem rationis ad hoc vel illud bonum, ad actum vel non actum. Si vero ſermo ſit de ordine ſupernaturali, præmovetur quidem voluntas per gratiam ad hoc bonum in particulari, puta ad actum contritionis, ſed ad illum ponendum ſeipſam per deliberationem rationis determinat, nec applicatur phyſice ad actum in individuo, niſi bonum prius elegerit.

Jam ſalvatur libertas indifferentiæ cum ipſa prædeſtinatione. Etenim prædeſtinatio vel eſt poſt præviſa merita, vel ante: ſi primum, manifeſtum eſt prædeſtinationem ſupponere libertatem, quia ſupponit actus liberos & meritorios ad quos ſequitur, quippe quæ fiat ex præviſione meritorum; ſi ſecundum, utique permanet libertas: licet enim prædeſtinatio ſit ante præviſa merita, Deus tamen non excludit a regno aliquem niſi ex præſcientia peccati & reſiſtentiæ peccatoris, quem ſcit futurum ſuæ gratiæ rebellem: eſto quod non prædeſtinet ex præviſione meritorum, bene tamen ex præviſione obedientiæ peccatoris qui gratiam primam non rejiciet a qua incipiet habere meritum, præſcit quod voluntas præmota, ultro ſe determinabit ad bonum etiam in individuo. Ita paſſim Auguſtinus, ſed maxime l. 3. de lib. arb. c. 3. ubi de Deo præfiniente ſic loquitur: " Cum enim ſit „ præſcius voluntatis noſtræ, cujus eſt „ præſcius, ipſa erit. „

Jam ſalvatur ſanctitas Dei, quia præmotio non attingit niſi materiale peccati & quod eſt ens. Præterea præmotio ad actum in individuo ſequitur ſolum ad deliberationem rationis.

Dices. Hoc poſito non eſt præmotio, quia non præcedit.

Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem dico præmotionem ad bonum univerſale antecedere determinationem voluntatis, iſtam vero antecedere applicationem phyſicam ad actum in individuo: & hoc in ordine naturali. In ſupernaturali vero præmotionem ad tale bonum priorem eſſe determinatione voluntatis: electionem vero eſſe priorem ipſa applicatione phyſica ad actum in individuo, unde dicimus gratiam efficacem conſiſtere in præmotione morali ſimul & phyſica, quia actus ad quem datur, eſt ſimul moralis & phyſicus: moralis formaliter, phyſicus materialiter & quatenus eſt ens. Notio moralis gratiæ eſt prior determinatione voluntatis: determinatio vero moralis voluntatis antecedit præmotionem phyſicam, ſiquidem Deus movet phyſice creaturam rationalem conformiter ejus naturæ, ſuppoſito ſcilicet quod prius elegerit bonum, & ad illud adjuta a gratia ſeipſam determinaverit: ſed præmotio phyſica ſubſequens ad deliberationem voluntatis, eſt prior prioritate naturæ applicatione phyſica & actuali voluntatis ad agendum, quia prius eſt voluntatem moveri & applicari per gratiam ad bonum, quam bonum operari & eligere actum. Igitur ubique & per omnia eſt dependentia creaturæ a Creatore; ubique & per omnia libertas: quia ubique ſeipſam voluntas movet & determinat ad agendum, nec applicatur ad actum niſi hunc prius & voluerit & elegerit. Igitur præmotio phyſica non perimit, ſed adjuvat voluntatem, tollendo ipſius ad agendum poten-

potentialitatem ut actu agat. Cæterum, ſi ſint qui durius circa hoc momentum ſcripſerint, relictis, ſoli Angelo Scholæ, cujus genuinam expoſuimus mentem, adhærere gloriamur.

Diluuntur Objectiones.

OBJICIES 1. Requiritur præmotio ut voluntas conſentiat & eligat bonum: igitur redit difficultas.

Reſpondeo diſtinguendo: præmotio moralis, concedo: phyſica, ſubdiſtinguo, generalis, concedo: ſpecialis, iterum ſubdiſtinguo, ad conſenſum per actum poſitivum expreſſum, concedo: ad conſenſum ut ſic, nego. Duo ſunt diſtinguenda, ſcilicet, non reſiſtere gratiæ; hic conſenſus eſt partim poſitivus, partim negativus, & eſt veluti præparatio ad actum; deinde conſentire eliciendo actum, & hic dicitur ex omni parte & ſimpliciter poſitivus. Ad primum profecto ſufficit præmotio phyſica generalis ſupernaturalis quæ comitatur moralem, quia hic ſolum inchoatur & gratia efficax & quodammodo effectus producendus: ad ſecundum requiritur præmotio ſpecialis & phyſica & moralis uberrima, ita tamen quod iſta antecedat primam & ſit ad formale actus, ſuppoſita deliberatione, phyſica vero ſit tantummodo ad materiale & ad id quod eſt ens & phyſicum in actu. Solutio colligitur ex Bellarmino l. 4. de gratia & lib. arb. c. 16.

Inſtabis: Thomiſtæ tum veteres, tum recentiores contendunt præmotionem phyſicam ſe extendere non ſolum ad materiale, ſed & formale actus; immo attingere omnes ejus rationes tum genericas, tum ſpecificas, tum etiam individuales: atqui nullus D. Thomæ mentem melius, quam illi, aſſecutus eſt: igitur eſt a ſenſu tanti Doctoris prorſus alienum reſtringere præmotionem phyſicam ad materiale actus.

Reſpondeo 1. ut ſupra, nos ad mentem Divi Thomæ ſolummodo attendere: quinam vero aut melius, aut ſuavius attingant, liquet profecto eos eſſe qui præmotionem admittunt, ſalvo tum libertatis humanæ, tum ſanctitatis Dei jure. Certe modus allatus plurimum eſt D. Thomæ ſententiæ conſonus, quandoquidem eſt ſenſus ejus verborum obvius, germana vero Tridentini mens, cui etiam indirecte refragari, nefas foret. Cæterum alii Theologi, immo & ſeverioris doctrinæ de gratia per ſe efficaci defenſores vel illam ut duriorem abnuunt, vel cogitatu incomprehenſibilem reputant, ne dicam etiam irrident.

Reſpondeo 2. Thomiſtas propugnare Deum concurrere ad materiale actus peccaminoſi, nuſquam vero ad formale: ea innixos ratione quod peccatum reduplicative ut peccatum, ſit privatio, habeatque cauſam deficientem, non vero efficientem, niſi quatenus ens eſt, & formalis malitiæ ſubjectum: ſi igitur ratio diverſa in eodem actu occurrens actu diverſificat cauſarum influxum, pari & non abſimili jure dicere poſſumus, præmotionem moralem attingere in actu quod morale eſt: phyſicam vero id quod ens & materiale. Sermonem juvat iterum convertere ad eoſdem Theologos. Si profecto, ut in eodem peccati ſiſtamus exemplo, docent influxum creaturæ peccantis præcedere in genere cauſæ formalis motionem Dei ad actum peccati ut ens eſt, maxime vero quia materiale eſt id quod minus principale cenſetur, ideoque ordine poſterius: igitur non abs re ſane erit pronuntiare, præmotionem moralem antecedere præmotionem phyſicam in actu ſupernaturali; cum illa ſit pro formali, iſta vero pro materiali.

Reſpondeo 3. Ex his colligi nullam eſſe implicantiam, nullumque jus lædi, propugnando Deum præmovere tantum moraliter ad actum ſupernaturalem, ut moralem, realiter tamen, quia non aliam ſub iſto reſpectu exigit cauſam niſi moralem; præmovere vero phyſice ad eumdem actum tantummodo ut ens eſt. Nec mirum, cum præmotio phyſica neque ſit illuminatio neque inſpiratio. Qua ratione enim conciperetur influere in actum moralem ut moralem, cum omnis Dei influxus per gratiam deſignetur tum a Scriptura, tum a Conciliis per illuminationem & inſpirationem, juxta illud Pſal. 33. *Accedite ad eum & illuminamini & facies veſtræ non confundentur.* Rurſus Eccli. 4. 12. *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe, & præibit in via juſtitiæ.* Tridentinum ſimilem tradit gratiæ actualis notionem ſeſſ. 6. c. 5. his verbis: *Tangente*, inquit, Deo

Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem. Ita paſſim B. Auguſtinus qui eandem gratiam vocat modo illuminationem, modo inſpirationem, quandoque etiam delectationem, nunquam vero præmotionem phyſicam, illam ſaltem, quæ neque ſit illuminatio, neque inſpiratio.

Reſpondeo 4. Thomiſtas Theologos ante Banneſium docuiſſe Deum ita præmovere creaturas, ut voluntas humana maneret ſemper ſui actus domina, ita ut nunquam foret ad unum determinata, ſed poſſet pro libito ponere actum vel non ponere: quæ quidem doctrina eſt D. Thomæ, immo omnis alia a mente S. Doctoris prorſus aliena eſt, ſic enim loquitur q. de creatione art. 7. ad 12. de voluntate humana a Deo mota. “ Deus voluntati hominis dedit dominium ſui actus ,, ut non eſſet obligata ad alteram partem ,, contradictionis. ,, Quod quidem probat illo Scripturæ teſtimonio: “ Derelinquit ,, Deus hominem in manu conſilii ſui. ,, Ibidem ſubdit: “ Et ideo determinatio ,, actus relinquitur in poteſtate rationis ,, & voluntatis. ,, In 2. ſent. diſt. 25. q. 1. art. 1. “ Deus operatur in omnibus, ,, ita tamen quod in unoquoque ſecundum ,, ejus naturam. ,, S. Doctor ubique & ſemper aſſerit Deum quidem movere cauſas neceſſarias neceſſario, liberas vero libere: igitur eſt contra D. Thomæ mentem dicere & docere præmotionem determinare cauſam ſecundam ad unum abſque ipſius creaturæ prævia & libera deliberatione ſeu electione. Etvero ſi ſemel quis admittat voluntatem humanam ad actum in individuo a præmotione phyſica determinatam, jam non expectatur ulterius hominis determinatio, cum omnia ex parte actus tum primi, tum ſecundi independenter ab ea adſint, & ſic nullus relinqueretur & electioni & libertati locus, quod eſt abſurdum. Unde S. Doctor l. 1. contra Gent. c. 68. loquens de motione Dei ait: “ Per quod in ejus poteſtate, (ſcilicet ,, voluntatis humanæ) eſt velle & nolle, non excludit influentiam ſuperioris ,, cauſæ, a qua eſt ei eſſe & operari. ,, Rurſus in 1. ſent. diſt. 39. q. 1. art. “ Deus non ita agit in voluntate ut eam ,, determinet ad unum. ,, Et iterum 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. “ Homo eſt do- ,, minus ſuorum actuum volendi & non volendi, propter deliberationem rationis, ,, quæ poteſt flecti ad unam partem vel ,, aliam. ,, Et adhuc. q. 3. de potentia quæ eſt de creatione art. 7. ad. 13. ſic loquitur: “ Cauſa prima non ita agit in ,, voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum ,, determinet, ſicut determinat naturam, ,, & ideo determinatio actus relinquitur ,, in poteſtate rationis & voluntatis. ,,

Ex his omnibus conſtat, principia D. Thomæ ſecnudum ſolutionem datam inconcuſſa manere. Etvero Deus eſt prima cauſa movens & moraliter & phyſice ſecundam; moraliter quidem ad formale actus moralis; phyſice vero ad materiale, ſeu ad id quod eſt ens abſolutum in actu; præmotionem moralem gratiæ non ſemel vocat illuminationem & excitationem, phyſicam vero qualitatem vitalem & incompletam, quam quidem comparat modo coloribus in aeris medio ſparſis & diſſeminatis; modo etiam virtuti impreſſæ ab artifice in inſtrumento. Præmotio ſic explicata, cuncta libertatis humanæ & ſanctitatis divinæ jura mirum in modum conſervat. Hinc R. P. Daniel in ſuo Tractatu de Gratia Efficaci Tom. II. a pagina 217. uſque ad 249. edit. Par. 1706. non modo illam non abhorret, ſed ut genuinam D. Thomæ mentem, verumque fœtum agnoſcit, quod clariſſimis & ſolidiſſimis ratiociniis explanat; ea quidem conditione ut voluntas ſeipſam determinet ad actum in individuo. Nos quidem addimus inſuper præmotionem phyſicam, ſed quæ ſe habeat ſolum materialiter, & in hoc medio apparet veritas ſententiæ Thomiſtarum quæ ex variis ſcriptorum irradiationibus & explicationibus clare aſſulget.

Dices ex D. Thoma: etſi voluntas ſe determinet per deliberationem rationis, hoc habet per aliam deliberationem præcedentem; ſcilicet primæ cauſæ: unde Thomiſtæ recentiores non dicunt determinari ad unum ſine potentia ad oppoſitum, ſed per deliberationem præcedentem, cui voluntas poteſt reſiſtere & ſic ſalvant libertatem. Ecce verba D. Thomæ qui 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. ſic loquitur de homine: “ Sed quod deliberet ,, vel non deliberet hujuſmodi etiam ſi ſit ,, dominus, oportet quod hoc ſit per de- ,, liberationem præcedentem & cum hoc ,, non procedat in infinitum, oportet quod ,, finaliter deveniatur ad hoc quod libe-

,, rum

Digitized by Google

„ rum hominis arbitrium ab aliquo exteriori principio quod eſt ſupra mentem humanam. „ Quibus verbis docet D. Thomas hominem quidem ſeipſum per deliberationem determinare ad actum, ſed per deliberationem præcedentem & procedentem a cauſa prima. Igitur voluntas determinatur etiam ad actum in individuo per motum primæ cauſæ.

Reſpondeo recentiores Thomiſtas totis viribus, totoque mentis affectu prædicare & defendere libertatem, quæ formaliter conſiſtit in indifferentia activa ad oppoſitum, & ut dicit D. Thomas ad alterutram partem: ſed videtur quod non ſatis hæc indifferentia ſalvetur, ſi voluntas determinetur ad actum in individuo per primam cauſam, in hac ſiquidem hypotheſi non ſeipſam determinaret voluntas, tum quia hoc inutile foret, cum jam eſſet per præmotionem determinata: tum quia non poſſet ſe determinare, cum poſita præmotione, jam ſit actus; tum quia paſſive ſe haberet, aut ſaltem neceſſario ſeſe determinaret ad actum, quandoquidem abſolute ſequi deberet determinationem primæ cauſæ ad actum in individuo.

Ad probationem diſtinguo: voluntas ſe determinat ad actum in individuo per præcedentem deliberationem a prima cauſa promanantem quoad ſpeciem actus, concedo: quoad actum in individuo, ſubdiſtinguo; mediate, concedo: immediate, nego. Gratia præveniens excitat & movet immediate voluntatem ad bonum, non enim ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis. Mediante vero gratia uberiori quæ illi offertur, ſe determinat ad actum in individuo.

Inſtabis: ſequeretur ex hoc gratiam ſubjici libero arbitrio, & eſſe naturæ ancillam: ſed hoc adverſatur doctrinæ Patrum, nempe Auguſtini & Proſperi qui contendunt contra Semipelagianos, gratiam non ſequi voluntatis humanæ determinationem, nec ſubjici naturæ conatibus. Ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam; neque enim gratia operans, neque cooperans ſubjicitur voluntati humanæ: operans quidem, quia eſt in nobis ſine nobis, & dat velle bonum: cooperans vero, quia agit nobiſcum, a fortiori nec præmovens ſive moraliter ſive phyſice, cum prioritate naturæ præcedat liberi arbitrii conatum & illud determinet & applicet ad agendum. Sequitur igitur ſolum quod effectus totus ſit a Deo ut a prima cauſa, inquit S. Bernardus, & totus a creatura ut a cauſa ſecunda: quod liberum arbitrium utatur gratia ad bene agendum. Porro Patres merito rejiciunt vocabulum, *ſubjici*, ſed in ſenſu oppoſito Semipelagianorum qui dicebant naturam incipere bonum & determinare gratiam ad hoc vel illud bonum patrandum, quod profecto eſt a fide prorſus alienum.

Diximus ſupra voluntatem eligere bonum, poſtea præmoveri & applicari ad actum in individuo quem prius elegit: quæ quidem doctrina eſt D. Thomæ q. 6. de malo ar. unico c. 17. ubi ſic ait: “ Voluntas quando incipit de novo eligere, tranſmutatur a ſua propria diſpoſitione, quantum ad hoc quod prius erat eligens in potentia, & poſtea fit eligens actu; & hæc quidem tranſmutatio eſt abſque aliquo movente, inquantum ipſa voluntas movet ſe ad agendum, & inquantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, ſcilicet Deo. „ Ubique Div. Thomas vult voluntatem humanam eligere: igitur mota ad bonum ab exteriori principio ſe ipſam movet ad actum in individuo.

Inſtabis: voluntas humana in ordine ſupernaturali immutari debet immediate & in ſe ut operetur bonum ſalutis, quia tale bonum ejus vires excedit: igitur præmovetur immediate ad actum in individuo.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: voluntas humana immutari debet moraliter virtute gratiæ prævenientis ad bonum ſupernaturale proſequendum, concedo: phyſice, ſubdiſtinguo, ſuppoſita & prævia deliberatione, concedo: non ſuppoſita, nego. Gratia præveniens ſeu ſufficiens movet & excitat voluntatem quam inchoative immutat, efficax vero & uberior hoc idem & fortius & perfectius exhibet, quia & complete: voluntas illuminata, excitata & mota deliberando eligit & bonum & ad hoc ſeſe determinat; determinata vero applicatur ad actum per præmotionem phyſicam, illumque elicit & producit.

Cæterum non exiſtimandum eſt, hanc ſententiam diſcedere a doctrina D. Thomæ & Scholæ ejus Angelicæ, cum & antiqui, & recentiores Thomiſtæ præmotionem phyſicam pro ordine naturali aut parum, aut nullo modo propugnent utilem & neceſſariam, eamque potiſſimum exigant pro actibus ſalutis, ad quos eliciendos debet profecto immutari voluotas. Jam vero quis neget eam immutandam eſſe moraliter per gratiam, quæ tota eſt pro bonitate & moralitate actuum humanorum? actus igitur formaliter ut moralis primas in iſto ordine tenet ſedes: ſi quid vero ultra quæritur, eſt pro eo quod eſt materiale, ſeu ens & phyſicum in actu. Sic omnia reddimus. Et vero duplicem admittimus præmotionem, unam quidem generalem, alteram vero ſpecialem. Prima eſt a gratia præveniente ſeu ſufficienti, quæ pulſat & movet ad bonum: altera a gratia efficaci quæ determinat ad bonum. Prima ſe tenet ex parte actus primi & utique duplex diſtinguitur, moralis nimirum & phyſica, gratia quippe præveniens movet moraliter illuminando, & inſpirando bonum; movet utique phyſice: namque creatura realiter & excitatur & immutari incipit; jam potentialitas activitati cedit locum: deinde fit deliberatio, immo & electio boni per præmotionem moralem ſpecialem & uberiorem, concurrente & cooperaote voluntate, quæ mota a gratia eligit virtutem proſequi: facta vero delibetatione, datur præmotio phyſica ad actum. Audiamus nunc Scholæ Angelicæ Theologum Ledeſmam in opere cujus titulus: Congregatio de Auxiliis die decima Januarii ann. 1606. qui ſic loquitur: " Ad tertium di-
„ ceodum, nullo modo ex doctina de
„ phyſica præderminatiooe ſequitur, quod
„ Deus ſit cauſa peccati, vel quod ad
„ peccatum phyſice prædeterminet. 1.
„ Quia poteſt optime quis defendere phy-
„ ſicam prædeterminationem pro actibus
„ ſupernaturalibus, & ex iſto capite oon
„ coarctatur ad illam defendendam pro
„ actibus aliis facillimis naturalis ordi-
„ nis, & pro actionibus peccatorum.
„ Et ratio eſt, quia reſpectu actuum
„ ſupernaturalium eſt peculiaris ratio,
„ præter illam generalem ſubordinatio-
„ nem cauſæ ſecundæ ad primam, ob
„ quam ſpecialem rationem, quidquid
„ ſit de illa ſubordinatione generali,
„ eſt conſtituenda phyſica prædetermina-
„ tio in voluntate, qua Deus faciat illam
„ bene operari ſupernaturales actiones.
„ Quia reſpectu huiuſmodi ſupernatura-
„ lium, cum ſint elevatiſſimæ & ſupra
„ voluntatem, illam omnino excedentes,
„ oportet quod Deus immutet, & deter-
„ minet voluntatem ad illas. „

Contenſonius ſimilia dicit l. 8. Theologiæ diſſert. 2. c. 2. ſpecul. 3. " Illud,
„ *inquit*, etiam diligenter obſervari a-
„ veo, quod licet ſententia de prædeſti-
„ natione ad actus naturales, atque etiam
„ ad materiale peccati tanquam proba-
„ bilior a Thomiſtis eligatur; non ita
„ tamen ab illis traditur ut ex præmo-
„ tione ad actus naturales, vel ad ma-
„ teriale peccati, pendeat veritas illa
„ cardinalis de gratia per ſe efficaci
„ ad actus ſupernaturales & meritorios
„ ſalutis neceſſaria. Generalem quip-
„ pe prædeterminationem admittunt dun-
„ taxat Thomiſtæ, ut probabilem ſe-
„ cundum rationem naturalem, &
„ non ut neceſſario cum Fide Catholi-
„ ca connexam. „

Reverendus Pater Serry, in ſuo Libro de Schola Thomiſtica vindicata pag. 192. idem & dicit & propugnat; in probationem vero, utramque affert auctoritatem. Igitur non eſt doctrina neceſſaria ex Thomiſtis: præmotio phyſica in ordine naturali, & ſi admittitur in ordine ſupernaturali, profecto recipi debet pro actu ſecundum id quod eſt in eo ens & materiale; formale eoim cum ſit morale, non exigit niſi cauſam moralem quæ ſufficienter immutat voluntatem: nam ex S. Auguſt. gratia immutat cor illuminando, excitando, inſpirando, tangendo; quæ quidem cauſalitas eſt totaliter moralis.

Dices: materiale non ſeparatur a formali: igitur ſi præmotio phyſica requiritur pro materiali, utique erit & pro formali.

Reſpondeo diſtinguendo: materiale non ſeparatur a formali ex parte actus, & ut eſt ens quoddam a parte rei exiſtens, concedo: ex parte agentis & influxus, nego antecedens & conſequentiam. In omnium opinione Deus concurrit ſaltem ſimultanee ad actum peccaminoſum ut ens eſt, & non ſecundum formale. Sic v. g. qui putans occidere aprum, occidit hominem, non peccat, quia non concurrit ad formale,

Digitized by Google

male, nempe ad occiſionem reduplicative ut hominis occiſionem. Nec mirum, actus moralis formaliter ſpectatus, eſt quid relativum, tum ad intentionem agentis, tum ad objectum ad quod tendit, unde emanavit iſtud adagium: *Quidquid faciant homines, intentio judicat omnes*. Igitur influxus & cauſalitas moralis eſt diſtincta a cauſalitate actus in eſſe phyſico, adeoque poteſt ab illa ſeparari, aut ſaltem diſtingui.

Denique rem totam iterum utque iterum compendioſis verbis abſolvo, ut in ictu mentis oculi abſque ulla aut æquivocatione aut difficultate noſtra manifeſta fiat ſententia. Ab ordine igitur naturali ortum ducat ſermocinatio. 1. Datur præmotio phyſica generalis ad univerſale bonum, quod quidem eſt voluntatis objectum. 2. Sequitur propoſitio ſimul & motio objecti allicientis potentiam. 3. Intellectus omnia ponderat, judicatque de objecti bonitate, & hoc judicium vocatur motio quoad ſpecificationem, quia intellectus judicat tale objectum eſſe amandum. 4. Ad judicium intellectus ſubſequitur determinatio voluntatis ad actum circa finem præconceptum eliciendum: cum enim nihil ſit amatum quin præcognitum; ut primum intellectus judicavit tale vel tale objectum eſſe amore proſequendum, illico, & abſque mora voluntas per iſtam rationis deliberationem ſeſe movet & determinat ad actum eliciendum: præmotionem generalem ad hoc ſufficere dicit D. Thomas, dicit Ledeſma, dicit Contenſonius: indigitat ipſa ratio; quia cum bonum ſit ordinis naturalis, adeoque & potentiæ proportionatum, abſque ulteriori auxilio homo ſe ipſum determinat & quoad ſpecificationem, eligendo ſcilicet tale vel tale bonum, & quoad actum, illud amore proſequendo vel etiam rejiciendo, ſi tanquam malum habetur & ut tale ab intellectu judicatum eſt: igitur eſt præmotio generalis phyſica qua voluntas movetur phyſice ut exeat de potentia ad actum: eſt moralis ex parte objecti propoſiti allicientis ad ſui amorem: cæteræ determinationes ſunt tum ab intellectu, tum a voluntate.

Pro ordine vero ſupernaturali idem prorſus ſervatur ordo cauſarum. Primo quidem eſt præmotio phyſica & moralis ad bonum ſalutis in genere per primam gratiam quæ eſt in nobis ſine nobis, quæque ideo præveniens, ſimul & excitans immo & ſufficiens vocatur: quæ quidem motio dicitur ſpecialis propter tria: nempe quia movet ad bonum particulare, ſcilicet ſalutis; quia movet quoad ſpecificationem, nimirum proponendo & ſubjiciendo mentis oculis bonum ſupernaturale, quod ne quidem viribus innatis cognoſcere valemus: denique quia movet immutando voluntatem & ſanando ſaltem inchoative, ut pœnitentiam, quam omni conatu abhorret peccator, incipiat velle, immo & amare: jam igitur per iſtam duplicem motionem creatura incipit reduci de potentia ad actum: jam eſt mota & non amplius potentialitate ſocordi ligata: enimvero pulſat Dominus ad oſtium cordis iteratis motibus: hinc novæ & continuæ illuminationes: hinc inſpirationes repetitæ & fortiores: hinc ſcrupuli, hinc judiciorum Dei timor, hinc horror peccati, ſi non obnitatur voluntas: intellectus ſic iterum atque iterum illuminatus cuncta æqua lance ponderat, bonum terrenum & cœleſte appendet in ſtatera recti judicii; tunc ſequitur, cum non ponitur gratiæ obex, gratia uberior, videlicet repetitum lumen & omni gladio ancipiti penetrantius: ſequitur inſpiratio uſque ad medullas cordis pervadens, & eo tempore judicat in gratiam virtutis & pœnitentiæ: hoc peracto judicio, ſequitur tertia operatio, nimirum fit electio boni, voluntas gratiæ moventi aſſentitur, ideſt, non reſiſtit: poſt iſtum conſenſum partim negativum, quod eſt non diſſentire, partim poſitivum quod eſt conſentire, ſequitur quarto loco actus eliciendus: poſita igitur electione & objecti acceptatione, gratia phyſice præmovens eaque ſpecialiſſima datur, quæ movet phyſice voluntatem ad actum, verius dicam quæ unit actum cum potentia; voluntas vero ſic præmota ſe ipſam cooperando movet & determinat ad actum in individuo quem de facto phyſice elicit, ſed ſuppoſita deliberatione: quis enim catholicæ, immo & ſanæ mentis unquam dicet voluntatem proſilire in actum, niſi ſuppoſita & deliberatione & electione boni? & ſic ipſe conſenſus poſitivus ſicut & actus ſunt primitus a gratia per ſe efficaci quæ ſita eſt in

in præmotione morali ſimul & phyſica. Jam vero quod non ſint neque aliter ordinandæ cauſæ, ad conciliandam cum præmotione aliove Dei concurſu libertatem, neque ulteriores multiplicandæ præmotiones, liquido conſtat tum eſt omnibus D. Thomæ ſupra laudatis auctoritatibus : tum a ſimili ratione deducta ex præmotione generali phyſica in ordine naturali ; ſi enim ſola ſufficit ad ſeriem moralitatis, & ad ipſum actum eliciendum, quidni ſufficiens erit præmotio generalis gratiæ ad bonum ſupernaturale propoſitum homini ſaltem inchoandum? puta illud ad attendendo, & illud ipſum contemplando, de eodem bene & judicando, & ejus proſecutionibus a gratia generali phyſica & morali promanantibus, auxilio gratiæ per ſe efficacis voluntas & præmota ſpecialius & adjuta vehementius atque ſanata illud de facto per actum poſitivum, & perfectum faciat & operetur.

Nec deterrere debet iſta inſtantia quam ſeveriores Theologi palmarem & inſuperabilem exiſtimant, dicentes requiri ad ipſam deliberationem & electionem, gratiam ſpecialem & intrinſece efficacem : ad hanc quippe objectionem jamjam factum eſt ſatis, & iterum facio ſic diſtinguendo : requiritur gratia ſpecialis, eaque efficax moralis, concedo : gratia præmovens phyſice ſubdiſtinguo, generalis quæque præſupponitur, concedo : ſpecialis, iterum diſtinguo : ad electionem conjunctam cum actu amoris & aſſecutionis objecti, concedo : ad electionem ut ſic, nego. Nam præmotio generalis phyſica & motio moralis uberior ſufficiunt maxime vero cum deliberatio & electio ſint diſpoſitiones tantum præviæ ad actum, & illas ſupponere omnes cordati Thomiſtæ teneantur : immo ultro fatemur præmotionem ſpecialem eſſe tantummodo ad actum, nuſquam vero ad diſpoſitiones ad actum ; quandoquidem docent præmotionem ſpecialem ſupernaturalem applicare voluntatem ad actum, eſt id, quo actu agit voluntas, inquit Alvarez. Quinimmo & Complutenſes, & Gonetus ſic ordinant actus moralis, ſive naturalis ſive ſupernaturalis œconomiam, & ea quæ ſequuntur diſtinguunt 1. Inquiunt, requiritur cognitio finis 2. Intentio finis. 3. Electio mediorum. 4. Volitio objecti. 5. Ejuſdem fruitio, primo activa, deinde paſſiva ; quæ quidem omnia, ipſis confitentibus, fiunt unico veluti inſtanti & ad unum ordinantur actum : nullus autem dicet, gratiam per ſe efficacem requiri ad primum actum : quot enim bonum noverunt, minime tamen faciunt ? neque ad ſecundum, non pauci ſiquidem intendunt & proponunt converſionem : ergone propterea omnes ſemper propoſitum ſequuntur ? Minime : multi utique bene judicant de fine, immo & media eligunt, tum ſatisfaciendo v. g. jejunii præcepto : tum eleemoſynam irrogando pauperibus : volunt converſionem, ne dicam converſioni conſummandæ aſſentiuntur : verum cum hic & nunc de facto operanda eſt, projiciendo poſt tergum deos alienos, creaturam ſcilicet & relinquendo & abhorrendo, hoc opus, hic labor eſt : tunc requiritur gratia phyſice & moraliter, fortiterque præmovens, ut voluntas converſionis actum tandem aliquando eliciat.

Dices : igitur gratia efficax formaliter ſita eſt in præmotione phyſica.

Reſpondeo negando : immo formaliter eſt præmotio moralis, quia actus eſt formaliter moralis, unde præmotio phyſica attingit ſolummodo materiale actus & id quod eſt phyſicum : unde dato præmotionem ſpecialem requiri ad electionem objecti, & ad actum proſecutionis eliciendum, dico præmotionem moralem, antecedere phyſicam ; ſiquidem eſt cauſa formalis actus, adeoque intactam manere libertatem : tum quia cum datur præmotio moralis, adeſt cauſa formalis actus eliciendi, qui quidem actus prius ab ea, quam a præmotione phyſica promanare concipitur : enimvero formale actus eſt ante id quod in eo materiale & phyſicum eſt : tum quia, omnibus Theologis Catholicis conſentientibus, voluntas poteſt motioni morali diſſentire ſi velit : tum quia Tridentinum gratiam voluntatem efficaciter moventem delineans, eam vocat modo illuminationem, modo inſpirationem & impulſum Spiritus Sancti cor humanum tangentis, adeoque formaliter moralem : tum quia denique præmotio phyſica non eſt ſecundum ſe capax aſſenſus vel diſſenſus, ſed dicitur vinculum quo actus conjungitur cum potentia,

Digitized by Google

tentia, maxime vero cum, ipſo teſte Alvarezio de aux. diſp. 19. ſe teneat ex parte actus ſecundi, cum ſit illud quo voluntas actu agit, adeoque, tranſacto deliberationis & electionis momento, ſiquidem operatio ſequitur ad conſilium, nec datur ad actum eliciendum optio, cum hic & nunc producitur. Sic Divi Thomæ mentem a qua vel minimum aberrare erubeſcerem, attingere reor; maxime vero quia Sanctus Doctor 1. 2. q. 109. & ſequentibus ubi de divinæ gratiæ auxiliis tractat, gratiam nomine motionis & ut plurimum illuminationis & inſpirationis vocat atque definit, nec ullum quidem verbum de præmotione phyſica profert: at vero de motione Dei pro ordine naturali ſermonem faciens, q. 3. de potentia art. 7. ad 7. 1. 2. q. 110. art. 2. ait illam motionem phyſicam eſſe virtutem incompletam, modo virtuti impreſſæ in inſtrumento ab artifice parem, modo colori in aere ſparſo non abſimilem, modo eſſe quoddam virtutis agendi innatæ complementum, quo cauſa ſecunda operatur, dicit; ut indigitet eam ſolummodo ad id quod eſt in actu vitali phyſicum, ſe extendere: verum loquens de actu morali, ut 1. 2. q. 109. illam vocibus illuminationis & inſpirationis celebrat: ibi enim de actibus ut moralibus agit præciſe.

Quid plura adjiciam? datur præmotio moralis ſimul & phyſica generalis ad actus imperfectos, videlicet ad cognitionem finis, ad ejuſdem volitionem inchoatam, ad non ponendum gratiæ uberiori oblatæ impedimentum, & a gratia præveniente fluit, ſeu potius eſt ipſa gratia ſufficiens, illuminans, movens & excitans ad bonum. Datur utique præmotio moralis & phyſica ſpecialis ad actum in individuo hic & nunc eliciendum. Verum actus alius eſt phyſicus, alius vero moralis: ille ex impetu naturæ, vel ſaltem abſque attentione ad finem fit qui & actus hominis appellatur: ille ex intentione finis producitur, & humanus eſt. Præmotio phyſica ad primum eliciendum ſufficit: ad ſecundum vero moralis prærequiritur, illa attingit id quod eſt materiale & phyſicum in actu; iſta, id quod eſt morale & regulis morum conforme.

Cæterum gratia efficax a Thomiſtis propugnata vel eſt illuminatio, vel inſpiratio, vel neutrum, ſed quid imperviam rationi & virtus quædam ſimilis aut coloribus in aere reſperſis, aut virtuti impreſſæ iſtrumento ut agat: ſi primum aut alterum, eſt quid morale formaliter cui poteſt etiam in ſenſu compoſito reſiſti; nam quotidie reſiſtitur & illuminationibus & motionibus. Si tertium, jam eſt quid phyſicum extra moralitatis metam exiſtens, adeoque attingens id quod eſt phyſicum & materiale in actu. Porro id quod eſt phyſicum procedit a voluntate ut natura, id vero quod eſt morale ab eadem promanat ut libera.

Parcas velim, benevole Lector, ſi, repetitis vicibus, eadem pertractamus; hæc quippe materia tot & tantis difficultatum nodis alligata manet, ut ea nonniſi, alternatis explicationibus, ſolvere vix poſſimus, hinc & repetita ad claritatem proferre æquum, immo & perutile eſt.

Reſponſiones ſecundum rigidorum Thomiſtarum opinionem, ad ea quæ objiciuntur contra præmotionem phyſicam in momento ſeu negotio libertatis ſervandæ.

QUONIAM Angelicæ Scholæ diſcipulum eſſe me ſemper gloriatus ſum, ne ab ea vel minimum quidem in opinionum conflictu pro concordia libertatis cum præmotione phyſica diſſentire videar, ad abundantiam juris, juxta perantiqua rigidiorum Thomiſtarum principia, objectionibus ſupra allatis ſatisfacere juvat, ut unicuique pro guſtus varietate, ea qua par eſt erga tam venerabilem Scholam reverentia, omnibus fiat ſatis: verum quædam ad quæſtionis elucidationem præmittenda ſunt, maxime de variis Thomiſtarum antiquorum opinionibus, quæ in quatuor claſſes dividi ſeu bipartiri poſſunt, juxta Didaci Alvaris placitum qui l. 3. de auxiliis divinæ gratiæ diſputatione decima nona ſic loquitur in titulo: *Quidnam ſit motio illa prævia, qua Deus movet, & applicat cauſas ſecundas ad operandum*. Poſtea ſingulorum ſententias & rationes quibus fulciri videntur his ſequentibus verbis refert.

“ *Prima* ſententia eſt quorumdam Tho-
„ miſtarum aſſerentium, præmotionem

 „ pri-

„ primæ cauſæ in ſecundis cauſis recep-
„ tam, qua ad operandum moventur, &
„ applicantur, eſſe qualitatem, non qui-
„ dem per modum permanentis, ſed per
„ modum diſpoſitionis tranſeuntis cum
„ operatione cauſæ ſecundæ. In proba-
„ tionem diverſa D. Thomæ loca affe-
„ runt iſti auctores, in primis illa verba.
„ 1. p. q. 109. art. 9. in corp. *Nulla res*
„ *creata poteſt in quemcumque actum prodire*,
„ *niſi virtute motionis divinæ*. Rurſus ibi-
„ dem art. 1. *Quantumcumque natura ali-*
„ *qua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfe-*
„ *cta, non poteſt in ſuum actum procedere*
„ *niſi moveatur a Deo*.

„ *Secunda* ſententia aſſerit per oppoſi-
„ tum extremum, auxilium actuale, ſeu
„ motionem Dei non importare aliquid
„ receptum in cauſis ſecundis antece-
„ dens, etiam ordine naturæ, & cauſa-
„ litatis, operationes earum; ſed eſſe ip-
„ ſum Deum, ſeu voluntatem divinam,
„ quatenus parata eſt, & expoſita ad
„ concurrendum ſimul cum cauſis ſecun-
„ dis, quotieſcunque ipſæ vel ex neceſſi-
„ tate naturæ operentur, vel ex innata
„ libertate operari voluerint. In cauſis
„ autem ſecundis, dicunt, motionem Dei
„ ſolum importare, aut ponere ipſam ope-
„ rationem cauſæ, quatenus procedit effi-
„ cienter ex concurſu Dei ſimultaneo,
„ ſicut creatio in creatura nihil ponit di-
„ ſtinctum a ſubſtantia illa, ſed eſt ipſa
„ creatura, ſecundum quod procedit effi-
„ cienter a Deo. „

“ *Tertia* ſententia affirmat auxilium,
„ ſeu motionem actualem qua Deus mo-
„ vet, & applicat cauſas ſecundas ad ope-
„ randum, eſſe aliquid receptum in ipſis
„ cauſis ſecundis prius natura, quam ope-
„ rentur: et ſi inquiratur, quid ſit, reſ-
„ pondent eſſe realiter ipſam operatio-
„ nem cauſæ ſecundæ, quatenus procedit
„ a Deo, eam applicante & promoven-
„ te efficaciter ad operandum, ex quo in-
„ ferunt quod præmotio efficax, ſeu præ-
„ determinatio, qua Deus prædeterminat
„ voluntatem ad actionem liberam, non
„ ſit diſtincta realiter a determinatione
„ actuali, qua voluntas ſe ipſam determi-
„ nat per ſuam operationem, ſed eadem.
„ Cum enim voluntas formaliter ſe de-
„ terminat, eliciendo actum liberum,
„ idem actus, ſecundum quod procedit a
„ Deo præmovente, dicitur prædetermi-
„ natio Dei; quatenus vero procedit a
„ voluntate ſimul tempore ſed poſterius
„ natura cooperante, dicitur determina-
„ tio voluntatis.... Differt autem hæc
„ ſententia a præcedenti: nam licet
„ utraque afferat concurſum Dei genera-
„ lem, ſive auxilium actuale non diſtin-
„ gui realiter ab operatione cauſæ ſecun-
„ dæ; auctores tamen primæ ſententiæ
„ dicunt, quod auxilium actuale eſt ipſa
„ operatio cauſæ ſecundæ; ut procedit ex
„ influxu Dei non quidem prævio, ſed
„ ſimultaneo; non enim volunt admitte-
„ re, quod in aliquo priori etiam ratio-
„ nis, ſive cauſalitatis phyſice moveat
„ Deus voluntatem ad actum noſtrum li-
„ berum antecedenter ad influxum creati
„ arbitrii. Auctores autem hujus tertiæ
„ ſententiæ dicunt, quod auxilium actua-
„ le Dei realiter ipſa operatio cauſæ ſe-
„ cundæ ut procedit ex influxu Dei præ-
„ movente & præderminante cauſam
„ ſecundam ad influendum & operan-
„ dum, ut ſemper ſalvetur, quod ſo-
„ lus Deus eſt, qui primo incipit, qui
„ efficienter facit ut faciamus, & opera-
„ tur ut operemur. „

“ *Quarta* ſententia eſt aliorum Thomi-
„ ſtarum, aſſerentium auxilium Dei, ſi-
„ ve motionem præviam, qua movet &
„ applicat cauſas ſecundas ad operandum,
„ eſſe in illis aliquid realiter diſtinctum
„ ab earum operationibus, & eſſe quod-
„ dam complementum virtutis activæ:
„ (*Quo actualiter agat*) ut dicit S. Tho-
„ mas, q. 3. de potentia art. 7. ad 7. &
„ quoniam hæc ſententia eſt ad mentem
„ S. Thomæ &c. eam pro noſtra adop-
„ tamus. „

Ex his ſequitur concurſum prævium, juxta primam opinionem eſſe qualitatem incompletam receptam in voluntate humana per modum tranſeuntis: juxta ſecundam, non eſſe aliquid receptum prævie per modum cauſalitatis, ſed eſſe ipſum Deum ut paratum ſimultanee concurrere ad operationem voluntatis: juxta tertiam, non eſſe etiam quid realiter diſtinctum ab ipſa operatione voluntatis, qua ſe ipſam ad actum determinat: ſed potius eandem creaturæ operationem quæ concipitur prius natura tantum a Deo fluere. Juxta quartam, eſſe quoddam complementum virtutis activæ (*Quo actu agit*) illudque ab ea realiter diſtinctum.

Objer-

Digitized by Google

Obſerves velim, benevole Lector, duo diſtinguenda eſſe inſtantia, alterum in quo concipimus potentiam a Domino per gratiam ſufficientem præparatam, alterum in quo actualiter agit & operatur. Potentia mota & excitata per gratiam prævenientem, dicitur actus primus: potentia vero applicata per gratiam efficacem ad operationem, vocatur actus ſecundus & perfectus. Porro totum libertatis negotium attenditur maxime ex parte actus primis, ſcilicet deliberationis & electionis; ab illo quippe primo motionis divinæ inſtanti, uſque ad inſtans actus ſecundi, eſt libera, & utrumque reſpicit extremum: ſuam actu poteſt & de facto exercet indifferentiam: tunc vis electiva eſt & in motu, & elevata, & ſanata per gratiam ſufficientem: tunc eſt tempus deliberationis & electionis, tunc poteſt tranſgredi vel non tranſgredi: anima tunc poteſt impedire ne moveatur efficaciter ab objecto ad bonum: tunc poteſt reſiſtere gratiæ excitanti & uberiorem oblatam reſpuere; ſi non reſiſtit, datur præmotio, quæ ſe tenet ex parte actus ſecundi: ita Gonetus, Contenſonius, Goudinus, Alvarez; eſt id quo voluntas, teſte D. Thoma, actu agit & operatur, libere quidem, quia libere ſe determinavit; inſuperabiliter vero, quandoquidem præmotio ſemper cum actu conjungitur, eſt id quo actu agit voluntas; qui autem operatur, non poteſt non operari, niſi potentia poſſibilitatis, inquiunt noſtri Thomiſtæ, nuſquam vero futuritionis, alias actum cum non actu ſimul conjungeret.

Jam fit ſatis iſti argumento, quod eſt apud auctores contrariæ ſententiæ palmare. Poſita præmotione voluntas non poteſt non agere: gratia præmovens phyſice inſuperabiliter movet, nec quiſquam poteſt illi reſiſtere; igitur adverſatur libertati, & conſequenter penitus rejicienda eſt.

Reſpondeo, relicta prima ſententia, cui ſubſcribere nolunt Alvarez & Ledeſma, nullum ex aliis ſequi inconveniens quod minimum vel quidem libertatis jura offendere queat. Sic igitur diſtinguo: poſita præmotione voluntas non poteſt non agere in ſenſu compoſito, & ut alii Thomiſtæ ajunt, potentia conſequenti, concedo: in ſenſu diviſo ſeu potentia antecedenti, nego. Potentia antecedens eſt ſenſus diviſus qui attenditur ſecundum actum primum: potentia vero conſequens & ſenſus compoſitus actum ſecundum ſpectant: ultro fatentur Thomiſtæ voluntatem non poſſe non agere in ſenſu compoſito, quia jam eſt actus, nec aliarum Scholarum Theologi refragantur, idem prorſus dicunt, poſito concurſu ſimultaneo: voluntas ſecundum omnes non poteſt tunc non agere, ſed illa impotentia non ſolum libertati non nocet, immo eſt ejus effectus; actus ſiquidem ex voluntate libere agente tanquam genuinus ejus fœtus oritur, unde dicitur impotentia conſequens, quippe quæ ad voluntatem libere ſe moventem ſequatur: vel etiam impotentia hypothetica vocetur. Etvero, ſuppoſito quod voluntas agat, non poteſt, non agere, ſin minus, non foret libera. At vero in ſenſu diviſo poteſt non agere: poteſt in illo primo inſtanti quod eſt deliberationis & electionis locus: tunc voluntas mota, excitata, præparata utrumque extremum reſpicit, tunc poteſt vel gratiæ ſufficienti reſiſtere & efficacem oblatam propellere; vel utrique conſentire.

Ita tamen & propugnant Thomiſtæ ſecundæ ſententiæ qui aſſerunt præmotionem duo libertati prorſus amica importare, videlicet voluntatem Dei paratam ſimul concurrere cum cauſa ſecunda, quando operari voluerit, & ad ipſam creaturæ operationem: quam reſponſionem non ſemel ſupra delineavimus propugnando Deum eſſe paratum applicare voluntatem humanam ad opus, cum illam ad agendum paratam & accinctam intuetur. Ita defendunt Auctores etiam tertiæ ſententiæ qui id ipſum profitentur, aſſerendo præmotionem non eſſe quid ab operatione creaturæ diſtinctum, concurſum quidem Dei appellant prævium, ſed prioritate tantummodo naturæ, prioritate cauſalitatis & dependentiæ: quis autem cordatus & juſtus rerum æſtimator dicet, præmotionem quæ eſt ipſa operatio creaturæ ut Deo ſubordinata, liberum offendere arbitrium, cum potius libertatem penes ipſam voluntatis actionem eſſe contra impugnantes defendamus? ita pro focis & aris ad libertatis jura ſalvanda ſolutionem datam auctores quartæ ſententiæ propugnant: totum liberta-

tis

tis negotium & eſſentiale exercitium, tota vis electiva actum primum reſpicit, primum ſcilicet in ordine ad finem: præmotio ſe tenet ex parte actus ſecundi ſecundum eos, eſt complementum (*quo actualiter agat*) inquit Alvarez poſt S. Thomam: jam eſt ſenſus compoſitus, jam tranſacta eſt electio, ſed eſt libertatis actuale exercitium: operatio eſt libera, & in actu primo & in actu ſecundo: in actu primo, quia voluntas eligit: in actu ſecundo, quia ponit actum quem ipſa elegit & voluit.

Ad confirmationem, diſtinguo: gratia efficax perſeverantiæ inſuperabiliter movet, concedo: gratia efficax ut ſic & ſecundum ſe ſumpta, ſubdiſtinguo: in actu ſecundo ſeu in ſenſu compoſito, concedo: in actu diviſo, nego. Gratia efficax perſeverantiæ eſt ipſa in bono finalis perſeverantia, inquit Aug. l. 1. de dono perſev. c. 1. unde implicat non movere inſuperabiliter, alias juſtus perſeveraret finaliter, & non perſeveraret: idem poteſt dici de præmotione, unde recte dictum eſt ſupra, eam eſſe vinculum actus cum potentia, nec eſſe aut diſſenſus, aut aſſenſus, capacem, quandoquidem & ex D. Thoma, & ex Alvarezio eſt complementum (*quo actualiter agat*) voluntas: eſt ſecundum alios Thomiſtas ipſa creaturæ operatio; implicat autem actum eſſe & non eſſe.

Cæterum præ oculis ſemper habendum eſt electionem & deliberationem voluntatis ad libertatem prærequiri: utramque in omni actu libero hominis viatoris reperiri nemo præter heterodoxum negabit: quo loco, quove momento collocandæ ſint, dicant inter noſtros Thomiſtas rigidiſſimi: certe vel in priori præmotionis, vel concomitanter & ſimul cum ea, vel ſubſequenter ad eam. Certe non in ſecundo inſtanti; inquiſitio quippe ſucceſſionem importat, nec actus tunc temporis cum potentia conjunctus concipitur: hanc tamen conjunctionem actualem phyſica infert præmotio: a fortiori electio & deliberatio in inſtanti ſubſequente Dei motionem non reponendæ ſunt, alias præmotio ad voluntatem determinandam foret inutilis, cum poſita præmotione, adhuc voluntas de actu ponendo deliberaret; igitur electio & deliberatio præcedunt præmotionem & ipſius actus exercitium. Si cui tamen placeret deliberationem & electionem reponere vel cum præmotione, vel poſt præmotionem, perfecta ſemper affulgeret voluntatis indifferentia, & mira liberi arbitrii cum motione concordia, cum vel præſente vel etiam ſubſequente motione, voluntas non ſolum deliberare & eligere queat, ſed de facto actu deliberet de actu ponendo vel non ponendo eligat. Jam vero ſi deliberatio & electio phyſicam antecedant præmotionem, ut non ſemel dictum eſt, luce clarius apparet præmotionem humanæ non adverſari libertati.

Dices contra primum: præmotio ſe tenet ex parte actus primi: igitur ruit totum ſolutionis datæ fundamentum. Probatur antecedens, ex ipſis Thomiſtis primæ ſententiæ qui apud Alvarezium loco ſupra citato ſic loquuntur: " Hujuſ-
„ modi actus ſupernaturales eliciuntur a
„ potentiis elevatis ſolum per auxilium
„ actuale, ſeu motionem actualem gra-
„ tiæ adjuvantis, non autem per habi-
„ tus, vel qualitates permanentes: quia
„ ut ſupponitur, non habent in ſe habi-
„ tus infuſos: ergo neceſſe eſt, quod
„ eleventur & conſtituantur in actu pri-
„ mo per aliquam tranſeuntem qualita-
„ tem, ut tanquam cauſa principalis effi-
„ ciant eoſdem actus. „

Reſpondeo 1. Alvarezium & Ledeſmam non ſubſcribere primæ ſententiæ quam paulo duriorem eſſe autumant. 2. Diſtinguendo, præmotio generalis ſe tenet ex parte actus primi, concedo: ſpecialis, nego. Duplex eſt gratia actualis, alia ſcilicet ſufficiens, alia vero efficax. Unde & duplex præmotio cuilibet gratiæ reſpondet, altera generalis & eſt gratia ſufficiens quæ & motio præveniens vocatur: altera ſpecialis & a gratia efficaci promanat, immo eſt ipſa gratia quæ utique motionis nomine celebratur: illa conſtituit actum primum, iſta vero ſecundum. Thomiſtas primæ opinionis loqui de prima præmotione quid vetat? cum in ſuæ præmotionis probationem hæc afferant verba Concilii Tridentini ſeſſ. 14. c. 4. dicentis gratiam *Eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum, nondum quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat*. Quæ quidem ſententia maxime convenit gratiæ prævenienti, tum quia per

eam

Digitized by Google

eam præparatur voluntas a Domino : tum quia eſt motus Spiritus Sancti nondum inhabitantis, tum quia cæteri Thomiſtæ præmotionem ad actum poſitivum immediate pertinere docent . Ledeſma de auxil. quæſt. unica art. 12. duplicem agnoſcit præmotionem delineatam , primam dicit antecedere tempore operationem creaturæ ; ſecundam cauſalitate tantum : explicans enim illa verba Tridentini ſeſſ. 6. c. 5. ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem , neque homo ipſe nihil omnino agat , inſpirationem illam recipiens , quippe qui illam abjicere poteſt , *in quo loco* , inquit , *aperte loquitur Concilium de omni præmotione gratiæ quæ tempore vel cauſalitate antecedit liberum conſenſum* , *& hac intelligit ſub illa vocatione & inſpiratione* . *Ergo ſecundum Concilium fieri poteſt ut idem homo cum eadem vocatione & præmotione operetur & non operetur* , *ſed reſiſtat* , *& per conſequens* , *cum æquali auxilio antecedenti conſenſum liberi arbitrii* , *unus convertatur* , *& alius non convertatur* . Quibus verbis adaperte propugnat Ledeſma & voluntatem poſſe reſiſtere præmotioni antecedenti, immo quandoque de facto reſiſtere , & æquales in ea remanere vires tum ad reſiſtendum gratiæ , tum etiam ad propulſandam tentationem . Igitur ex illo Doctore duplex eſt præmotio , una generalis & antecedens tempore operationem ſe tenens ex parte actus primi cui liberum arbitrium poteſt reſiſtere & quandoque de facto reſiſtit : altera ſpecialis ſe tenens ex parte actus ſecundi , qua actu voluntas agit , cuique voluntas poteſt reſiſtere in ſenſu diviſo , eam ſcilicet rejiciendo, ſed non in ſenſu compoſito niſi potentia poſſibilitatis , quatenus poteſt ceſſare ab operatione quam mota & applicata ſeu determinata elicit , & contrarium facere . Cæterum ſi quid ambiguum vel etiam contrarium quidam dixerint, ſtandum eſt Alvarezii effato : qui dicit motionem eſſe ſecundum D. Thomæ mentem id (quo actualiter agat) voluntas. Ledeſma coram Paulo V. in diſputationibus de auxiliis idem propugnavit tom. 3. panop. tract. 4. c. 23.

Inſtabis, præmotio antecedit: igitur ſe tenet ex parte actus primi . Reſpondeo diſtinguendo ; antecedit prioritate naturæ & cauſalitatis, concedo : prioritate temporis , nego antecedens & conſequentiam .

Inſtabis : Concilium Tridentinum definivit liberum arbitrium motum a gratia etiam efficaci, poſſe diſſentire ſi velit ; agit enim contra Lutheranos & Calviniſtas qui gratiam efficacem , neceſſitatem antecedentem & abſolutam imponere contendebant : ſed ex reſponſione data nullus poteſt reſiſtere præmotioni in ſenſu compoſito & dum actu movet , quia jam eſt operatio : igitur præmotio phyſica juxta ſententiam Thomiſtarum cum libertate cohærere non poteſt.

Reſpondeo, jam factum eſſe ſatis huic inſtantiæ cum ſupra diximus gratiam efficacem ſitam eſſe formaliter in præmotione morali cui reſiſti poſſe nemo non videt . Si quis tamen inter Thomiſtas velit præmotionem phyſicam gratiam efficacem formaliter conſtituere, reſpondeo diſtinguendo majorem : liberum arbitrium motum per gratiam ſufficientem poteſt reſiſtere & diſſentire ſi velit , concedo : motum per gratiam efficacem, ſubdiſtinguo : poteſt diſſentire potentia poſſibilitatis , concedo : potentia futuritionis, nego . Juxta ſecundam Thomiſtarum ſententiam qui motionem in ſola voluntate Dei parata concurrere , quando voluntas pro innata libertate operari voluerit, reponunt, profecto liberum arbitrium poteſt actu reſiſtere , cum poſſit actioni Dei concurrentis obicem ponere. Juxta tertiam opinionem ubique voluntas poteſt obniti ; namque præmotio non eſt quid ab operatione creaturæ diſtinctum ; quis autem dicet voluntatem hoc non habere in ſuos actus dominium, ut ab eis ſi velit, abſtinere queat ? Juxta quartam opinionem liberum arbitrium motum poteſt reſiſtere gratiæ efficaci in actu primo conſideratæ ; inchoatur enim per motiones gratiæ prævenientis , & ſecundum aliquos etiam Thomiſtas gratia ſufficiens & efficax entitative unum ſunt , & penes gradum ſolummodo diſtinguuntur ; poteſt igitur reſiſtere gratiæ efficaci in actu ſecundo ſpectatæ, & quidem dupliciter , primo dum recipitur ; hanc enim poteſt rejicere peccator, ſed non faciet : deinde dum actu voluntatem applicat ad actum , quatenus ab iſto actu ceſſare poteſt , & ſeſe ad contrarium convertere : unde ex omni

par-

parte collucet indifferentia actus ſub dominio gratiæ præmoventis.

Dices: etiam in ſenſu Calvini voluntas mota poteſt ceſſare ab actu; igitur non ſtat ſufficiens diſcrimen inter gratiam phyſice præmoventem Thomiſtarum, & gratiam efficacem quam propugnavit Calvinus.

Reſpondeo ſententiam Scholæ Angelicæ toto cælo differre tum a Calviniana, tum a Janſeniana; a Calviniana quidem, nam Calvinus admittit 1. Decreta neceſſario prædeſtinantia ad vitam & ad mortem. 2. Fatum in hominum ſorte; ex ipſo enim qui de fœdere eſt, bene vivat vel non, gloria donabitur, ſin minus e contra. 3. Neceſſitatem abſolutam modo ex concupiſcentia exuberante compellente ad peccatum; modo ex delectatione cœleſti ſuperiori determinante ad bonum; hinc neceſſitas eſt antecedens, qua de cauſa actus non ſolum neceſſarius neceſſitata hypothetica & conſequente ſed & abſoluta dicitur: unde nullo modo poteſt dici liber cum procedat a voluntate neceſſitata & paſſive ſe habente reſpectu gratiæ; immo quandiu viget delectatio, neque ab actu ceſſare, neque velle contrarium poteſt. At vero non ſic noſtri Thomiſtæ; nam & prædeſtinationem a bonis operibus dependentem prædicant & fatum omni quo par eſt horrore ab actibus humanis longe faciunt, & potentiam tum ad malum propulſandum tum ad bonum operandum proxime expeditam toto mentis affectu agnoſcunt: & vim electivam atque actus indifferentiam zelo ſecundum ſcientiam propugnant: & mentem Tridentini per omnia aſſequuntur, cum indifferentia activa in actu primo ſtet, ſcilicet in actu electionis; in illo quippe primo durationis inſtanti voluntas mota poteſt unum eligere & alterum relinquere. Stat utique in actu ſecundo: & in ſecundo inſtanti, quatenus liberum arbitrium a gratia efficaci motum, libere & ex innata libertate ſe determinat ad actum; unde gratiæ etiam efficaciſſimæ, homo recrudeſcere, ceſſare ab actu, & contrarium facere, valet.

Pari zelo, parique horrore abſcedunt iidem Doctores a Janſeniana opinione quæ in materia de auxiliis in Calvini ſententiam collimare videtur: etvero Janſenius 1. neceſſitatem relativam, exuberante una delectatione præ alia, conſequenter abſolutam, eamque antecedentem eſſe docet; unde ſecundum ipſum, ſi delectatio terrena ſuperior eſt cœleſti, neceſſario peccatur, quia, inquit, voluntas veluti vinculis conſtricta & alligata ad malum tunc manet, ſicut pondus gravius in ſtatera phyſice & abſolute præponderat leviori. 2. Ex eodem nequidem poſſe ſaltem proximum tum ad vincendam tentationem, tum ad bonum operandum habet. 3. Gratiam ſufficientem omnem eliminat, efficacem vero paucis admodum concedi propugnat. Nos vero Thomiſtæ viam ſalutis regiam incedentes, dictis, ſcriptis, factis, ore & corde omnem neceſſitatem antecedentem deteſtamur, poſſe proximum pro bono operando per gratiam ſufficientem dari prædicamus. Eandem, quando urget præceptum, omnibus concedi ad poſſe bonum & efficacem offerri ad faciendum, vere credimus. Unde gratiam ſufficientem ſufficientes prorſus vires ad tentationem devincendam dare defendimus: hoc ipſum colligitur ex B. Auguſtino qui l. 12. de Civ. c. 6. dicit ex duobus in æqualitate & gratiæ & tentationis poſitis, unum reſiſtere gratiæ, alterum vero conſentire & vincere tentationem. Idem ex profeſſo docet Ledeſma de auxil. q. unica art. 12. quod quidem probat auctoritate tum Scripturæ ſacræ, tum Concilii Tridentini & Patrum.

Oppones 2. Præmotio phyſica non eſt gratia: igitur fruſtra adducitur in hoc actuum humanorum momento, immo & libertati adverſatur. Probatur antecedens: 1. Quod eſt phyſicum ex impetu naturæ venit, & eſt quid commune creaturis irrationabilibus, unde D. Thomas diſtinguit voluntatem ut naturam & ut liberam: a prima actiones naturales ſeu phyſicas: a ſecunda morales docet profluere. 2. Nulla ex proprietatibus quibus delineatur gratia, præmotioni phyſicæ convenit: namque gratia modo illuminationis, modo inſpirationis nomine celebratur in ſacris Scripturis: ſic a Conciliis definitur, ſic deſcribitur a Patribus. Thomiſtæ vero præmotionem phyſicam eſſe dicunt, alii ipſam Dei voluntatem paratam concurrere cum voluntate humana quando vel pro neceſſitate, vel

pro

Digitized by Google

pro innata libertate operari voluerit: alii ipſam creaturæ operationem ut dominio Dei ſubjectam; alii virtutem vialem & incompletam, alii denique complementum (quo actu agat) voluntas, ajunt illam ſe tenere ex parte actus ſecundi. Quod æquivocatione non caret, cum ex Ledeſma dentur præmotiones actum primum ſpectantes quibus non ſemel reſiſtitur.

Reſpondeo Scripturam, Concilia & Patres gratiam ſæpius indigitare ſub nomine motionis & impulſus, illam eſſe phyſicam, quis poteſt negare, cum & inſpiratio, & illuminatio, & Spiritus Sancti motiones ſint quid reale in anima receptum, voluntatem realiter immutans, realiter ſanans? ultro concedimus motiones divinas eſſe in nobis ſine nobis, quid conſequenter indeliberatum utpote infuſum; aſt, talia auxilia ſunt actionis phyſicæ principia & cauſæ efficientes: dico actionis phyſicæ, quia vitalis; dico liberæ, quia a principio vitali libero promanat, puta actus fidei ab intellectu, actus amoris a voluntate: non alia tribuunt gratiæ auctores concurſum dumtaxat ſimultaneum propugnantes: eadem omnino pro jure libertatis ſervando defendunt aſſertores opinionis Angelicæ: nec quidquam aliud invenies diſcrimen, niſi quod Thomiſtæ concurſum prævium quidem, ſed prioritate tantummodo naturæ, prioritate cauſalitatis & dependentiæ propugnent: majorem quidem dependentiam cauſæ ſecundæ a prima exigunt; ſed ſi crimen, amoris ſummi & reverentiæ erga Deum Optimum Maximum eſt: quaſi unus populus cum cæteris Theologis ad debellandos libertatis inimicos, Proteſtantes ſcilicet & Heteredoxos mane & veſpere, ideſt ſemper, ubique & in omni loco, audacter progrediuntur, ut inimicorum Eccleſiæ phalanges magno & victrici impetu, diripiant, frangant, ſuperent, devincant.

Jam vero ſi de natura gratiæ actualis agatur, ſuum quiſque habet Theologus cujuslibet Academiæ ſenſum, verum in uno aut altero puncto eſſentiali aduniantur omnes, nimirum quod ſit in nobis ſine nobis, deinde vero quod voluntatem libere & ejus conformiter naturæ moveat. Nunc venio ad argumentum, & reſpondeo negando antecedens. Ad primam probationem, dico gratiam, quæcumque ſit ſive motio moralis; ſive phyſica; non promanare a natura; non eſt igitur quid phyſicum in eo ſenſu quod ſit actus primo primus, bene tamen ſi actus primi ut illuminatio & pia motio conſiderentur vel ut producti a gratia, quæ eſt in nobis ſine nobis, quales ſunt actus gratiæ prævenientis; vel ipſa gratia: non enim ſemel gratiæ ſufficientis nomine inſigniuntur.

Ad confirmationem patet ſolutio ex dictis.

Ad id vero quod dicitur D. Thomam ſecernere voluntatem ut natura eſt a voluntate ut libera eſt, recte loqui non diffitemur, omnes Thomiſtæ diſtinguunt actum indeliberatum a deliberato in eo quod iſtum dumtaxat appellent moralem, quia ſolus dominio voluntatis ſubjicitur, quippe qui cum electione ab ea procedat: alter vero mere phyſicus vocatur; quandoquidem ex impetu naturæ proſilire conſtat: ſed quid inde contra præmotionem phyſicam? nonne actus amoris Dei, v. g. eſt actus vitalis? nonne conſequenter licet moralis vere phyſicus? nonne hujus cauſa eſt, gratia præmovens? immo, non poteſt in ulla opinione recte negari gratiam efficacem, quæcumque ſit, eſſe cauſam phyſicam; ſi non vis præviam ne lædatur libertas; hanc quidem volunt Thomiſtæ, ſed ut de facto ſolvatur libertas quatenus ejus ope voluntas humana exit de potentia ad actum, ſalvo libertatis jure, maxime juxta ſecundam ſententiam Thomiſtarum, qui aſſerunt Deum paratum eſſe concurrere, præmovere, quando tranſacto deliberationis tempore, voluntas jam a Domino præparata per gratiam ſufficientem pro nata libertate vult agere.

Objicies 3. Præmotio phyſica non eſt gratia Mediatoris: fruſtra igitur admittitur pro gratia efficaci ad actus ſupernaturales eliciendos. Igitur procul facienda, cum ad libertatem ſub ejus dominio componendam non parum deſudare videantur Thomiſtæ. Probatur antecedens: præmotio phyſica & gratia per ſe efficax, ipſis conſentientibus Thomiſtis, erat in ſtatu innocentiæ neceſſaria: & tamen gratia Mediatoris a gratia Adami prorſus diverſa eſt. Ergo, &c.

Reſpondeo 1. Janſenium l. 7. de gratia Chriſti c. 11. fortiter propugnare præmotio-

motionem phyſicam non eſſe gratiam Mediatoris, nec ullum hujuſmodi auxilii in Beato Auguſtino inveniſſe veſtigium: unde Dominus Paſchal non eam ſemel flocciſacit & ſuo ſtylo perſtringit cenſorio, ſicut & gratiam ſufficientem Scholæ Thomiſticæ, maxime litt. 2. Igitur ex ipſo Janſenio & Domino Paſchali non coutuntur Thomiſtæ cum Novatoribus: ſententia Academiæ Angelicæ de gratia toto cœlo diſcrepat ab opinione fucati Auguſtini Yprenſis. Quo fronte igitur audent dicere ejus Aſſeclæ eandem ſe propugnare de gratia actuali doctrinam quam defendunt Thomiſtæ? ſuam profecto vident cauſam nullo fulciri fundamento valido: hinc poſt naufragium apud Thomiſtas quærunt tabulam, ut æternam conſequantur ſalutem, ſed quæritur ut fideles ſint, ut ſincere & non ficto agant animo, ut depoſitis erroribus, libertatem non ſolum ſtatus ſed & actus agnoſcant & propugnent, ſicut vere cordati agnoſcunt Thomiſtæ.

Reſpondeo 2. in forma, negando antecedens: dico Beatum Auguſtinum non in uno loco, ſi non verbo, ſaltem quoad rem, admittere præmotionem phyſicam in utroque ſtatu, videlicet naturæ integræ & naturæ reparatæ, ut in tractatu de gratia fuſius demonſtrabitur: ſufficiat impræſentiarum hæc Auguſtini proferre verba l. 3. de Trin. c. 4. " Deus, *inquit*, „ operatur omnia, movens prius ſive animos homiuum, ſive cunctorum ſpirituum ſibi ſubditas ſervitutes. „ Jam venio ad probationem, & dico gratiam novi Teſtamenti non diſtingui penes præmotionem a gratia primi hominis, ſed potius penes virtutem & efficaciam. Præmotio neceſſaria quidem erat Adamo innocenti & ratione dependentiæ cauſæ ſecundæ a prima, & ratione ſupernaturalitatis; nunc vero ea opus habemus etiam ratione infirmitatis. Gratia naturæ integræ adjuvabat hominem, nunc vero & adjuvat, & ſanat; præmotio immutat cor, ſanat actualem infirmitatem, & impotentiam magnam, movet & applicat ad bonum. Gratia primi hominis, inquit Auguſtinus l. de corr. & gr. c. 11. faciebat ut homo haberet juſtitiam ſi vellet: gratia ſecuudi hominis plus operatur, ea fit, ut etiam velit. Denique gratia Creatoris dabat poſſe perſeverare in bono, gratia Mediatoris dat multis, etiam actu perſeverare, quæ quidem omnia diverſis Spiritus ſancti impulſionibus & motionibus fiunt: hinc gratia Chriſti lætior eſt atque robuſtior, inquit Auguſtinus, juxta illud Apoſtoli Rom. 9. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

Reſpondeo 3. diſtinguendo argumentum iſtud: præmotio phyſica admittitur pro utroque ſtatu & eſt virtute diverſa, concedo: plures enim & ſpecialiores reſpectu noſtri habet effectus: & eſt eadem virtute, ſubdiſtinguo, quantum ad aliquid, quatenus & primum & ſecundum hominem determinat & applicat ad bonum, concedo: quantum ad omnia, nego. Nunc eſt motio uberior, adſunt enim repetitæ motiones gratiæ ſufficientis. Et vero quot inſpirationes virtutis, quot pœnitentiæ? adſunt efficaces ſemper & ſingulis oblatæ, quinimmo multis & non ponentibus obicem conceduntur. Gratia primi hominis fundata erat in pacto Dei inito cum natura humana, noſtra vero in pretio, *Empti enim eſtis*, inquit Apoſtolus, *pretio magno*; in Sacramentis quæ illam & continent, & digne ſuſcipientibus conferunt: primus homo amiſſa prima gratia, illam recuperare non potuit: ſed non ſic in præſenti ſtatu; quoties amiſſa, toties meritis Criſti recuperari poteſt.

Objicies 4. gratia præmovens & efficax eſt gratia Janſenii. Et probatur, eo ipſo quo prævalet ſuper infirmitatem, jam ſuperior evadit, ſi ſuperior, neceſſario compellit ad bonum: ſi vero non ſuperior, jam non diſtinguitur a ſufficiente, nec quidquam plus facit, unde ſufficiens erit & ſola gratia ſanativa, adeoque a gratia primi hominis indiſtincta.

Reſpondeo voluntatem ſufficientes habere vires ad reſiſtendum gratiæ interiori: ſic vult Deus ut ſalventur libertatis jura, maxime vero quia malum non habet cauſam efficientem ſed deficientem: ſi non reſiſtit voluntas, tunc ipſa cooperante, gratia vincit cupiditatem: agitur hic de effectu reali & in individuo, qui certe habet pro cauſa adæquata & gratiam & voluntatem: non enim gratia dicitur efficax in abſtracto, ſed in concreto, videlicet cum ſuum habet effectum; quia vero voluntas de ſe potens eſt ad ma-

lum

lum, ſed iners ad bonum ſalutis, habet a gratia vires ad agendum; ideo gratia dicitur per antonomaſiam victrix, ſed non excludendo liberam voluntatis cooperationem; gratia ſufficiens incipit ſanare hominem, efficax perficit & dat complementum. Hac ſuavitate profecto non gaudet gratia a Janſenio propugnata, tum quia omnem eliminat novator gratiam ſufficientem qua præparatur voluntas a Domino, ut detur locus deliberationi. Mediat quippe ſpatium temporis, aut formale, aut ſaltem virtuale inter actum primum & actum ſecundum; & in illo intervallo fit deliberatio, fit electio & determinatio, poſtea vero applicatio voluntatis ad agendum vel non agendum, ad amandum vel odio habendum, tum quia delectatio ex Janſenio independenter a voluntatis cooperatione infert actum, eo ipſo quo ſuperior eſt: nullæ igitur remanent in libero arbitrio vires ad reſiſtendum, ſub dominio gratiæ Janſenianæ: ergo neceſſario compellit, verius dicam neceſſitat ad bonum.

Inſtabis: requiritur præmotio ad non reſiſtendum gratiæ: & ſic duo ſequuntur abſurda. 1. Dari proceſſum in infinitum, nam ulteriori præmotione opus erit ad conſentiendum primæ, & ſic iterum &c. 2. præmotionem ſe tenere ex parte actus primi.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: requiritur præmotio generalis a gratia ſufficiente promanans ad non reſiſtendum gratiæ, concedo: præmotio ſpecialis quæ eſt a gratia efficaci, ſubdiſtinguo: ad non reſiſtendum per actum poſitivum bonum, concedo: ad non reſiſtendum negative, nego. Non reſiſtere duplici modo intelligitur; primo negative non ponendo obicem quem voluntas ex libertate innata deficiendo poteſt afferre; ad malum enim operandum, ex ſe valet: alio modo poſitive, puta eliciendo actum, vel contritionis, vel humilitatis quo tentationi obnitatur. Porro ut non reſiſtat negative habet a gratia præveniente, quæ, teſte Cardinali Noricio in ſuis vindiciis diſſertatione poſtrema, ad actus ejuſmodi imperfectos ponendos ſufficientes dat vires: a gratia vero efficaci ut non reſiſtat operando bonum, & ſic nullum ſequitur abſurdum: non primum quidem, nam ex D. Thoma 1. 2. q. 109. non datur diſpoſitio ad primam gratiam, bene vero ad juſtificationem, & ſic intelligi debet S. Doctor cum ait hominem debere ſe diſponere ad gratiam, intellige ſanctificantem: rurſus cum dicit facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, hoc eſt, facienti quod in ſe viribus gratiæ actualis, non denegat juſtificationis gratiam. Etvero prima gratia eſt in nobis ſine nobis ex meritis Chriſti: dat igitur Deus ſingulis gratiam ſufficientem & offert efficacem quam utique non ponentibus obicem confert, ut ejus ope peccator eliciat contritionis actum, & hoc mediante perveniat ad juſtitiam. Nec utique ſecundum ſequitur abſurdum, præmotio quippe generalis quæ eſt ipſa gratia ſufficiens ſe tenet quidem ex parte actus primi; at vero præmotio quæ a gratia efficaci promanat, tota eſt pro actu ſecundo; eſt enim id quo voluntas actu agit, inquit Alvarez.

Solutio eſt D. Thomæ: Deus, inquit, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat: ſed multi ne illuminentur actu, ne gratiam efficacem oblatam recipiant & bene agant, cordis feneſtram, vel ex fragilitate, vel etiam ex malitia occludunt. Eodem prope modo myſterium explicat Alvarez l. 3. diſp. 18. n. 20. quo loco tria ſtatuit quæ auctoritate D. Auguſtini, D. Thomæ & D. Anſelmi comprobat. 1. Non eſſe quidem in poteſtate hominis, ut habeat gratiam efficacem, bene vero, ut oblatam reſpuat, & accepta bene utatur. 2. Deum hanc eandem offerre gratiam eo ipſo quo ſufficientem confert. 3. Merito imputari peccatori ad pœnam ſi neque recipiat efficacem, neque bene vivat, quia cum poſſet bene facere abjiciendo gratiam efficacem oblatam, noluit. *Ut homines*, inquit Aug. l. 2. de peccat. meritis & remiſſione c. 2. *non adjuventur a gratia Dei, in ipſis cauſa eſt, non in Deo*. Succinit D. Thomas 3. contra Gent. c. 159. ait enim rationabiliter imputari homini ad culpam ſi ad Deum non convertatur: quia, inquit, licet auxilium gratiæ non ſit in poteſtate hominis, ſed ſolius Dei, eſt tamen in poteſtate hominis impedire ne illi conferatur: eidem doctrinæ ſubſcribit D. Anſelmus l. de caſu Diaboli c. 3. ait enim de illo. " Iſta

" eſt

,, eſt cauſa , quare Deus non conceſſit
,, Diabolo gratiam ? quia ipſe noluit
,, eam accipere , nec paratus fuit . ,,
Hoc totum momentum explanat iſto
exemplo Alvarez. Loquens enim de peccatore rebelli , ait : " Si non operetur
,, actum qui eſt in præcepto , imputabi-
,, tur illi ad culpam , eo quod ſua cul-
,, pa ſe impedivit , ne daretur illi auxi-
,, lium efficax , quod neceſſarium erat
,, ut actualiter operaretur actum virtu-
,, tis qui eſt in præcepto ; ſicut ſi Deus
,, imponeret homini præceptum volan-
,, di , & quantum eſt ex parte ſua of-
,, ferret illi alas , & adjutorium neceſ-
,, ſarium , ut volaret , ipſe autem ſua
,, libertate , reſponderet , Domine nec
,, volo alas accipere , nec volare , me-
,, rito reputaretur reus , & tranſgreſ-
,, ſor præcepti , etiam ſi non poſſet abſ-
,, que alis volare , quia ſua culpa ſe im-
,, pedivit , ne illi donaretur a Deo .

Ledeſma ſimilia dicit & propugnat in Panop. tom. 4. tract. 3. c. 5. & 6. quæ pari & non abſimili comprobat exemplo , dicens hominem non poſſe quidem gratiam promereri efficacem ſine qua actu non convertetur , ſed poſſe impedire illam abjiciendo , ne in ipſo recipiatur . Unde concludit culpam non eſſe refundendam in negationem gratiæ præmoventis , bene vero in voluntatem adverſus gratiæ imbrem recrudeſcentis . Deus igitur dat gratiam ſufficientem & offert efficacem : ſi non ponit obicem peccator , recipit oblatam & operatur bonum atque ſalvatur , porro adjutus a gratia ſufficiente poteſt actu non ponere obicem : ſed ſi ex innata libertate ponat , tunc peccat & ſæpius damnatur : peccatum igitur totaliter ab ipſo eſt , ut docet Alvarez diſp. 24. n. 37.

Bellarminus ſuum addit ſolutionibus datis calculum l. 4. de gratia & libero arbitrio c. 16. ibi enim admittit præmotionem phyſicam his verbis : " Altera
,, ratio conciliandi libertatem humanam ,
,, cum operatione divina , & fortaſſe
,, etiam probabilior eſt , juxta ſenten-
,, tiam S. Thomæ , qui docet coopera-
,, tionem divinam , non ita concurrere
,, cum cauſis ſecundis etiam liberis , ut
,, non ſolum eis dederit , & conſervet
,, virtutes operatrices , ſed etiam eas
,, moveat , & applicet ad opus ut co-
,, gnoſci poteſt ex 1. p. q. 105. art. 5.
,, l. 3. contra Gentes c. 70. & in q. 3.
,, de potentia art. 7. quæ ſententia vi-
,, detur valde conſentanea , tum Scri-
,, pturæ , quæ dicit nos in Deo eſſe ,
,, vivere & moveri act. 17. tum etiam
,, rationi & ordini quem habet prima
,, cauſa cum ſecundis . ,, Deinde reſpondet uni in contrarium difficultati quam quidem ſolvit , dicendo præmotionem non eſſe qualitatem a Deo impreſſam , ab ipſa creatura diſtinctam . " Reſpon-
,, deo , *inquit* , Deum non movere loca-
,, liter cauſam ſecundam , neque in il-
,, la qualitatem ullam imprimere , ſed
,, tantum illa uti tanquam inſtrumento
,, ad opus efficiendum , quocirca virtus
,, a Deo impreſſa per modum tranſeun-
,, tis , dum cauſa ſecunda operatur , non
,, diſtinguitur ab ipſa virtute naturali ,
,, ſed eſt illa eadem , quatenus illa Deus
,, utitur ad illam actionem perficiendam.
,, Eſt autem neceſſaria hæc motio Dei
,, ex parte cauſæ ſæcundæ , quæ cum
,, ſit talis , ideſt ſecunda , habet neceſ-
,, ſariam dependentiam a cauſa prima ,
,, in cujus virtute operatur . ,,

Proſequitur & ait : " His explicatis ,
,, ut oſtendamus , juxta hanc *S. Thomæ*
,, ſententiam , recte defendi liberum ar-
,, bitrium , ſciendum eſt ; influxum ſeu
,, virtutem Dei , qua voluntas movetur ,
,, & applicatur ad opus , recipi in cau-
,, ſis ſecundis , ſecundum earum diſpoſi-
,, tionem ,, ut idem S. Thomas in q. 3. de malo art. 2. " Attendendum , *inquit* ,
,, quod motus primi moventis , non re-
,, cipitur uniformiter in omnibus mobi-
,, libus , ſed in unoquoque ſecundum pro-
,, prium modum . ,, Et in 1. 2. qu. 10. art. 2. " Ad providentiam , *inquit* , Dei
,, pertinet , naturam non corrumpere ,
,, ſed ſervare . Unde omnia movet ſe-
,, cundum eorum conditionem . ,, Et infra . " Quia , *inquit* , voluntas eſt acti-
,, vum principium non determinatum ad
,, unum , ſed indifferenter ſe habens ad
,, multa ; ſic Deus ipſam movet , quod
,, non ex neceſſitate ad unum determi-
,, nat , ſed remanet motus ejus contin-
,, gens , & non neceſſarius , niſi in his ,
,, ad quæ naturaliter movetur . ,,

Subdit doctiſſimus ille Cardinalis " Por-
,, ro iſte modus , ſeu conditio in volun-
,, tate , ſecundum quam recipitur in eo

,, mo-

Digitized by Google

„ motûs Dei, nihil aliud eſt, niſi nega-
„ tiva quædam determinatio præcedens,
„ tum influxum Dei, tum actum elici-
„ tum voluntatis. Nimirum quod volun-
„ tas ſinat ſe moveri ab objecto per ra-
„ tionem ſibi propoſito, vel non ſinat.
„ Hæc enim determinatio, dicitur ne-
„ gativa, quia non conſiſtit in actu poſi-
„ tivo, ſed in negatione actus, cum ta-
„ men voluntas, non minus ſit libera ut
„ agat, quam ut non agat. „ Hunc ſolvendi difficultatem & libertatem cum voluntate humana conſociandi modum confirmat auctoritate D. Thomæ. “ Explicat
„ id, *inquit*, S. Thomas in q. 1. de ma-
„ lo ar. 3. ubi dicit non uti regula ratio-
„ nis, præintelligi in voluntate ante in-
„ ordinatam electionem: hujus autem quod
„ eſt, non uti regula rationis, non opor-
„ tere quærere aliam cauſam, niſi vo-
„ luntatis libertatem, qua videlicet in ejus
„ poteſtate eſt, ut ſinat ſe moveri a ra-
„ tione, vel non ſinat. Et rurſus in q. 3.
„ de malo ar. 2. idem S. Thomas dicit,
„ requiri in homine diſpoſitionem quan-
„ dam ad recipiendum influxum Dei, &
„ juxta eam diſpoſitionem produci bonum
„ vel malum actum. Non poteſt au-
„ tem prærequiri ante influxum Dei ul-
„ la diſpoſitio poſitiva, cum nihil po-
„ ſitivum ſine Deo fieri poſſit. So-
„ la igitur prærequiritur diſpoſitio nega-
„ tiva. „

Poſtea ſuam cum motione Dei libertatis concordiam ſic concludit percelebris ille Theologus. “ Atque hinc fit, ut vo-
„ luntas ſit vere libera, & ſe ipſa deter-
„ minet, tametſi Deus illam moveat,
„ & applicet ad opus, quoniam ipſa Dei
„ motio in ejus poteſtate eſt, ſive ut lo-
„ quitur Cajetanus in 1. p. q. 19. art. 8.
„ Dei motione voluntas noſtra libere uti-
„ tur. Nam ſi moveri ſinat ab objecto
„ propoſito, Deus eam applicat & mo-
„ vet ad actum eliciendum, ſi non ſinat,
„ Deus eam non applicat, neque movet.
„ Et ideo S. Thomas in 1. 2. q. 10. art. 4.
„ ad 3. concludit, poſita Dei motione,
„ impoſſibile eſſe ut voluntas non movea-
„ tur; abſolute autem non eſſe impoſſibi-
„ le, quia videlicet poteſt voluntas non
„ ſe diſponere per negativam determina-
„ tionem ad motionem Dei recipiendam. „ Igitur voluntas liberrima eſt ſub dominio præmotionis propter duo. 1. Quia gratia ſufficiente adjuta & præventa poteſt ſinere ſe ab objecto propoſito moveri, quod ſi faciat, recipit gratiam efficacem præmoventem, & actu elicit & operatur actum poſitivum bonum. 2. Quia ex ſe ſufficientes habet vires tum ad reſiſtendum gratiæ ſufficienti ad bonum eam propulſanti, tum ad rejiciendam gratiam efficacem quæ in eodem prorſus inſtanti ad eliciendum actum offertur.

Hanc libertatis cum gratia concordiam ad mentem D. Thomæ prorſus concinnatam eſſe credit R. P. Maſſoulie Dominicanus. Unde in Opere ſuo cui titulus eſt: *Divus Thomas ſui ipſius interpres*, diſſ. 1. div. mot. q. 1. art. 2. p. 7. ſic loquitur: “ Adeo communi Thomiſtarum ſen-
„ tentiæ favet, ut ne quidem unica linea
„ ſit, quam rigidiſſimus Thomiſta expun-
„ ctam eſſe optare debeat. „

Subſcribit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus D. de Fenelon, Cameracenſis Archiepiſcopus, in ſua Inſtructione Paſtorali per modum Dialogi conſcripta anno 1714. parte ſecunda. Vir ſane dilectus Deo & hominibus, pietate percelebris, zelo paſtorali ſupra modum conſpicuus, liberi arbitrii acerrimus propugnator, in rebus dogmaticis clare, ſolide & profunde indagandis nulli ſecundus, dignus certe ut in lumine ejus videamus lumen. Litt. 12. & 13. Partes agit Angelicæ Scholæ & luce clarius demonſtrat fruſtra Heterodoxos ad D. Th. alarum umbram confugere, ut Eccleſiæ declineut iterata anathemata, neque D. Thomam, nec ejus veros Diſcipulos eſſe cum eis, Janſenianam doctrinam Thomiſticæ omnino adverſari, Thomiſtas Doctores pro Aris & Focis ad defendenda libertatis jura pugnare. Litt. 12. Erudite explanat Bellarmini ſententiam, quam tanquam genuinam D. Thomæ ſententiam propugnat. Litt. 14. Perfectam libertatis cum gratia concordiam in ſententia Thomiſtarum vere reperiri oſtendit, unde ſicut in Schola Congruiſtarum, ſic & in Angelica D. Thomæ Janſenium cauſa cadere docet, oſtendit invictiſſimis rationibus, egregie ſuadet.

Inſiſtes, voluntas divina eſt prima cauſa omnium rerum, & jam ab æternitate decrevit Deus, quid velit aut non velit fieri: nulla igitur eſſe poteſt in homine libertas arbitrii, maxime ſub decreto præ-

movente, & ſub ipſa præmotione ejus efficaciſſima virtute.

Reſpondet Bellarminus ad hoc Calvini argumentum ibidem c. 16. his verbis: " „ Voluntas divina eſt quidem prima cau- „ ſa omnium rerum, & ab æterno de- „ crevit quid velit aut non velit fieri; „ ſed in particularibus, & maxime libe- „ ris actionibus, id non decrevit, niſi „ præcognita prius diſpoſitione & deter- „ minatione ſecundarum cauſarum. " Ergone requiritur ſcientia media? Reſpondemus negative, quia ſcientia viſionis ſufficit ad præſcienda futura conditionata quorum conditio purificabitur. Ergone etiam explodenda ſunt decreta præmoventia? Minime: admittimus generalia quibus Deus ſtatuit movere cauſas ſecundas quando pro innata libertate operari expoſtulant: particularia utique, ſed ea regulat Deus ſecundum præſcientiam: hac ratioue utitur Auguſtinus ad perſtringendos Pelagianos: cum enim gratiam efficacem, quam defendebat S. Doctor, libertatem perimere prædicarent, reſpondet eis l. 3. de lib. arb. c. 3. Deus præſcius eſt voluntatis humanæ; ſciens igitur quid actura ſit ſub præmotione, decernit actionem, nec aliter certe, ſalvo libero arbitrio, poteſt ſtatuere, cum quæſtio ſit de actione libera quæ ſane futura eſt dependenter & a cauſa prima, & a cauſa ſecunda, cum ab utraque ut a principio adæquato profluat. Ergone aliquid eſt determinate futurum ante decretum? nullo modo, cum cauſa ſecunda ſeſe non poſſit ad actum accingere, niſi moveatur a prima. Numquid concurſum Dei dices duntaxat ſimultaneum? eſto ſit ſimultaneus tempore, ſed non cauſalitate: licet enim prima & ſecunda cauſa eandem ſimul producant effectum, prius tamen prioritate naturæ prima concipitur agere.

Rurſus inſtabis: homo quandoque gravi exacerbatus tentatione reſiſtit & vincit: quandoque vero urgente minore, cedit; igitur victoria parta in primo inſtanti ſignum eſt & argumentum gratiam non ſolum præmovere ſed & neceſſitate, quinimmo, inquit Calvinus, rapere ad bonum.

Reſpondeo negando gratiam quantumvis efficacem vel minimam voluntati imponere neceſſitatem: maxime vero quia voluntas eſt de ſe potentiſſima ad malum: namque & hæc eſt creatoris inſtituta lex; ut habeat vires ſufficientes tum ad bonum tum ad malum operandum; alias incaſſum Spiritus Sanctus conclamaret, quod abſit dicere, *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Sed quid mirum quod ingraveſcente concupiſcentiæ prælio, quandoque fortius homo obnitatur? tunc enim, inquit ibidem Bellarminus, tentatus magis vigilat, tunc vehementius orat, tunc arma ad propellenda rugientis inimici tela ardentius quærit, tunc ex impetu Dæmonis, de ſua ſalute, ſi conſentiat, actum eſſe intelligit: hinc periculum imminens, novas ſæpius ad media pro ſalute quærenda addit vires. Cæterum, peccator illuminatus a Deo cuncta ponderans judicat melius eſſe Domino quam Dæmoni ſervire, & illo judicio practico, adjuvante gratia, oritur victoria.

Objicies 2. myſterium gratiæ eſt inſcrutabile, ut multis in locis poſt Apoſtolum fatetur Auguſtinus: ſed ſi libertas cum gratia ſecundum captum humanum componatur, profecto ineffabile & incomprehenſibile non eſt: igitur concipi non poteſt, maxime ſub dominio gratiæ præmoventis, libertatis jura ſervari.

Reſpondeo myſterium gratiæ eſſe quidem ſecundum ſe inſcrutabile, ſed ſuppoſita fide de libertatis incolumitate, concordia liberi arbitrii cum gratia tametſi difficilis nou tamen incomprehenſibilis eſt. Hanc Auguſtinus l. de grat. Chriſti c. 7. n. 52. & Epiſtola 215. ad Valentium non dicit impenetrabilem. Epiſt. 214. ait: *Paucis in elligibilem*, non tamen omnibus. Etvero ſi foret inſcrutabilis, ad quid tot S. Doctoris in tribus libris de libero arbitrio explicationes? ut probet libertatem cum gratia effieaci optime conſociari, unde l. de ſpiritu & litt. c. 31. n. 54. aſſerit, Deum quidem gratia ſua movere homines: *Non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium*. c. 34. n. 6. gratiæ delineat ſuavitatem dum affirmat movere ſuadendo, conſiliando: rurſus l. 1. ad Simplicianum q. 2. ait Deum movere quomodo ſcit congruere: unde l. 6. Conf. c. exclamat: *Paulatim, tu Domine, manu mitiſſima & miſericordiſſima pertractans & componens cor meum*.

Quid

Quid plura? gratia Chriſti eſt potentiſſima vis Sapientiæ incarnatæ quæ cuncta attingit a fine uſque ad finem fortiter & diſponit ſuaviter.

Hunc ſuavem ad componendam libertatem cum gratia modum propugnant Scholæ vere Catholicæ; quocirca Clemens VIII. opinionem Congruiſtarum & Thomiſtarum in congregatione de auxiliis intactam reliquit, diſtricte prohibendo, ut nullus parti alteræ notam aliquam erroris inurere auderet: at vero Janſenianam, iterum atque iterum anathemate percuſſerunt Summi Pontifices; immo, damnata manet in decretis Concilii Tridentini adverſus Proteſtantes: ita enim loquitur ſancta Synodus ſeſſ. 6. *Si quis dixerit liberum arbitrium motum non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.*

Ne mireris, benevole Lector, ſi repetitis reſponſionibus, argumenta adverſus Thomiſtarum opinionem in materia gratiæ præmoventis ſolvimus, ex abundantia quidem juris, maxime vero ex grati erga Scholam Angelicam animi obſequio, quam ſane tanti facimus, ut eam in ejus potiſſimum antiquis Doctoribus tanquam Magiſtram audire congaudeamus.

Hic eſt utriuſque ſyſtematis in componenda libertate cum gratia præmovente modus. Cum voluntas humana ſit in potentia tum phyſice, tum moraliter; ad agendum requiritur ſemper motio moralis & phyſica, primo quidem generalis quæ eſt a gratia ſufficiente, quæ utroque modo movet ad bonum ſalutis, ſed imperfecte: actus enim ejus eſt indeliberatus: ſequitur deliberatio & electio: poſtea motio moralis uberior, & phyſica ad actum perfectum eliciendum, utraque motio eſt a gratia efficaci, ſed motio moralis ſe habet formaliter, phyſica tantum materialiter. In ſecundo ſyſtemate præmotio phyſica ſe habet etiam materialiter, ita tamen ut ſe teneat ex parte actus ſecundi, & ſupponat deliberationem: unde voluntas poteſt non agere in ſenſu diviſo. Elige quod malueris.

SECTIO NONA.

Concluſio concordiæ libertatis cum præſcientia, & ſynopſis probationum.

Concluditur ex ſanctis Patribus libertatem cum gratia Mediatoris & præſcientia optime conſociari; omnes ſiquidem docent hominem eſſe liberum, poſſe tranſgredi, & non tranſgredi, præcepta facere & non facere, unde fatum Ethnicum & Manichæum quatuor primis ſæculis pro virili debellare non ceſſarunt.

Concluditur ex Div. Auguſtino præſcientiam Dei non lædere libertatem, quoniam cuncta prænoſcit Deus, immo ipſas hominum voluntates, & quidquid pro innata libertate acturi ſumus: unde præſcientia eſt cognitio certa, eaque neceſſaria ex parte quidem Dei quem nihil latet, nec latere poteſt, ſed hypothetica ſeu conditionata ex parte cauſæ ſecundæ: ſuppoſito enim quod hoc vel iſtud velit, novit profecto Dominus, ſed non ideo vim infert voluntati, quinimmo, relinquit hominem in manu conſilii ſui: porro quid in tali poſitus circumſtantia facturus eſt, ſcit & videt. S. Doctor. l. 6. de Gen. ad litt. c. 17. ſic loquitur: " Secundum quaſdam futurorum cauſas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam; id utique faciens quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum eſſe præſciebat & in ſua voluntate ſervabat. Non ergo id facit quod facturus non erat: hoc enim erat magis futurum quod ſeſe facturum eſſe præſciebat. Nec tamen illi anni additi recte dicerentur, niſi aliquid adderetur quod ſe aliter in aliis cauſis habuerat: ſecundum aliquas igitur cauſas inferiores, jam vitam finierat, ſecundum illas autem quæ ſunt in voluntate & præſcientia Dei, qui ex æternitate noverat quod illo tempore facturus erat, & hoc vere futurum tunc erat vitam finiturus, quando finivit vitam. Quia & ſi oranti conceſſum eſt, etiam ſic oraturum ut tali orationi concedi oporteret, ille utique præſciebat, cujus præſcientia falli non poterat; & ideo quod præſciebat, neceſſario futurum erat. " Neceſſario qui-

dem ſed ex parte præſcientiæ , non vero objecti & cauſæ ſecundæ, ideſt ſuppoſito quod creatura libera hoc vel iſtud faciat , cum Deum nihil lateat , abſolute præſcit omnia quæ eventura ſunt : ipſam igitur Ezechiæ orationem Deus præſciebat , ſicut & aliæ quæ fiunt in tempore : iſto ſuavi prorſus modo Auguſtinus libertatem cum præſcientia innixa decreto per ſe efficaci mirabiliter componit .

S. Doctor l. 3. de libero arbitrio clarius adhuc ſe explicat c. 4. n. 10. ubi omnem ſolvit in contrarium difficultatem : " Unde tibi videtur adverſum eſſe liberum arbitrium noſtrum præſcientiæ Dei , quia præſcientia eſt, an quia Dei præſcientia eſt ? quia Dei potius ; Quid ergo ſi tu præſcires peccaturum eſſe aliquem, non eſſet neceſſe ut peccaret ? Immo neceſſe eſſet ut peccaret : non enim aliter eſſet præſcientia mea , niſi certa præſcirem. Non igitur quia Dei præſcientia eſt , neceſſe eſt fieri quæ præſcierit , ſed tantummodo quia præſcientia eſt . Quæ ſi non certa prænoſcit , nulla eſt .

Concluditur ex D. Thoma præſcientiam prædefinientem cum libertate conſociari , quia tametſi gratia efficax præmoveat voluntatem humanam ad agendum , iſta tamen ſe determinat ad actum in individuo, ſeu ad actum hic & nunc eliciendum. Sic loquitur Sanctus Doctor in 2. diſt. 39. q. 1. " Sed quod determinatio exeat in hunc vel illum actum , non eſt ab alio determinante , ſed ab ipſa voluntate determinatio relinquitur in poteſtate rationis & voluntatis. „ Rurſus 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. " Deus eſt igitur prima cauſa movens & naturales & cauſas voluntarias . . . . . non aufert quin actiones earum ſint liberæ . „ Unde q. 24. de verit. art. 1. ad 13. ait: " Ex præſcientia Dei non poteſt concludi quod actus noſtri ſint neceſſarii neceſſitate abſoluta quæ dicitur neceſſitas conſequentis , ſed neceſſitate conditionata , quæ dicitur neceſſitas conſequentiæ . „

Concluditur ex Divo Anſelmo libertatem optime ſtare cum gratia efficaci & cum decreto prædefiniente, quia voluntas utitur gratia ſi vult, & liberrime ſuum elicit actum , ſemper profecto potens eſt proxime & ſufficiens ad contrarium ponendum. Ita ſe explicat ſubtiliſſimus ille Doctor l. de concordia gratiæ cum libero arbitrio c. 3. " Debet Deus ſic attemperare gratiam , ut ea homo poſſit uti vel non uti pro libito . „

Concluditur ex omnibus Theologis orthodoxis libertatem hominis intactam manere ſub dominio tum præſcientiæ , tum prædeſtinationis , tum gratiæ efficacis : omnes de hoc dogmate conveniunt , & tantum in diverſis ſeſe explicandi modis diſcrepant . Etvero omnes agnoſcunt voluntatem a Domino per gratiam ſufficientem ad actum eliciendum præparari , fortius adjuvari per efficacem , ſed ſemper libere ; ita ut voluntas facta & prævia deliberatione ſeipſam determinet ad actum in individuo.

Concluditur ſpecialiter ex Thomiſtis qui libertatem ne in minimo quidem puncto lædi aut per decreta præmoventia , aut per ipſam præmotionem phyſicam aſſerunt: non quidem per decreta, quandoquidem , duce D. Thoma, Deum creaturas movere conformiter earum naturæ prepugnant: neque per ipſam præmotionem phyſicam. Etvero vel ſe habet mere materialiter ad actum, ut ſatis clare demonſtravimus, vel etiam ſe habet juxta rigidos Thomiſtas formaliter : ſi primum , luce clarius patet libertatis juribus non adverſari, cum tota actus humani œconomia penes ſit , ſaltem principaliter , præmotionem moralem , cui poſſe reſiſti nemo diffitetur : ſi ſecundum, ſequitur utique liberum arbitrium non perimi , quandoquidem præmotio phyſica ſe tenet ex parte actus ſecundi , unde ad deliberationem prius factam ſubſequi conſtat ; quis autem abſque verbo injuriæ , immo & calumniæ dicet , actum ex matura deliberatione factum non eſſe liberum? Ex his concluſionibus in ipſo oculi mentis ictu ſeu intuitu mira gratiæ cum libertate concordia apparet .

SYNOPSIS SOLUTIONUM

AD ARGUMENTA CONTRA CONCORDIAM CUM LIBERTATE ET GRATIA.

PRIMO non negamus Deum ab æterno cuncta prænoſcere ; nec poſſe ejus falli præſcientiam aſſerimus , non inde tamen

offen-

offenditur humana libertas, quia prænoſcit Dominus eventus eo modo quo a cauſis ſecundis debent fluere, quocirca neceſſario, ſed neceſſitate ſe tenente ex parte cognoſcentis quem nihil latere poteſt, nuſquam vero ex parte effectus: immo & præſcit & prædefinit Deus, ſed ut eveniat contingenter, inquit D. Thomas: certitudo igitur præſcientiæ ex aliquo voluntates hominum aut cogente, aut neceſſario ad aliquem actum compellente non oritur, ſed ex univerſalitate & efficacia intellectus divini cuncta prænoſcentis.

Secundo, verum eſt prædeſtinatos certiſſime ſalvari: ergone inducitur neceſſitas in actibus humanis? nullo modo: prædeſtinatio quippe ſive ante, ſive poſt præviſa merita, executioni mandatur bonis operibus quæ quidem a voluntate cum deliberatione agente procedunt: nec illa prædeſtinationis certitudo a ſolo decreto promanat, non a ſola gratia, ſed utique a voluntate cujus Deus liberam præſcit gratiæ ſuæ cooperationem.

Tertio, gratia præmovens a Thomiſtis quidem prædicatur, ſed præmovens prioritate tantum naturæ, cauſalitatis & dependentiæ, ſed præmovens ſuppoſita deliberatione; ſed præmovens eſto ſi vis indeclinabiliter, at tantum in ſenſu compoſito, quippe quæ ſe teneat ex parte actus ſecundi.

Deſinant igitur Hæretici contumeliis laceſſere Theologos ſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, dicendo non ſolum in ſententiis, ſed etiam in fidei dogmatibus diſcrepare; ſic enim contra Catholicos debacchari non deſinunt ut fucum faciant ſimplicibus, & ſuos vinciant manicis pluſquam ferreis, pertinacia ſcilicet & firmitate in errore, de quibus hæc verba ſancti Job, heu gemens dico, poſſunt proferri: *Si apparuerit eis aurora*, (ſanæ nimirum doctrinæ) *arbitrantur umbram mortis*. Quin potius demirentur Eccleſiam Romanam neſcire in fide novitatem & varietatem. Dicant ſi quis inter ejus Theologos libertatem hominis ſub dominio gratiæ unquam negaverit: ſi quis fatum per præſcientiam Dei actibus humanis affixerit: ſi quis prædeſtinationem vel ad vitam vel ad mortem neceſſitantem induxerit. Quod ſi quidam a trita illa ſanctorum Patrum atque Doctorum regia via attendentes ad ſpiritus erroris & mendacii deflexerint, ſtatim & abſque mora tanquam Ethnicos & Publicanos haberi voluit, ſtatuit, definivit: quia vero virtus fidei mater & nutrix eſt, probitatem morum, ſuavitatem & ſanctitatem Scholarum Catholicarum celebrare juvat, ut diſcant inimici veritatis quibus modis verbo & exemplo ſemper Theologi ſanctæ Eccleſiæ, fidem tenuerint & bella Domini adverſus eos invicto animo geſſerint. Sed ne fuſior ſit ſermo, gradum ſiſtimus in quibuſdam Academiis jam jam laudatis.

ARTICULUS QUARTUS.

Puritas fidei plurimum commendatur ſapientia, virtute & ſanctitate Scholarum ſanctæ Eccleſiæ Romanæ.

LUCERE vanum, inquit Bernardum: (a) quis enim credet prædicanti qui factis negat quod lingua docet & confitetur? ardere parum: cæci enim cæcos ducunt, & omnes cadunt in foveam: ſed lucere & ardere perfectum: maxime ſi Doctor ardeat charitate, ſi operibus, ſi fide, ſi humilitate & cæteris virtutibus abundet. Primi Evangelicarum veritatum Theologi, doctrinam portentis & miraculis confirmarunt. Patres exemplo, Doctores ſanctitate, pietate, ſapientia & morum probitate, ita ut mille clypei pendeant ex eorum virtute quibus fides ſaluberrima gignitur, nutritur, roboratur.

SECTIO PRIMA.

Puritas fidei celebratur virtute, ſcientia & ſanctitate multorum Doctorum Univerſitatis Pariſienſis.

UNIVERSITAS Pariſienſis (b) fundatorem habuit Carolum Magnum qui ſic Galliæ, Imperiique Germanici gloriam ſuſtinuit, ut vix alter fuerit ipſo major. Primum Profeſſorem nonnulli tenent fuiſſe Alcuinum, cujus nomen præconium eſt maximus, qui & Elypandum doctiſſimis & ineluctabilibus confutavit argumentis,

(a) *Serm. de Nat. D. Joan. Bap.*
(b) *Antiq. Pariſ. per le Maire.*

quibus veſtigiis ſemper inhærens, etiam a Summis Pontificibus frequenter magnis ornatur laudibus. Enimvero alii ſtudium Pariſienſe fundamentum Eccleſiæ vocare, (a) alii omnes fere orbis Chriſtiani Eccleſias ab hac Academia Præſules accepiſſe, alii cæterarum Univerſitatum eſſe matrem, alii tandem amœniſſimo fonti, cujus aquæ univerſam Eccleſiæ faciem irrigant ad jucunditatem, aſſimilare non dubitaverunt.

Sed unum inter multa demirandum maxime, quod Eugenius III. ſummus Pontifex, nihil contra Gilberti Porretani errores decernere voluerit, niſi prius Doctorum Pariſienſium ſententiam compertam haberet, ut armatura iſtorum fortium quaſi munitus, & hæreſim feriret uſque ad interitum, & auctorem converteret ad ſalutem. Quid mirum jam, ſi hæc Academia hæreticos ſubvertere ab incunabulis aſſueta, viderit Adamum du Petitpont pari argumentorum ſubtilitate & rationum ſoliditate Gilbertum errantem confundere? Petrum Aliacum, Joannis de Monteſono ſtupidos debellare nævos? Hinc iſta Univerſitas ſummo fuit in honore apud Galliæ Reges erga quos obedientiam & reverentiam ſubditis ſemper commendavit. Præcipuum tamen accepit decus 1252. in quo faciliter, fortunateque exordium ſumpſit fulgentiſſimæ Sorbonæ Societas, in ortu quidem minima apparuit, ſed brevi crevit in arborem magnam. Protoparentem habuit Virum pietatis ac religionis zelo coruſcantem cujus nomen eſt Sorbon. Adjutorem ſimul & dotatorem immortalis memoriæ ſanctum Ludovicum, approbatorem vero Clementem quartum inter ſummos Pontifices celeberrimum.

His ergo ſuffulta hæc ſupernarum ſcientiarum Palæſtra, ſubito fœcundi inſtar campi clariſſimos protulit Viros qui vel ingenii claritate, vel tractandarum Regni rerum prudentia celebres fuere. Hæreſes profligavit, immo naſcentia errorum monſtra debellavit, ſchiſmatum iniqua molimina abhorrens, pacem reſtituere & conſilio & labore ſategit. Et vero quis error, quæ hæreſis, quæ perverſitas antiqua ab ea proſcripta non fuit? Millenarios, Albigenſes, Valdenſes, Lutheranos, Calviniſtas, Novatores, hac omnes perduellium cohortes deteſtata ejecit, propugnavit, debellavit, devicit. Nec antiquorum ætates temporum hic referam aut depingam. Viderunt oculi noſtri invictiſſimos Doctores omnia hæreticorum ſchiſmata pari facilitate & animi fortitudine ſolventes. Vidimus tela in ipſos adverſarios retorta: vidimus de eis victoriam reportantes, vidimus laureatos in Eccleſia & pro Eccleſia triumphantes.

Quid memorem Boſſuetium Meldenſem Epiſcopum, quem Univerſitas Pariſienſis habuit Doctorem eximium, quem ultima ætas demirata eſt ut Eccleſiæ Patrem invictiſſimum? Hic repetitis præliis, Calviniſtarum, Lutheranorumque impetus non ſemel laceſſivit, ſed laceſſitos ſemper ſuperavit, immo ipſi rebelles invictas ſentientes manus ſiluerunt,

Illud tamen prætereundum non eſt, quod Univerſitas Pariſienſis plurimos peperit Auctores qui vel rerum Eccleſiaſticarum facta, vel Scripturæ implicatos ſenſus, vel doctrinæ theſauros poſteris tradiderunt. Inter recentiores demirando annumeramus Duvallium, Gamachium, Yſambertum, Grandinum & alios permultos omni exceptione majores, in quibus nec fidei ardor, nec erga ſancti Petri Cathedram devotio ſenuerunt.

Aſt meminiſſe juvat ipſos Franciæ Reges Doctorum hujuſce Academiæ Cathedras dotaſſe (a). Inter ſuos Proviſores nonnullos annotat Cardinalitia purpura decoratos, Eminentiſſimum ſcilicet Albertum de Gondi, Cardinalem de Rets, & nunquam oblivioni dandum Armandum Richellium qui collabentem Sorbonæ Domum extruxit ſuperbo quo nunc cernitur modo. Mazarinus ei Proviſoris officio ſucceſſit. Sed abſit ſilere Ludovicum Borbonium Cardinalem Cenomanenſis Eccleſiæ Præſulem qui magno duxit honori inter Sorbonæ Proviſores adſcribi; (b) ut primum enim electus apparuit, lætabundus exclamaſſe dicitur, ecce nunc tandem votorum meorum compos factus ſum. (c) Quid de Eminentiſſimo Cardinali Lud. Ant. de Noailles qui jam a ſæculo extinctum Theſeos reſumptivæ actum etiam ſuſcitavit? Mitto alios plurimos ſicut pietate ita & doctrina atque ſapien-

(a) *Davity.*

(a) *Moreri.*

(b) *Pariſ. antiq. & nov. Le Maire Gall. Pur.*

(c) *Frizon Gall. Purp.*

pientia perilluſtres, qui hanc præclare adimpleverunt Provinciam. Non prætereundus vel ipſe Clemens VI. alias Doctor Pariſienſis, deinde felici admodum numine Pontifex Maximus, hoc tamen Proviſoris titulo inſignitus, hunc uſque ad ultimum vitæ terminum ferre gloriatus eſt.

Inter Doctores ſuos leguntur Principes qui hoc titulo etiam gloriari delectantur. Illud vero majus eſt, nempe quod nulla proſapiæ fulgentis familiæ, abundanti divitiis, habeatur ratio; ſolum ſcientiæ jubar ibi lucet, nullum aliud ſydus agnoſcitur, & ne antiqua tempora relegere cogamur, juvat animo revocari doctiſſimos Viros, quos non ita pridem Theſibus ut Eccleſiæ Patres præſidere vidimus. Quid memorem de inclyto & eminenti Principe Rohan de Soubize, de Cardinali DD. de Biſſy, de Illuſtr. DD. de Geſvres Archiepiſcopo Bituricenſi? Quid de utroque DD. Boutillier de Chavigny, illo quondam, iſto nunc Trecenſium, & deſignato Senonenſium Proceribus? Quid de Vivarienſi Præſule DD. de Ratabon? Quid de aliis innumeris quorum ſeriem hic texere fuſior forem? Dicam tantum hujuſce Univerſitatis alumnos perilluſtres, ſic omnium difficultatum nodos vel in ſuſtinendo, vel in præſidendo ita diſcutere, ut ſcientiam Angelorum matutinam e cælo evocaſſe videantur.

Plurimi Religioſi Theologicas Univerſitatis Pariſienſis Scholas etiam ornavere: inter cæteros maxime illuxerunt Hugo & Richardus a Sancto Victore quorum melliflua ſcripta luce clarius demonſtrant, eos cæleſti reſplenduiſſe ſcientia.

Surrexere (a) etiam pro utilitate Eccleſiæ Albertus Magnus: Hugo a Sancto Charo quem antiqui Academiæ Pariſienſis ſecundum titulo decoratum inauguratum fuiſſe tradunt. Sed maxime ſolis inſtar orbem univerſum illuminavit Angelicus Doctor Div. Thomas Aquinas, Scholaſticæ Theologiæ parens, dogmaticæ ſtrenuus defenſor, moralis puriſſimæ indagator admirabilis, Hæreticorum fulmen, lampas Doctorum, Palęſtræ decus, indeficiens Eccleſiæ lumen & ornamentum. Divi Franciſci ſacra Familia, (b) inter Regulares fulgentiſſima ſemper extitit, quippe quæ quatuor ſummos habuerit Pontifices, & quadraginta quatuor Cardinales. Hæc utique Sorbonæ ſplendorem non modice ampliavit, dum ſuper Scholæ candelabrum expoſuit Alexandrum Alenſem, Sanctum Bonaventuram Seraphicum Magiſtrum, Scotum qui Doctoris ſubtilis nomine eſt inſignitus, Joannem de Rupella, Joannem de Parma, Petrum Aureolum Aquenſem Archiepiſcopum, Franciſcum Mayronium inſtitutorem magni actus Sorbonici qui florebat circa annum 1315. & alios plures ſcientia claros, virtute fortes, ſapientia & zelo fidei multum commendabiles, quorum memoria in benedictione eſt & erit in ſempiternum.

Carmelitarum Ordo ſuos quoque habuit Coryphæos qui ſupernarum arcana rerum ſcriptis mandantes, mirum in modum emicarunt, præſertim vero Simon de Spira, Hubertus Leonardus, Petrus de Caza & nonnulli quorum fulgore enituit Academia Pariſienſis.

Divi Auguſtini præclara ſoboles ennumerat inter Sorbonæ Proceres quos gremio continuit, Ægidium Columnam Archiepiſcopum Bituricenſem, Gregorium Ariminenſem, Thomam Argentinenſem, Raimundum Altopontanum qui omnes Parentis & Inſtitutoris ſui victrices ambientes vices, lauream Doctoratus non indecore geſſere.

Alcuini (a) jam meminimus quem Benedictinorum antiquiſſimus & religioſiſſimus Ordo dedit, etiam protulit ſcientificum Claudium Sanctæum, Gilbertum Gunebrardum, Guidonem Juvenalem, Joachim Perionium, & hic non prætermitto etiam Divi Benedicti Filiis Eccleſiam debere, tot antiquorum ſcripta Patrum quæ publici fecerunt juris, ut omnibus ſint ad illuminationem & conſolationem.

Ecce quibus quondam fulſit ornamentis Academia Pariſienſis, Viris nempe non pietate minus quam ſcientia claris. Plures vidit Doctores aut ſacrarum Templorum, aut Monaſteriorum, ſeu etiam Collegiorum Extructores, Dotatores & Benefactores. (b) Verum ne ingrati animi labe notemur, hic celebrare expedit clariſſimos ac piiſſimos Pariſienſis Academiæ Doctores Dominos Joannem Quantinum & Joan-

Xx 4 nem

(a) *Moreri*.
(b) *Daviity*.

(a) *Gallia Chriſtian.*
(b) *Chronic. Minim.*

nem Standonium quos S. Franciſcus de Paula ſummo proſecutus eſt amore, qui etiam pro virili, & quidem feliciter Nigeonenſis Conventus Provinciæ Franciæ capitis ſtructuram & curare, & ad perfectionem conducere ſategerunt. Mitto Dominum le Blond, & alios Venerabiles Doctores pietate & ſcientia inſignes qui ejuſdem Monaſterii Bibliothecam exquiſitis Libris ampliavere.

Quis nunc ſententiam de ſcientia Dei, de libertate humana, de ejus cum decretis divinis ac gratia conſociatione atque de Prædeſt. SS. tanta antiquorum Doctorum virtute ſuffultam lubenti animo non venerabitur? Quis veritatem omnium fortiſſimam, ſemotis aut errorum, aut paſſionum tenebris, vel amoris proprii in Angelum lucis ad decipiendum transformati, illuſionibus, non dicet, non credet, non confitebitur? Sed juvat pergere & longius ire gradum faciendo ad alia fidei fulcimenta, quæ in aliis Eccleſiæ Catholicæ Scholis, non ſine magno etiam fidei hoſtium ſtupore, emicant & ſplendent.

SECTIO SECUNDA.

Puritas fidei affulget in eximiis Scholæ Angelicæ Theologis, maxime vero rutilat ſanctitate & ſapientia D. Thomæ Aquinatis.

JURE merito Doctor Angelicus D. Thomas cum Salomone dicere poteſt, ſe ſapientiam amaviſſe, & a juventute ſua exquiſiviſſe, ut eam aſſumeret in ſponſam, propter hanc & hodie claritatem habet ad turbas, & honorem apud Seniores. Igitur laudent eum opera ejus, nam deficeret & ipſa laus in exaltandis D. Thomæ geſtis. Hic ergo non diverſos eloquentiæ circulos, non Rhetorices ornamenta, non ſermonis venuſtatem & flores congerere, ſed ipſa ſuper omnem laudem facta referre ſatagam.

Tanta eruditione coruſcant ejus ſcripta ut omnium etiam Doctorum animum rapiat; (a) myſteriorum Dei compendium eſt ſumma D. Thomæ Aquinatis; colligit in ea quidquid doceri poteſt aut ſciri, inquit Petrus Labbæus; & revera:, ut optime fatur Xiſtus Senenſis (a); ſiquidem quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia, indiſſolubili pacis fœdere conjungit, brevitatem ſcilicet, copiam, claritatem & ſecuritatem, quæ nulli unquam litterarum Profeſſori vel ante, vel poſt eum contigit nectere.

Qui ſummam D. Thomæ turrim Davidicam ex qua mille peudent clypei ad fidei defenſionem putaverit, via veritatis via non aberrabit. Etvero Trinitatem Perſonarum divinarum, attributa, creationem univerſi, quomodo facit Deus Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem, quomodo immotus omnia movet, mirum in modum explanat. Diſcerpit varios Scripturarum ſenſus, vim legum, virtutes, Incarnationem Verbi, ejuſdem cum hominibus converſationem, Redemptionis beneficium, Sacramenta, rationalis creaturæ finem ultimum. Uno verbo omne ſcibile diſcutit & exponit. Hinc Gazophylacium non inepte dicitur & nominatur ab Urbano IV. Revera quidem: quod enim genus aut doctrinæ, aut diſciplinæ eſſe potuit, quod non ſit ſcrutatus D. Th.? Clarus in exponendu, fortis in probando; fidelis in explicando, rectus in litando, victor in argumentando: ſic Græci obſtupuere legentes, ut ipſius contra Gentiles opera ſecum patrias auras repetentes aſportaverint, & e Latino in Græcum ſermonem ediderint.

Quid plura? (b) ſapientiam omnium antiquorum exquiſivit ſapiens Doctor: & in Prophetis vacavit: enarrationem Virorum nominatorum conſervavit, & in verſutias Parabolarum introivit: Proverbiorum occulta exquirens, in abſconditis ſcripturarum converſatus eſt. Hic memorare juvat quanto lepore Prophetarum majorum oracula tam intricata & myſterioſa explanavit, quanta ſuavitate explicuit Sponſæ ſacræ cum ſponſo ineffabile commercium, quanta facilitate difficillimum Librum Job primus interpretatus eſt. Epiſtolas D. Pauli tam eruditis ornavit commentariis, ut, teſte Poſſevino, nihil intactum relinquat. Scripſit & elucubravit in quatuor Evangelia opus tam mirabile, ut jure merito catena aurea nominetur. Ex ſacrorum namque Doctorum

(a) *Petrus Labbæus in Elog.*

(a) *Xiſtus Sen.* 4. *c.* 16.
(b) *Eccleſ.* 39.

ctorum dictis & ſententiis tam jucundam ſeriem texit, ut aureis nodis tot variorum Auctorum teſtimonia & verba connectens, ſermonem unum ab eodem ore promanantem putares.

Omnia demirantes, attoniti ſummi Pontifices alii tot articulos ſummæ D. Thomæ tot miracula dixerunt: alii vocem tanti Doctoris, vocem multitudinis ſapientum nominavere, alii os unum quo locuti ſunt Patres, prædicaverunt: alii denique doctrinam ejus, ut Catholicam, Apoſtolicam, univerſalem, mirabilem, Eccleſiæ decus & fortitudinem, immo pro cæteris, una excepta canonica, proprietate verborum fulgentem, modo dicendorum ornatam, ſententiarum veritatem explanantem, haberi voluerunt.

Noverat etiam doctrinam quam Apoſtolus Timotheo commendabat, nempe ut argueret, obſecraret, increparet opportune, importune; ſiquidem ſermones luculentos protulit in quibus voce pariter & opere potens, vitium debellat, peccatores aut territans pœnarum metu, aut excitans mercedis ſpe: ſed in his quid de fide, ſpe, religione, de vita & morte Chriſti? quid, inquam, omiſit ex rebus quæ dici poſſunt? (a) Chryſoſtomo parem hunc aſſerere non dubitavit Didacus Stella.

Sed illud ſtupendum & ſimul demirandum videtur, quod ſanctus Doctor eminentiſſimarum virtutum praxim cum litterarum ſtudio conjungeret: noverat enim in malevolam animam non introire ſapientiam, nec habitare in corpore ſubdito peccatis. Orabat igitur Altiſſimum ut Spiritu Sapientiæ repleret mentem ſuam, & ideo arduarum difficultatum elucidationem a Chriſto potius in oratione quam ab ingenii ſubtilitate ac ſtudio expectabat. Immo Clemens VIII. perhibet S. Doctorem in componendis libris, interdum SS. Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locaque illi quædam Dei juſſu enarrantes, audiviſſe Julius III. affirmat Beatiſſimam Virginem de ſuæ vitæ & ſcientiæ integritate certiorem illum feciſſe. Joannes XXII. in Diplomate quo Angelicum Doctorem in Sanctorum albo retulit, ait ipſum non ſine ſpeciali rerum infuſione ſcripſiſſe, ita pariter & cenſuerunt Alexander I. Clemens VI. Pius V. & Paulus III. qui una voce doctrinam ejus in veritate & charitate fundatam, cæleſtem, inconcuſſam, tutiſſimam, ſine ullo prorſus errore conſcriptam & expreſſa Chriſti voce comprobatam, divinæ mentis interpretem fuiſſe a Spiritu Sancto datam, denique certiſſimam & doctrinæ Chriſtianæ regulam uno ore conclamant.

Docuerat etiam omnipotens Magni Thomæ Aquinatis manus ad prælium, & digitos ejus ad bellum.... Enimvero exortas ante ævum hæreſes iterum propugnavit, iterum renaſcentes extinxit. Gentilium fabuloſa numina malefidamque religionem deliramentum eſſe comprobavit. Ebioniſtas, Valentinianos, Gnoſticos, Marcionitas, Millenarios, Sabellianos, Manichæos, Anthropomorphitas, Novatianos, Arianos, Pelagianos, Macedoniſtas, Neſtorianos, Eutychianiſtas, & ut paucis omnino complectar, cunctos Hæreticos & Schiſmaticos domuit, debellavit, devicit, proſtravit inſtar generoſi Machabæi hoſtes ſanctuarii ad pugnam provocavit, provocatos profligavit. Potentem experti ſunt ejus dexteram Lutherus & Calvinus, mortalium omnium perditiſſimi; quanto zelo eis reſtiterit, norunt ultimæ Europæ nationes: ſicut Cherubim ille qui poſt Adami lapſum voluptatis Paradiſum cuſtodiebat, ita D. Thomas Eccleſiæ, flammeo armatus gladio, limina defendebat ne profanum pedem inferrent lupi rapaces in Chriſti paſcua.

Orator Tridentinæ Synodi, nulla Concilia a D. Thomæ obitu in orbe terrarum celebrata fuiſſe, quin ad Angelici Doctoris mentem opiniones omnes reduxerint, eleganter ſcribit. Sed ne prolixior tædium pariam Lectoribus, omiſſis cæteris, de Florentino tantum & Tridentino mentionem facere juvat. Joannes a Monte Nigro Ordinis ſancti Dominici celeberrimus in Florentino Græcis negantibus Spiritus Sancti a Patre & Filio proceſſionem, tantis hoc momentum, a ſeſſione 18. uſque ad 25. probavit argumentis, ut victi Græcorum doctiſſimi ſilere coacti ſint, quo eventu eorum commotus Imperator, ſuorum conſulens honori ultra progredi diſputationem non eſt paſſus. Patet ex his quantum ibi refulſerit D. Thomæ doctrina, quomodo per ipſius doctri-

nam

(a) *Tract. de modo concion. c. 2.*

Digitized by Google

nam fides integerrima nutritur, fovetur, roboratur; quomodo ipſius armatura fortes in prælio pugnent, quomodo fidei hoſtes repellant, quomodo vincant & triumphent.

Ecce defunctus iterum & ſine fine loquetur Magiſter Angelicus, immittet velut imbres eloquia ſapientiæ ſuæ, & licet tumulo concluſus, vivas tamen & immortales edet voces uſque in ſæcula. Ecce his ampliſſimum Thomiſticæ theatrum gloriæ; Sacro-Sancta Synodus Tridentina nihil definire videtur, niſi prius S. Thomæ auctoritatem conſultam haberet. Quæritur an in ultima cœna Apoſtoli impreſſo caractere Sacerdotes incitati ſint, Patres quæſtionem ad mentem Angeli Scholæ cito definiunt? Poſt hæc, qua ducuntur temeritate qui e plebe litteratorum vix exorti, (a) D. Thomæ doctrinam ad examen revocant, & pro tribunali ſedentes, & ut ingenioſe dicit quidam auctor, in eam judices ultronei tamquam erroribus ſcatentem damnant, quam Eccleſia tanti fecerat in Conciliis ſuis œcumenicis, quam ipſe Chriſtus laudaverat, approbaveratque divinis ſuis verbis, *bene ſcripſiſti de me Thoma*? Sed illud in primis obſervandum videtur, (b) tantam fuiſſe Concilii Tridentini erga D. Thomam ipſiuſque doctrinam reverentiam, ut non dubitaverit ſummam ejus inter primas fidei regulas ſuper altare collocare, ut omnibus notum foret quod ſi caſu obſcurum aliquid in Scripturis occurreret explanandum, non alio eſſe refugiendum quam ad Doctoris Angelici interpretationem, cui Deus dederat ſcientiam Sanctorum, quique in verbis ſuis hæreſum monſtra placare debebat. Cernebatur ergo hic liber juxta ſacra Evangelia poſitus, & quanto emolumento eo uſi ſint Patres, non modice exponit hujuſce Concilii Orator, ſicut & Baronius qui aſſerit vix quemquam enarrare poſſe quot encomiis celebratus fuerit Angelus Scholæ, & quantum a SS. PP. in Sacro-Sancto œcumenico Concilio Tridentino conſiſtentibus fuerit acclamatus.

Taceo cæterorum ſcriptorum præconia. Dicam ſolum a D. Thomæ exitu vix ſcripſiſſe aliquem qui ejus doctrinam laudibus non celebraverit: & jam vix ullum eſſe Theologum qui in ejus verba non juret, vix aliquem exiſtere profeſſorem qui doctrinam ejus ſi non ſectari, ſaltem ordinem ſervare, & patrocinium advocare non glorietur.

Totius orbis omnes fere Academiæ opiniones tanti Doctoris ſummo proſequuntur ſtudio. Pariſienſis quem olim habuit ut alumnum eximium, nunc audit ut Magiſtrum ſapientiſſimum, eumque ab æmulis jure merito ſemper vindicavit, ſuamque erga eum reverentiam fulgentibus encomiis non ſemel commendare complacuit: ipſius verba ſilere non fas eſt. Cum Divus Thomas, inquit, fuerit univerſæ Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Univerſitatis noſtræ ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne, ac lucens per quod omnes qui vias vitæ & Scholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident. Quid plura? Salmaticenſis Hiſpaniarum celeberrima, novis procul repulſis opinionibus, publico Sacramento ſe obſtrinxit ſemper & in omnibus D. Thomæ doctrinam ſequi, & alumnos ſuos edocere. Lovanienſis præſtito Sacramento ſanxit, ut omnes ſui Doctores ad obſervantiam Conſtitutionum Apoſtolicarum in materia de Auxiliis, ſecundum inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata S. Auguſtini & D. Thomæ progrederentur, ut fert Bulla Alexandri VIII. ad hanc Academiam directa: immo ita S. Thomam colit, ut in nominis ejus prolatione alumnos ſuos caput diſcooperire voluerit. Duacena vero elegantem & honorificam ſtatuam S. Thomæ Aquinati Patrono Academiæ Duacenſis, ut fert inſcriptio collocata, erexit. Juſſu Urbani V. Toloſanæ impoſitum eſt ut ejus doctrinam tanquam veridicam & Catholicam ſectaretur. Pari zelo cæteræ Univerſitates ſuam erga tantum Doctorem obſervantiam diverſis modis ſignificare voluerunt.

Religioſi etiam ordinis plurimi maxime deviaciuntur doctrinæ D. Thomæ. Fratrum Prædicatorum perilluſtris Familia, (a) quæ inter proceres ſuos quatuor SS. Pontifices annumerat, Cardinales 42. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum copiam multam ex quibus 23. aderant Sacro Concilio Tridentino, hæc inquam in ſuis

Con-

(a) *S. Thomas Aquin. de Polyt.* Chriſt. *l.* 2. *c.* 2. (b) *Idem. l.* 2. *c.* 6.

(a) *Davity.*

Conſtitutionibus diſtinctè injungit Lectoribus ut egregiam Angelici Magiſtri doctrinam ſemper legant, diſcant & doceant. Volumus inquiunt Conſtitutiones Auguſtinienſium, ut Magiſtri regentes in lectionibus & determinationibus diſputationum, in omnibus ſequi & tueri doceant ſanam & Catholicam doctrinam fundatiſſimi Doctoris noſtri Ægidii Romani, (a) ubi vero ejus ſcripta non reperiuntur, ex D. Thomæ doctrina ſuppleatur.

Ita pariter Congregatio Canonicorum Regularium. Enimvero anno 1650. menſe Septembri Capitulum Generale habitum in Abbatia ſanctæ Genoveſæ Pariſiorum ſtatuit ut in Scholis ſuis legeretur ſancti Thomæ doctrina, quæ quidem Congregatio permultos celebres habuit Viros, quippe quæ inter ſuos annumerat Thomam a Kempis, (b) Illuſtriſſimum Dominum Alanum de Solminhac Epiſcopum & Comitem, Reverendum Patrem Joannem Fronteau in Univerſitate Pariſienſi Cancellarium, & Petrum Lallemand in eadem Univerſitate Rectorem eximium.

Carmelitarum Reformatorum Ordo ſacer definivit in Conſtitutionibus Provinciæ Turonenſis, ut Lectores, quantum in ipſis erit, Divi Thomæ ſequantur doctrinam. Eodem ſtudio ejuſdem Ordinis Diſcalceatorum (c) Congregationes tum Italiæ, tum Hiſpaniæ, tum Galliæ Angelici Doctoris opiniones adamuſſim proſequuntur. Immo Scholam Thomiſticam fulgentiſſimis exornant radiis Complutenſes, Salmaticenſes & Philippus a Sancta Trinitate, qui Libris ſuis Theologicis perhibent quanti faciant D. Thomæ doctrinam.

Sancti tandem Franciſci de Paula Ordo Religioſus quem Deus voluit humilitate creſcere, & litteram & ſpiritum ſcientiæ D. Thomæ per omnia ſequi, iterum atque iterum definivit, ſtatuit & voluit in Capitulis generalibus 1661. & 1709. celebratis. Quantum autem ſub tanto Scholarum Magiſtro profecerit, non modice declarant ſui alumni: in primis Gaſpardus Paſſavel, Alphonſus de Vaga (d) qui de Caſibus conſcientiæ ſcripſerunt; Joannes Gamart quondam ſacræ Theologiæ Doctor, Joannes Pichoveau Turonenſis, Bertrandus Brunet, Joannes-Baptiſta des Bois qui de controverſis, Lallemand qui de attributis Dei, & Palancus nunc Epiſcopus de Joca qui de Providentia & conſcientia.

Sed inter omnes floruit (a) Merſennus qui qualis, quantuſque fuerit tum virtutis, tum doctrinæ ſplendore, lucubrationes ipſius, præcipue in Geneſim contra Atheos apertius quam a nobis dici poſſit declarant. In B. Pauli Epiſtolas compoſuit R. P. Nicolaus Laiguillier Sueſſionenſis; Jus Canonicum & regulare cum omnium nationum applauſu explanavit Doctiſſimus Peirinis; eminet utique R. P. Giry D. Thomæ fidelis Diſcipulus, qui Patris Academici Pariſienſis Æmulus Theologiam mellifluam pluribus immenſis voluminibus in Vita Sanctorum cum tanta gratia produxit, maxime in doctiſſimis de myſteriis expoſitionibus & diſſertationibus, ut omnium Lectorum facile rapiat admirationem. Prætermitto plures alios qui variis ſcriptis doctrinæ ſuæ quam apud Angelum Scholæ veluti in fonte amæniſſimo hauſerant, ut lymphas puriſſimas ſparſerunt.

Anno 1562. (b) florebat in hac Sacra Familia inſigni pietate & ſcientia clarus Gaſpar a Foſſo Rhegienſis Archiepiſcopus qui in Tridentino Concilio ſub Pio IV. primas egit partes poſt ſedis Apoſtolicæ Legatos, quibus adeo ſpectatus, deſideratuſque fuit illius adventus, ut nihil eo abſente agi voluerint. Ubi autem venit decretum de continuando Concilio, ipſe formavit & publicavit: immo præclaram & ſapientiæ plenam habuit orationem de auctoritate Eccleſiæ in fidei rebus definiendis. A Gregorio XIII. Gaſpar ad purpuram non obſcure deſignatus, urbem, hunc fugiens honorem, declinavit. Sed ut fugientem inſequitur umbra, ſic & humilem comitatur gloria. Nam defuncto Marcello II. S. Pontifice, hic multis Cardinalium votis ac ſuffragiis ad ſupremam illam Eccleſiæ dignitatem poſtulatus eſt.

Alii plurimi in hoc Ordine Epiſcopalis muneris gloria fulgentes emicarunt. Sic

(a) *Conſt. p.* 3. *c.* 2. (b) *Davity*.
(c) *Conſt.* 2. *par. c.* 4. *n.* 6. (d) *Davity*.

(a) *Gall. Chriſt.*
(b) *Chronic. pag.* 258. & 347.

Sic Bernardus de Buile Epiſcopus Girondinenſis, Gonzales de Angulo Epiſcopus Veneculæ, Gregorius a Paula Epiſcopus Regiocæſarienſis, Franciſcus de Maida Epiſcopus Lavellenſis, Raphael Pizurnus Epiſcopus Guardienſis & poſtea Sagonenſis, Bernardinus a Fuſcaldo Epiſcopus Opidenſis, Gaſpardus Dinet Epiſcopus Matiſconenſis, Renatus le Cler Epiſcopus Glandevenſis, Joſephus Maria de Perimezzi Epiſcopus Schalæ, Joannes de Trevel Epiſcopus Balaſtræ, Franciſcus Delvincon Archiepiſcopus Sandominicus, Ludovicus d'Hattichy Epiſcopus Auguſtodunenſis qui Cardinalium hiſtoriam pluribus in folio voluminibus eleganter compoſuit, Alphonſus de Pedraza Epiſcopus Placentiæ & inter multos qui etiam hodie in throno Epiſcopali ſedent, Joſephus Caſc Archiepiſcopus Salernæ cujus fidelitas erga Carolum V. Hiſpaniarum Regem enituit: qui omnes doctrina Div. Thomæ quam totis viribus profitebantur, ad hanc dignitatis celſitudinem pervenere, ſed non omittendus Ignatius Verdolivius a Neapoli inſignis Theologus qui ut ſuum erga Doctorem Angelicum demonſtraret ſtudium, ſummam ejus Theologicam meditationibus igne divino exardeſcentibus promulgavit.

Aſt in his quid immoror? Magiſtri noſtri gloriam fateri aſtringuntur omnes, immo & inimici noſtri ſunt judices, tolle Thomam, inquiebat Bucerus, & ego diſſipabo Eccleſiam, quaſi dixerit; tametſi deteriora ſequar, meliora tamen, duce Angelico Doctore video, proboque, ſed feliciores Eminentiſſimus Cardinalis Peronius & Paulus Burgenſis quorum alter fato flebili in hæreſi Calviniana natus & enutritus, alter in Judaiſmo, ab errorum tenebris aſſidua Summæ D. Thomæ lectione, adjuvante gratia in admirabile fidei lumen translati ſunt: quia vero ille ſolus probatus eſt quem Deus commendat, commendatum utique a Deo Doctorem Angelicum legimus: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, ait illi Chriſtus. Mortalium ſileant ora, ab immortali laudatur Vir omni ævo laudandus. *Bene ſcripſiſti de me Thoma*: *Bene* tibi, *bene* aliis, *bene* præſentibus, *bene* poſteris.

SECTIO TERTIA.

Puritas fidei affulget, rutilatque in aliis Eccleſiæ Academiis, & Theologis.

NUNC ſi cæterarum Europæ Academiarum quæ in libertatis defenſionem decertavere debitas prætерire laudes, profecto non temere iniquus viderer: etenim tam ſuavi fulgent Virorum tum doctrina, tum pietate illuſtrium varietate, ut ſcientiarum Palæſtras prata omni florum ornatu ridentia putares. Primo intuitu, ſubeat Toloſana Univerſitas apud Gallos celeberrima tum antiquitate, tum fidei puritate. Ex hac eleganti Palæſtra prodiit Joannes Puteaneus humanæ libertatis non infirmus aſſertor qui plurima argumentorum ſerie, conglobatiſque Scripturarum & Patrum Teſtimoniis litem omnem, quam veteres & nuperi ſuſcitavere Heterodoxi, dirimit atque penitus extinguit; immo novorum dogmatum artificibus efficacem hanc opponit concluſionem: (a) *Libertas ideo admittitur in nobis, non quod non cogamur, ſed multo magis quia non neceſſitamur inter operandum: ac proinde concedenda eſt in nobis libertas, nedum a coactione, ſed etiam a neceſſitate.* In hujus ſcriptoris verba numquid juravere Toloſanæ Univerſitatis alumni? certe quidem hancque ſententiam ſibi & hodie tenaciſſimam habent.

Ventilavere quidam Theologi Belgas defiiſſe patrocinari libero hominum arbitrio; ita ſit, tantæ falſitatis opificibus ad interim parco: aſt quid cenſuere primævi Belgarum Doctores, quid Malderus quem eruditio Doctorem Lovanienſem & pietas Præſulem Antuerpienſem fecit, in maximi Doctoris ore collocata ſit Lovanienſis Palæſtræ ſententia, quid ſentit, quid cogitat, quid de libertate? certe ejuſdem nobiſcum opinionis affirmat primam libertatem eſſe a coactione, hoc modo omnem actum elicitum voluntatis liberum eſſe: (b) illoque modo etiam Hæreticos libertatem arbitrii agnoſcere, detorta nimium etymologia. Aſt ne unius dumtaxat teſtimonium reperiſſe videamur, legat quicumque dubius exarata a Cunero Petri

(a) *Tom. 1. in quæſt. 10. dub. 2.*
(b) *Diſp. 56. in 1. part.*

Petri digniſſima verba quibus ſevere licet, pro merito tamen perimentium libertatem hominis audaciam redarguit, longo textu lib. de libero arbit. cap. 5. novarum adinventionum profligatorem ſeſe exhibet. Iu eandem venit mentem Ruardus Tapperus quem Calviniſtæ ut formidabile dogmatis pravi ſulmen habuere, illius doctrinam aſſequutus eſt Joannes Wiggetius in eadem Academia Profeſſor Regius: verum quid in his enumerandis tempus conſumo, nonne Lovanienſis Univerſitas ſectantes nova dogmata exhorruit, SS. Pontificum, ea qua par eſt auimi ſubmiſſioue, veneranda ſuſcipiens ſtatuta, Patronos damnoſæ novitatis expulit, ejecit, detruſit?

Si Duacenſis jam Academiæ laudes luſtraverim, proh Deus immortalis! quanta eſt, quam copioſa quam numeroſa encomii materies: hanc a Philippo II. Hiſpaniarum Monarcha fundatam, a Summis Pontificibus Pio IV. & Pio V. confirmatam, Doctorum ſplendore coruſcam, alumnorum concurſu celeberrimam proſpicimus. Facilius ſydera enumeravero, quam inſignem Doctorum catervam qua reſplenduit: fulget in primis, ne prolixior ſim; fulget, inquam, in Cancellario ſuo, Viro potenti in Litterarum Republica, Guillelmo Eſtio, cujus nomen dixiſſe ſufficit, ſi quis unquam in exhauriendis tanti Artium Proceris laudibus ſufficere queat. Et ne gratis dixiſſe videar, recordentur omnes hunc magnifice cunctos apud Theologos laudari, ſed juvat quæ ſtylo aureo in libertatis explicationem ſcripſit tantiſper intueri: *Libertas arbitrii non ſolum opponitur neceſſitati coactionis quæ omnino a voluntate eſt aliena, verum etiam neceſſitati naturali, qua voluntas etſi ſponte agat, ſic tamen agit, ut non poſſit non agere. Dicendum igitur eſt arbitrii libertatem quam contra Hæreticos veteres & novos defendit Eccleſia, conſiſtere in facultate eligendi utrumlibet oppoſitorum.*

Quidquid effutiant liberi arbitrii hoſtes, perperam dixiſſe videbuntur Belgii Scholas ab humana diſcedere libertate, eleganti non ita pridem, brevique libello venerandus tum doctrina, tum canitie Dominus de la Verdure, Priſcorum inſtitutorum, Patriæque fidei tenax ſalvam libertatem non ut adulterini ſectatores volunt, verum ut antiqui voluere Patres, agnoſcendam prædicavit, ergone apud Belgarum Academias deſiit germanus germanæ hominum libertatis ſenſus?

Aſt quanta animi obedientia ipſa Duacenſis ſchola Sacræ Sedis & Petri Succeſſorum ſanctiones quæ ad integram generis humani libertatem attinent, amplexata eſt!

Nimius eſſem, ſi cunctarum Hiſpaniæ Scholarum laudes ſigillatim recenſerem, ne tædium pariam, juvat Catholici adeo Regni ſeligere Virorum teſtimonia illuſtriorum qui in libertatis humanæ fidem convenere: ſumma certe animorum conſenſione conſpirant plurimi. Primus ſit Franciſcus Honorantius Vir eruditus ac de Religione Catholica optime meritus, has intonat voces adverſus Calvinum: (a) *Eſſe libertatem*, teſte Auguſtino, *non quæ coactionem modo, verum etiam neceſſitatem excludat*: Cumque Calvinus perperam Auguſtini patrocinio gloriaretur, addit: *Num nos cum Auguſtinum legimus, Calvine, neceſſitatem cum coactione perperam confundimus, an non magis utrumque nobis dat Auguſtinus, & ſine coactione nos agere, & ſine neceſſitate quod eſt dicere voluntarie?* Plurima adjicit quæ referrem niſi recordarer non litigantis ſed laudantis hic me vices peragere.

Secundus ſit Didacus Alvarez veterum Hæreticorum inſignis profligator, Calvini cunctos cum perſcrutaretur errores, ſic, impertinenter de libertate loquentem, reprimit: (b) *Sexta earum hæreſis eſt Deum incboare & perficere in nobis bonum opus movendo liberum arbitrium, ut noſtra voluntas non libere, ſed ſolum motu ſpontaneo motionem divinam ſubſequendo cooperetur.* Paucìſque interjectis verbis ſubnectit: *Septima hæreſis Lutheranorum affirmat gratiam Dei ita eſſe efficacem ex ſeipſa, ut noſtra voluntas eidem non cooperetur libere, ſed ſolum ſponte, ultro & non coacte.* Hucuſque prudens ſcriptor expendit verbi Heterodoxi, quam hæreſim nominavit. In ſimilem properat ſententiam Petrus de Cabrera, necnon celeberrimus Franciſcus Cumel quondam Ordinis Beatæ Mariæ de Redimendis Captivis Præpoſitus Generalis, & Univerſitatis Salmaticenſis in orbe tum celebris, publicus Profeſſor. Fœderata voce affirmant ad humanam exigi libertatem

non.

(a) *Lib.* 1. *c.* 49. (b) *Diſp.* 3. *n.* 171.

Google

non ſolum agere libenter & ſpontanee, ſeu voluntarie præciſe quamvis hoc fiat cum advertentia & cognitione ejus, ſed ulterius requiri poteſtatem agendi & non agendi per quam homo habet dominium in proprias actiones. Gallis, Hiſpanis & Belgis conveniunt quoque celebriores Italiæ Magiſtri qui in eandem conſpirant opinionem.

Neque vero deſunt in aliis Academiis, Congregationibuſve percelebres Theologi, qui partes liberi arbitrii adverſus impugnantes, ſicut pietate, ſic & doctrina ſana, libriſque eruditione refertis defenderint. Ex Societate Jeſu propugnatorum ſplendidam habemus nubem, in primis Cardinales Bellarminum, Toletum & Delugo: deinde R. P. Deſchamps Bituricum qui Provinciæ Pariſienſis clavum non ſemel tenuit: Petavium qui Patrum tum Græcorum, tum Latinorum pro jure libertatis ita aſſecutus eſt, ut os omnium eſſe videatur: habemus & Labbæum cujus vel ipſum nomen præconium eſt. Mitto alios complures inter quos multi fidem Catholicam uſque ad internecionem ſanguinis effuſione propugnarunt.

Suos etiam Congregatio Oratorii habet in Theologia Heroes. Quid memorem de Reverendo admodum Patre Amelot qui D. Auguſtini & D. Thomæ veſtigiis inſiſtens ſanam de efficacia doctrinam adverſus Heterodoxos ſtrenue defendit, Novum Teſtamentum Gallice ita clare & ad mentem Vulgatæ reddidit, ut non ſolum Eccleſiæ Procerum, ſed & omnium Catholicorum applauſu, tanquam genuina & egregia admodum recipiatur & legatur ejus editio? Quid de R. P. Thomaſino, quid de Morino? ille de Diſciplina Eccleſiaſtica, de Summis Pontificibus, de Conciliis, iſte vero de Sacramentis admodum concinnate ſcripſerunt. Omnes quantum bene meriti ſint de Eccleſia, intelligas velim, doctiſſime Lector, tum ex libris ſana & eximia doctrina refertis, tum ex morum ſuavitate & virtutum exemplis quibus eam ſedulo illuſtraverunt.

Sic igitur prævio, ut ita dicam, pacto veteribus concordant recentiores Theologi; quam glorioſum eſt quamque decorum his palæſtris intemeratæ veritatis tam robuſtos edidiſſe defenſores! Creſcant ut ros eloquia tantorum Virorum, immittant undique velut imbrem, ſanam quam docuerunt doctrinam. Confuſus taceat error, nec peregrinus incaute glorietur Patronos reperiſſe; aliquos quidem faſcinavit non obedire veritati, aſt ipſa veritas propria virtute victrix, hos inflatos diſrumpet, atque delebit.

Quid ergo ex his colligi poteſt? quid ſibi abſumet tenax hæreſis? variant Theologi Catholici. In quo variare videntur? an in fidei dogmate, ubi Gentium hæc recte dicta ſunt? numquid omnes unanimi conſenſu confœderatoque animo opiniones ſuas uni non committunt Eccleſiæ? ipſa fatur, ſi determinat, ſi definit, nonne oracula omni qua par eſt reverentia, venerantur? Hæretica igitur tantum arrogans procacitas huic Chriſti ſponſæ incorporari nequit, quia humiliter ſentire neſcit. Nos vero licet per diverſos progrediamur calles, ad unitatis tamen centrum innixe pervenire omnes alacri animo ſtudemus. Romanam Eccleſiam, Summos Pontifices, Concilia veneramur, tota eis ſubjicimur mente. Immo vel ſanguinem fundere pro hac unitate parvi ducimus, unico eodemque ſpiritu, & fidelium ſolatio, & infidelium ſaluti incumbere delectamur. Inter Sorbonicos jam multos hac charitatis flamma incenſos diximus. Nec ipſa ventura ætas ignorabit, quanto animarum ſalvandarum ardore tenebatur S. Joannes de Matha Doctor Pariſienſis, magnique Ordinis pro Redemptione Captivorum Auctor & Fundator, Auguſtinienſes, Thomiſtas, Minoritas, Carmelitas, Jeſuitas, Religioſos Minimos pro fidei veritate trucidatos paſſim leges ſi volueris eorum Ordinum Chronologias legere. Aſt quot habuit Eccleſia Apoſtolos, tot fidei ſuæ teſtes; quot Doctores orthodoxos, tot Patres ad conſummationem Sanctorum, ut non ſimus in veritate fluctuantes, immo habet & habebit in perpetuum invictiſſimos ſuæ & ſanctitatis, & unitatis, & veritatis Patronos atque Defenſores.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google